
ONVPHRII PANVINII VERONENSIS FRATRIS EREMITAE AVGVSTINIANI

FASTORVM LIBRI V A ROMVLO REGE VSQVE AD IMP. CAESAREM CAROLVM. V AVSTRIVM AVGVSTVM





EIVSDEM
IN FASTORVM LIBROS COMMENTARII

Cum priuilegiis




VENETIIS, Ex Officina Erasmiana Vincentij Valgrisij. M D LVIII

ILLVSTRISS.ET.REVERENTISS

D.ALEXANDRO.FARNESIO.CARDINALI AMPLISSIMO.ET.SANCTAE.SEDIS APOSTOLICAE.CANCELLARIO

ONVPHRIVS.PANVINIVS.VERONENSIS.FRATER EREMITA.AVGVSTINIANVS. S. P. D





VVM de historiae praestantia, atque vtilitate, in qua vt cetera omittam, prudentiae, ac sapientiae primordia contineri, iam pridem omnibus mortalibus persuasum est, satis alio in loco praefatus sim Alexander Cardinalis Amplissime, superuacaneum esse arbitror, eadem hoc in loco repetere, de quibus iam diu latius disputaui. Quare nunc tantum ea breui complectar, de quibus in his libris mihi proposita explicatio est. Ea vero sunt, ceteris aliarum Gentium, & Ciuitatum tam Graecis, quam Barbaris historijs, ad tempus omissis, quae per decem fere perpetuos annos, in Romana Antiquitate, ex innumerabilibus prope tum Graecis tum Latinis auctoribus collegi. Quae inchoata, quum triennio ante iustissimis de caussis imperfecta reliquissem, nunc tui beneficio ac liberalitate, a quo mihi ad has artes tractandas, honestissimum concessum ocium est, potissimum mihi reuocanda esse existimaui. Me enim rei ipsius magnitudo, ac grauitas semper vt Romanas res indagarem, atque perquirerem impulit. Etenim si quis ad omnium Gentium, & Ciuitatum quae toto orbe terrarum iam diu floruerunt Imperia, veteribus litterarum monumentis consignata, animum attendat; atque inter se conlata consideret, quae nam eorum vel maius sibi Imperium parauerit, vel res domi forisque clariores gesserit, nullum post hominum memoriam, neque magnitudine latius, neque pace belloque gloriosius, neque saeculorum interuallo diuturnius, quam Romanum inueniet. Quo fit vt veteris Romanae historiae cognitio, reliquis alijs (diuinis exceptis) anteponenda esse videatur. Quum autem diu in diuinis historijs laborauerim, nunc ceteris aliarum gentium narrationibus posteriore loco omissis, de eius excellentiae, & magnitudinis parte; quae hominum laboribus & diligentia, indigere adhuc mihi videntur disserere conueniens esse existimaui. Porro autem omnem historiam recta temporum ratio, verusque & diligens rerum gestarum ordo, maxime inlustrare atque inluminare solet; ita vt si ab

omni historia nec dum Romana, has res substuleris, certum sit, ipsam fore perinde ac orbem sine Sole, vel pulcherrimas aedes sine fenestris. Tolle enim lucem ab ipsis, vel Solem ab orbe terrarum, non ne omnia confusa remanebunt? sic quoque tolle aetatum ac saeculorum ex historia ordinem, rerumque gestarum rectam seriem, certe nihil, vel parum lucis rebus gestis relinquetur. Propterea quum ego decennio ante, Romanae ipsius historiae omnium præstantissimae, & vtilissimae fluctuantia tempora, inconstantem annorum rationem, & labantem rerum gestarum ordinem cernerem, idque vel auctorum, vel librariorum vitio, vel temporum iniuria, vel antiquarum historiarum misero certe casu, quum hae vel amissae sint, vel si supersunt, eas non nisi mutilas, aut deprauatas habeamus; omnibus harum litterarum studiosis, rem vtilem me facturum esse arbitratus sum, si hoc vt mihi videbatur arduum, & perdificile negocium transigendum susciperem, vt annuã eorum magistratuum, qui apud veteres Romanos digniores habebantur, & quibus praecipue ipsorum temporum ratio digereretur, descriptionem, a Romulo Rege ad nostra vsque tempora, per bis mille trecẽtos & decem annos perducerem; apud omnes scriptores imperfectam, & multis erroribus vitiatam. Nam & si praeter tabularum capitolinarum auctorem, multi alij magistratuum Fastos diligentissime apud veteres digesserint, vix tamen (quod scimus) eorum tres libri tantum supersunt, sed ita deprauati, vt vix intelligi possint. Ex recentioribus vero, qui in hoc studio elaborarunt, inter quos Carolo Sigonio Mutinensi viro eruditissimo primae partes iure concedi debent, ij fere Diui Augusti tempora non excesserunt. Quæ ego tempora vel fructu vtilissima, vel lectu iucundissima, nullo modo mihi esse duci praetereunda. Quum autem in hac temporum descriptione, Regum primo, & Imperatorum Romanorum seriem, deinde annuorum magistratuum, vt Consulum, X. virorum, Tribunorum Militum consulari potestate, & aliquot Dictatorum, qui annuo Imperio Remp. gubernarunt, nomina praecipue explicanda, & restituenda proposuerim, eorum descriptionem eousque deduxi, quoad nomen stetit consulare; quod vsque ad Caroli Magni aetatem, Constantinopoli permansisse constat; qua nomen ipsum consulare omnino esse desijt; & in alias dignitates mutatum est. Cur vero aliquot non annuos veteris Reipublicae magistratus affixerim, vt Dictatores, Magistros Equitum, & Censores, itemque Imperatorum posteriorum tempore, Italiae Exarcos, in commentario quem in hos Fastos scripsi aperietur. Post autem, à Caroli Magni temporibus, ordine temporum accuratissime seruato, omnes Imperatores Romanos, tum occidentis, tum orientis vsque ad nostra tempora perstrinxi; ne quid deesset, quod cupidus historiarum lector desideraret. Simulque quod eorum temporum rationem a multis doctis viris obseruari animaduerti:

Consu-

Consulum autem & Imperatorum Fastis, Pontifices Maximos, & Principes Senatus quorum memoria extat, triumphos quoq; atq; ouationes ab eisdem a Romulo Rege, vsque ad Fl. Belisarium V.C. actos adiunxi. Quibus deinde, eos Duces Populi Romani, qui ob res bello egregie, & prospere gestas, triumphalibus ornamentis ab Imperatoribus Augustis decorati essent, adijciendos esse duxi, tum ne hi viri meritis honoribus fraudarentur, sed eorum clarissima gesta per triumphorum titulos cognoscerentur; tum quod hanc rationem in capitolinis tabulis obseruatam esse intelligerem. Opus sane magni laboris, & multarum vigiliarum. Res quidem quae ab antiquitatis studiosis, merito cognoscendae sunt. Qua ratione autem triumphis Pontifices Maximos, & Princeps Senatus praefixerim, paulo post lectori aperiem. Porro autem ex hoc labore, multiplex (vt opinor) fructus percipietur. Primum enim annorum ab vrbe condita ratio, quae vel veterum inter se auctorum controuersijs, vel foedissimis librariorum mendis, difficillima atque impudentissima erat, aperte & certe, omnibus quauis caussa obortis erroribus sublatis, explicata est, & enodata. Res vt antea perdifficilis atque obscura, ita modo (vt spero) clarissima. Deinde Graecorum etiam temporum, quae per olympiades digesta sunt descriptio, quae Romanis maxime respondere videatur, quum antea vacillaret, ac perturbata esset, explanata ac declarata est; qua vnius cuiusque rei tam apud Graecos, quam apud Romanos actae, certissimum tempus manifeste cognosci poterit. Dum enim Romani aliquid tali ab vrbe condita anno, qui illi olympiadi respondebat, Graeci vero illius olympiadis tertio vel quarto annis, qui cum tali ab vrbe condita anno conueniebat, factum esse scribunt, annorum ipsorum verissima cognitio haberi poterit. Postea clarissimis viris germanis suis cognominibus, & praenominibus, patrum quoque & auorum praenomine insignitis, maxima adempta est confusionis occasio Atque in hac parte non tam mei, quam Caroli Sigonij studio, & industria, qui in hac re vehementissime & ipse laborauit, effectum est; vt res haec quae mira antea confusione titubabat, tandem aliquando clara, & manifesta omnibus facta sit, atque cum de aliquo vel Domitio, vel Cornelio, aliquid factum refertur, de quo ipsorum intelligendum sit lector ipse cognoscere possit. Nam saepe pater pro filio, & filius pro patre a veteribus etiam accipi solet. Quibus erroribus Valerius Maximus, & Suetonius Tranquillus viri summi (vt ceteros omittam) aliquando inducti sunt; quod facile ob maximos in praenominibus obortos errores fieri poterat. Ad haec, hoc labore multa quae ex veterum monumentis, vel amissis, vel deprauatis, vel quod maius est temporum iniuria, obscurissima his temporibus, cognituque difficillima facta fuerant, & praesertim in lapidum, & antiquorum nummorum inscriptionibus, quae aut fracta, aut exaesa sunt, ex ijs quae supersunt fragmentis,

tis, quantum a me fieri potuit, restituta, & inlustrata sunt. Quibus rebus efficiendis, multorum doctissimorum hominum consilio, innumerabilium nummorum, lapidumque veterum ope, adiutus sum. Ex quibus tabulas ipsas capitolinas, quibus maior librorum primi & quinti pars incisa erat, totas etiam inserendas esse existimaui. Quas diuina prope voluntate erutas esse eo potissimum tempore existimo; quo paulo ante ipsum opus Veronae adhuc adulescentulus aggressus fueram; quod sine earum praesidio (vt omnibus manifestum est) praeclari quicquam in hoc genere, ab vllo praestari non potuisse certum est. Quanquam quum haec scripsi, ne id quidem animo habui, vt eas mancas supplerem; (quid enim id erat necesse, quum a Sigonio tandem diligentissime essent suppletae?) sed vt earum praesidio meos Fastos concinnarem, ac si res ferret ab ijs recederem; id quod & saepe feci; & cur fecerim in Commentario exponam; quum nihilo minus earum prae ceteris auctoribus rationem habendam esse decreuerim. Postremo hoc vno labore, multis (vt dixi) antiquis monumentis adiutus, omnia fere quae per totam Romanam historiam in sexcentis prope annalibus dispersa sunt, siue a superioribus carptim tantum tractata, in vnum hunc librum, quasi sub aspectum subieci, tamque in vnum corpus complexa; res non solum tantum per se iucunda, sed ad quoscunque historiae latinae scriptores inlustrandos (vt iudico) accommodatissima. Triumphos autem & cetera quae adiunxi, a magistratibus ideo separaui, quod antiquum marmorum capitolinorum auctorem, eos ita distinxisse animaduerterim. quod haud temere mihi obseruandum fuisse, quum multis alijs caussis existimo, tum maxime, ne numerandorum annorum ratio, versiculis ipsis triumphorum interserendis, impediretur. Quum igitur hanc temporum descriptionem, quam antiquorum exemplo Fastos appellari debere demonstrabo; ab vrbe condita, vsque ad hodiernum diem, per annos ∞ ∞ CCCX continuato ordine perduxerim, atque in ea constituenda, multis librorum, lapidum, nummorum, multorum eruditissimorum hominum testimonijs vsus essem, visum est, quo omnibus quae scripseram magis probata essent, quum multa etiam sint quae vel ex ingenio, vel meis coniecturis, vel ex lapidibus qui modo non extant, addiderim, aliud volumen adiungere, in quo non solum rationem redderem singillatim earum rerum, quae in his magistratuum, triumphorumque Fastis exarandis scriptae sunt, verum etiam antiquorum scriptorum praecipua loca adderem, quibus ipsi singulorum Regum, vel Consulum, vel Censorum, siue aliorum magistratuum, qui in hoc volumine continentur, siue etiam annorum ab vrbe condita, vel olympiadum mentionem fecerunt; eaque si deprauata inuenissem corrigerem, controuersias eorum vel de rebus, vel de temporibus constituerem, incuriamque in scribendo animaduerterem. In quo praeterea, prae-

nominum

nominum, nominum, & cognominum priscam rationem inlustrarem, omnium rerum memorabilium, quae singulis annis acciderunt mentionem facerem, inscriptionesque multas veteres declararem. Quibus laboribus nihil fructuosius esse posse existimo. Illud postremo dicam hanc temporum rationem prius laceram, inconditam, & imperfectam, nunc accuratissime descriptam in publicum exire. Hoc autem vniuersum opus, quo distinctius ac apertius esset, in quinque potissimum tribuere partes commodissimum visum fuit; sic enim & lectorum commoditati, & operis decori consultum iri existimaui. Quibus singulas praefationes attexens, quam ob rem id fecerim, rationem singillatim reddidi. Quorum in vniuersum te praecipuum patronum, & protectorem esse aequissimum iudicaui; tum quod liberalitate tua adiutus eis extremam manum imposuerim, tum etiam quod mihi ipsi constitui, singulos hos libros ijs potissimum doctis viris nuncupare quorum opera, consilio, & ope in hoc perficiendo labore adiutus essem. Quorum omnium tu sine dubio principatum obtines. Nam quum sub felicissimo aui tui Pauli III. Pontificis Maximi principatu, ruderibus inter forum & sacram viam impensis tuis eggestis, saxorum illorum fragmenta, omni thesauro praetiosiora, quae beati illius pontificatus saecula exornarunt, felici litterarum fato eruta essent, quibus omnis haec magistratuum & triumphorum ratio incisa erat, sine qua nihil omnino in hoc negocio perfici poterat, quod hominum lectione dignum esset; tu ea ad communem studiosorum vtilitatem, & commoditatem, Populo Romano publicanda largitus es. Quae ex S. P. Q. R. auctoritate, opera atque incredibili Gentilis Delphinij ciuis Romani, patriae decoris, & veterum monumentorum perquirendorum studiosissimi industria, in Capitolio conlocata, & vt eorum dignitati conueniebat, eximia structura ornata, Romanarum antiquitatum studiosis pulcherrimum atque augustissimum spectaculum praebent. Quae omnia elegantissimis inscriptione, & epigrammate notata sunt, quorum exempla in studiosorum gratiam, hic subijcere placuit.

SENATVS. POPVLVS. QVE. ROMANVS
MONVMENTA. MARMOREA. MAGISTRATVVM
TRIVMPHORVM. QVE. AB. VRBE. CONDITA
AD. TEMPORA. DIVI. AVGVSTI. RVDERIBVS
IN. FORO. EGGESTIS. ERVTA. IMPENSA. ALEX
FARNESI. CARD. PAVLI. III. PONT. MAX. NEPOT
IN. CAPITOLIO. P

Marmora praeclaros testantia fronte triumphos
    Atque magistratus inclyta Roma tuos
In medio mansere foro dum Roma manebas
    Post que Deos orbi iura secunda dabas
Ast vbi te indignis fregit fortuna ruinis
    Obruerat titulos alta ruina tuos
Tamque diu in tenebris tantis iacuisse videntur
    His veluti fato debita temporibus
Quae modo Alexander patria te dignus, auoque
    Paulo, inuenta tibi marmora restituit
Tu Capitolina meliore in sede reponis
    Et legeris magni munere Farnesij.


Quare quum horum lapidum potissimum ope, Fastos hos meos qui nunc in lucem prodeunt, in hanc formam decimo tandem anno post, concinna uerim, intelligo me eos amplitudini tuae, tanquam summo laboris totius huius mei auctori, omnino debere; praesertim vero quum tu idem liberalitate etiam ac beneficentia tua, qua omnes studiosos complecti soles, me iam per triennium subleuaris, atque ocium ad hoc opus perficiendum honestissimum tribueris. Res est praeterea quum principe digna, tum te ipso dignissima. Quem Deus Opt. Max. ad pristinam Romani nominis gloriam renouandam procreasse, atque miris ad litteratorum commoda, & ornamenta honoribus, auxisse videtur. Quem ipse etiam atque etiam precor, vt diu te nobis incolumen seruet, vt cuius auspicijs Romana antiquitas exornari iam coepta est, eiusdem etiam aliquando omnino renouetur, tibique vni vendicatae restitutaeque Romanae vetustatis gloria & laus ab omnibus studiosis accepta referatur. Vale. Venetijs Kal. Februarij Anno Domini ∞ D L V I I I

A. QVIBVS. TABVLAE
CAPITOLINAE. PRIMVM. EDITAE
ET. QVA. RATIONE. NVNC. DEMVM
è tenebris vetustatis erutae sint
Qui Fastos Consulares conscripserint; & Qui in eo studio elaborauerint



VAM vtiles & necessarij sint hi Fastorum libri veterum monumentorum studiosis, satis supra in priore praefatione exposui; nunc vero operae precium me facturum arbitror, si tacitae hominum reprachensioni respondeam, qui existimare laborem hunc, hoc potissimum tempore superuacaneum possent; quod toties & ab antiquis et recentioribus auctoribus editus sit. Quum praesertim, multi qui nostro saeculo, vel etiam patrum memoria vixerunt in hac magistratuum exarandorum serie egregie operam nauarint. Non vereor autem quin omnis haec haesitatio tolli possit; si quam breuissime omnes quos sciam nominauero scriptores, qui Fastos Consulares conscripserunt, et qua ratione id singuli praestiterint demonstrauero, simulq; non parum vtilitatis historiarum studiosis me allaturum confido, quum res haec cognitu non indigna sit. Quum autem haec ipsa a multis auctoribus tum obiter, tum ex instituto tractata sint, de eis minime loquendum duxi, qui historias scribentes, earum occasione horum quoque magistratuum nomina digesserunt; vt Q. Fabius Pictor, L. Cincius, M. Porcius Cato, Valerius Antias, Licinius Macer, Q. Aelius Tubero, CN. Gellius, L. Calpurnius Piso, C. Sempronius, Q. Aelius, Q. Fabius Maximus, L. Mammius, P. Rutilius, C. Iulius, Cassius Hemina, Claudius Quadrigarius, M. Terentius Varro, quorum scripta non extant; Itemque ex his quorum monumenta supersunt, Polybius, Dionysius Halicarnasseus, T. Liuius, P. Cornelius Tacitus, Cassius Dio, Ammianus Marcellinus, Prosper, Marcellinus Comes, & ceteri alij rerum Romanarum grauissimi & eruditissimi scriptores. De his autem verba faciam, qui nuda tantum magistratuum nomina, quos Fastos appellamus digesserunt. Inter quos praecipuos fuisse existimo, auctores illorum librorum, quos magistratuum appellat T. Liuius, quorum saepissime testimonio historiam suam confirmat. In quibus magistratuum omnium annuorum nomina scripta fuisse conijcere licet: quae qui scriberent publici scribae forte fuerunt annuo salario ei muneri destinati. De eis enim nihil praeterea compertum habeo, nisi quod saepe citantur a Liuio. Erant et libri lintei qui ad Monetae aedem seruabantur, quos eiusdem generis fuisse crediderim, de quibus Liuius idem saepe mentionem facit. Similiter & Dionysius Halicarnasseus tabularum censoriarum aliquando meminit, in quibus aliquot magistratuum nomina, & praecipue Censorum scripta fuisse liquet. Horum autem librorum nihil est reliquum, quum omnes temporum iniuria exciderint. Porro autem quum populi Romani vires Asia & Africa domitis, augeri coepissent, atque incredibili propemodum tot Imperatorum felicitate, vrbs ipsa totius ferè orbis terrarum imperio potita esset; quo omnibus hominibus breui quadam ratione perspectum esset, quibus id ipsa temporibus consequuta fuerit, & quorum Ducum Populi Romani virtute, tantum Imperium partum, et auctum fuerit; magistratuum praecipuorum Fasti, quibus temporum ratio potissimum digerebatur, additis singulorum Ducum triumphis, tabulis lapideis incisi publicati sunt; atque inter forum & sacram viam loco omnium augustissimo, media vrbe, non sine publico, vel S. C. vel Imp. Caesaris Diui F. Augusti auctoritate conlocati. Multis autem coniecturis, quas modo superuacaneum esset enarrare ductus, aliquando credidi, eas tabulas incidi coeptas paulo ante Sullae Felicis tempora, atque paulatim annuos postea additos fuisse reliquos magistratus. Cuius rei non minimum argumentum esse mihi videbatur, mira in litteris ipsis post Sullae tempora varietas, quum aliae crassiores, aliae tenuiores aperte prae se ferre videantur, eas varijs incisas fuisse manibus & temporibus. Verum P. Octauij Pantagathi viri doctissimi auctoritate, cuius ego sententias non secus ac Delphica oracula accipio, permotus, eas omnes tabulas, quae quattuor fuerunt, sub Augusti Imperio incisas fuisse existimo, etsi a varijs lapicidis, atque ea de caussa varias litterarum species ibi videri; eiusque auctorem fuisse Verrium Flaccum nobilem Grammaticum, qui sub Augusto vixit,

mihi persuadeo. Cuius rei auctor est is, qui vitas Illustrium Grammaticorum scripsit, et C. Plinij, vel Tranquilli sub nomine vulgo circumfertur. Is enim de Verrio Flacco loquens: Verrius Flaccus (inquit) libertinus docendi genere maxime inclaruit, nanque ad exercitanda discentium ingenia, aequales inter se committere solebat, proposita non solum materia quam scriberent, sed & praemio, quod victor auferret; id erat liber aliquis antiquus pulcher, aut rarior. Quare ab Augusto quoque nepotibus eius praeceptor electus, transiit in palatium cum tota schola; verum ut neque amplius posthac discipulum reciperet. Docuitque in atrio Catilinae domus, quae pars Palatij tunc erat. Et sextertia centena in annum accepit. Decessit aetatis exactae sub Tiberio. STATVAM. HABET. PRAENESTE. IN INFERIORE. FORI. PARTE. CONTRA. HEMICYCLVM. IN. QVO FASTOS. A. SE. ORDINATOS. ET. MARMOREO. PARIETI. INCISOS. PVBLICARAT. *Quod ex his vltimis verbis a P. Octauio animaduersum, a maiori eruditorum parte in vrbe summo omnium consensu confirmatum est. verbumque Praeneste quod huic sententiae contradicere uidetur, corruptum esse ab omnibus creditum, sicque a P. Octauio correctum pro Vestae; vel pro Aede vestae; aut prope Aedem vestae vt Gabriel Faernus emendauit. Non procul enim eo loco vbi tabulae ipsae Capitolinae erutae sunt, aberat Templum Vestae, vt ex antiquis virginum vestalium elogijs, aliquot annis antea haud longe ab hoc ipso loco effossis, & ex antiquis auctoribus P. Victore, & Sex Rufo in libellis quos de Regionibus Vrbis Romae scriptos reliquerunt, satis constat. Quod etiam Dionysii Halicarnassei, & ceterorum ueterum scriptorum auctoritate confirmari potest. Tametsi vir doctiss. Antonius Augustinus Pedestrem restituerit. Atque hac ratione Fastorum Capitolinorum Auctor, formaque aedificij, quae in Hemicycli speciem erat, non Iani perui, vt quibusdam placet, & ego aliquando credidi. Neque enim verisimile videtur, tantum opus ab omnibus scriptoribus silentio & obliuioni mandatum fuisse, vel quod de Fastis Verrij Flacci dicitur, id extra vrbem factum esse. Adde quod si Praeneste dixisset, non opus erat addere in inferiore fori parte, sed in foro, neque enim paruum Municipium adeo magnum forum habere poterat, vt in eius inferiori parte dicendum fuerit. Enim quoque locum de Fastis diurnis intelligere non placet, quum iam diu ante in vrbe a Caesare Dictatore recte ordinati et editi fuissent. Et longe ante, id quoque Praeneste factum fuisse videri potest apud Censorinum, & Macrobium. Harum autem tabularum, quas quatuor fuisse constat, forma haec erat*



QVAE dum effoderentur, a Michaele Angelo Bonaroto Pictore, Sculptore, & Architecto eximio, & alijs eius artis peritis hominibus ex tertia tabula, quae adhuc pro maiori parte integra loco suo fixa manebat, & ceterarum trium fragmentis penitus conuulsis descripta & formata fuit. In quibus in loco A. Regum, Consulum, X. Virorum, Trib. Militum cõsulari potestate, Dictatorum, Mag. Equitum, et Censorum nomina incisa fuerant. Loca vero B. quae parastatae appellantur triumphos & alia quaedam continebant. In locis vero C. quae pro maiori parte vacua erant, ludi tantum saeculares annotati erant e Regione Consulum ipsorum, sub quorum magistratibus facti fuerant. Prima autem tabula, quantum ex earum tabularum partibus extremis quae supererant, conijci licuit, Reges, Consules, Dictatores, Magistros Equitum, X. Viros legum scribendarũ, Tribunos Militum Consulari potestate, & Censores continebat ab vrbe condita ad annum vrbis CCCLX loco A. Quid autem in suis duabus parastatis loco B. fuerit adhuc incertum est, neque enim vnquam aliquid inueniri potuit fragmentum, vnde certe eliçi posset, quid in his exaratum fuerit; loco vero C. ex aduerso Anni vrbis conditae CCXCVII. primi ludi saeculares incisi erant, vt suo loco demonstrabo. Secunda vero tabula loco A. Tribunos Militum Consulari Potestate, Consules, Censores, Dictatores, & Magistros Equitum, vt ex fragmentorũ extremis partibus quæ supererant collegimus, continebat ab Anno vrbis CCCLX. vsq; ad annum CDLX Porro autem quid in duabus quoque eius parastatis loco B. fuerit, adhuc vt de duabus primis incertum est. Ego vero quantum coniectura consequi potui, semper existimaui in his quattuor prioribus duarum tabularum parastatis, Pontificum Maximorum, Flaminum, Minorum Pontificum, Augurum, Regum Sacrorum, & aliorum eiusmodi sacerdotum nomina, & forte Principum Senatus exarata fuisse. Qua ratione ductus, libro Fastorum Quinto in quo triumphi comprehenduntur, Pontifices Maximos & Principes Senatus, quorum mentionem apud veteres scriptores fieri inuenerim, praeposui; Augures, Flamines, Pontifices Minores, et ceteros Sacerdotes quoque addituruis, si eorum mihi vberior copia fuisset: Ceterum quae consularium Fastorum fragmenta ex his duabus tabulis supersint, satis manifestum est; ludi aũt saeculares secundi loco C. ex aduerso anni vrbis CDVII. digesti erant in quo facti fuerunt. Porro in tertia tabula, cuius duae partes supererant tertia amissa, exarati erant Consules, Censores, Dictatores, & Magistri Equitum, qui fuerunt ab Anno vrbis CDLXI. ad Annum DC. In cuius duabus parastatis triumphi & ouationes incisi fuerant. In quarum altera, quantum ex extremis fragmentorum partibus cognouimus a Romuli primo triumpho ad triumphum C. Iunij Bruti Bubulci, qui actus fuit Anno CDLI. In altera vero a triumpho M. Valerij Corui Anno vrbis CDLII. vsque ad triumphum & spolia opima M. Claudij Marcelli Annumque vrbis DXXXI. ludi vero saeculares tertij qui adhuc cũ Mag. X. Viror. supersunt incisi sunt loco C. e regione Anni vrbis DXVII. in quo eos celebratos fuisse XV. Virorum Commentarij prodidere. Quarta autem Tabula, cuius magna pars male a tempore accepta, & in plura frusta discissa superest, loco A. Consules & Censores comprehendebat ab Anno DC. vsque ad Annum DCCXXXVII. In cuius priore parastata loco B. scalpti erant triumphi ab Anno vrbis DXXXII. Ad Annum DCXXIV. & triumphum C. Sempronij Tuditani. In altera vero quae octaua & nouissima erat, reliqui triumphi annotati erant a triumpho M'. Aquillij Ex Asia, ad P. Cornelij Balbi ex Africa, & Annum vrbis DCCXXXIV. loco vero C. nihil vt in superioribus tribus tabulis incisum erat, praeter ludos saeculares; Quartos quidem ex aduerso Consulum Anni vrbis DCXXVII. Et quinctos qui adhuc supersunt, Anni DCCXXXVI. In quibus eos celebratos fuisse satis constat. Porro quum in quarta hac ipsa tabula locus A. in quo Consules, et alij Magistratus exarabantur expletus esset, superessentque adhuc ante Augusti obitum ad quem vsque tabulae illae pertinent, multa Consulum collegia, ea a Consulatu M. Drusi Libonis & L. Calpurnij Pisonis, & anno vrbis DCCXXXVIII. loco illo C. parte laeua incisa fuerunt; Idque ob spacij defectum praeter tabularum institutum factum fuit. Hincque factum est, vt quum in eo spacio continuata fuerint Consulum collegia cũ Tribunicijs potestatibus Augusti & Ti. Caesaris, vt Consules C. Silius, & L. Munatius Plancus super ludos saeculares quintos inciderint, qui loco illo ex aduerso Consulatus C. Furnij & C. Iunij Silani scalpti fuerant, quo anno eos celebratos fuisse omnes auctores produnt. Anno autem sequenti in quo Augustus obijt, eorum magistratuum descriptio finita est. In qua reliqui triumphi qui desunt post L. Balbi triumphum ideo descripti non sunt, quod omnes ipsae octo parastatae quattuor earundem tabularum iam expletae essent, locusque praeterea aliquis quo inciderentur, non supererat

pererat. Manserunt autem tabulae illae stante maxime Romano Imperio, loco in vrbe omnium celeberrimo multis annis; quae demum cum Imperij & vrbis casu & ipsae euersae sunt, atque siue a Barbaris Gotheis, & Vandaleis, siue ab antiquis Christianis pro maiori parte conuulsae, ad aliosque vsus earum nobilissima marmora translata. Quae vero tantae cladi superfuerunt fragmenta, altissimis ruinis obruta, praeter admodum pauca, vsque ad nostra tempora mille & amplius annis remanserunt. Ex earum enim Tabularum, quae hominum malignitati & ignorantiae reliqua fuerunt, fragmentis, multa ibidem relicta sunt; quod labore fessi, vel felici nostrorum temporum fato ea penitus excidere non potuerunt. Multa quoque per diuersas vrbis Christianorum Basilicas, ad varios (vt dixi) vsus ab antiquis Christianis translata fuerunt. Saxum enim illud in quo Tribuni Militum Consulari potestate incisi sunt ab Anno vrbis CCCXXXI. vsque ad CCCXL. fixum erat in gradibus arae maximae, siue Tribunae Basilicae S. Apostoli Pauli extra vrbis muros via Ostiensi. Fragmentum vero illud in quo Consules continentur ab anno vrbis CCCXCII. vsque ad Annum CCCXCV. Itemque ab Anno CDXXXIII. vsque ad annum CDXLVI. aliquando pro limine ostij Aedis S. Mariae de Publicolis inseruiuit, donec ab Aeditimo forte antiquitatis studioso, eo loco tanquam indigno motum, fani muro affixum est. Lapis autem ille in quo ludi saeculares quinti exarati sunt, muro domus Antonij Rustici ciuis Romani diu affixus fuit. Quae omnia ex suo loco hac illac ad varios ineptos vsus eo potissimum tempore portata fuerant, quo Tabulae illae misero litterarum & Imperij casu conciderunt. Quae deinde eo tempore quo reliqua tabularum frusta, inuenta fuerunt, in Capitolium translata sunt, & cum ijsdem concinnata. Ea enim quae vrbis cladibus super fuerant fragmenta, ruderibus ante templum Faustinae inter forum et sacram viam (vt nunc in vrbe mos est) eggestis, casu inuenta sunt, Pauli iij. Pontificis Maximi felicissimo principatu, Anno D. ∞ DXLVII. In quibus quae ex tertia tabula supersunt fragmenta, loco antiquo adhuc mota non fuerant, vnde & ipsarum tabularum haec descriptio a peritissimis Architectis formata fuit. Reliquarum vero trium tabularum lapides, omnes conuulsi, male habiti fuerant, & in frusta diuisi. Quantumque coniectura consequi licuit, bona eorum pars in calcem fuerat decocta, haud enim longe ab eo loco calcis fornax inuenta fuerat. Quum autem marmora illa crassissima fuissent, reliqua eorum pars quae ignem effugerat, in subtiles tabulas dissecta fuerat; In quibus quaedam barbara & penitus inepta ornamenta, auium, florum, pentagonorum, quos nodos Solomonis vocant, & similia incisa erant. Non procul enim acerui aliquot frustulorum & excrementorum e marmore videbantur. Quarum tabularum quaedam ibidem adhuc erant, multae vero eis similes etiamnum per varias vrbis Basilicas ad ambonum, pulpitorum, pergularum, & chori extructiones spectantur. Quum autem crypta ipsa in qua lapides ipsi inuenti fuerant, impensis Alexandri Farnesii Cardinalis amplissimi effoderetur, summo studio & diligentia cautum est, vt vndequaque in circuitu longe lateque per cuniculos excauaretur, quo quicquid superesset temporum malignitati inueniri posset. Diligentissime autem omnibus circum vicinis locis, longoque interuallo distantibus perquisitis, multis doctiss. viris rogantibus actum est, vt lapides inuenti ab eodem Cardinali Pop. Romano donarentur, et in aliquam honestā formam redacti in Capitolium publicae studiosorum commoditatis ergo conlocarentur. Tum ex S.C. auctoritateq; Alexandri ipsius Cardinalis Ampliss. id munus datum est Gentili Delphinio ciui Romano totius antiquitatis studiosissimo indagatori: qui eius incredibili propemodū studio, labore, & diligentia in area Palatij Capitolini Conseruatorum vrbis, in eam quam nunc conspicimus formam posita fuerunt. Atque haec sunt quae de eis tabulis dicenda proposui; quarum auctor quisquis ille fuerit, vir certe doctissimus, & diligentissimus fuit, qui nihil omnino praetermisit, quo munus illud sibi demandatum egregie absolueret. Annuis enim magistratibus Censores et Dictatores cum Magistris Equitum, quo res inlustrior et dignior esset adiunxit, tanto studio & diligentia vt in eo laudando me imparem esse omnino confitear

Per eadem Verrij Flacci tempora alius fuit Fastorum Consular. auctor, qui & ipse opus suum marmoreis tabulis incidi curauit, cuius nomen cum omni fere labore suo diu ante intercidit; eius enim tantum fragmentum extat in area domus viri optimi Gentilis Delphinij ciuis Romani, ex Colotianis hortulis eo paulo ante translatum: quod consulum nomina continet a quarto Caesaris Dictatoris Consulatu ad CN. Domitium & C. Asinium Pollionem; rursusque ab vndecimo Diui Augusti Consulatu ad M. Valerium & P. Sulpicium Consules; cuius exemplum in commentario adponam. Ceterum an is auctor ab vrbe condita, vel alio quopiam insigni loco exorsus fuerit, & ad quem vsque locum pertineat incertum est. Opus au-

tem

rem ante Caesaris Dictatoris tempora editum fuisse, testimonio est M. Antonij nomen, quod non longe post Consulatum suum errasum fuit, deinde melioribus litteris restitutum. Quid vero significet Numerus CL. ex aduerso Consulatus L. Domitij & P. Cornelij mihi obscurum est: nisi sit numerus annorum ab eo tempore, ex quo Fasti illi digesti sunt. De quo quid praeterea afferam non habeo

Alius etiam fuit eiusdem saeculi Fastorum municipalium sine nomine auctor, qui nominibus magistratuum Coloniae vel Municipij, Consules quoque tam ordinarios quam suffectos, Aediles, & Quaestores magna diligentia adiunxit, quae marmoreis tabulis et ipse exarauit. Huius quoque aliud tantum fragmentum extat a Consulatu L. Sempronij & L. Scribonij, vsque ad VI. Augusti, & Agrippae secundum Consulatum. Cuius exemplum refertur a Petro Appiano, in libro inscriptionum totius orbis, ipseque in Commentario non omittam

Post hos autem multi fuerunt, qui Fastos Consulares scribere adgressi sunt, vt in vitis Marci Aurelij, & Gallieni Imperatorum liquet; sed ex his quorum extat memoria, Primi post Verrium Flaccum Fastos Consulares scripserunt sub M. Aurelio Antonino Augusto, M. Aurelius Crator eiusdem Imperatoris libertus, et Chrysorus; de quibus Theophilus Episcopus Antiochenus, qui per ea tempora vixit, tertio disputationum libro, contra Autolychum Christianae pietatis calumniatorem, sic scribit: Regibus annuus successit magistratus, Consules scilicet, quorum nomina recensere superuacaneum reor, quod si quis scire cupit, legat Chrysorum, & Cratorem M. Aurelij Veri libertum. Crator enim a condita Vrbe vsque ad obitum patroni sui Veri manifeste & accurate annotauit, quum nomina, tum tempora annuorum magistratuum. Sed neuter horum ad manus nostras adhuc venerunt

Post hos Fastos Consulares ab vrbe condita vsque ad tempora sua digessit Ausonius Gallus Burdegalensis vir eruditissimus, & poeta celebris, qui sub Gratiano Imperatore, Consulatum ordinarium cum Olybrio V. C. & ipse gessit. Quod his versibus ipse testatur ad Proculum

Vrbis ab aeternae deductam Rege Quirino
Annorum seriem cum Procule accipies
Mille annos centumque, & bis fluxisse nouenos
Consulis Ausonij nomen ad vsque leges
Fors erit vt lustrum quum se cumulauerit istis
Confectam Proculus signet olympiadem.

Item ad Gregorium, cui Fastorum suorum libros nuncupauit

Ignota aeternae ne sint tibi tempora Romae
Regibus & Patrum ducta sub Imperijs
Digessi Fastos, & nomina praepetis aeui
Sparsa iacent Latiam si qua per historiam
Sit tuus hic fructus, vigilatas accipe noctis
Obsequitur studio nostra lucerna tuo
Tu quoque venturos per longum confere Ianos
Vt mea congessit pagina praeteritos
Exemplo confide meo, sic protinus & te
Applicet Ausonijs purpura Consulibus

In quorum Fastorum fine hos versus adiecit

Hactenus adscripsi Fastos, si fors volet vltra
Adijciam, si non qui legis adijcies
Scire cupis qui sim, titulum qui quartus ab imo est
Quaere; legas nomen Consulis Ausonij

Hos vero Ausonij Fastos temporum iniuria iam diu perijsse crediderim

Post Ausonium alius fuit sine nomine Auctor, qui Consulum nomina cum vrbis praefectis auspicatus a primo anno Imperij Valeriani & Gallieni Imperatorum, ea vsque ad Constantij Augusti filij Magni Constantini tempora perduxit. Opusculum est satis diligens, & necessarium, licet eius auctoris nomen interciderit; quod a viro diligentissimo, & ad adiuuandos litteratos nato Io. Cuspiniano inuentum, integrum inclusum extat suo in Cassiodorum commentario. Vtilis est is libellus, praesertim quum ea tem-

pora complectatur, quae bonis auctoribus quam maxime indigent. De eo sic Cuspinianus, pagina C D L X I X sui commentarij: Quum in manibus (inquit) hunc consulnm laborem haberem, forte fortuna huuc reperi libellum, iu quo Cousulum nomina cum Praefectis vrbis contiuebantur, siue nomine auctoris, a temporibus Valeriani & Gallieni, vsque ad Constantium filium Constantini; ex quo etiam Praefectos vrbis sub quibus fueruut Cousulibus, conlegi.

Alius praeterea incertus Fastorum auctor saepissime citatur a Io. Cuspiniano in eodem, quem in Cassiodorum scripsit commentario, quem ab se inuentum fuisse scribit; qui Consulum nomina digessit a Regibus exactis, ad Honorij & Theodosij Iunioris Imperatorum tempora. De quo ipse sic scribit pagina X L I X. Anno vrbis C C X L V I I I. Reperi quendam vetustissimum codicem, cuius auctor ignoratur, qui sola nomiua Consulum ponit, ab exactis Regibus ad Gothorum tempora, vel vt alibi, ad Honorij & Theodosij Iunioris Augustorum Consulatum. Qui a quibusdam esse creditur Pauli Orosij, quem saepius in hoc opere citabo, in quo semper quattuor annorum Consules, quasi sub vna olympiade scribuntur. Et e regione nomina planetarum, cum quibusdam nnmeris, quae ueque vuquam intelligere potui, neque hactenus qui intellexerit reperire. Dehinc alio colore rubro iterum alij, sub hac forma

BRVTO. ET. COLLATINO. LVNA. XXIX

PVBLICOLA. ET. TRICIPITINO. MAR. X

PVBLICOLA. III. ET. PVLVILLO. MER. XXI

RVFO. ET. AQVILINO. IO. II. Versiculum minio scriptum

VALERIO. ET. TVBERTO. SAT. XIII

PVBLICOLA. IIII. ET. TRICIPITINO. SOL. XXIIII

TVBERTO. II. ET. LANATO. VEN. V

Dehiuc iterum cum rubrica eodem nomine Consules, et ceteri numeri in suis columnis, e quibus nonnunquã Consules didici, qui falso erant in opere Cassiodori incuria librariorum transcripti. Idem Cuspinianus de hoc libello loquens Anno vrbis conditae CCLXVI. pagina C I X. Praeterea (inquit) in peruetusto exemplari sine titulo auctoris, vbi solum nomina Consulum ponuntur, quem ego superius citaui, & inferius citare erit necesse, sic ordo habetur consulum. Quisquis autem hic auctor fuerit incertum, virum certe diligentem eum fuisse ex ijs quae a Cuspiniano referuntur locis, satis liquet; propter eaque eum Orosium esse nequaquam crediderim, nisi id Cnspinianus ipse referret. Forte autem Ausonij liber esse potuit.. Sed quid in re tam obscura anxie diligentem esse uecesse est, vbi diligentia locum non habet, sed sola diuinatio?

Multos per haec tempora huic labori operam suam nauasse, testimonio sunt tot sine nomine auctores, qui Cuspiniani diligentia a situ, & tineis vendicati sunt. Alius enim etiam innominatus scriptor Fastorum Consularium citatur ab ipso Cuspiniano, in suo (quem dixi) commentario, qui Consulum nomina a Iulij Caesaris Imperio exorsus, ea usque ad Regem Gothorum Theodericnm perduxit; quem a se quoq; inuentnm fuisse scribit. Anuo enim vrbis C C I X. pagina C C C X V I. In vetustissimo praeterea (inquit) opusculo, vbi nomina Cousulnm a Iulio Caesare ad Alaricum, alias Theodericum Regem ponuntur; diuerso ab eo quem toties citauimus, & a nonnullis Orosij esse creditur (nam quantnm possumus omnia scrinia euoluimus, vt veritatem inneniamus) inuenio alia Consulum nomina, sub Iulio, videlicet Cetronianum & Aemiliannm. Seruilium Isauricum II. et Antonium, quos forte Caesar sibi substituit, quum ipse titulum Consulatus tantum acciperet

Idem etiam Cuspinianus integrum opusculum alterius auctoris, cuius quoque nomen intercidit, eodem in Cassiodorum commentario iucludit. In quo diligentissime Consules & Imperatores descripti sunt, ab obitu Placidij Valentiniaui III. Imperatoris, usque ad mortem Theoderici Regis Gothorum in Italia. Quisquis autem ille fuerit, uir certe accuratissimus fuit, In quo adeo lucide, clare, & aperte ea tempora quae prius obscnrissima erant, exponit; ut nihil praeterea in eo labore desiderare quis possit. Eos enim Occidentales Imperatores distinctissime digessit quorum uix antea nomina cognoscebantur: nempe Valentinianum III. Maximum, Auitum, Maiorianum, Seuerum, Anthemium, Olybrium, Glicerium, Nepotem, Augustulum Imperatores; Odouacrum, & Theodericum Gothornm in Italia maximos Reges

Post hos Fastos Consulares per haec ipsa tempora edidit M. Aurelius Cassiodorus Senator V.C. & Inlustris, Ex quaestore sacri palatij, Excousul ordinarius, Ex Magister officiorum, Praefectus prætorio Italiae atque Patricius. Is enim opus suum, quod ad Gothorum Regem Theodericum Amalum scripsit, ab initio

Mundi

Mundi auspicatus, illud ad Consulatum usque Flauij Eutharici Cillicae generi eiusdem Regis perduxit quem ipse cum Imperatore Iustino Seniore Augusto gessit. In quo Assyriorum primo, mox Latinorum deinde Romanorum Reges, demum Consules omnes, et Imperatores ab exactis Regibus ad Imperatorem Iustinum usque digessit. Quis autem hic Cassiodorus fuerit, diligenter collegit Ioannes Cochlaeus in praefatione chronici eiusdem Cassiodori; quod ab eo inuentum in studiosorum gratiam publicatum fuit. Quamquam autem multa de hoc libro dici possent, id solum dicam, me in eo paulo maiorem diligentiam desiderare; sed qualiscunque sit, magni a nobis fieri debet, quod meliores in hoc genere auctores non habeamus. Cui deinde a nescio quo studioso postea additi sunt Consules reliqui, qui post Eutharicum Cillicam & Iustinum Imp. fuerunt, usque ad XVIII. Fl. Basilij V.C. post consulatus annum

Alius quoque apud me est Fastorum Consularium sine nomine Auctor, qui a Consulatu Constantij Aug. VIII. et Galli Caes. III. opus aggressus, illud per Consulum collegia ad XII. usque Imp. Iustini Iunioris Augusti post consulatus annum concinnauit, atque singulis annis addidit diem paschatis celebrandum. Porro autem ipsum Romae inueni in Bibliotheca Achillis Maffei Rom. ciuis, Romanarum antiquitatum studiosissimi; is mira vetustate venerabilis erat maiusculis litteris in membranis ante ∞ annos descriptus Nouissimus omnium ex antiquis qui Fastos Consulares (quod sciam) scripserunt, est alius sine nomine Auctor, qui in vniuersali chronico a se Graece conscripto, Consulum quoq; nomina adiunxit ab exactis Regibus, ad primum Heracly Imperatoris annum. Is liber uetustissimis litteris exaratus, inuentus est in Sicilia in antiqua Bibliotheca a Hieronymo Surita; operaque eruditissimi & integerrimi viri Antonij Augustini Rotae Auditoris factum est, ut eius libri pars nobis transmitteretur, quae Consules continebat. Cuius auxilio multum sublenatus sum in meis Fastis concinnandis. Atque hi sunt XIV. veteres Fastorum Consularium ex instituto scriptores, quorum memoriam extare sciam, ex quibus octo super sunt, sex uero temporum iniuria amissi sunt

Postremo his addi possunt Prosper Aquitanicus vir disertissimus, atque Leonis Magni Papae a secretis; et Marcellinus Comes V.C. Qui etsi annales potius quam Fastos Consulum scripserint, eos tamen tanta breuitate concinnarunt, ut Fastorum quasi formam habeant. Vterque enim eorum Consules annuos singillatim, & accurate enumerat, singulisque annis quicquid memoratu dignum editum sit, breuissime exponit. Horum etiam vterque Consulare chronicum a primo Imperij Theodosij Senioris anno, ad quem usque annales Diui Hieronymi, qui Eusebij Caesariensis librum de temporibus suppleuit, pertinent, inchoauit; uterque id ad tempora sua usque perduxit. Prosper quidem usque ad sextum Placidij Valentiniani Augusti & Nonij Consulatum, per annos plus minus LXVIII. Alter uero additis Indictionibus vsque ad XXV. post consulatus Fl. Basilij Iunioris V.C. annum, qui primus erat Imperij Iustini Iunioris Augusti, Christiani uero natalis DLXVI. Marcellinus in praefatione operis sui ita scribit. Ego uero V.C. Marcellinus Comes, simplici duntaxat computatione Orientale tantum sequutus Imperium per Indictiones, perque Consules infra scriptos, C. & XL. annos a septima uidelicet Indictione, & a Consulatu Ausonij & Olybrij, quibus etiam coss. Theodosius Magnus creatus est Imp. enumerans, & vsque in Consulatum Magni Ausonis, & Florentij, id est, Indictionis XI. colligens, Eusebij & Hieronymi operi subrogaui. Itemque alios XVI. annos a Consulatu Iustini Augusti primo, vsque in Consulatum Iustiniani Augusti IV. suffeci. Hi sunt simul anni CLVI. meoque rustico operi supposui. Quamuis uel ab eo, vel ab aliquo alio antiquo scriptore integrum Iustiniani Imperium additum sit, vsque ad primum Iustini Iunioris Imperij annum. Vtiles sunt hi libri, quod pleraque lectores doceant, a ceteris praetermissa

Ex recentioribus vero, primus (quod sciam) ante annos quadringentos & XX. Petrus Pisanus Monachus Cassinas S. R. E. Diaconus Cardinalis, vir pro temporum conditione doctissimus Consulum & Dictatorum nomina digessit, vt ipse de se loquens libro IV. capite LXIIX historiae Cassinensis scribit Inter cetera enim opera quae se scripsisse enarrat, chronicum quoque Regum Troianae gentis, Consulumq; & Dictatorum enumerat. Quem librum adhuc non vidi, eum vero in Bibliotheca Cassinensi delitescere facile crediderim, quae vetustorum codicum refertissima est

Marianus Scotus Monachus Fuldensis, paulo post Petrum Pisanum ad hoc idem studium animum suum conuertit ante annos fere Quadringentos sed diuersa ratione. Vniuersale enim chronicum scripsit a Iesu Christi Natali, vsque ad Annum ∞ XXCI. In quo Consulum quoque nomina digessit. Huius autem

praecipuum

praecipuum studium fuit errores emendare, quos in annis Christianae salutis obortos fuisse existimabat ob Dionysii Exigui cyclum. Eius liber extare dicitur et forte excusus; qui, quamuis eum diligenter inuestigauerim, ad manus tamen adhuc meas non peruenit

Post nostra uel Patrum memoria primus Gregorius Haloander nomina Consulum tantum concinnauit, a Regibus exactis ad IIII. Iustiniani Imp. Consulatum; uel potius Cassiodorum deprauatissimum emendauit. Satis vir impense doctus laborauit, atque in tanta rerum obscuritate opus suum diligenter confecit. Quod etiam excusum vulgo circumfertur

Ioannes Cuspinianus Viennensis Maximiliani Caesaris a consilijs, Viennensisque vrbis Præfectus, cui omnes antiquitatis studiosi multum debent, post Haloandrum alio ordine in hoc studio versatus est: incredibili enim propemodum diligentia vetera monumenta perquisiuit; eius studio quattuor ex antiquis Fastorum libris a tenebris & squalore vendicati, in lucem prodierunt. Cassiodori chronicum excellenti commentario explicauit. Multo melius meo iudicio fecisset, si eius operis auctor ipse esse maluisset, nam commentarium bonum, in librum sine dubio eo labore indignum conscripsit. Dum enim Cassiodorum explicat, & ceteros auctores iure ab eo in temporum ratione dissentientes concordare conatur, forte non cognouit Cassiodorum nullos auctores sequutum, sed nescio qua ductum ratione, ita eos Consules digessisse, ut multa Consulum conlegia praetermiserit, aliquotque annos interposuerit, qui stante maxime veritate, nullo modo addi debebant. Sed de his hactenus; haec enim omittenda sunt, ne de litteris quantum in se erat benemeritos, & iam diu vita functos carpere videar. Incredibile autem Cuspiniani studium, propensissimumque in adiuuandis antiquitatis studiosis animum summopere laudemus

Post hos (ni fallor) Henricus Loritus Glareanus vir doctissimus Fastos edidit Consulares, chronicumq; a Troia capta inchoatum, ad sextum usque Tiberij Caesaris principatus annum perduxit. Egregie meo iudicio laborauit, & quantum sui temporis ratio patiebatur omnia recte confecit. In quo ipsius bene antiquitati affectus animus, incredibile studium, mira in antiquis historijs restituendis & vendicandis voluntas laudanda sunt: quod potuit optime praestitit librorum tantum auxilio adiutus; Nondum enim tabulae Capitolinae in lucem prodierant, quibus posteriores adiuti opus ipsum multo melius reddiderunt. Satis autem eum fecisse existimo, quod eius exemplo multi occensi sunt, inter quos ego adhuc adulescentulus vnus fui, ad Romanae vetustatis decus fere abolitum perquirendum restituendumque

Tabularum Capitolinarum inuentio multos Antiquitatis studiosos simul inflammauit, & ad eas supplendas quum mancae & mutilae essent, et ad Fastorum Consularium opus diligentiori studio perficiendum, quum earum auxilio infinita propemodum accessisset historiæ Romanae cognitio. Inter quos (quod sciam) quattuor eodem tempore opus aggressi sunt: Romae quidem B. Marlianus qui paulo ante de antiqua vrbe libros quinque conscripserat, & Benedictus Aegius Antiquitatum ambo studiosissimi, & ego; Mutinae vero Carolus Sigonius. Quid adhuc fecerit Aegius mihi in compertum est. Marlianus vero quantum ab eo cognoui, tabulas ipsas Capitolinas iam diu suppleuit, opusque suum quod ad Augusti usque obitum pertinet, eleganti commentario confirmauit. Quod an publicaturus sit, mihi incertum est


Carolus vero Sigonius quum (ut ab eo Venetijs audiui) ante ipsarum tabularum inuentionem iam diu Glareani exemplo inflammatus, in animo habuisset Fastos digerere Consulares, aliquotque iam in eos lucubrationes scripsisset, statim postquam ipsarum Capitolinarum tabularum copia ei facta fuit, opus ipsum ardentiori studio aggressus est, ipsumque perfectum haud ita multo post primus Mutinae publicauit, hoc vnum sibi proponens vt eas tabulas suppleret, quod etiam egregie vt tum fieri potuit praestitit. Postea quum multa in prima illa sua Mutinensi editione in melius mutasset, Venetijs iterum elegantissimo addito commentario, quo omnia quae suppleuerat confirmaret, diuulgauit; in quo opere tanta ingenij & doctrinae cum laude meo iudicio versatus est, vt ego qui postremus sum ex his qui huic labori operam nauarunt, ab hoc onere suscipiendo facile recessurus fuerim, nisi me mouisset, quod ille tempus Diui Augusti non excessit. Ego vero ad nostra vsque tempora opus ipsum perducendum mihi etiam ab initio proposuerim. Adde quod quum ipse sibi statuerit, tabulas Capitolinas tantum supplere, ego aliam quandam rationem sum sequutus, nolens me nec ipsis tabulis, nec alicui scriptori ita addicere, vt quoties mihi opus esse videretur, non possem etiam ab ipsis diuersa, additis rationibus sentire. Quae omnia in meis commentarijs latius explicabuntur

Ego enim etsi ante ipsarum tabularum iuentionem, Glareani & ipse exemplo adcensus, diu in hoc opere labo-

Isque Primus Spolia Opima Rettulit Duce Hostium Acrone Cenninentium Rege Interfecto
Romulus Siluius Rex Primus. An. Post Vrb. Cond. XVI II. De Camerineis : : : : : :
Romulus Siluius Rex Primus. Anno P.V.C. : : : : III. De Veientibus Et Fidenatibus Idibus Octobr
Tullus Hostilius Hosti F. Hosti N. Anno XXCV Rex Tertius De Albaneis : : :
Tullus Hostilius Hosti F. Hosti N. Anno XXCIIX Rex Tertius II. De Fidenatibus : : :
Tullus Hostilius Hosti F. Hosti N. Anno XC::: Rex Tertius III. De Sabineis : : :
Ancus Marcius Numae F. M. N. Anno : : : Rex Quartus De Veientibus : : : :
Ancus Marcius Numae F. M. N. Anno : : : : Rex Quartus II. De Sabineis : : :
L. Tarquinius Damarati F. Anno : : : Priscus Rex Quinctus De Latineis : : :
L. Tarquinius Damarati F. Anno : : : Priscus Rex Quinctus II. De Etrusceis : : :
L. Tarquinius Damarati F. Anno Vrbis. CXX ::: Priscus Rex Quinctus III. De Sabineis Idib. Sextil
Ser. Tullius Ser. F. Rex Sextus. Anno Vrbis. CXXCII De Etrusceis VI. Calend. Decembr
Ser. Tullius Ser. F. Rex Sextus. Anno CXXCVI II. De Etrusceis VIII. Kal. Iuni
Ser. Tullius Ser. F. Rex Sextus. Anno CXXCVI::: III. De Etrusceis III. Nonas : : :
L. Tarquinius L. F. Damarati N. Anno CCXX ::: Superbus Rex VII. De Volsceis : : :
L. Tarquinius L. F. Damarati N. Anno CCXX ::: Superbus Rex Septimus II. De Sabineis : : :
P. Valerius Volusi F. Poplicola. Anno. CCXLV Cos. Primus De Veientibus Tarquinienſibusque Etrusceis
M. Valerius Volusi F. Volusus. Anno CCXLVIII Cos. De Sabineis
P. Postumius Q. F. Tubertus. Anno CCXLIIX Cos. De Sabineis
P. Valerius Volusi F. Anno CCXLIX Poplicola II. Cos. IV. De Sabineis Et Veientibus :::Nonas Mai
T. Lucretius T. F. Tricipitinus. Anno CCXLIX Cos. II. De Sabineis Et Veientibus
P. Postumius Q. F. Tubertus. Aono CCL Cos. II. Ouans Primus De Sabineis III. Non. April
Agrippa Menenius C. F. Lanatus. Anno CCL Cos. De Sabineis Pridie Nonas Aprilis
Sp. Cassius Viscellinus. Anno CCLI Cos. De Sabineis : : : : : :
Opiter Virginius Tricostus. Anno CCLI Cos. De Camerineis Et Auruncеis
A. Postumius P. F. Albus. Anno CCLVII Regillensis Dict. Primus De Latineis : : :
P. Seruilius P. F. Priscus. Anno CCLVIII Cos. De Volsceis Primus Sine S. C Triumphauit
M'. Valerius Volusi F. Maximus. Anno CCLIX Dictat. De Sabineis
T. Sicinius Sabinus. Anno CCLXVI Cos. De Volsceis. : : : : :
C. Aquillius Tuscus. Anno CCLXVI Ouans De Herniceis. : : : : :
Sp. Cassius Viscellinus. Anno CCLXVII II. Cos. III. De Volsceis Et Herniceis ::: Iuni
P. Valerius P. F. Volusi N. Poplicola. Anno CCLXXIIX Cos. De Veientibus Sabineisque Kal. Mai
A. Manlius CN. F. P. N. Vulso Cos. Ouans. A. CCLXXIX Quod Inducias Cum Veientibus Fecit Idibus Mart
T. Quinctius Capitolinus. Anno CCXXCV Cos. II. De Volsceis Antiatibus : : : :
L. Lucretius T. F. T. N. Tricipitinus. Anno CCXCI Cos. De Volsceis Et Aequeis : : : :
Sp. Veturius Sp. F. P. N. Crassus. Ann. CCXCI Cos. Ouans De Volsceis Et Aequeis : : : : :
Q. Fabius M. F. K. N. Vibulanus. Anno CCXCIV Cos. III. De Aequeis Nonis Mai
L. Cornelius Ser. F. L. N. Maluginensis. An. CCXCIV Cossus Cos. De Volsceis Antiatibus IV. Idus Mai
L. Quinctius L. F. L. N. Cincinnatus. Anno CCXCV Dictator De Aequeis Idibus Septembr
L. Valerius P. F. P. N. Poplicola Potitus. Anno CCCIV Cos. De Aequeis Idib. Sextil
M. Horatius M. F. M. N. Barbatus. Anno CCCIV Cos. De Sabineis VII. Kal. Septembr
M. Geganius M. F. Macerinus. Anno CCCX Cos. II. De Volsceis Nonis Septembr
Mam. Aimilius M. F. Mamercinus. An. CCCXVI Dict. De Fidenatibus Idibus Septembr
A. Postumius Tubertus. Anno CCCXXII Dict. De Aequeis Et Volsceis
A. Cornelius M. F. Ser. N. Cossus. Anno CCCXXV Cos. De Veientibus : : : : Isque Spolia Opima Rettulit Hostium Duce Larte Tolumnio Rege Interfecto
Mam. Aimilius M. F. Mamercinus. Anno CCCXXVII II. Dictat. III. De Veientibus Et Fidenatibus
N. Fabius Q. F. M. N. Vibulanus. Anno CCCXXXII Cos. Ouans De Aequeis : : : :

C.Valerius L.F.Volusi N.Potitus.Anno CCCXLIII
Volusus Cos.Ouans De Aequeis : : : :
M.Furius Camillus.Anno CCCLVII
Dictator De Veientibus : : : ,
L.Valerius L.F.L.N.Poplicola.Anno CCCLXI
Potitus Cos. De Aequeis
M.Manlius Capitolinus. Anno CCCLXI
Cos. Ouans De Aequeis
M.Furius Camillus. Anno CCCLXIII
II.Dict.II.De Galleis Senonibus
M.Furius Camillus. AnnoCCCLXIV
III.Dict.III.De Volsceis Aequeis
Etrusceisque
A.Cornelius Cossus.Anno CCCLXIIX
Dict. De Volsceis : : : :
T.Quinctius Cincinnatus.Anno CCCLXXIII
Dict. De Praenestineis
M.Furius Camillus.Anno.CCCXXCVI
IIII.Dict.V. De Galleis Senonibus
Ap.Claudius P.F.Ap.N.Crassinus. Anno CCCXCI
Regillensis Dict. De Herniceis :::: Nouembr
T.Quinctius Pennus Capitolinus.An.CCCXCII
Crispinus Dict.De Galleis Quirinalibus
C.Sulpicius M.F.Q.N.Peticus.Anno CCCXCII
Cos.II.De Herniceis :::: Mart
C.Poetelius C.F.Q.N. Libo Visolus.Anno CCCXCIII
Cos.De Galleis Et Tiburtibus :::: Mart
M.Fabius N.F.M.N. Ambustus. Anno CCCXCIII
Ouans De Herniceis Nonis Septembr
C.Sulpicius M.F.Q.N.Peticus II.Anno CCCXCV
Dict. De Galleis Nonis Mai
C.Plautius P.F.P.N.Proculus.Anno CCCXCV
Cos De Herniceis Idibus Mai
C.Marcius L.F.C.N.Rutilus.Anno CCCXCVI
Cos.De Priuernatibus Kal.Iun
C.Marcius L.F.C.N.Rutilus.Anno CCCXCVII
II.Dict.De Tusceis Prid.Non.Mai
M.Fabius N.F.M.N.Ambustus.Anno CCCXCIX
II.Cos.III.De Tiburtibus III.Non.Iuni
M.Popillius M.F.C.N.Laenas.Anno CDIII
Cos.III. De Galleis Quirinalibus
M.Valerius M.F.M.N.Coruus.Anno CDVII
Cos.II.De Antiatibus Volsceis
Satricaneisque Kal.Februar
M.Valerius M.F.M.N.Coruus.Anno CDX
II.Cos.III.De Samnitibus. X.Kal.Octobr
A.Cornelius P.F.A.N.Cossus Aruina.An.CDX
Cos.De Samnitibus VIII.Kal.Octobr
T.Manlius L.F.A.N. Imperioss.Anno CDXIII
Torquatus Cos.III.De Latineis Campaneis
Sidicineis Aurunceis XV.Kal.Iunias
Q.Publilius Q.F.Q.N. Philo.Anno CDXIIII
Cos.De Latineis Idibus Ianuar
L.Furius Sp.F.M.N.Camillus.Anno CDXV
Cos.De Pedaneis Et Tiburtibus IIII.Kal.Octobr
C.Maenius P.F.P.N.Cos.De Antiatibus.An.CDXV
Lauineis Veliterneis Prid.Kal.Octobr
M.Valerius M.F.M.N.Coruus.An.CDXIIX
III.Cos.IIII.De Calendis Idibus Mart

L.Aimilius L.F.L.N.Mamercinus.Anno CDXXIV
Priuernas Cos.II.De Priuernatibus Kal.Mart
C.Plautius P.F.P.N.Decianus. Anno CDXXIV
Cos.De Priuernatibus Kal.Mart
Q.Publilius Q.F.Q.N.Philo II.Anno CDXXVII
Primus Pro Cos.De Samnitibus
Palaepolitaneis Kal.Mai
L.Papirius Sp.F.L.N.Cursor.Anno CDXXIX
Dict.De Samnitibus III.Non.Mart
L.Fuluius L.F.L.N.Curuus.Anno CDXXXI
Cos Samnitibus Quirinalibus
Q.Fabius M.F.N.N.Maxim.Rullian.An.CDXXXI
Cos.De Samnitibus Et Apuleis XII.K.Mart
L.Papirius Sp.F.L.N.Cursor II.Anno CDXXXIV
Cos.III.De Samnitibus X.Kal.Septembr
C.Sulpicius Ser.F.Q.N.Longus.Anno CDXXXIX
Cos.III.De Samnitibus Kal.Quinct
M.Valerius M.F.M.N.Maximus. Anno CDXLI
Cos.De Samnitibus Soraneisque Idib.Sext
P.Decius P.F.Q.N.Mus.Anno CDXLI
Cos. De Samnitibus : : : : : Sextil
C.Iunius C.F.C.N.Bubulcus Brutus.Anno CDXLII
Cos.III.De.Samnitibus Nonis Sextil
Q.Aimilius Q.F.L.N.Barbula. Anno CDXLII
Cos II.De.Etrusceis Idibus Sextilib
L.Papirius Sp.F.L.N.Cursor.Anno CDXLIV
III.Dict.II.De Samnitibus Idibus Octobr
Q.Fabius M.F.N.N.Maxim.Rullian.Ann.CDXLIIII
II.Procos. De Etrusceis Idibus Nouembr
Q.Marcius Q.F.Q.N.Tremulus Cos.Anno CDXLVII
De Anagnineis Herniceisque Prid.Kal.Quinctil
L.Postumius L.F.Sp.N.Megellus.An.CDXLVIII
Cos.De Samnitibus :: Non.Octobr
M.Fuluius L.F.L.N.Curuus Paetin.Anno CDXLIIX
Cos.De Samnitibus III.Nonas Octobr
P.Sempronius P.F.C.N.Sophus.Anno CDXLIX
Cos.L.De Aequeis VII.Kal.Octobr
P.Sulpicius Ser.F.P.N.Sauerrio.Anno CDXLIX
Cos.De Samnitibus IIII.Kal.Nouembr
C.Iunius C.F.C.N.Bubulcus Brutus.Anno CDLI
II.Dictat.De Aequeis III.Kal.Sextil

PARASTATA.SECVNDA

M.Valerius M.F.M.N.Coruus. Anno CDLII
IV.Dict.II.De Etrusceis X.Kal.Decembr
M.Fuluius CN.F.CN.N. Anno CDLIV
Paetinus Cos.De Samnitibus
Nequinatibusque VII.Kal.Octobr
CN.Fuluius CN.F.CN.N.Maxim.Anno CDLV
Centumalus Cos.De Samnitibus
Etrusceisque Idibus Nouembr
Q.Fabius M.F.N.N.Maximus.Anno CDLVIII
Rullianus III.Cos. V.De Samnitibus
Etrusceis Et Galleis Prid.Non.Septembr
L.Postumius L.F.Sp.N.Megellus II.Anno CDLIX
Cos.II. De Samnitibus Et Etrusceis VI.Kal.April
M.Atilius M.F.M.N.Regulus Cos.Anno CDLIX
De Volsonibus Et Samnitibus V.Kal.April.

Sp.Caruilius C.F.C.N.Maximus.Anno CDLX
Cos. De Samnitibus Idibus Ianuari
L.Papirius L.F.Sp.N.Curfor.Anno CDLX
Cos.De Samnitibus Idibus Febr
Q.Fabius Q.F.M.N.Maximus.Anno CDLXII
Gurges Pro Cos.De Samnitibus :::: Kal Sextil
M.Curius M.F.M.N.Dentatus.Anno CDLXIII
Cos.De Samnitibus : : : :
P.Cornelius P.F.Rufinus.Anno CDLXIII
Cos.De Samnitibus : : : :
M.Curius M.F.M.N.Dentatus.Anno CDLXIII
II.Cos.De Sabineis : : : :
M.Curius M.F.M.N.Dentatus.Anno CDLXIII
III.Cos.Ouans De Lucaneis
P.Cornelius Dolabella. Anno CDLXX
Cos. De Etrufceis Et Galleis Senonibus
C.Fabricius C.F.C.N.Lufcinus.Anno.CDLXXI
Cos De Samnitibus Lucaneis
Bruttieisque III.Non.Mart
Q.Marcius Q.F.Q.N.Philippus.Anno CDLXXII
Cos. De Etrufceis Kal.April
TI.Coruncanius TI.F.TI.N.Cos.Anno.CDLXXIII
De Vulfinienfibus Et Vulcientibus Kal.Febr.
L.Aimilius Q.F.Q.N.Barbula.Anno CDLXXIII
Pro Cos.De Tarentineis Samnitibus
Et Sallentineis VI.Idus Quintil
C.Fabricius C.F.C.N.Lufcinus II.Anno CDLXXV
Cos.II.De Lucaneis Bruttieis Tarentineis
Samnitibus Idibus Decembris
C.Iunius C.F.C.N.Brutus Bubulcus. Anno CDLXXVI
Cos II.De Lucaneis Et Brutticis Non.Ian
Q.Fabius Q.F.M.N.Maximus.Anno CDLXXVII
Gurges II.Cos.II. De Samnitibus
Lucaneis Bruttieis Quirinalibus
M.Curius M.F.M.N. Dentatus IV.Anno CDLXXIIX
Cos.III.De Samnitibus Et Rege Pyrrho ::: Febr
L.Cornelius TI.F.Ser.N.Lentulus.Anno CDLXXIIX
Cos.De Samnitibus Et Lucaneis Kal.Mart
C.Claudius ::: F.C.N.Catina.Anno CDXXC
Cos.II. De Lucaneis Samnitibus
Brutticisque : I. Quirinalibus
Sp. Caruilius C.F.C.N.Maximus.Ann.CDXXCI
II.Cos.II.De Lucaneis Brutticis
Samnitibus Tarentineisque : : : : :
L.Papirius L.F.Sp.N.Curfor.Anno CDXXCI
II.Cos.II. De Tarentineis Lucaneis
Samnitibus Bruttieisque : : : :
CN.Cornelius L.F.CN.N.Blafio.Anno CDXXCIII
Cos.De Safsinatibus : : : :
P.Sempronius P.F.P.N.Sophus.Anno CDXXCV
Cos. De Picentibus : : : :
Ap.Claudius Ap.F.C.N.Crafsinus.Anno CDXXCV
Cos.De Picentibus : : : : :
M.Atilius M.F.L.N.Regulus.Anno CDXXCVI
Cos.De Sallentineis VIII.Kal.Februar
L.Iulius L.F.L.N. : Libo.Anno CDXXCVI
Cos.De Sallentineis VIII.Kal.Februar
D.Iunius D.F.D.N.Pera.Anno CDXXCVII
Cos.De Safsinatibus V.Kal.Octobr

N.Fabius C.F.M.N.Pictor.Anno.CDXXCVII
Cos.De Safsinatibus III.Non.Octobr
N.Fabius C.F.M.N.Pictor II.Cos.Anno CDXXVII
De Sallentineis Meffapicisque Kal.Februar
D.Iunius D.F.D.N.Pera.II.Cos.Anno CDXXCVII
De Sallentineisque Meffapieisque Non.Febr
M.Fuluius M.F.Q.N.Flaccus.Anno CDXXCIX
Cos.De Vulfinienfibus Kal.Nouembr
Ap.Claudius C.F.Ap.N.Caudex Pro Cos.A.CDXC
De Poeneis Et Rege Siculor.Hierone ::::
M.Valerius M.F.M.N.Maximus.Anno CDXC
Meffalla Cos.De Poeneis Et Rege Siculorum
Hierone . XVI.Kal.April
C.Duilius M.F.M.N.Cos.Primus.Anno CDXCI
Naualem De Siculeis Et Claffe Poenica
Egit Kal.Intercalar
L.Cornelius L.F.CN.N.Scipio Cos.Anno CDXCIV
De Poeneis Et Sardin. Corfica V. Id. Mart
C.Aquillius M.F.C.N.Florus.Anno CDXCV
Pro Cos.De Poeneis IIII.Non.Octobr
C.Sulpicius Q.F.Q.N.Paterculus.Anno CDXCV
Cos.De Poeneis Et Sardeis III.Non.Octobr
A.Atilius A.F.C.N.Calatinus Pr.Anno CDXCVI
Ex Sicilia De Poeneis XIIII. Kal.Febr
C.Atilius M.F.M.N.Regulus Cos.Anno CDXCVI
De Poeneis Naualem Egit VIII.Kal.Februar
L.Manlius A.F.P.N.Vulfo Longus.Anno CDXCVII
Cos.De Poeneis Naualem Egit.VII : : :
Ser.Fuluius M.F.M.N.Paetinus.Anno CDXCIX
Nobilior Pro Cos.De Coffurenfibus
Et Poeneis Naualem Egit XIII.Kal.Febr
M.Aimilius M.F.L.N.Paullus.Anno CDXCIX
Pro Cos.De Coffurenfibus Et Poeneis
Naualem Egit XII.Kal.Februar
CN.Cornelius L.F.CN.N.Scipio Afina.Anno D
Pro Cos.De Poeneis X.Kal.April
C.Sempronius TI.F.TI.N.Blaefus Anno D
Cos.De Poeneis Kal.April
C.Aurelius L.F.C.N.Cotta Cos.Anno DI
De Poeneis Et Sieulis Idib.April
L.Caecilius L.F.C.N.Metellus Anno DII
Pro Cos.De Poeneis VII.Id.Septembr
C.Lutatius C.F.C.N.Catulus Pro Cos.Anno DXII
De Poeneis Ex Sicilia Naualem
Egit IIII.Nonas Octobris
Q.Valerius Q.F.P.N.Falto Pro Pr.Anno DXII
Ex Sicilia Naualem Egit Prid.Non.Octobr
Q.Lutatius C.F.C.N.Cerco.Anno DXII
Cos.De Falifceis. Kal.Mart
A.Manlius T.F.T.N.Torquatus.Anno DXII
Atticus Cos.II.De Falifceis IV.Non.Mart
Q.Fuluius M.F.Q.N.Flaccus.Anno DXVI
Cos.De Liguribus : : : : Intercal
L.Cornelius L.F.TI.N.Lentulus.Anno DXVI
Caudinus Cos.De Liguribus Idibus Intercal
T.Manlius T.F.T.N.Torquatus.Anno DXVIII
Cos.De Sardeis VI.Idus Mart
Sp.Caruilius Sp.F.C.N.Maximus.Anno DXIX
Cos.De Sardeis Kal.April

Ap.Claudius C.F.Ap.N.Centho.Ann.DLXXIX
Pro Pr.Ouans Ex Celtiberia : : : :
C.Cicereius : : : : : it Pro Pr.An.DXXCI
Ex Corsica In Monte Albano Kal.Octobr
L.Aimilius L.F.M.N.Paullus.Anno DXXCVI
III.Pro Cos.Ex Macedonia Et Rege Perse
Per Triduum IIII.III.Prid.Kal.Decembr
CN.Octauius CN.F.CN.N.Pro Pr.Anno DXXCVI
Ex Macedonia Et Rege Perse Naualem Egit
Kal.Decembr
L.Anicius L.F.M.N.Gallus.Anno DXXCVI
Pro Pr.De Rege Gentio Et Illurieis
Quirinalibus
M.Claudius M.F.M.N.Marcellus.An.DXXCVII
Cos.De Galleis Contrubeis Et Liguribus
Veleatibusque Idibus Intercalaribus
C.Sulpicius C.F.C.N.Gallus.Ann.DXXCVII
Cos.De Liguribus Tai : : : carneis X.Kal.Mart
M.Fuluius M.F.M.N.Nobilior.Ann.DXCV
Pro Cos.De Liguribus Et Veleatibus XII.Kal.Sept
M.Claudius M.F.M.N.Marcellus.Ann.DXCVIII
II.Cos.II.De Liguribus Et Veleatibus : : : :
P.Cornelius P.F.CN.N.Scipio Nasica.Anno DXCIIX
Cos.II.De Dalmateis : : : :
Q.Opimius Q.F.Q.N.Anno DXCIX
Cos.De Liguribus : : : :
L.Mummius L.F.L.N.Pro Pr.Ann.DCI
De Lusitaneis Ex Hispania Vlteriore : : :
M.Claudius M.F.M.N.Marcellus.An.DCII
III.Pro Cos.De Celtibereis : : : :
Q.Caecilius Q.F.L.N.Metellus.Anno DCVII
Pro Pr.Ex Macedonia De Andrisco
Pseudo Philippo : : : :
P.Cornelius P.F.P.N.Scipio Africanus.Anno DCVII
Aimilianus Pro Cos.De Poeneis
Et Asdrubale Ex Africa : : : :
L.Mummius L.F.L.N.Achaicus.Annno DCVIII
Pro Cos.De Achaeis Et Corinthieis : : :
Ap.Claudius Ap.F.Ap.N.Pulcher.Ann.DCX
Cos.De Sallasseis Ex Alpibus
Priuatis Sumptibus Triumphauit : : :
D.Iunius M.F.M.N.Brutus Callaicus.Anno DCXVII
Pro Cos.De Lusitaneis Et Callaiceis
Ex Hispania Vlteriore : : :
Ser.Fuluius Flaccus.Anno DCXVIII
Cos.De Vardeis Ex Illurico : : :
P.Cornelius P.F.P.N.Scipio African.Ann.DCXXI
Aimilianus II.Pro Cos.De Numantineis
Ex Hispania Citeriore : : : :
M.Perperna.Pr.Ouans De Serueis.Anno DCXXI
Fugitiueis Ex Sicilia : : : :
P.Rupilius P.F.P.N.Pro Cos.Anno DCXXII
Ouans De Serueis Fugitiueis Ex Sicilia : : :
C.Sempronius.C.F.C.N.Tuditanus.Anno DCXXIV
Cos.De Iapudibus Kal.Octobr

PARASTATA. QVARTA

M'.Aquillius M'.F.M'.N.Pro Cos.Anno DCXXVII
Ex Asia III.Idus Nouembris

M.Fuluius M.F.Q.N.Flaccus Pro.An.DCXXX
Cos.De Liguribus Vocontieis Et Salueis
Q.Caecilius Q.F.Q.N.Metellus.Anno DCXXXI
Balearicus. Pro Cos.Ex Balearibus : : : :
C.Sextius Caluinus.Anno DCXXXI
Pro Cos.De Salueis Et Aruerneis : : :
C.Cassius C.F.C.N.Longinus.Anno DCXXXI
Pro Cos.De Salueis Et Aruerneis : : :
CN.Domitius CN.F.CN.N.Ahenobarb. A. DCXXXII
Pro Cos.De Allobrogibus Et Aruerneis : : :
Q.Fabius Q.F.Q.N.Maximus.Anno DCXXXIII
Allobrogicus Pro Cos.De Allobrogibus
Aruerneis Ruteneis Et Rege Bituito : : :
Q.Marcius Rex.Anno DCXXXV
Cos.De Sarnieis Alpineis : : : :
L.Caecilius Q.F.Q.N.Metellus.Anno DCXXXVI
Dalmaticus Cos.De Dalmateis
Q.Mucius Q.F.Q.N.Scaeuula.Anno DCXXXVI
Cos.De Dalmateis : : : :
M.Aimilius Scaurus. Anno DCXXXIIX
Cos. De Gatisceis Et Liguribus
M.Caecilius Q.F.Q.N.Metellus. Anno DCXL
Pro Cos. De Sardeis : : : :
C.Caecilius Q.F.Q.N.Metellus. Ann.DCXL
Caprarius Cos.Ex Thraecia : : : :
T.Didius T.F.Sex.N. Pro Pr.Ann.DCXL
De Scordisceis Ex Thraecia Et Macedonia : :
M.Liuius C.F.M.Aimiliani N.Drusus.Ann.DCXLII
Pro Cos De Scordisceis Ex Thraecia : : :
M.Minucius Q.F.Rufus.Anno DCXLIIII
Pro Cos.De Scordisceis Et Triballeis Ex Thraecia
Q.Seruilius Q.F.CN.N. Caepio Pro Pr. Ann.DCXLV
De Lusitaneis Ex Hispania Vlteriore : : :
Q.Caecilius L.F.Q.N.Metellus.Anno DCXLVI
Numidicus Pro Cos.De Numideis Et Rege
Iugurtha Ex Africa : : : :
C.Marius C.F.Cos.II.De Numideis. An.DCXLIX
Et Rege Iugurtha Ex Africa Kal. Ianuar
M.Antonius Pr. Anno DCLI
De Pirateis Ex Cilicia : : : :
C.Marius C.F.II.Cos.V. De. Anno DCLII
Ambronibus Teutoneis Cimbrisque Germaneis
Q.Lutatius Q.F.Catulus. Anno DCLII
Pro Cos.De Ambrouibus Teutoneis Cimbreisque
Germaneis : : : :
D.Iunius M.F.Silanus Pro.Pr.Ann.DCLIII
De Lusitaneis Ex Hispania Vlteriore
M'.Aquillius M'.F.M'.N. Pro Cos.Ann.DCLIII
Ouans De Serueis Fugitiueis Ex Sicilia : : :
L.Cornelius L.F.L.N.Dolabella Pro Cos. Ann.DCLV
Ex Hispania Vlteriore De Lusitaneis V.Kal.Febr
T.Didius T.F.Sex.N.II.Pro Cos.Anno DCLX
Ex Hispania De Celtibereis IIII.Id.Iuni
P.Licinius M.F.P.N.Crassus.Anno DCLX
Pro Cos.De Lusitaneis Prid.Id.Iuni
CN.Pompeius Sex.F.CN.N.Strabo Cos.Ann.DCLXIV
De Asculaneis Picentibus VI.Kal.Ianuar
P.Seruilius C.F.M.N.Vatia Pro Pr.Anno DCLXV
De : : : : : : : : XII.Kal.Nouembr

L.Cornelius L.F.P.N.Sulla Felix.Anno DCLXXII
Dict.Ex Graecia Asia Ponto Et Rege
Mithradate Per Biduum IV.Et III.Kal.Febr
CN.Pompeius CN.F.Sex.N.Magnus.Ann.DCLXXII
Pro Pr.De Hiarba Mauritaniae Rege Ex Africa
Primus Eques Romanus : : : :
L.Licinius Murena Pro Pr. Anno DCLXXIII
De Rege Mithradate Ex Ponto Et Asia : : :
CN.Cornelius Dolabella. Ann.DCLXXVI
Pro Cos.Ex Macedonia : : : :
P.Seruilius C.F.M.N. Vatia Isauricus.Ann.DCLXXIX
II.Pro Cos.De Isaurieis Ex Cilicia
C.Scribonius C.F.Curio Pro Cos.Ann.DCXXCI
De Thracibus Et Dardaneis Ex Macedonia : : :
M.Terentius M.F.Varro Lucullus.Ann.DCXXCII
Pro Cos.De Thracibus Et Dardaneis Ex
Macedonia : : : :
M Licinius P.F.M.N.Crassus.Anno DCLXXXII
Pro Pr. De Serueis Gladiatoribus Fugitiueis
Et Spartaco : : : :
Q.Caecilius Q.F.L N.Metellus Pius. An.DCXXCII
Pro Cos Ex Hispania : : :
CN.Pompeius CN.F.Sex.N.Magnus.Ann.DCXXCII
II.Pro Cos.Ex Hispania.Adhuc Eques Romanus
Prid.Kal.Ianuar
M.Pupius M.F.Piso.Anno DCLXXXIIII
Pro Cos.Ex Hispania : : : :
L.Licinius L.F.L.N.Lucullus Pro Cos.An.DCXC
De Ponto Cappadocia Armenia Et Regibus
Mithradate Atque Tigrane Ex Asia : : : :
Q.Caecilius L.F.Q.N.Metellus. Anno.DCXCI
Creticus Pro Cos.Ex Insula Creta.Kal.Iun
CN.Pompeius CN.F.Sex.N.Magn.III.Pro.A.DCXCII
Cos.Ex Asia Ponto Cilicia Paphlagonia Cappadocia
Suria Iudaea Iberia Creta Armenia Pirateis
Et Regibus Mithradate Atque Tigrane
Per Bidum III.Pridie Kal.Octobr
C.Pontinius Pro Cos.Anno DCXCIX
De Allobrogibus
P.Cornelius P.F.Lentulus Spinther.Anno DCCII
Pro Cos.Ex Cilicia
M.Aimilius M.F.Q.N.Lepidus.Anno DCCVI
Pro Pr.Ex Hispania : : : :
C.Iulius C.F.C.N.Caesar Cos.III.Anno DCCVII
De Galleis Et Germaneis : : : Octob
C.Iulius C.F.C.N.Caesar.II.Cos.III.Anno DCCVII
De Pharnace Ponti Rege Ex Asia : : : : Octobr
C.Iulius C.F.C.N.Caesar.III.Cos.III.An.DCCVII
Ex Aegypto De Rege Ptolemeo : : : : Octobr
C.Iulius C.F.C.N.Caesar IV.Cos.III.Anno DCCVII
De Iuba Mauritaniae Rege Ex Africa : : : Octobr
C.Iulius C.F.C.N.Caesar.V.Cos.IV.An.DCCVIII
Ex Hispania : : : : Octobr
Q.Fabius Q.F.Q N.Maximus Cos.Ann.DCCVIII
Ex Hispania III.Idus Octobris
Q.Pedius M.F.Pro Cos.Anno DCCVIII
Ex Hispania Idibus Decembris
C.Iulius C.F.C.N.Caesar VI.Dict.IV.Ann.DCCIX
Ouans Ex Monte Albano VII.Kal.Pebruar

L.Munatius L.F.L.N.Plancus.Anno DCCX
Pro Cos.Ex Gallia IIII.Kal.Ianuar
M.Aimilius M.F.Q.N.Lepid.II.III.Vir.R.P.C.A.DCCX
Pro Cos.Ex Hispania Prid.Kal.Ianuar
P.Vatinius P.F.Pro Cos.Anno DCCXI
De Illurico Prid.Kal.Ianuar
L.Antonius M.F.M.N.Cos.Anno DCCXII
Ex Alpibus Kal.Ianuar
C.Iulius Diui F.C.N.Caesar Octauianus Ann.DCCXIII
III.Vir.R.P.C.Ouans Quod Pacem Cū M.Antonio Fec
M.Antonius M.F.M.N.III. Vir R.P.C. Anno DCCXIII
Ouans Quod pacem Cum C.Iulio Caesare
Octauiano Fecit : : : :
L.Marcius L.F.C.N.Censorinus.Anno DCCXIV
Cos.Ex Macedonia Kal.Ianuari
C.Asinius CN.F.Pollio.Anno DCCXIIII
Pro Cos.Ex Parthineis VIII.Kal.Nouembr
P.Ventidius P.F.Pro Cos.Ex Tauro Ann.DCCXV
Monte Et Partheis V.Kal.Decembr
CN.Domitius M.F.M.N.Caluinus.An.DCCXVII
Pro Cos.Ex Hispania XVI.Kal.Sextil
C.Iulius Diui F.C.N. Caesar Octauian.An. DCCXVII
II.III.Vir.R.P.C.II.Ouans Ex Sicilia.Idib.Nouembr
T.Statilius T.F.Taurus Pro Cos.Ann.DCCXVIIII
Ex Africa Prid.Kal.Iuli
C.Sosius C.F.T.N.Pro Cos.Ann.DCCXIX
Ex Iudea III.Non.Septembr
C.Norbanus C.F. Flaccus.Anno DCCXIX
Pro Cos.Ex Hispania IIII.Idus Octobris
CN.Domitius L F.C N.N.Ahenobarbus Ann.DCCXXI
Pro Cos.Ex Hispauia
C.Iulius Diui F.C.N.Caesar Octauian.A.DCCXXIV
III.Cos.V.De Pannonieis Dalmateis Iapudibus
Et Galleis VIII.Idus Sextiles
C.Albius C.F.Carrinas Pro Cos.Ann.DCCXXIV
De Galleis Morineis Et Sueueis VIII.Id.Sext
C.Iulius Diui F.C.N.Caesar Octauian.An. DCCXXIIII
IIII.Cos.V.Ex Macedonia Et Actio VII.Id.Sext
C.Iulius Diui F.C.N.Caesar Octauian. An. DCCXXIV
V.Cos.V.Ex Aegypto De Regina Cleopatra
VI.Idus Sextil
L.Autronius P.F.L.N.Paetus Ann.DCCXXIV
Pro Cos.Ex Africa XVII.Kal.Septembr
M.Licinius M.F.M.N.Crassus.Anno DCCXXV
Pro Cos.Ex Thraecia Et Geteis.IV.Non.Iul
M.Valerius M.F.M.N.Messalla.Ann.DCCXXVI
Coruinus Pro Cos.Ex Gallia VII.Kal.Octobr
Sex.Appuleius Sex.F.Sex.N.Anno DCCXXVII
Pro Cos.Ex Hispania VII.Kal.Februari
L.Sempronius L.F.L.N.Atratinus.Ann.DCCXXXII
Pro Cos.Ex Africa IIII.Idus Octobris
L.Cornelius P.F.Balbus.Anno DCCXXXIV
Pro Cos.Ex Africa VI.Kal.April

PARASTATA. QVINTA

P.Silius P.F.Nerua Pro Cos.An.DCCXXXIIX
Ex Alpibus Et Pannonieis
L.Asinius C.F.CN.N.Gallus.Ann.DCCXXXIIX
Pro Cos.De Sauromateis

TI.Claudius TI.F.Ap.N.Nero.Anno DCCXLV
Germanicus Pro Cos.Ouans De Dalmateis
Pannonieis Et Daceis Ex Illurico
TI.Claudius TI.F.Ap.N.Nero.Anno DCCXLVII
Germanicus.II.Cos.II.De Germanieis.Kal.Ian
TI.Iulius Augusti F.Diui N.Anno DCCLXVI
Caesar Claudianus III.Pont.Trib.Pot.XIII
Cos.II.Pro Cos.Imp.VI.De Illurieis Pannonieis
Dalmateis Et Germaneis : : : :
TI.Iulius TI.Augusti F.Diui Augusti N.A DCCLXX
Germanicus Caesar Pro Cos.De Cheruscis
Catteis Angriuarieisque Germaneis VII.Kal Iuli
Drusus Iulius TI.Aug.F.Diui Aug.N.An. DCCLXXIII
Caesar Germanicus Pro Cos.Ouans
De Germaneis : : : :
C.Iulius Germanici Caesaris F.Ann.DCCXCIII
TI.N.Diui Augusti Pron.Caesar Augustus
Germanicus Pont.Max.Trib.Potest.IIII
Cos.III.Des.IIII.Pro Cos.P.P.Imp.II.Ouans
Ex Germania.Prid.Kal.Septembris
TI.Claudius Drusi F.TI.N.Anno DCCXCVII
Caesar Augustus Germanicus Pont.Max
Trib.Potest. V.Cos.III.P.P.Censor Imp.VI
De Britanneis Et Rege Catacrato : : : :
A.Plautius M.F.A.N.Siluanus.Anno DCCXCVIII
Pro Cos.Legatus TI.Claudi Caesaris Augusti
Germanici Ouans Ex Britannia De Rege Catacrato
Imp.Nero Claudius Diui Claudi F.Anno DCCCVII
Caesar Augustus Germanicus Ouans
De Armeneis Et Partheis
Imp.Caesar Vespasianus Augustus An.DCCXXIV
Pont.Max.Trib.Potest.III.Cos.III.Des.IV.
P.P.Imp.VIII. Et
T.Caesar Vespasianus Vespasiani Augusti F
Pont.Trib.Potest.Cos.Des.II.Imp.III.Vna
De Iudaeis Hierosolymitaeis Palestineisque
Ex Suria Kalend.Iulis
Imp.Caesar Diui Vespasiani F.An.DCCCXXXIX
Flauius Domitianus Augustus Germanicus
Pont.Max.Trib.Pot.VI.Cos.XI.Des.XII
Cens.Perp.P.P.Pro Cos.Imp.XIII.De Quadeis
Daceis Geteis Sarmateisque Germaneis
Imp.Caesar Diui Vespasiani F.An.DCCCXLV
Flauius Domitianus Augustus Germanicus
Pont.Max.Trib.Potest.XI.Cos.XVI
Cens.Perp.P.P.Pro Cos.Imp.XX.Iterum
De Quadeis Daceis Geteis Sarmateisque Germaneis
Imp.Caesar Diui Neruae F.Anno DCCCLV
Nerua Traianus Optimus Augustus
Germanicus Dacicus Pont.Maxim
Trib.Potest.V.Cos.IV.Des.V.P.P.Pro Cos
Imp.III.De Pannonieis Daceisque Et
Rege Decebalo Ex Germanis : : : :
Imp.Caesar Diui Neruae F.Anno DCCCLVI
Nerua Traianus Optimus Augustus
Germanicus Dacicus.Pont.Maxim
Trib.Potest VI.Cos.V.P.P.Pro Cos.Imp.III.Iterum
De Daceis & Rege Decebalo Ex Germania : : : :

Diuus Traianus Parthicus III.Ann.DCCCLXX
De Arabibus Armeneis Mesopotamia
Parthis Osrohenis Et Rege Cosdroe Ex Oriente : :
Imperatores Caesares Diui Pii F.Ann.C ∞XIIX
Diui Hadriani Nepotes Diui Traiani Parthici
Pronep.Diui Neruae Abnepotes
M.Aurelius Antoninus Augustus Armenicus
Parthicus Pont.Max.Trib.Potest.XIIX
Cos.III.P.P.Pro Cos.Imp.III. Et
L.Aurelius Verus Antoninus Augustus
Parthicus Armeniaeus Pontifex
Trib.Potest.IV.Cos.II.P.P.Pro Cos.Imp.II.Vna
De Partheis Armeneis Medeis Et Rege
Vologese Ex Oriente : : : : :
Imp.Caesar Diui Pii F.Diui Hadriani N.An.C∞ XXIX
M.Aurelius Antoninus Augustus Germanicus
Sarmaticus.Pont.Max.Trib.Potest.XXX.Cos.III
P.P.Pro Cos.Imp.VIII.Iterum Et
Imp.Caesar Marci Augusti F.L.Aelius Aurelius
Commodus Pius Felix Augustus Germanicus
Pontifex Trib.Pot.II.Cos.Des.Imp.Vna
De Marcomaneis Quadeis Sueueis Sarmateisque
Germaneis X.Kal.Ianuari
Imp.Caesar.Diui M.Antonini Pii.Ann. C ∞XXXIII
Germanici Sarmatici F.Diui Pii Nepos
M.Aurelius Commodus Antoninus Pius Felix
Aug.Germanicus Sarmaticus Pont.Maxim
Trib.Potest.VI.Cos.III.P.P.Pro Cos.Imp.IV.Iterum
De Pannonieis Et Germaneis
Imp.Caesar L.Septimius M.F.Seuerus. An C ∞LIV
Pius Pertinax Augustus Arabicus Adiabenicus
Parthicus Pont.Max.Trib.Potest.VIII.Cos.II
Design.III.P.P.Pro Cos.Imp.XI. Et
Imp.Caesar M.Aurelius L.F.Antoninus Pius Felix
Augustus Pont.Trib.Potest.III.Cos.Design
P.P.Pro Cos.Imp.Vna De Arabibus Partheis
Adiabeneisque Et Rege Artabano : : : : :
Imp.Caesar Diui Seueri Pii Filius.Ann.C ∞LXV
M.Aurelius Antoninus Pius Felix Augustus
Britannicus Pont.Max.Trib.Potest.XVI
Cos.IIII.P.P.Pro Cos.Imp.II.Iterum De Britanneis
Imp.Caesar Diui Antonini F.Anno C ∞XXCVII
Diui Seueri Pii N. M.Aurelius Seuerus Alexander
Pius Felix Augustus Pont.Maximus
Trib.Potest.XIII.Cos.III.P.P.Pro Cos.Imp
De Perseis Et Rege Artaxerxe : : : :
Imp.Caesar Diui Valeriani F.Anno ∞XVII
P.Aurelius Licinius Gallienus Pius Felix
Augustus Pont.Maxim.Tribunic.Potestat.XII
Cos.VI.P.P.Pro Cos.Imperator
De Perseis Et Rege Sapore
Imp.Caesar L.Domitius Valerius.Ann. ∞XXVII
Aurelianus Pius Felix Inuictus Augustus
Gothicus Sarmaticus Palmyrenicus Persicus
Germanic.Pont.Max.Trib.Pot.V.Cos.II.Design.III
P.P.Pro.Cos.Imperator III
De Palmyreneis Ex Suria, Galleis Germaneis
Gotheis Tetrico Et Regina Orientis Zenobia

C.Passienus Crispus.Anno DCCLIX
Legatus Imp.Caesaris Augusti Ex Africa
C.Sentius C.F.C.N Saturninus.Ann.DCCLIX
Legatus Imp.Caes.Augusti De Germaneis
M.Valerius M.F.M.N.Cotta.Ann.DCCLX
Messallinus Legatus Imp.Caesaris
Augusti De Illuricis : : : : :
M.Plautius M.F.A.N.Siluanus.Anno DCCLXI
Legatus Imp.Caesaris Augusti
Ex Macedonia Et Illurico
M.Aimilius Q.F.M.N.Lepidus.Anno DCCLXI
Legatus Imp.Caesaris Augusti
Ex Dalmatia
C.Vibius C.F.Postumus.Anno DCCLXI
Legatus Imp.Caesaris Augusti
Ex Dalmatia
A.Caecina Seuerus Legatus.Anno DCCLXIIX
TI.Caesaris Augusti Germanici De
Germaneis : : : :
L.Apronius C.F.Legatus.Anno DCCLXIIX
TI.Caesaris Augusti Germanici
De Germaneis : : : :
C.Silius P.F.P.N.Legatus.Anno DCCLXVIII
TI.Caesaris Augusti Germanici
De Germaneis
M.Furius P.F.P.N.Camillus.Anno DCCLXX
Pro Cos.De Musulameis Numideis
Et Latrone Tacfarinate Ex Africa
C.Iunius Blaesus.Anno DCCLXXV
Pro Cos.De Musulameis Numideis
Et Latrone Tacfarinate Ex Africa
C.Poppaeus Q.F.Q.N.Sabinus.Anno DCCLXXIX
Legatus TI.Caesaris Aug.Germanici Ex Thraecia
M.Licioius M.F.M.N.Crassus. Anno DCCXC:::
Frugi. Legatus TI.Claudi Caesaris
Augusti Germanici De : : : :
TI.Claudius Drusi F.Caesar.Anno DCCXCV
Augustus Germanicus Pont.Maxim
Trib.Potest.II.Cos.Design.III.P.P.
Imp.III.De Mauritaneis Ex Africa
Ser.Sulpicius C.F.Ser.N.Galba.Anno DCCXCV
Pro Cos.Ex Germania Et Africa
C.Suetonius Paullinus. Anno DCCXCV
Pro Cos. De Mauritaneis Ex Africa
CN.Sidius Geta Pro Cos.Anno. DCCXCV
De Mauritaneis Et Rege Salabo Ex Africa:::
P.Gabinius Secundus Chaucicus. Anno DCCXCV
Legatus TI.Claudi Caesaris Augusti
Germanici De Chauceis Ex Germania
M.Licinius M.F.M.N.Crassus.Anno.DCCXCVI
Frugi Legatus TI.Claudi Caesaris
Augusti Germanici.Iterum Ex Britannia:::

C.Valerius L.F.L.N.Asiaticus.Anno DCCXCVI
Legatus TI.Claudi Caesaris Augusti
Germanici De Britanneis : : : :
L.Iunius Ap.F.L.N.Silanus. Anno DCCXCVI
Legatus TI.Claudi Caesaris Augusti
Germanici De Britanneis
T.Flauius T.F.T.N.Vespasianus.Anno DCCXCVI
Legatus TI.Claudi Caesaris Augusti
Germanici De Britanneis
C.Sidius Geta Legatus. Anno DCCXCVI
TI.Claudi Caesaris Augusti
Germanici De Britanneis
:::.Rufrius Pollio Pro Pr.Anno DCCXCVII
Legatus TI.Claudi Caesaris Augusti
Germanici De Britanneis : : : :
:::.Cornelius Laco Praefectus.Anno DCCXCVII
Praetorio TI.Claudi Caesaris Augusti
Germanici De Britanneis
CN.Domitius CN.F.Corbulo. Anno DCCC
Legatus TI.Claudi Caesaris Augusti
Germanici De Chauceis Ex Germania
Q.Curtius Rufus Legatus.Anno.DCCC
TI.Claudi Caesaris Augusti
Germanici De : : : :
L.Pomponius Secundus Legatus.Anno DCCCIII
TI.Claudi Caesaris Augusti
Germanici De Catteis Ex Germania
P.Ostorius Scapula Pro Pr.Legatus. Anno DCCCIII
TI.Claudi Caesaris Augusti
Germanici De Britanniceis Et Rege
Caratato : : : : :
P.Petronius Sabinus.Anno DCCCXIIX
Turpilianus Vir Consularis
De Britanneis
M.Cocceius M.F.Nerua .Anno DCCCXIIX
Pr.Designatus De : : :
P.Offonius Tigillinus Praefectus.Anno DCCCXVIII
Praetorio Imp.Neronis Claudi Caesaris
Augusti Germanici De : : : :
M.Licinius M.F.Crassus.Anno DCCCXXII
Mucianus Legatus Imp.Caesaris
Vespasiani Augusti De Sarmateis
TI.Plautius M.F.M.N.Siluanus.Anno DCCCXXV:::
Aelianus Legatus Imp.Caesaris
Vespasiani Augusti.Praef.Vrbi
Ex Moesia Et Oriente
M.Vlpius Traianus.Anno DCCCXXX:::
Crinitus De : : : : :
CN.Iulius Agricola Anno DCCCXL:::
Pro Pr.Legatus Imp.Caesaris Flaui
Domitiani Augusti Germanici
De Britanneis : : : :

FASTORVM . LIBRI . QVINTI . FINIS

QVum has ludorum III. & V. saecularium descriptiones, quae in tabulis Capitolinis adhuc supersunt (Prior quidem e regione eorum consulum, sub quorum magistratu editi sunt, Anno vrbis DXVII. Posterior uero in quartae tabulae fragmento) hoc modo suis locis, propter angustum marginem exarare non potuerim; eas uel saltim hoc loco nulla ratione omittendas esse duxi: Ne quid demum deesset quod diligens antiquitatis inuestigator desiderare posset: simulque ut intelligatur, qua forma ab Antiquis ludi saeculares notari soliti fuerint

Tertii igitur ludi saeculares pagina 14. Anno vrbis DXVII. ita reponendi

LVDI. SAECVLARES. TERT
M'. AIMILIO M'. F.
M. LIVIO. M. F. M. N. SALINATORE MAG. X. VIR

Quinti uero pagina 24. Anno vrbis Conditae DCCXXXVI. sic restituendi

LVDI. SAECVLARES. QVINCT
IMP. CAESARE. DIVI. F. AVGVSTO
C. SENTIO. C. F. C. N. SATVRNINO
M. CLAVDIO. M. F. M. N. MARCELLO MAG. XV. VIR
M. FVFIO. M. F. STRIGONE
D. LAELIO. D. F. D. N. BALBO

Ludi etiam saeculares septimi a Domitiano Imperatore facti, sub quinctis editis a Diuo Augusto notati erant, uerum eius nomen erasum est; quod factum fuisse post eius mortem, iis uerbis docet C. Suetonius Tranquillus Contra senatus eius morte adeo laetatus est, ut repleta certatim curia, non temperaret, quin mortuum contumeliosissimo, atque acerbissimo acclamationum genere laceraret: scalas etiam inferri; clypeosque & imagines eius coram detrahi, & ibidem solo affigi iuberet; nouissime eradendos ubique titulos, abolendamque omnem memoriam decerneret

Ego autem eos sic restitui

A. P. R. C. DCCCXLI
IMP. CAESARE. DIVI. VESPASIANI. FILIO
DOMITIANO. AVGVSTO. GERMANICO
MAGISTRO. XV. VIR
EX. S. C. LVDI. SAECVLARES. FACTI

Tres enim tantum uersus medii nomen suum continentes erasi fuerant, quos ego ex iisdem literis non omnino consumptis reposui

Decimos uero ludos saeculares, ut scribit Claudianus, Honorius Imperator Romae edidit Anno vrbis conditae ∞CLVII. Sexto suo consulatu, quos idcirco non annotaui, quod nomine potius, quam re ipsa saeculares fuerint; peruigilia enim supplicationes, sacrificia, & cetera solemnia quibus potissimum ludi saeculares constabant, iam diu ante abrogata fuerant, ludique tantum Circenses remanserant, quos quum tribus continuis diebus edidisset Honorius Imp. ludos se saeculares celebrasse existimauit. Quod si quis ipsos adponere uoluerit, eos Anno vrbis conditae ∞CLVII è regione consulatus Honori Augusti VI. & Aristeneti notare hac ratione poterit

LVDI. SAECVLARES. DECIMI
EX. S. C. FACTI

Ceterum fusius de iis ludis uerba faciam, quum ad eorum primam institutionem explicandam deuenero



ONVPHRII PANVINII VERONENSIS. FRATRIS EREMITAE. AVGVSTINIANI

IN. QVINQVE. FASTORVM LIBROS. COMMENTARII





VENETIIS
Ex Officina Erasmiana Vincentij Valgrisij
M D LVIII

ILLVSTRISS. ET REVERENTISS. DOMINO ALEXANDRO. FARNESIO. S.R.E CARDINALI. ET. SEDIS. APOSTOLICAE CANCELLARIO

ONVPHRIVS. PANVINIVS. VERONENSIS FRATER. EREMITA. AVGVSTINIANVS. S. P. D



QVVM incredibilem tuam in omni genere virtutem ſoleo mirari Alexander Cardinalis Ampliſsime, tum maxime humanitatem & beneficentiam ſingularem, tanquam ceterarum nobiliſsimos indices plurimi facio; quum nulla fere ſit bonarum artium diſciplina, quam tu aut obuijs (ut dicitur) manibus non amplexus ſis, aut non uberrimis etiam praemijs honeſtaueris. Percurrere licet poſt quam te Deus in hunc ampliſsimum ordinem aduocauit; quot doctos viros, & de bonis artibus benemeritos, Theologos, Philoſophos, Medicos, Oratores, Poetas, Hiſtoricos, Latina Graecaque lingua eximie eruditos, ad ampliſsimos honorum gradus, & ſummas opes euexeris, quos amplius quinquaginta, qui in hiſce artibus & diſciplinis principem locum obtinuerunt, aliquando collegi. Quare nihil eſt cur miremur ſi tot libri in tuo nomine publicentur, qui maximum liberalitatis tuae teſtimonium omnibus praebeant. Quam ob rem et ego ceterorum exemplo accenſus, quamuis cum his nec eloquentiae laude, nec ullo diſciplinarum genere ſim comparandus, hos meos labores tibi nuncupare aequiſsimum iudicaui, cuius potiſsimum benignitate, animus ad haec ſtudia colenda liber admodum eſt. Nam ne mihi vni, vel paucis admodum litteratis viris hos Faſtos conſcripſiſſe videar, quum multa in eis obſcuriſsima his temporibus facta ſint, Commentarios hos, vel potius annotationes in tuo nomine exire volui; quibus difficillimum quidque explanarem, atque obſcuriſsimum illuſtrarem. Animus quidem erat maximum addere in eoſdem Faſtos, hoc eſt in vniuerſam Romanam hiſtoriam a Romulo Rege ad noſtra vſque tempora Commentarium, quem ſaepe pollicitus ſum; verum hoc tempore grauiſsimis cauſsis a propoſito reuocatus, eum in aliud tempus publicandum diſtuli. Hoc autem quamuis minore Commentario nihil tamen praetermiſſum eſt, quod ad Faſtos ipſos egregie intelligendos valere exiſtimarim. Loca enim obſcura explicantur, ſcriptorum auctoritates ad ſingula confirmanda citantur, de annorum vrbis conditae varietate; item de praenominibus, nominibus, atque cognominibus diſputatio

non omittitur. Deinde omnium magistratuum initia aperiuntur, atque postremo ea omnia accurate traduntur, quorum cognitionem necessariam fuisse ad Fastorum interpretationem iudicauerim. Quae vero nunc omisi alio tempore edenda, speciosa magis erant quam necessaria, quae & ipsa tuis auspicijs aliquando euulganda reseruabo, vbi haec tibi grata fuisse cognouero. Quod si consequutus fuero, diuturni me laboris huius maximum tulisse fructum existimabo. Vale Venetijs Kal. Februarijs Anno Domini ∞DLVIII

ONVPHRII·PANVINII VERONENSIS. FRATRIS

EREMITAE. AVGVSTINIANI

IN. FASTORVM. LIBRVM. PRIMVM COMMENTARIVS

Cur hi libri Fastorum nomine appellati fuerint; & quid inter Historiam, Annales, Diarium, & Fastos intersit



MAXIMAM inter eruditos uiros, hoc tempore tabularum Capitolinarũ quarum exemplo hoc opus edidi, uera germanaq; inscriptio in Vrbe controuersiam excitauit. Alij enim erant, qui chronologiam, alij qui seriem, uel syllabum, siue elencbum; alij qui annales, alij denique qui Fastos appellandos existimarent. Neq; rationes deerant, quibus suam quisq; probaret,& alienam sententiam refelleret. Quibus omnibus tã quam superuacaneis omissis,hunc qui mihi uerior uisus est, & huic labori conuenientior, indicem accepi,Fastosque nuncupaui. Chronologiae enim uel chronici uocabulum,perinde ac nimis amplum,& plura quàm quae hic explicentur complectens,reieci;etenim omnis annorum & magistratuum omnium, siue regnorum series, quae Romanam, uel Graecam, uel Barbaram historiam contineat, chronologia uel chronicum dici potest. Fasti uero ut infra aperiam, praeter cetera quae significant, ij quoque libri appellantur,quibus praecipue populi Romani magistratuum nomina comprehenduntur. Quod idem etiam de seriei, elenchi, & syllabi nominibus iudicandum est. Annalium autem appellationem tanquam minus huic operi conuenientem improbaui, quod annales non nuda magistratuum nomina ut Fasti, sed & res ab ipsis in singulos annos gestas, breuiterque descriptas, complecterentur; idemque ferme sint cum historia, ut libro de Oratore docet Cicero: Erat (inquit) historia nihil aliud nisi annalium confectio. Quibus uerbis manifeste constat nuda magistratuum nomina nulla ratione annales dici posse, ut quidam existimarunt Vt autem facilius intelligatur, quibus rationibus persuasus,hoc opus Fastos appellauerim;quid inter historiam, annales, diarium, siue ut Graeco uerbo utar ephemeridem, & Fastos intersit exponere peroportunum esse existimaui. Historia igitur, ut ex Verrio Flacco libro III. de verborum origine: A.Gellio libro V. Cap. XIIX. & Cicerone II. de Oratore colligitur; est rerum gestarum diffusa declaratio, quibus tamen gerendis interfuerit is, qui eas narret; in qua temporum, hominum, locorum, rerumque gestarum monumenta ornate explicantur, regio saepe aut pugna describitur, contiones & cohortationes interponuntur; quo consilio, & qua ratione singula gesta sunt edocetur. In hac autem historiae circumscriptione, nonnihil rationis existimat esse Gellius, quum nomen trahere uideatur. ἀπὸ τοῦ ἱστορεῖν, quod res praesentes spectare siue cognoscere significat. Quae declaratio mihi quoque multum placet. Accipi deinceps latius coeptum est historiae nomen, quemadmodum paulo post & de Fastis dicam; ut non solum de expositione rerum gestarum diceretur,quibus interfuerit is qui eas describeret,uerum & de quauis narratione; quae uel antiquitus,uel tempore illius qui scribit fuerit,siue obseruato annorum ordine, ut Dionysius, T. Liuius, Tacitus, Dio et alij; siue non, ut Plutarchus, Cornelius Nepos, Aemilius Probus, Plinius in uitis illustrium uirorum; item Appianus, & Sex. Rufus fecerunt, qui alia ratione res gestas conscripsere. Annales autem, ut ex Cicerone & Gellio constat, dicuntur hi libri in quibus breuiter, & sine ullis ornamentis, temporum, hominum, locorum, rerumque gestarum singulorum annorum, res magistratusque, ordine in historias seruato rediguntur tam nostrorum, quam superiorum temporum, memoriae publicae retinendae caussa. Qui etiam historiae dici possunt; quum latissime hoc nomen cuiuis rerum narrationi adscribi possit, ut Gellius docet. Historiae tamen propriae non id sunt quod annales, quum historia sit dicta, quae res gestas explicat uti gestae sunt; annales uero, quum quid quoque anno, a quo magistratu, uel duce gestum fuerit significatur, quare ueteres historici quum res non satis explicarunt, annales conscribere a Cicerone non sine translatione dicuntur II. de

Oratore: Erat (inquit) historia nihil aliud nisi annalium confectio. Differentiam quoque inter historiam & annales, optime Sempronius Asellio explicat apud Gellium libro V. cap. XIIX. Annales (inquit) libri tantummodo quod factum est, quoque anno id gestum sit demonstrant, diario non absimiles, quod Graeci ephemeridem uocant; puta quo consule id bellum initium sumpserit, quomodo confectum sit, quis triumphans introierit, atque ea quae in bello gesta sunt breui sermone perstringunt: Quid senatus decreuerit, quae lex rogatione lata sit, & similia. Historia autem non tantum quod factum est exponit, sed quo consilio, & qua ratione singula gesta sunt declarat. Annalium autem conscriptionem apud Romanos praesertim antiquissimam esse, historiamque tempore longe praecedere existimo, quod ab initio rerum Romanarum, antequam quispiam adhuc historiam edidisset, inuenio apud Ciceronem secundo de Oratore Pontificum Maximorum, usque ad P. Mucium Scaeuolam qui in C. Marij, & L. Cinnae dominatione caesus est; munus fuisse res omnes singulorum annorum litteris mandare, efferre in album, domique tabulas populo publice proponere, ut eidem potestas esset cognoscendi, quae singulis annis fiebant; qui & annales maximi appellati sunt, siue quod a Pontifice Maximo ederentur, siue ad aliorum annalium differentiam. Eam enim scribendi rationem multi postea sequuti sunt. Plerosque etenim poetas annales fecisse, & historicos historias suas annales appellasse constat, qui sine ullis ornamentis monumenta rerum ab antiquis gestarum scripta reliquerunt, quales apud Graecos Pherecydes, Hellanicus, Arcesillas, alijque permulti fuerunt, & apud Romanos Fabius Pictor, M. Cato, & L. Piso, quibus orationis ornatus nihil curae fuit, hoc unum tantum curantes, quae dicebant intelligi, non tanquam rerum exornatores, sed narratores; omnibus rebus semper breuitate praelata. Quum autem res non per annos, sed per dies singulos gestae describuntur, ea historia diarium, siue Graeco uocabulo ephemeridem appellare ueteres consueuerunt, ut docet A. Gellius. Fasti autem, ut scribit Varro libro V. de lingua latina, dicti sunt dies quibus certa uerba legitima sine piaculo Praetoribus licet fari; hoc est, ius dicere, ea autem ut refert Sex. Pompeius tria erant solemnia uerba: Do, Dico, & Addico, quibus praetorij magistratus ius quodque continebatur. Nefasti autem dies erant, quibus ea fari ius non erat, & si fati sint, piaculum faciebant, Vnde Ouidius primo Fastorum

Ne tamen ignores uariorum iura dierum
　Non habet officium lucifer omnis idem
Ille nefastus erit, per quem tria uerba silentur
　Fastus erit per quem lege licebit agi
Neu toto perstare die sua iura putaris
　Qui iam fastus erit mane nefastus erat
Nam simul exta deo data sunt, licet omnia fari
　Verbaque honoratus libera Praetor habet

Postea collectionem eorum dierum, quibus fari ac non fari liceret Fastos appellatam constat, appellatione ducta ab eo quod contentum est, id quod continet; Additique his fuere dies comitiales, & festi; solemnia deorum sacra, ludique & feriae in eorundem honorem constitutae, aliquot uictoriae, resque insignes, item atri aliquot uitiosique dies. Quae omnia uno corpore clausa Fasti appellati sunt, quae nos modo calendaria uocamus. Sex. Pompeius: Fastorum (inquit) libri appellantur, in quibus totius anni fit descriptio, Fasti enim dies festi sunt. Horum Fastorum exempla aliquot, lapideis tabulis incisa adhuc Romae supersunt, quorum unum extat in Aedibus uiri optimi Antiquitatisque studiosissimi Achillis Maffeij accuratissime elegantissimeque marmoreis tabulis scalptum. Fastorum eiusmodi, quos nos calendaria appellamus priorem partem. Ouidius sex libris interpretatus est, quorum argumentum ipse libro Fastorum primo explicat ijs uersibus

Tempora cum caussis latium digesta per annum
　Lapsaque sub terras, ortaque signa canam. Et paulo post
Sacra recognosces annalibus eruta priscis
　Et quo sit merito quaeque notata dies
Inuenies illic & festa domestica uobis
　Saepe tibi pater est, saepe legendus auus
Quaeque ferunt illi pictos signantia Fastos
　Tu quoque cum Druso praemia fratre feres
Caesaris arma canant alij, nos Caesaris aras
　Et quoscunque sacris addidit ille dies

De origine autem Fastorum dierum, haec fere à veteribus scriptoribus traduntr, quae breuissime à me collecta sunt

FASTOS ipsos nefastosque dies antiquitus Numam Regem constituisse testatur libro primo

Liuius

Liuius. Numa (inquit) nefastos dies, fastosque fecit; quia aliquando nihil cum populo agi utile futurum erat. Eos postea in altera duarum tabularum, quas ut totum Romanum ius absolui posset, decem tabulis Athenis relatis, Ap. Claudius Decemuir ex S.C. addiderat, a X. viris legum scribendarum inclusos fuisse existimo, auctoritate ductus M. Tullij Ciceronis libro VI. Epistolarum ad Atticum. Omnibus autem alijs tabulis in album propositis, ut dies agendi peterentur à paucis, à pontificibus occultatam multò tempore istam tabulam ferunt, ita ut posset agi nec ne, pauci olim scirent, quum Fasti dies uulgo non haberentur. Centum autem & circiter quinquaginta exactis annis post Decemuiros, Cn. Flauius M. Filius libertino patre genitus Ap. Caeci Scriba, qui forte pontifex erat, Fastosque dies apud se habebat, eiusdem Claudi hortatu dies ipsos Fastos ex diu occultatis tabulis excepit, & consultando assidue sagaci ingenio, eos singulis diebus ediscendos populo proposuit, publicauitque; ipsos enim (ut dixi) populus Romanus à paucis principum quotidie petebat. Quare tantam apud plebem gratiam adeptus est, ut infimae sortis homo, C. Poetelio, & L. Domitio, quorum patres Consules fuerant, repulsam passis, cum Q. Aurelio Praenestino Aedilis curulis creatus sit, additumque (ut scribit Plinius) ut simul Tribunus Plebei esset. Post haec autem populo semper facultatem fuisse constat dies Fastos uisendi, cùm publice descripti & lapideis tabulis incisi postea fuerint. Huius rei meminerunt M. Cicero pro Muraena, T. Liuius libro III. & IX. Plinius libro XXXIII cap. I. A. Gellius libro VI. cap. IX. Et libro primo Saturnalium Macrobius. Valerius uero Maximus libro II. Cap. I. Ius ciuile (inquit) per multa saecula inter sacra caerimoniasque deorum immortalium abditum, solisque pontificibus notum, Cn. Flauius libertino patre genitus & scriba, cum ingenti nobilitatis indignatione factus Aedilis curulis uulgauit, ac Fastos pene toto foro exposuit &c.

Erat & aliud Fastorum genus superioris exemplo appellatum, Fasti enim dicti sunt etiam hi libri, in quibus nomina magistratuum continebantur, qui singulis annis fuere, & praesertim consulum. Nam sicut in superioris generis Fastis, unicuique diei sua solemnia, siue ludi, siue feriae, vel fasti, nefasti, comitialesque dies assignabantur, sic in his, singulis quibusque annis sui adscribebantur magistratus, siue Consules, uel Censores, aut Dictatores fuerint, perinde ac sunt ij qui in tabulis Capitolinis incisi fuerunt, & ij qui ex hortulis Colotianis in aream domus Gentilis Delphinij transportati sunt; Item ij Fasti municipales, qui à Petro Appiano referuntur. De quo Fastorum genere frequens apud ueteres scriptores mentio est. De eis enim loquitur Cicero Pro Sextio quum ait: ijdem Consules, si appellandi sunt consules, quos nemo est qui non modo ex memoria, sed etiam ex Fastis euellendos putet; Cuius rei Plutarchus etiam meminit, quum scribit: Catonem intercessisse ne consulum nomina Fastis eximerentur. Idem Cicero in Epistolis Familiaribus: Etenim ordo ipse annalium mediocriter nos delectat, quasi enumeratione Fastorum. Et libro IIII. Liuius. Si non ad Fastos, non ad commentarios pontificum admittimur. Item libro X. Paginas in annalibus magistratuum, Fastisque percurrere licet, Consulum Dictatorumque, quorum nec virtutis, nec fortunae ullo die Populum Romanum pœnituit. Valerius quoque Maximus libro VI. cap. II. quum de C. Mario loquitur. Cuius septem (inquit) in Fastis consulatus leguntur: Et libro VII. cap. III. De Bruto primo Consule scribens. Quod tam uaphre telluri impressum osculum, vrbi libertatem, Bruto primum in Fastis locum tribuit. Libro vero VIII. cap. XVI. Explica totos Fastos, constitue omnes currus triumphales, nihil tamen in eorum principatu speciosius reperies. Et in Epitoma libri X. Animaduerto in Consulum Fastis, perplexum usum praenominum & cognominum fuisse. Item P. Cornelius Tacitus libro III. Primum sententiam rogatus Aurelius Cotta consul nomen Pisonis radendum Fastis censuit. Et paulo post: Multa ex ea sententia mitigata sunt à Principe, ne nomen Pisonis Fastis eximeretur, quum M. Antonij qui bellum patriae intulisset, Iulique Antonij, qui domum Augusti uiolauerat manerent; is autem Piso Consul fuerat; Consulum autem male de Republica meritorum nomina Fastis eximi solita esse testimonio esse potest M. Antonij III. Viri nomen, quod ex tabulis Capitolinis & Colotianis erasum fuisse, & postea restitutum, adhuc cernitur; Cuius quoque rei meminit in Philippicis Cicero quum ait: Cuius cõsulatus est ex omni monumentorum memoria reuulsus. Aelius Spartianus in vita L. Veri Imp. Tantumque huius rei (inquit) nouitas ualuit, ut Fasti Consulares nonnulli ab ijs sumerent ordinem consulum. Trebellius Pollio in Gallieno Imp. Si quidem capto iam Valeriano innenimus in Fastis; Valeriano Imp. consule. Et Ausonius, in gratiarum actione, quam pro adepto consulatu Gratiano Augusto dixit: Scis inquam decem ac septem Domitiani consulatus, quos ille inuidia alteros prouehendi continuando conseruit, ita in eius auiditate densos, ut hoc eum pagina Fastorum suorum, immo fastidiorum fecerit insolentem. Et Cassiodorus in Epistola nomine Regis Theoderici ad Anastasium Imp. scripta, quae lib. secundi prima est sic ait: Admonet nos consuetudo solemnis, dare Fastis no-

men

men, ornatum proprium Romae, terrenam Curiae claritatem, ut per annorum numerum decurrat gratia dignitatum, & beneficijs principum facretur memoria saeculorum. Felix à consule sumat annus auspicium &c. Et Lucanus

Instabatque dies qui dat noua nomina Fastis. Loquitur autem de Cal. Ianuarijs, quo die consulatus auspicari mos erat. Item lib. V.

Ipse petit trepidam tutus sine milite Romam
Iam doctam seruire togae, populoque precanti
Scilicet indulgens summum Dictator honorem
Contigit, & laetos fecit si consule Fastos. Et Paulo post
Inde perit primum quondam ueneranda potestas
Iuris inops, careat tantum ne nomine tempus
Menstruus in Fastos distinguit nomina consul

Statius Papinius de XVII. Domitiani Consulatu libro IIII. Siluarum

Laeta bis octonis accedit purpura Fastis
Caesaris, insignemque aperit Germanicus annum

Et Martialis libro XI. vbi de tertio Neruae consulatu loquitur

Et quae purpureis iam tertia nomina Fastis
Iane refers Neruae, uos precor ore pio
Hunc omnes seruate ducem, seruate senatum
Moribus hic uiuat principis, ille suis

Ausonius Gallus in Epistola ad Paullinum

Quamquam & Fastorum titulo prior, & tua Romae
Praecessit nostrum sella curulis ebur

Item in libro ad nepotem de studio puerili

Vt praefecturam duplicem, sellamque curulem
Vt trabeam, pictamque togam, mea praemia Consul,
Induerer, Fastisque meis praelatus haberer

Non ab re autem tot de Fastis, veterum scriptorum auctoritates citaui, quod intelligerem, aliquot olim fuisse magni nominis viros, qui aliquando affirmarint, eos libros fastos nulla ratione dici debere, quibus nuda tantum magistratuum nomina scripta sunt, sed Fastos proprie dici, eos libros quos ego annales appellaui; in quibus cum magistratuum nominibus, alia quaedam breuiter descripta ponantur; puta quo consule bellum aliquod gestum sit, quis triumphans introierit, quae lex, rogatioue lata sit, quae aedes dedicata, quod foedus ictum, & similia. Alij quoq; fuerũt, qui eos ipsos libros, quos ego fastos vocaui, annales appellari debere contendunt, quae omnia vt demonstrarem an uere essent dicta, tot & forte usque ad fastidium auctoritates adduxi. Quod si quis nec his contentus esset, ab eo quaererem, quonam demum indice nuda magistratuum nomina apud ueteres insignita fuerint? quae quidem non nisi Fastorum nomine appellata fuisse crediderim. Sexcenta enim praeterea auctorum loca citari possent, in quibus Fastorum consularium mentio est. Quare nullo modo fieri posse existimo, ut de ijs non intelligatur, quum nulla alia appellatione uocatos unquam legerim, praeterquam apud Cassiodorum; qui, quod opus suum quo consules quoque contexuit ab mundi primordio auspicatus esset, externaque etiam in eo tractaret, Chronicon appellauit. Verum M. Tullij lib. IIII. epist. ad Atticum, epistola III. C. Plinij in panegyrico ad Traianum Augustũ, & Ausonij in suorum Fastorum indice auctoritates, hoc apertissime declarare uidentur. Ait enim Cicero de L. Domitio consulatus candidato loquens: quid enim hoc miserius quam eum qui tot annos quos habet designatus consul fuerit, fieri consulem non posse? praesertim quũ solus, aut non plus quam cum altero petat; si vero id est quod quidem nescio an sit, ut non minus longas iam in codicillorum Fastis, futurorum consulum paginulas habeat, quàm factorum, quid illo miserius? Ac si dicat: Quid enim miserius, quam eum fieri consulem non posse, qui ac si designatus fuisset semper vixit, id est, quem suo anno fore consulem non secus homines semper crediderunt, ac si designatus esset; si uero & ipse uidet, & in suis priuatis Fastis notat, ex eis qui potentium partes tuentur, non minus multos iam in posterum fore consules, quam hactenus fuerunt (fuerant autem per quadriennium) quid illo miserius, si per quattuor annos consulatu se videt exclusum? & ideo scite in codicillorum Fastis, quasi dicat adeo multos videt fore consules ante se, vt eos domi notans in suis priuatis Fastis, longas Fastorum paginulas cõsulum ante se designandorum nominibus compleat; quod si cum magistratuum nominibus alia quaedam continerent Fasti, non dixisset Cicero Domitium in suis Fastis designandorum consulum ante se nominibus paginulas Fastorum complere, sed alia à Fastis uoce usus esset; nam certum est, res posterioribus temporibus gestas minime annotari potuisse, quum nondum editae fuissent. Est & illa C. Plinij Secundi

cundi in panegyrico auctoritas. De Domitiano enim loquens: Non te (inquit) ad exemplar eius voco, qui continuis consulatibus (fuerant autem ut ex Tranquillo constat X V I I. in quibus VIII. usque ad X I I I I. continuauit) fecerat longum quendam & sine discrimine annum. Et paulo post, quum loquitur de primo imperij Traiani anno in quo consulatum recusauit, ait: Contigit igitur priuatis aperire annum, Fastosque reserare, & hoc quoque redditae libertatis indicium, quod consul alius quam Caesar est, sic enim seruitus pulsa priuata Fastis nomina induxit. Ex quibus uerbis plane constat, Plinium loqui de ea consulum serie quae ad exemplum tabularum Capitolinarum facta sit, in quibus eadem continua nec uariata consulatuum successio ob oculos posita, vnum tantum annum videatur praeseferre, quum singulis ipsis annis isdem semper consul esset, De nullo vero praeterea Fastorum genere Plinium loqui existimandum est, tum quia manifeste rerum gestarum ratione, & si singulis annis vnus tantum fuisset consul, plurium annorum distinctio haberi potuisset, tum etiam ratione consulum suffectorum, quibus prior annus & consulatus à sequenti facillime dignoscitur. Per ea enim tempora & praesertim post Augusti obitum, in Fastis publicis lapideis, & in historijs propter suffectorum consulum multitudinem, qui aliquando X X V. uno anno fuere, non omnium consulum nomina, sed tantum ordinariorum, id est eorum qui Kal. Ianuarijs magistratum inibant, scribebantur; ut est apud Cornelium Tacitum, Dionem, & Cassiodorum. In fine quoque panegyrici ita ait: Quid quod eundem in annum consulatus tui, consulatum nostrum contulisti, ergo non alia nos pagina, quam te consulem accipiet, & nostra quoque nomina addentur Fastis quibus ipse perscriberis. Post Diui Augusti tempora non omnia (ut dixi) Consulum nomina propter multitudinem Fastis publicis, siue annalibus, uel historijs addebantur, sed tantum eorum qui Kal. Ianuarijs inibant magistratum, qui etiam Consules maiores uel ordinarij appellabantur; atque ab eorum nominibus rerum gestarum totius illius anni descriptio signabatur, ut libro XLIX. prodit Dio. Sed in priuatis Populi Romani Fastorum libris, quibus nomina magistratuum continebantur, seorsum per singulas paginas, omnium Consulum unius anni nomina scribebantur, & ante omnes, eorum qui Kal. Ianuarijs inierant, deinde qui Kal. Martij, post qui Kal. Mai, & sic deinceps; bimestres enim fere semper per ea tempora consulatus erant; dicit ergo Plinius eadem Fastorum pagina quae te Consulem ordinarium scilicet Kal. Ianuari, eadem quoq; etiam me suffectum excipiet proximis Kal. Septembris. Nam eo anno quo Traianus III. Consul fuit ex Ante Diem Kal. Septembr. C. Plinius cum Cornuto Tertullo consulatum bimestrem inijt. Quod si cum nominibus magistratuum res quoque a singulis consulibus gestae scriberentur, non eadem pagina ambos excepisset, sed ad minus quinta, cum quattuor consulum collegia ante ipsum fuissent, quae saltim singulas paginas explessent; nam uerosimile non est in eadem pagina sex consulum collegia fuisse cum quibusdam quam uis paucissimis actis. Quod si vnicuique pagellae singula consulum collegia scriberentur, non dixisset Plinius eadem Fastorum pagina, sed idem annus, siue liber qui te consulem, me quoque excipiet. Postremo Ausonij versus haec omnia apertissime ita declarant, ut nihil apertius dici posse existimem. Ipsum enim nuda consulum nomina, & forte etiam aliorum magistratuum cum annorum serie, ab vrbe condita usque ad consulatum suum perduxisse, eaque Fastos appellasse indicant; Et ante omnes ij uersus quibus titulus est: In libro quem de Fastis composuerat ad Gregorium

Ignota aeternae ne sint tibi tempora Romae
    Regibus & patrum ducta sub imperijs
Digessi Fastos, & nomina praepetis aeui
    Sparsa iacent Latiam si qua per historiam
Sit tuus hic fructus, vigilatas accipe noctes
    Obsequitur studio nostra lucerna tuo
Tu quoque venturos per longum confere Ianos
    Vt mea congessit pagina praeteritos
Exemplo confide meo sic protinus & te
    Applicet Ausonijs purpura consulibus

In fine vero eiusdem libri hos versus addidisse constat

Hactenus adscripsi Fastos, si fors volet vltra
    Adijciam, si non qui legis adiicies
Scire cupis qui sim, titulum qui quartus ab immo est
    Quaere, legas nomen consulis Ausonij

De eodem quoque Fastorum libro sic ad Poculum scribit

Vrbis ab aeternae deductam rege Quirino
    Annorum seriem quum Procule accipies

Mille

Mille annos centum, & bis fluxisse nouenos
Consulis Ausonij nomen ad vsque leges
Fors erit ut lustrum cum se cumulauerit istis
Confectam Proculus signet Olympiadem

Quibus testimonijs adeo manifestis, me satis demonstrasse existimo, Fastos debere dici, siue libri sint, siue lapideae tabulae, quibus nuda magistratuum nomina scripta sunt, perinde ac ego feci in hisce quinque libris, quos iure Fastorum veterum exemplo, appellandos esse duxi.

Cur uniuersum hoc opus ad nostra usque saecula perductum, & in quinque libros diuisum fuerit

Et si satis cur hoc opus a Romulo Rege vsq; ad Carolum V. Imperatorem digesserim, illudq; in quinque libros diuiserim in praefatione explicatum sit, non ab re tamen erit haec pauca de hac eadem re adijcere. Inter multa enim quae in hoc labore declarare institnerim, temporum ratio primum proculdubio locum obtinet, cuius explicandae caussa, necesse fuit ad nostra usq; saecula annorum seriem deducere, quae post Christi natalem adeo incerta, & inconstas apud omnes scriptores est, ut ingenue fatear, me non alia magis in re quam hoc opus in manibus haberem laborasse, quam ut omnia gesta suis annis & temporibus redderem, quae mire antea vacillabant. Decem continuos annos insudaui in astruenda ea temporum particula, quae est inter Gordiani & Iuliani Apostatae Imperia, quum ex ijs consulum conlegijs, quae ab Haloandro ex Casiodoro digesta sunt, duo mihi essent reijcienda, ut annorum ab vrbe condita ratio, annis Christiani natalis conueniret, eaque ignorarem. Demum duorum veterum librorum auctoritate, quorum alter est is qui cum consulibus praefectos quoq; vrbis enumerat inter Valerianum & Constantium Imperatores; alter vero etiam sine nomine auctoris qui consulum Fastos vsq; ad Gothorum tempora perduxit, primum consulatum Probi Imperatoris, & Anici Paullini, Constantijque III. & Constantis secundum consulatum exemi, eosque ex ordinarijs suffectos feci. Quae recte facta fuisse, quum eò perueniam alijs rationibus, & auctoritatibus confirmabo. Ob hanc igitur praecipue caussam, hoc opus ad nostra usque tempora protraxi, in quo res quaedam insigniores gestae, initiaque & fines Imperij singulorum Imperatorum, ex quibus historiae maxime cognitio pendet, suis demum annis vere & accurate apposita sunt. Quae etiam in annis ante Christum natum, & post eius aduentum in ceteris totius orbis principatibus in vniuersali chronico quàm primum me publicaturum spero. Cui immensi laboris negocio, tanquàm fundamentum firmum horum Fastorum opus praemisi

Quod in quinque potissimum libros pro Reip. atq; Imperij varijs casibus & mutationibus partitus sum. Primo enim libro Rempublicam. Secundo Imperium antequam diuideretur. Tertio posteaquam in duo diuisum est, cum alterius excidio. Quarto Imperium ipsum Occidenti restitutum comprehendi. In Quintum vero Pontifices Maximos, Principes Senatus, Triumphos, Ouationes, Triumphalibusque ornamentis honestatos conieci. Quae adeo scite & commode diuisa fuisse mihi videntur, vt melius fieri non posse existimem. Adde quod quum secundo libro, tribuniciae quoque potestatis appellatio, cum tertio vero consularis nomen finiantur. Quae res huc diuisioni non paruam quoque caussam attulerunt. In animo autem aliquando habui, non solum eorum magistratuum nomina contexere, quae in primi libri indice continentur, sed & ceterorum quoq; curulium annuorum omnium, perinde ac vt Tribunorum plebis, Aedilium, Praetorum, & Praefectorum vrbis; quibus tamen postremo abstinendum esse in hoc praesertim opere censui, quod veterum librorum amissione vix decimam partem inuenerim; itemque vitandae confusionis caussa, quae tanta nominum multitudine suboriri facile poterat; postremo quia hunc ipsum ordinem sequutum quoque fuisse viderim auctorem tabularum Capitolinarum &c.

Quemadmodum hi Fastorum magistratus sint à se inuicem distinguendi.

Mvltos fore non dubito, qui horum magistratuum ordinem, annorumq; distinctionem ob ipsorum varietatem non intelligent, quare non alienum ab hoc ipso instituto esse existimaui, quasdam breues praeponere annotationes, quibus totius huiusce magistratuum seriei accurata quaedam cognitio habeatur; qua vnusquisque quum annos distinguere, tum magistratuum diuersitatem facile percipere poterit. Illud igitur ante omnia non ignorandum, horum Fastorum seriem quadrifariam partiri debere, etenim vel erunt Reges, vel Consules Reipublicae tempore, vel Consules cum Imperatoribus, vel Imperatores tantum. Reges autem initium habent ab vrbe condita, & libro primo, pertinentque vsque ad primos Consules per annos fere CCXLIIII. paucis diebus exceptis. In quibus haec consideranda sunt. Primum me in singu-

las

las paginas quae tres priores sunt coniecisse duas annorum Regum series, quarum una ab alia linea media distincta est, finitaque priore, sequens incipi debet, exempli gratia in Romulo, post Annum XXXIV. qui in paginæ inferiori extremitate est, inchoari debet in eadem pagina XXXV Sic in Anco Marcio finito X. sequitur in eadem pagina ex alio latere XI. & sic deinceps bis in Ser. Tullio obseruari debet

Postea etiam animaduertendum primum numerum quaternarium in vtraq; paginae extremitate, quae ex utroque latere est, è regione nominum & annorum ipsorum Regum, esse Olympiadum (quid autem Olympias sit paulo post aperiam); Secundum vero decennarium numerum Annorum ab vrbe condita ex Varronis sententia; Tertium vero continuum annorum ipsorum Regum. Praeterea sciendum in Regum serie, vnoquoque numero siue Olympias ille sit, siue vrbis conditae, aut Regum, annum integrum designari; exempli gratia in primo annorum numero est IIII. idest quartus annus sextae Olympiadis, est I. quod significat primum annum vrbis conditae, est & alius numerus I. quo annus primus Regis Romuli designatur. Qui omnes annum vnum integrum faciunt. Simili ratione post illum est VII. Videlicet primus annus VII. Olympiadis. II. idest secundus Annus vrbis conditae. Item II. quod est secundus annus Regis Romuli. Annos autem vrbis conditae non nisi singulo decennio notaui, tum quod omnes antiquos Fastorum auctores hunc ordinem sequutos viderim, tum quod nimis operosum videbatur longam numerorum seriem singulis annis addere, quum his nulla facilior cognitio haberi posset, quàm si singulo decennio tantum notarentur, sed potius cōfusionem quandam adferrent. Postremo notandum, quotiescunque ijs quae tanquam memoria digna sub singulis Regibus transacta notantur, additur nota H.A. vel Hoc Anno, ipsa eo anno facta fuisse e regione cuius adposita sunt; quoties vero ea nota deest, sub Rege quidem illo id actum fuisse certum esse, verum praescriptum tempus ignorari significatur, praeter tantum primos quattuor lustros sub Rege Ser. Tullio conditos, quibus quam uis ea nota addita non sit, circa tamen id tempus eos factos fuisse ex Censorino liquet

Quae verò de Consulum & ceterorum magistratuum ordine, qui post exactos Reges, usq; ad C. Iuli Caesaris secundum consulatum, in quo primus omnium Romanorum singulari imperio Rempublicam obtinuit, per Annos CDLX. fuerunt, dicenda Institui, haec ferme sunt. In primisque sciendum in Romana Republica duo fuisse profanorum magistratuum genera, ut apud Gellium libro XIII. cap. XIIII. auctor est M. Messalla Augur in libro primo de Auspicijs; quorum alterum maiorum, alterum minorum erant. Maiores magistratus erant, quorum maiora erant auspicia, ut Dictatores cum Magistris equitum, Consules, X. viri legibus scribendis, Tribuni militum consulari potestate, Censores, & Praetores, quibus quidam Vrbis praefectum & Interreges addidere. Minores vero erant reliqui omnes magistratus ut Questores, Tribuni plebis, Aediles, & similes. In his igitur Fastis eos tantum magistratus digeri placuit, qui maiores erant, praeter Praetores, Praefectos vrbis, & Interreges, tum quod hunc ordinem antiquos tabularum Capitolinarum auctores sequutos fuisse animaduerterim, tum quod eos omnes me reperire non potuisse crediderim. Illudque accessit me his magistratibus precipue contentum fuisse, qui annuo imperio in Fastis tempora distinguerent, quod unum mihi prae omnibus aperiendum & explicandum constituerim, vt ueram & accuratam Annorum ab vrbe condita traderem rationem, quae sine his recte fieri non poterat. Censores vero & Dictatores cum Magistris equitum, Consules item suffectos, quam uis annui magistratus non fuerint, ideo tamen adposui, ne à Fastis marmoreis capitolinis hac una in re adeo necessaria veterum historijs intelligendis discederem, quum praesertim res cognitu dignissima fuerit, inuentuque difficillima. Quum igitur eos omnes magistratus qui in libri indice continentur his Fastis addiderim, & ex his quidam annui fuerint, quibus maxime temporum ratio digeritur, quidam uero in certo tempore essent, res ipsa postulare uidetur, ut annotationes quasdam afferam quibus inter se se omnes distingui, ac internosci quàm facile possint. Consules itaque, Decem viri legibus scribendis, & Tribuni militum consulari potestate, nisi in magistratu mortui essent, aut vitio creati vel coacti abdicassent, annui ex legibus semper fuerunt. Dictatorum cum Magistris equitum tempus sex menses non excedebat; nec singulis annis, sed quum eius magistratus ope indigeret Respublica, creabantur; quam uis necessarijs aliquot caussis exigentibus, ter, aut quater Dictatores annui pro Consulibus fuerint, hoc autem non ordinarium erat, sed fortuitum. Censores autem, nec singulis annis creabantur, nec annui unquam fuere. Sine curulibus magistratibus Respublica V. annis fuit, seditionibus tribunicijs C. Licinij Calui, & L. Sextij Laterani Tribunorum plebis vexata. Sine Consulibus, vel Dictatoribus, Anno vno; is fuit CDXX. vrbis conditae, in quo vel Praetor, uel Interreges Rempublicam administrarunt. Praeterea sine curulibus annuis magistratibus uel Consulum, aut Dictatorum, vel Trib. Militum, aut X. virorum Respublica nunquam fuit. Nam ab eiectis Regibus usque ad secundum Caesaris Consulatum

Consulum par, & annum pertinere; in quo creatos eos fuisse constat. Eadem ratio est de duobus uel tribus Dictatoribus, sub vno consulatu cum Magistris equitum positis; Itidem de Censoribus, qui una cum Dictatoribus creati aliquando reperiuntur; omnes enim ad superiorem consulatum sub quo signati sunt pertinent. Consules autem suffecti, siue in mortuorum, siue sponte abdicantium locum, clare ex caussarum additamentis cognoscuntur, quibus facillime ordinarij a suffectis distingui possunt. Qui autem sint Consules ordinarij, & qui suffecti, paulo inferius aperiam. Qua ratione fit, ut in enumerãdis annis ab vrbe condita, qui per annuos Consules, uel Decemuiros, vel Tribunos militum ut plurimum digeruntur, ea tantum erunt numeranda magistratuum nomina, quae primae lineae propinqua erunt, aequalique spacio ab extremo paginae margine, unum post alterum per singula collegia descripta sunt, vnum quodq; enim eorum collegium annum integrum designat.

Tribuni autem militum consulari potestate, ut primum creati sunt, tres tantum fuere, deinde quattuor, postremo sex fieri coepti, quem numerum nunquam excesserunt. In primis autem Tribunis, quum tres essent pari auctoritate, omnes tres primae lineae coherentes, unus post alterum collocati sunt; qua re facile fieri poterat ut à Consulibus, haud facile discernerentur, quorum (ut dixi) singuli nominum versus tantum annum efficiebant, quare huic incommodo diligenter obuiam itum. Et primo ut à consulibus discernerentur, addita est in posteriori parte nota TR. MIL. ne annorum uero ordinem duobus uel tribus versiculis turbarent, ex utraque parte tum inter se se tum à Consulibus duabus virgulis distincti fuerunt, vt hac ratione

T. QVINCTIVS. CAPITOLINVS. AGRIPPA. MENENIVS LANATVS. hi sunt Consules.

MAM. AIMILIVS MAMERCINVS
L. QVINCTIVS CINCINNATVS TRIB. MIL
L. IVLIVS. IVLVS

M. GEGANIVS MACERINVS. L. SERGIVS. FIDENAS. hi sunt Cos. annumq; explent

Quum vero quattuor, vel sex Tribuni militum creati fuerunt, dimidium eorum ex una parte, & dimidium ex altera aequali ordine & loco notati sunt, virgulisque à se inuicem singula eorum collegia distincta, additaque nota TR. MIL. ut videri potest ab anno vrbis CCCXLVI. usq; ad CCCLX. Atque ut haec omnia paucis verbis comprehendam; primo libro, omnes annui magistratus, aequali omnes inter se ordine primae lineae coherentes descripti sunt; qui se erunt Consules, uno uersu; quum nonnisi duo simul uiuentes unquam fuerint, annua unus designatur; si ceteri magistratus, quum pluribus uersibus notati sint; unum annum integrum comprehendet, quicquid inter duas virgulas clusum est, ut in Decemuiris, sex Tribunis militum, Triumuiris Reip. constituendae cum Consulibus, & similibus; qui autem sint hi magistratus nota addita explicabit. Idem de Dictatoribus annuis, & ceteris magistratibus obseruatum est; qui quum non annui sunt paulo interius à prima linea describuntur, ut percurrenti Fastos ipsos liquebit. Haec autem omnia accuratissime obseruata fuisse didici ab antiquo tabularum Capitolinarum auctore. Anni igitur vrbis conditae, ex decennio in decennium per singula Consulum, quae uno tantum uersu notantur, & ceterorum magistratuum, quae & si pluribus uersibus describantur, virgulis tamen distinguntur, collegia; primae lineae coherentia, sunt numerandi

In Consulibus uero, quum amplius quàm duo nunquam simul fuerint, singuli uersus, siue singulum Consulum par annum integrum designat, ut sic

L. IVNIVS BRVTVS. L. TARQVINIVS COLLATINVS Anno vrbis CCXLV.
P. VALERIVS. POPLICOLA. II. T. LVCRETIVS. TRICIPITINVS Anno CCXLVI. &c.

Consules autem omnes suffecti in eum annum tribuuntur, quo consulatum inierunt ij, in quorum locum Cos. suffecti sunt, ut in primorum Consulum anno; & in anno vrbis DCCX quo Caesar Octauianus primum Consul factus est, quorum alter quinque, alter uero sex Consules habuit; in cuius rei signum, eorum qui suffecti sunt nomina paulo interius collocata sunt, quàm ea eorum Consulum, qui Kal. Ianuarijs uel anni initio annuum Consulatum auspicarunt, in cuius medio, uel parte mortuis, in reliquum anni tempus, ne Resp. siue summo magistratu esset, alii usque ad eius anni finem subrogati sunt

In Decemuiris legum scribendarum, eadem est ratio, quae & in Tribunis militum consulari potestate, nam quum decem fuissent; quinque ex uno latere, & quinque ex alio collocaui, quibus ut à Consulibus discernerentur addidi notam X VIRI. ut inter se le distingui possent, singula eorum collegia quae tria fuerunt uirgulis interpositis separaui; idque ex tabularum Capitolinarum instituto feci. Quare in enumerandis vrbis conditae annis, caute procedendum est inter annos vrbis CCC. & CCCXC. facile enim quis decipi & falli posset tot magistratuum nominibus, annorum ordinem accuratamq; consulatuũ seriem, paulatim turbantibus. Quae omnia ut facilius memoriae mandentur statui quàm breuissime repetere, & ad certas regulas reducere.

Omnes magistratus qui primo & secũdo Fastorum libris continentur, vel erunt primae lineae cõhaerentes, aequalique ordine unus post alium positi, uel non, si primo modo, erunt magistratus annui, si altero modo, non annui erunt, qui suis notis singuli insigniti sunt. Ex annuis, uel ijs erit eius magistratus index, uel non, nisi erit erunt Consules, & tunc unumquodque eorum par, siue collegium annum integrum finiet, si autem indicem habebunt erunt ij, quos index eorum aperiet, ut TRIB. MIL. vel X. VIRI. vel TRIB. PLEBIS. Tuncque lineae inter unum quodque eorum Collegium erunt positae, quibus ipsi, & anni vrbis distingui inter se possint. Post Reges exactos numero annorum vrbis conditae ex Varronis sententia, numerum annorum ex alia parte addidi, secundum tabulas Capitolinas, qui unius anni inter se discrimine uariant. Varro enim annum antecedit, dum vrbem conditam fuisse affirmauerit Olympiadis Sextae anno III. Auctor uero Fastorum Capitolinorum eiusdem Olympiadis anno IIII. vrbi à Romulo fundamenta iacta fuisse crediderit. Porro numerus dextero paginae margine locatus, tabularum Capitolinarum est, laeuo Varronis. Cur autem eos utrosque annotauerim, & de eius controuersiae caussis, latius paulo post disputabo

De tertio autem Reipublicae, hoc est sub Imp. statu pauca admodum dicenda sunt, quum omnes anni qui inter initium finemque libri secundi, id est, à Iuli Caesaris Dictatura usque ad Constantini Imperatoris obitum continentur, singulis uirgulis inter se se distincti sunt, quod ut facerem coactus fui ob rerum quae singulis annis notandae erant vbertatem. Quo autem & facilius anni ipsi enumerentur, & Consules ordinarij per quos tempora digeruntur, à ceteris dignitatibus secerni & cognosci possint, omnia Consulum ordinariorum collegia, uel nomina, paulo extra ceterorum uersuum ordinem, post Tribuniciam praesertim potestatem ineboatam notaui, ita ut in tanta nominum multitudine uno intuitu & facillime omnes singularum pagellarum ordinarij Consules uideri possint, atque a suffectorum multitudine internosci. Suffectos autem ea ratione adnotaui, qua auctorem Fastorum Capitolinorum fecisse animaduerti; singulis colegijs uel Consulibus, sui magistratus mensibus ex aduerso diligenter additis, omnibusque cum suis Consulibus ordinarijs suis uirgulis clausis

Quae vero in libris tertio, quarto, & quinto dicenda essent, quum eò perueniam demonstrabo.

In extremis paginarũ marginibus libri primi nullo magistratuum ordine, uel annorum serie turbatis, nonnulla quae uarijs temporibus Romae acciderunt memoratu digna adiunxi, hăc nimirum ob caussam, ut cum magistratuum nominibus, praeclariora quoq; eorum temporibus gesta cognosci possint, quae multarum rerum cognitionem nullo labore simul legentibus adferrent. Ludos uero omnes saeculares addidi, ex praescripto tabularum Capitolinarum, in quibus eos omnes ab urbe condita usque ad Diuum Augustum incisos fuisse liquet

Variae ueterum scriptorum de Vrbis primis conditoribus, sententiae

QVVM multae uariaeque sint ueterum Historicorum sententiae, à quibus, & quo tempore vrbs ipsa condita sit, & cur Roma appellata; quum multi ante ipsum Romulum eam aedificatam fuisse scribant; nunc rei ipsius ordo institutique mei ratio postulare uidentur, ut omnium quos uiderim uetustissimorum auctorum, de his qui vrbem condiderunt, sententias diligentissime collectas afferam; & postea eam quae communi omnium gentium, populi Romani, & maioris scriptorum partis consensu tanquam uerior, accepta est, demonstrem. Quae res historiarum Romanarum studiosis, & utilis & iocunda erit

Romam igitur (ut à remotissimis incipiam) Antigonus Italicae historiae peruetustus scriptor in Palatio conditam fuisse à quodam Romo Iouis filio scribit, quem etiam vrbi Romae à se dedisse nomen refert

Is qui Historiam Cumanam composuit, cuius nomen intercidit, alijque tradunt Pelasgorum complures Sicyone Thespiaque Graecis ciuitatibus ob domiciliorum inopiam profectos, terrarum orbem longo errore peruagasse, plurimisque bello domitis nationibus eam tandem Italiae partem tenuisse, ubi nunc Roma est, eosque à multo errore nominatos Aborigines. Hi in monte cui nunc Palatium nomen est, quo frequentissimi conuenerant vrbe condita, eam ob pugnandi robur ῥώμην appellarunt. A iuuentute uero latina Valentia à viribus gentis appellata est. Quod nomen aduentu Euandri & Aeneae in Italiam cum magna Graece loquentium copia interpretatum est, seruataque significatione impositi prius nominis, Roma iterum pro valentia dici coepta

Aristoteles Stagyrita philosophus, Heraclides cognomine Lembus, & plerique alij asserunt, Troia capta à Graeceis, quosdam ex Achiuis Ilio discedentes classem nactos, & circum Malea nauigantes hyberno tempore actos, ventorum ui tempestatibusque multis, diu in mari pererrasse, atq; ad extremum in eum locum Etruriae peruenisse, cui tunc Opice nomen erat, Tyrrheno

no mari adiacentem, deinde per Tiberim uectos in ea loca ubi nunc Roma est consedisse, ibiq; extractis ex amne nauibus aliquantulum mansisse, paratos quidem ineunte uere cursum persequi, uerum ab eorum mulieribus iam longam pertaesis nauigationem, & à mari abhorrentibus, suadente nobilissima & prudentissima captiuarum Roma, quae ijs comes erat, seruitutemque si Achiui in patriam reuerterentur timente, nocte classem incensam esse; quod factum uiris moestitiam primo attulisse, deinde necessitate coactos, circa Palatium positis sedibus struxisse moenia; & oppidum ab eius potissimum nomine appellasse, quae eius rei auctor fuisset, cuiusque consilio eas sibi firmassent sedes

Xenagoras autem historicus antiquus, Vlixis (ait) & Circes fuisse tres filios, Romum siue Romanum, Antium, & Ardeam, qui quum tres vrbes aedificassent ipsis à se nomina indiderunt

C. Sallustius Crispus in principio Catilinarij; Vrbem (inquit) Romam sicut ego accepi condidere atque habuere initio Troiani, qui Aenea duce profugi incertis sedibus vagabantur, cumq; ijs Aborigines genus hominum agreste sine legibus, sine imperio liberum atque solutum. Hi postquam in una moenia conuenere, dispari genere, dissimili lingua, alius alio more uiuentes, incredibile memoratu est, quam facile coaluerint &c

Damastes Sigaeus, alijque nonnulli Aeneam dicunt Troia capta in Epeirum, ex Epeiro in Italiam, post Vlixem uenisse, ipsiusque vrbis fuisse conditorem, nomenque Romae, ab una Iliensium mulierum, cui Romae nomen erat indidisse

Agathocles Siculus Cizicenarum rerum auctor, vaticinio Heleni Priami filij impulsum Aeneam ait, eumque Italiam terram cum nepte Roma Ascanij filia petijsse, qua ui Phryges sunt potiti, & ijs praesertim regionibus, quae nunc vrbi circumuicinae sunt, Romam Ascanij filiam Aeneae neptem primam omnium consecrasse in Palatio Fidei templum, in quo monte postea condita vrbs, Roma ab ea quae Fidei templum ibidem dedicasset appellata est

Cephalon Gergithius scriptor uetustissimus in libro quem de Aeneae aduentu in Italiam conscripsit; secunda post Troianum excidium aetate Romam conditam fuisse refert, ab ijs qui Ilio euerso cum Aenea in Italiam profecti sunt, eiusque conditorem & coloniae ducem, asserit Romum quendam Aeneae filium. Quattuor enim Aeneam filios habuisse scribit. Ascanium Enrileontem, Romulum, & Romum ipsum, qui occupato monte qui nunc Palatium dicitur, vrbem condidit, quam à nomine suo Romam appellauit. Sex tamen Pompeius Cephalonis sententiam referens, Romam non ab Aeneae filio, sed comite extructam scribit

Apollodorus in Euxenide ait, Aenea & Lauinia Latini filia, natos Maylen, Mullum, Romumque, & ab Romo vrbi tractum nomen

Alij Romam dicunt Telepho Herculis filio genitam, Aeneae nupsisse, & filium genuisse, qui urbem à se aedificatam à matris nomine Romam appellauit

Callias uero qui res gestas Agathoclis scripsit, arbitratur, è manu Troianorum Ilio capto fugientium, quandam foeminam nomine Romam fuisse, eamq; quum in Italiam uenisset, Latino Aboriginum Regi nupsisse, duosque ex ea natos filios Romulum & Romum, qui condentes vrbem, ipsam à matris nomine Romam uocitarunt

Galathas scribit mortuo Aenea, quum Regno Italiae Latinus Telemachi Circesque filius potitus esset; Isque ex Roma uxore suscepiet filios, Romum Romulumque, vrbemque in Palatio extruxisset, eam ab vxoris nomine Romam appellasse

Sunt qui Romam dicant à Romo filio Itali & Leucariae, siue Leuctrae Latini filiae conditam, atque à se Romam nominatam

Dionysius Chalcidensis conditorem vrbis Romum quendam fuisse Ascanij Aeneae filij, uel ut alij volunt Emathionis filium, à Diomede in Italiam ex Troia missum

Alcinius uero ex Tyrrenia & Aenea natum filium Romulum refert, atque eo ortam Albam Aeneae neptem, cuius filius nomine Romus, condidit vrbem Romam

Alij Romum Latinorum Tyrannum, eum qui Tyrrenos quum ex Thessalia in Italiam venissent eiecerat, vrbis auctorem fuisse scribunt

Variae ueterum Scriptorum, quis Romulus Vrbis conditor fuerit, sententiae

ALIORVM postremo verior sententia est, & vulgatior, vrbis conditorem fuisse Romulum ipsum, sed nec illi qui in ipsum (quod uerissimum est, & omnium gentium populi quae Romani opinione firmatum) huius nominis originem referunt, de illius genere satis conueniunt

Quidam etenim ipsum Aeneae filium ex Dexithaea Phorbantis filia dicunt, infantemque in Italiam transportatum, una cum eius fratre Remo, atque in fluuio exundanti submersis alijs scaphis, ea in qua erant pueri ad fluminis ripam depulsa, eos insperato incolumes seruatos, atq; quum adoleuissent Romam quod robur significat condidisse

Alii Aeneam ex Roma tres suscepisse filios Ascanium, Romulum, & Anchisem. Quo mortuo Latinorum Ascanium, Campanorum Romulum, alteriusque Italiae partis Anchisem regna suisse pisse, atq; ab ipso Romulo vrbe in fratris imperio condita, à matris nomine ipsam appellasse aiūt.

Alij vero dicunt Romam Romae Troianae filiam, Latino Telemachi filio nuptam Romulum edidisse, qui vrbe condita, ipsam à matris nomine Romam appellauit

Nonnulli ex Aimilia Aeneae & Lauiniae filia a Marte compressa, conditorem vrbis Romulum genitum scribunt

Quidam ex filia Aeneae natos Romulum & Remum produnt, datosque Latino Regi obsides eo tempore, quo Aeneas in Italiam uenit. Latinoque Rege sine mascula prole mortuo eius regni successores extitisse, vrbemque extruxisse Romam

Promathinn quidam Italicae historiae scriptor, quaedam fere fabulosa de Romuli ortu refert. Quem cum fratre Remo Tarchetii cuiusdam saeuissimi Albanorum Regis ancilla & incerto patre genitum, fluuioqne expositum, atque à lupa lacte nutritum, donec à nescio quo bubulco inuentus, cum fratre Remo seruatus sit, eumque ubi primum per aetatem licuisset, Tarchetio occiso vrbem aedificasse Romam scribit

Non omittendum autem duxi hoc loco lectores monere, me in referrendis opinionibus ueterum scriptorum; tam de conditoribus urbis quàm de ipso Romulo non sequutum fuisse eum ordinem quo ab auctoribus referuntur, sed ex antiquissimis ad recentiora tempora, ut omnia clariora essent passim deuenisse

De antiquis igitur vrbis conditoribus iuxta uarias ueterum scriptorum sententias me satis dixisse existimo. Quorum opiniones quum nec refellere, quod antiquissimae sint, nec affirmare audeam, quum tot accuratissimos & nobilissimos scriptores habeamus, qui certiora & veriora de Romulo ipso prodidisse uidentur, ea quae probabiliora sunt & plurium historicorum, testimoniis confirmata, de iis qui vrbem condiderunt breuiter in medium afferam

De Romulo Vrbis conditore

ILIO itaque, ut ad rem (quae certa existimata est) redeam, à Graecis capto, Aeneam Troianum cum magna Phrygum manu, post longos errores in Italiam uenisse, easque partes ubi nunc Roma est tenuisse, alibi ex Dionysii Halicarnassei, T. Liuii, Plutarchi, Eutropii, & aliorum ueterum scriptorum testimoniis satis explicaui. Is altero post Troiam captam anno, Lauinio urbe in Latio condita, Latinorum gentis commune cum socero Latino imperium aliquandiu tenuit. Postea uero utrisque bellnm aduersus Turnum Rutulorum Regem propter fraudatas Lauiniae nuptias fuit; In quo Turnus & Latinus occubuere, Aenea tamen uictoria potitò; qui soceri regnum suscipiens, quarto imperii sui ex quo in Italiam uenerat anno, tertio uero post obitum Latini, bello aduersus Mezentium Tuscorum Regem decessit. In cuius locum Ascanius eius & Creusae filius, cui Iulo cognomen fuisse fernnt, successit. Is Lauinio quod Regni Latini tunc sedes erat nouercae Laniniae relicto XXX. ab eius aedificatione anno iam exacto, Albam longam quam regni caput deinceps esse volnit, condidit: obiitq; anno Regni XXXVIII. superstite filio Iulo adhuc adulescentulo, quem auctorem nominis sui Iulia gens habuit. Ascanio mortuo, Postumo Siluio fratri, Aeneae ex Laninia filio Latinorum imperium traditum est, tanquàm filio mulieris quae regni haeres erat: à quo omnes postea Albani Reges, Siluii nominati sunt. Is autem ideo Siluius appellatus est, quod eum mater Lauinia post Aeneae mortem: priuigni Ascanii insidias timens, in silnis latitans enixa esset, ibique educasset. Hic quum vnde triginta regnasset annos successorem habuit filium Aeneam Siluium, cui imperii anno XXXI. mortuo successit filius Latinus, qui annos LI. regnauit. post quem Alba eius filius XXXIX. & huius filius Capetus XXVI. mox Capis duo de triginta. Calpetus XIII. & Tiberinus VIII. annis rerum potiti sunt in Latio, filius semper patri succedens. Tiberinus autem quum in amnem Albulam cecidisset ei Tiberis nomen dedit. Post eum Agrippa XL. Romulus XIX. Auentinus XXXVII. annos regnarunt; & hic in Auentino sepultus colli nomē suum reliquisse dicitur. Auentini autem filius Procas regnum annos XXIII. obtinuit. Is Numitorem atque Amulium Siluios filios procreauit. Ex quibus Numitor, quum in duas partes haereditatem partitus fuisset pater Procas, diuitiasque & aurum regno adaequasset, regnum Latinorum, maior enim natu erat, sortitus est. Aurum opesque Amulius vir vapher & malitiosus

Hic opibus paternis fratrisque inertia fretus, Numitore non longe post regno exacto, imperium inuadens id per annos duos & quadraginta obtinnit. Addensque sceleri scelus, stirpem fratris uirilem interemit, eiusque filiam per speciem honoris Vestalem legit & perpetua uirginitate spem partus ademit; ueritus ne liberi ab alterutro eorum exorti aui iniurias aliquando uindicarent. Eam autem alii Iliam, alii Rheam Siluiam appellant. Quae haud multo post ui compressa

pressa, quum geminos edidisset infantes, seu ita rata, seu quod auctor culpae honestior erat, Martem incertiae stirpis patrem dixit. Verum nec Deus nec ipsi homines illam aut filios à regia crudelitate uendicarunt, ipsa enim secundum aliquos iuxta legem uiua defossa, vel ut alijs placet, perpetuo carceri condemnata; & filij in profluentem mitti iussi. Dionysius autem ita ait; quum Ilia vestalis uirgo ad Martis lucum isset aquae purae hauriendae gratia, in templo compressa est. Sunt qui putent ab aliquo ex procis; nec desunt qui dicant ab Amulio ipso patruo & Rege, qui quum amore eius captus esset, Martis specie armatus & incognitus cum ea rem habuit. Alij à genio loci; alij vero à Sacerdote aliquo seu Pontifice eam compressam asserunt. Ego vero Romulum ipsum militis cuiuspiam filium fuisse credo, & quia milites sub Marte esse existimantur, iccirco Romuli pater Mars dictus est

Ceterum quisquis ille fuerit, certum est ipsam uirginitatis amissae poenas dedisse, filiosque in amnem mergi iussos. Quos prope Tiberis ripam expositos regiorum armentorum pastor Faustulus inuenit, atque ad vxorem suam Accam Laurentiam, nutriendos detulit. Hanc uulgato corpore inter pastores lupam uocatam scribunt Lactantius Eutropius & D. Augustinus, quam nos meretricem appellamus, vnde & nostro quoque saeculo scortorum cellulae lupanaria nuncupantur. Vnde fabulae de lupa Romuli & Remi nutrice initium ortum creditur. Haec ut breuissime ita elegantissime secundo Fastorum libro ijs uersibus explicat Ouidius

Siluia fit mater, Vestae simulachra feruntur
 Virgineis oculis opposuisse manus
Ara deae certe tremuit pariente ministra
 Et subijt cineres territa flamma suos
Hoc ubi cognouit contemptor Amulius aequi
 Nam raptas fratri victor habebat opes
Amne iubet mergi geminos, scelus unda refugit
 In sicca pueri destituuntur humo
Lacte quis infantes nescit creuisse ferino?
 Et picum expositis saepe tulisse cibos?

Hi autem pueri Romulus & Remus vt quidam scribunt ideo appellati sunt, quod lupae mamma nutriti sint, quam rumen antiqui dicebant, Graece quoque ruma dicitur à qua Romum primum deinde blandiendi caussa Romulum dictum, quòd paruulus & lactens vberibusque lupinis inhians cum fratre sit inuentus. Alij à romula arbore idest ficu, sub qua quum expositi fuissent inuenti sunt, cum lupa praebente infantibus rumen idest vberem, quae arbor ideo ruminalis dicta est, uel quod aestate sub ea pecora frigora captantia, herbasque uellentia ruminabant, uel à rumine idest mamma, quod sub ea pueri Romulus & Remus lupae rumina suggebant; vnde Ouidius II. Fastorum

Arbor erat, remanent vestigia, quaeque vocatur
 Romula nunc ficus, rumina ficus erat

Adulti autem inter pastores, ob quotidiana certamina vires & pernicitatem auxere. Igitur quum latrones à rapina pecorum ui arceret, Remus ex improuiso ab eis captus, Regi Amulio offertur, criminique ei datum, quod greges Numitoris infestare solitus esset. Tunc à Rege in ultionem Numitori traditur puniendus; qui robore & regia iuuenis adolescentia permotus, in suspicionem expositi nepotis adducitur; & quum eum nunc lineamentorum filiae similitudo, nūc expositi tempus anxium teneret, Faustulus cum Romulo superuenit, à quo cognita iuuenum origine, validaque inter ipsos coniuratione facta, Amulium obtruncant. Quo occiso, & in regnum restituto Numitore, sequenti eius recuperati regni anno, post Troiam captam CDXXXI Romulum Remumque cupido coepit, in ijs locis ubi expositi & educati fuerant, vrbem condere, maxima vicinorum Albanorum, Graecorum, pastorum, & latronum multitudine ad eos in dies confluente. Quod ubi ex sententia cessisset, ne aliqua de principatu inter fratres contentio suboriretur, iureiurando conueniunt, vt is vrbi praeesset, eique nomen imponeret cui in augurio meliores aues apparuissent, sex prius uisę Remo in Auentino auguranti uultures, sed paulo post XII. apparuere Romulo in Palatino auguria captanti; quum utraq; multitudo augurium ex sua parte traheret, utraque Regem suum consalutauit; tempore illi praecepti augurij, hi vero numero auium maiore regnum trahentes. Tunc post altercationem ad foedum (ut solet) certamen uersi, ibi in turba ictus Remus concidit. Licet vulgatior fama sit Remum ideo extinctum, quod nouos contra fratris edictum transilire muros ausus fuisset. Quare solus imperio potitus Romulus; conditaque vrbs conditoris superstitis nomine appellata est, à qua & Romanis nomen quoque inditum. Romam autem & non Romulam idcirco vrbem Romulus nominauit, ut ampliore uocabuli significatu prosperiora patriae suae ominaretur. Alterum quoq; Vrbs nomen proprium habuit, vt Plinius & Solinus scripserunt, quod publicari vetitum est; quando

quidem quo minus id enuntiaretur caerimoniarum arcana sanxerunt, ut hoc pacto notitiam eius aboleret fides placitae taciturnitatis. Valerium denique Soranum, quod optima atque salutari fide abolitum, atque contra interdictum euulgare id ausus fuisset, ob meritum prosanae uocis poenas luisse. Inter antiquissimas sane religiones sacellum colebatur Diuae Angeronae, ob hoc maxime silentium institutum, cui sacrificabatur in curia ante diem XII. Kal. Ianuari. Haec est diua praesul silentij, quae simulachrum ore obligato obsignatoque habebat. Hos igitur gemellos ita genitos, hac ratione educatos Vrbem Romam condidisse, Dioclis Piparetij, qui primus litteris Graecis vrbis originem exposuit, L. Cincij, Q. Fabij Pictoris, Eratosthenis, Polybij Megalopolitani, M. Catonis, Q. Lutatij Catuli, Cornelii Nepotis, L. Taruntii Firmani, M. Varronis, Pomponii Attici, M. Tullii, Dionysii Halicarnassei, T. Liuii, C. Solini, Plutarchi, Sex. Pompeii, Eutropii, & aliorum ueterum grauissimorum scriptorum testimoniis satis confirmatum esse existimo.

De Anno, & die Vrbis conditae

MVLTAS, & ad stuporem usque uarias ueterum scriptorum sententias esse, à quibus, & quo tempore vrbs ipsa cōdita sit, neminem priscarum historiarum studiosum existimo esse qui ignoret. Quare quum superius accurate diuersas antiquorum de urbis Romae conditoribus sententias demonstrauerim, easque quanta potui diligentia examinauerim, hoc loco res ipsa postulare uidetur, ut de tempore quoque uel anno, & die quo condita fuit, disputem, praesertim quum res omnium difficillima sit, & à nullo nostrorum temporum auctore adhuc (quod sciam) pertractata, hac enim examinatione, tota annorum & temporum series, quam mihi praecipue illustrandam proposui, quàm maxime pendet

Olympias		
VI	1	
	2	
	3	Varro. L. Taruntius
	4	Tab. Capitol. Solinus
VII	1	Cato. Dionys. Liuius
	2	Polybius
	3	
	4	
VIII	1	Q. Pictor
	2	
	3	
	4	
IX	1	
	3	
	3	
	4	
X	1	
	2	
	3	
	4	
XI	2	
	2	
	3	
	4	
XII	1	
	2	
	3	
	4	L. Cincius
XIII	1	
	2	
	3	
	4	
XIV	1	

Timaeus igitur Siculus (ut ab ijs qui communi aliorum sententiae remotius eam conditam fuisse scripserunt incipiam) vrbem ipsam à Romulo aedificatam rettulit, eodem fere tempore quo à Tyriis Carthago in Africa, octauo & XXX. ante primam olympiadem anno.

L. Cincius uir senatorii ordinis anno quarto duodecimae olympiadis

Q. Fabius Pictor rerum Romanarum grauissimus & antiquissimus scriptor in annalibus anno primo octauae olympiadis

Polybius Megalopolitanus, olympiadis septimae anno secundo

Apollodorus, Q. Lutatius Catulus, C. Cornelius Nepos, Eratosthenes Cyrenaeus, M. Porcius Cato in annalibus, Diodorus Siculus, Dionysius Halicarnasseus in Antiquitatibus, T. Liuius, & Theophilus Antiochenus olympiadis VII. anno primo

Verrius Flaccus auctor Tabularum Capitolinarum, C. Iulius Solinus, Clemēs Alexandrinus, & alii olympiad. sextæ anno quarto

L. Taruntius Firmanus, M. Terentius Varro, T. Pomponius Atticus, M. Tullius Cicero, Augustus Caesar, C. Velleius Paterculus, TI. Claudius Caesar Augustus, C. Plinius Secundus, Plutarchus Chaeroneus, Domitianus Caesar Augustus, P. Cornelius Tacitus, Cassius Diò, A. Gellius, L. Septimius Seuerus Caesar Augustus, Eusebius Pamphili Caesariensis, Paullus Orosius, Paullus Diaconus Longobardus, & post C. Caesaris Dictatoris tempora, communis populi Romani sententia, quam nos quoque sequimur, olympiadis sextae anno tertio, conditam vrbem credidere. Vbi illud non ignorandum, quod haud multo post aperiam, me annorum olympicorum initium, à Solstitio aestiuo circa cal. Iulias auspicari, qua ratione fit, ut quum dicitur, vrbem tertio, vel quarto anno sextae, aut primo uel secundo septimae olympiadum conditam, id intelligi debeat circa finem illius anni olympici, hoc est XI. cal. Mai. Anni enim sequentis principium proximo solstitio futurum erat; primumque vrbis conditae annum, si tertio sextae olympiadis cōditam crediderimus, concurrere fere integrum cum quarto eiusdem sextae olympiadis anno, duobus mensibus & aliquot diebus exceptis, qui sunt extremi anni olympici tertii eiusdem olympiadis in quo aedificatam Vrbem asserimus; ita quoq; dicendū de ceteris annis olympicis, quibus vrbs condita ex scriptorū opinionibus dicitur.

Quibus

Quibus autem in locis superiores auctores ita sensisse compererim, & qua ratione singuli adducti ita crediderint, paucis explicabo

Timaeus Siculus, nescio qua vsus ratione, vrbem ipsam à Romulo aedificatam scripsit, eodem fere tempore quo in Africa Carthago à Poeneis, octauo & trigesimo anno ante primam olympiadem, LXI. uel LXII. annis ante communem aliorum opinionem; hoc autem prodit Dionysius Halicarnasseus

L. Cincius vir Senatorius, qui bello Punico primo res Romanas Graece diligenter persequutus est, Anno IIII. duodecimae olympiadis Vrbis Romae fundamenta iacta à Romulo fuisse scripsit, ut Dionysius Halicarnasseus, & Solinus rettulerunt. Quod quibus rationibus dixerit demonstraturus, cogor prius paucula quaedam de hac tanta scriptorum in hac re uarietate praefari. Magna certe in annis ab Vrbe condita numerandis, ac digerendis inter antiquos scriptores dissensio fuit, ut uisum est. Quod & Cicero in Bruto, & T. Liuius tradunt, egoque ita esse ex uariarum supputationum obseruatione deprehendi. Omnis autem huius controuersiae caussa inde oritur quod quos alij Consules, vel sine Consulibus Dictatores, aut annos sine curulibus magistratibus, uel sine Consulibus, saepe interserunt, eos omnino alij praetereant. In annis quoque cum omnium Regum tum praecipue Romuli & Numae, maximũ est discrimen, & non modica huius controuersiae pars ex eis manauit, quod latius paulopost explicabo. Est autem varia & inconstans annorum apud omnes ratio vsque ad CDLX. annum ab Vrbe condita, uel ad Q. Appulei Pansae, & M. Valerij Corui V. consulatum. Deinceps enim nulla amplius inter scriptores est de annis contentio. Ab eo uero hanc constantem inter eos esse controuersiam inuenio, quod alij alios vno, alij duobus, alii tribus, alii quattuor, alii sex, alii XXII. annis antecedunt aut subsequuntur: Verba vero Ciceronis quibus hoc etiam confirmari potest sunt haec Liuius primus fabulam, C. Clodio Caeci F. & M. Tuditano Cos. docuit, post Romam conditam anno Quingentesimo decimo, ut hic ait quem nos sequimur, est enim inter scriptores de numero annorum controuersia. Atqui annus ille in Fastis Capitolinis est quingentesimus XIII. at uero apud Varronem & qui eum sequuti sunt Plinium & Ciceronem ipsum, DXIIII. Quare malim eo loco legere DXIII. ut est in manuscriptis libris; quoniam Plinium & Ciceronem Varronis annorum descriptionem, quae Capitolinam uno anno antecedit sequi animaduerti, Idq; de Cicerone refert Solinus. Liuius autem libro II. A. deinde Postumius, & T. Virginius Cos. facti. Hoc demum anno ad Regillum lacum pugnatum, apud quosdam inuenio. A. Postumium quia collega dubiae fidei fuerit, se consulatu abdicasse; Dictatorem inde factum. Tanti errores implicant temporum, aliter apud alios ordinatis magistratibus, ut nec qui Consules secundum quosdam, nec quid quoque anno actum sit, in tanta uetustate non rerum modo, sed etiam auctorum digerere posis. &c. Hoc autem ideo euenisse crediderim quod tarde admodum res Vrbis litterarum monimentis consignari coeptae sint. Quum enim Vrbis opes tenues essent, neque res bello paceque adeo illustres ut postea, adhuc gestae fuissent, non fuit, qui res populi Romani scriberet. Bella Samnitica confecta, Pyrrhi, & Punicum primum multos ad scribendũ inflammarunt, tum quod ingenia, quae ad eam diem rudia fuerant, armisque tantum intenta, in litteris quoque florere coeperint, tum etiam, quod crescente populi Romani imperio, & maiestate, excellentia scribendi argumenta iam haberent. Primos omnium Romanorum historiam Romanam Graece scripsisse Q. Fabium Pictorem & L. Cincium prodit libro primo Dionysius Halicarnasseus. Qui ambo eodem tempore vixerunt bello Punico primo maxime uigente circa annum Vrbis Quingentesimum Hinc igitur tanta inter scriptores controuersia orta est de Annis Vrbis conditae ante annum CDLX. Quae tempora nullos habuerunt scriptores sed tantum Annales maximos à Pontificibus describi solitos, vel libros magistratuum, siue tabulas censorias, aut acta Senatus, quae fere omnia Senonico excidio igni absumptas fuisse refert libro VI. Liuius. Post annum vero CDLX. omnia deinceps clara & manifesta sunt, atque apud omnes scriptores iidem semper sunt, & sine vllo discrimine annui magistratus. Qua igitur annorum supputatione vsus sit in perquirenda Vrbis origine L. Cincius ex historiae Romanae vetustissimis scriptoribus unus, difficile admodum intelligi potest, quum annis quinq; & viginti à Varronis sententia quam nos in Fastis sequimur differat; ex quorum summa XXV. anni eximendi sunt. Forte dici posset, nam nihil certi quod afferam, habeo, ipsum à Fastis Varronis hac ratione annos ipsos XXV. quo suam firmaret sententiam expunxisse: Primo si annos XXXVII. Romuli X. mensium lunarium faciens, ipsos ad XII. mensium redigerit, dempseritque annos sex integros, qui excident de Romuli regno si XXXVII. anni X. mensium & duo menses, (totidem enim Romulus Regnasse scribitur) redigantur ad annos solares XII. mensium, qui erunt vnus & triginta. Deinde si duos Numae, Anco vnum, Tarquinio Prisco alterum, annos, iuxta numerum, quem sequutus est in chronico suo Caesariensis Eusebius dempserit. Postea si vltimum Regum CCXLIIII. annum concurrere fecerit cum primo Consulum. Ad haec Lartii & Hermi-

nii; Camerini, & Flaui; Iuli, & Rufi; qui consulatum ante X. Viros gesʃiſſe ab aliis ſcribuntur; itemque duorum Dictatorum Anno Vrbis CCCXXCVI. reliquos quattuor poſt primum Conſulem plebeium, à Liuio quoque omiſſos, ſubſtulerit; tres uidelicet, Dictatorum cum Magiſtris equitum ſine Conſulibus, & CDXX. ſine Dictatore & etiam Conſulibus. Deinde ſi XXX. priores annos Numae X. menſium fecerit, tuncque de Numae regno quinque anni integri excident, ſi ad XII. menſium reducantur; Itemque à quinquennali magiſtratuum uacatione annum dempſerit, quod & Caſsiodorus fecit, uel eos omnes annos reiecerit, qui quinque erant, annis omnibus Numae praeter primos ſex, reſtitutis. Atque hac ratione à communi Varronis ſententia annis XXV. exemptis, vrbs illi condita erit XI. Kal. Mai, in fine quarti anni XII. olympiadis; non longe ante XIII. principium, quod proximo Solſtitio aeſtiuo futurum erat. Non poſſum autem non uehementer mirari tantam in uetuſtiſsimis ſcriptoribus, et qui eodem tempore, ut primo antiquitatum libro prodit Dionyſius, primi hiſtoriam Romanam ſcripſerunt, uarietatem, Fabio ſcilicet Pictore & L. Cincio, inter quos XIX. annorum de vrbis conditae tempore diſcrimen eſt, quum tamen ueritas una ſit. Non eſt autem exiſtimandum, quin uterque eorum non niſi certas graues ac neceſſarias plane cauſſas attulerit, quibus ſinguli ſententias ſuas confirmarint. Tamen quum L. Cincii opinio adeo ab omnium reliquorum ueterum ſcriptorum calculis abhorreat, & diſſentiat, à nobis omnino reiecta eſt, quum ſtante maxime temporum ratione, veritateque ipſa, tot grauiſſimorum eruditiſsimorumque auctorum ſententiis confirmata, uera eſſe non poſſit, quod & ſi uera certaque eſſe probaretur, ſuſcipi tamen, & immitari non poteſt, quum hiſtoricum uel ſcriptorem nullum qui ea uſus ſit habeat, praeter ipſum L. Cincium, cuius monumenta diu ante periere

Nollem autem quempiam exiſtimare, quum has ueterum uarietates enumero, examinoque, me omnibus eorum plagis mederi uelle, & à me dicta adeo rata certaque eſſe, ut aliter ſentiendi aliis rationem adimam, in his praeſertim recenſendis opinionibus, ubi ſola diuinatio locum habet. Haec enim non tam inueſtigandae ueritatis ſtudio feci, quàm amicorum quorundam poſtulatis ſatisfacturus, qui hanc diſputationem mihi quàm maxime probauerunt. Quare haec tanquam diſputandi cauſſa, ac probabilia dicta eſſe, & non ut aſſerta omnes ſciant

Multo rectius ut exiſtimo, maiorique iudicio & diligentia hoc ipſum tractauit eorundem temporum quibus L. Cincius uetuſtiſsimus ſcriptor Q. Fabius Pictor in Annalibus; qui quod uel veriſſimum eſt, uel vero proximum vrbem conditam fuiſſe ſcripſit, primo octauae olympiadis anno, ut libro primo Dionyſius, & capite II. Polyhiſtoris Solinus prodidere. Anni enim quattuor Dictatorum ſine conſulibus, item alter ſine Dictatore, & Conſulibus qui ab auctore Faſtorum Capitolinorum interſeruntur, mihi ſemper ſuſpecti fuerunt, & merito; tum quod à Liuio & forte iis annalibus quos Liuius in ſcribenda hiſtoria uſus eſt, omittantur, tum etiam quod expungendi ſunt, ut Fabii Pictoris, (cuius ſententiam uel ob eius antiquitatem, uel quod uetuſtiſsimus omnium ſit qui res Romanas ſcripſerunt, plurimi facio,) ratio in tradendis vrbis conditae annis locum habeat, quae demptis his quinque cum altero, qui à Verrio Flacco ante annum vrbis conditae CCL. omittitur, à Varrone vero additur; veriſſima erit, quum ſex annis integris Varro ab eius ſententia uariet. Animus aliquando fuit Pictoris annorum rationem in digerendis meis Faſtis ſequi, quam certe niſi veram, ceteris omnibus tamen certiorem eſſe exiſtimo, uerum quum uiderem, omnes quot quot extant hiſtoriae Romanae ſcriptores, uel Varronis ſententiam ſequi, uel vno aut altero anno tantum ab eo recedere, id facere omiſi, ne dum hac ipſa annorum ſerie eos illuſtrare nitor, ipſos potius confunderem propter vulgo receptam annorum Varronis rationem; quam omnes fere praeter admodum paucos ſequi liquet. In vniuerſali uero chronico, vbi magis ueritatis ratio habenda eſt, quàm iam receptae ſupputationis, fortaſsis Pictoris ſententiam ſequar, eamque multis praeterea tum rationibus, & coniecturis firmiſsimis, tum auctoritatibus confirmabo, quas modo recenſere non placet, quum in hiſce magiſtratuum Faſtis, eius plane ſententiam ſequendam eſſe non probauerim

Polybius Megalopolitanus, ut eſt apud Dionyſium Halicarnaſſeum libro primo, vrbem conditam fuiſſe ſcripſit VII. olympiadis anno ſecundo. Qui forte annorum ſummae, ex Varronis ſententia conſtitutae, tres annos, qui ſuperfluunt, haec ratione exemit; primo annum qui in tabulis Capitolinis deeſt, ante Annos vrbis CCL. & Annum ſine Conſulibus qui fuit CDXX vrbis conditae, & unum aliquem ex quattuor Dictatoribus ſiue Conſulibus; quibus expunctis illi vrbs condita erit anno ſecundo ſeptimae olympiadis deſiuente

Eratoſthenes Cyrenaeus, Apollodorus, & qui eos ſequuti ſunt. Q. Catulus, & Cornelius Nepos; M. item Cato, Diodorus Siculus, Dionyſius, T. Liuius, & Theophilus Antiochenus primo anno ſeptimae olympiadis deſiuente, vrbem conditam fuiſſe credidere, primumque vrbis annum, integrum ferè concurrere cum altero anno ſeptimae olympiadis. Solinus cap. II. Polyhiſtoris. Cincio (inquit) Romam XII. olympiade placet conditam, Pictori octaua, Nepoti &

ti & Lutatio, opiniones Eratosthenis & Apollodori comprobātibus olympiadis septimae anno secundo. Secundum autem dicit Solinus, quum primum dicere debuisset, vt rectius Dionysius fecit, quod quum in fine anni olympici primi vrbs condita fuisset, totus fere primus annus vrbis conditae praeter duos menses Maium videlicet & Iunium, coincidit cum secundo septimae. Quod idem obseruauit quum dixit eam conditam fuisse incipiente anno primo septimae olympiadis, quod tamen nulla ratione fieri potest, vt ostendam paulo post, quum ex eiusdem sententia in fine anni quarti sextae aedificata fuerit, ut clare ex eiusmet annorum subductione liquet. Id autem ideo dixit, quod et si vrbs in fine anni quarti sextae olympiadis illi condita fuerit, totus tamen primus annus vrbis, concurrit (ut dixi) cum primo septimae, qui proximo solstitio erat futurus, quum vrbs Parilibus, hoc est XI. cal. Mai condita fuerit. Dionysius uero libro primo ita ait: Eratosthenis perdiligentis circa priscarum originum collectionem, eam esse opinionem, quae quadringentos duos et triginta annos rebus Iliacis eam postriorem fuisse scripserit, quod tempus sub annum primum septimae olympiadis cadit. Quoniam autem (ut idem Dionysius prodit) incorruptae & germanae sunt regulae quibus usus est Eratosthenes in perquirenda vrbis origine, ideo eum Dionysio sequi placuit, eiusque sententiam multis rationibus & auctoritatibus confirmat, quas se sumpsisse dicit ex tabulis censoriis, quas filius à patre susceperit, magnique aestimabantur; veteres enim eas posteris suis tanquam sacra domestica tradebant, multosque sua adhuc aetate ex censorijs familijs superfuisse scribit, qui eas conseruarent, ex quibus precipue eas rationes decerpsit, quibus suam opinionem de primo vrbis conditae anno confirmauit, quae accurate ab eo in libro antiquitatum primo referuntur. Eamque demum olympiadis septimae anno primo conditam fuisse concludit

M. Porcius Cato in originibus licet tempus certum non distinguat, vrbem tamen conditam affirmat CDXXXII. anno post Troiae excidium cum Eratosthene, qui terminandus erat proximo VIII. Kal. Quinctilium die, quo Troia ipsa à Graecis capta est, ut Dionysius prodit. Qui etiam libro primo annum post Troiam captam CDXXXII. cum primo VII. olympiadis coincidere facit, qui una fere desinebant. Prima enim olympias ut Dionysio placet, CDIX. anno post Troiae excidium instituta fuit, ut latius inferius disputabo. Quare ex Catonis sententia cum Dionysio dici debet, vrbem ipsam conditam fuisse in fine anni primi septimae olympiadis, nam proximo solstitio aestiuo alter inchoabatur

Quamuis autem nullibi quod sciam Diodorus Siculus aperte dicat, Romam aliquo determinato anno conditam fuisse, is tamen ex eiusdem verbis & supputandi ratione facile elici potest, & si aliquando uarius & inconstans sit, sibique ipsi aliquot in locis repugnare uideatur. Hoc autem primo accipitur ex eo prohemio quod Bibliothecae, siue rerum antiquarum historiae ab se aeditae praeposuit. Ait enim: A prima autem olympiade, usque ad initium Belli Gallici, quod nos statuimus scribendi finem, anni sunt DCCXXX. Vbi mendum esse, & pro XXX. XX. reponendū satis uel ex eo liquet, quod proximam ei bello olympiadem & recte appellet CXXC. At CXXC. olympiades ex DCC & XX annis constant. A prima igitur olympiade usque ad initium Belli Gallici C. Caesaris, quod Pisone & Gabinio Cos. fuit, anni sunt finiti DCCXX. Qui annus fuit vrbis conditae ex Varronis sententia DCXCV. uertens. Ex qua annorum summa si quinque & XX. anni qui superfluunt adimantur, iique inter primam olympiadem & annum primum vrbis conditae interponuntur, vrbs ipsa constructa erit in fine primi anni septimae olympiadis, quinq; enim & xxv. anni numerantur si in singulas olympiades quattuor annos cōieceris

Hoc alia ratione confirmari potest. Ex annorum Varronis ratione primus annus Belli Gallici C. Caesaris DCCXIIX. est à prima olympiade; Ab urbe uero condita DCXCV. finitus. Quod si iuxta Diodori calculum DCCXX. esse debeat à prima olympiade, necesse est, ut biennio post Varronis computationem vrbem conditam esse dicat; Is autem erit primus septimae olympiadis, cum Varro eum tertium sextae faciat. Deinde aliis in locis, in numerorum ratione biennio differt à Varronis annorum summa; quo fit ut pro indubitato credendum sit, eum Apollodori & Erastothenis opiniones sequutum fuisse

Quam sententiam sequutus fuerit T. Liuius plane fateor me non omnino scire adeo uarius inconstansque est. Annum enim primum X. virorum alterum & trecentesimum ab vrbe condita fuisse ita scribit: Trecentesimo altero anno quam vrbs condita erat, iterum mutatur forma ciuitatis a Consulibus ad X. viros. vbi pro altero primum intelligo, ut recte in suis emendationibus demonstrauit Sigonius. Is autem numerus uerus esse non potest, nisi par Consulum à Liuio, uel potius quod magis credo librarii negligentia omissum ante X. viros addatur. Nam ducentos & quadraginta quattuor annos ferè integros Regibus tribuit: quibus exactis, usque ad X. viros quinque & quinquaginta Consulum Collegia enumerat, qui anni simul iuncti annos tantum CCXCIX. efficiunt. ita ut CCC. vrbis anno primi X. viri ex Liuii annorum summa esse debuissent, non CCCI. quae res etiam non parum me mouit, ut pro trecentesimo altero, non secundum

ſecundum ſed primum reponerem, quum is numerus eius rationi proximior ſit. Quodcunq; autem illud ſit; ſi Liuius pro certo (ut exiſtimo) affirmauit X. Viros anno CCCI. magiſtratum iniiſſe, neceſſe eſſet Liuii computationi par Conſulum addere, ex his quae in vulgatis eius codicibus omiſſa ſunt, ea autem tria eſſe ex Dionyſio liquet, Faſtiſque Capitolinis elicitur. Ego uero Lartii & Herminii Conſulatum debere reponi exiſtimo, tum quod à Caſsiodoro qui Liuium ſequutus eſt in ſuo Conſulum chronico digerantur, tum etiam quod ab omnibus hiſtoriae Latinae ſcriptoribus, Faſtorumque auctoribus ennmerentur; id quoq; ex Cicerone, & Aſconio clare eliciatur. Eos enim librariorum haud dubie negligentia non Liuii errore praeteritos fuiſſe crediderim. Qua ratione ſtante, Vrbis conditae annus primus incidet in primi ſeptimae olympiadis finem, primusque X. Virorum in CCCI. annum. Quod ſi conſulatus ille eximatur, annus quo urbs condita eſt, erit ſecundus annus eiuſdem olympiadis, ſed primos X. Viros non CCCI. ſed CCC. creatos fuiſſe neceſſe erit. Vt autem ex multis eius locis coniect, Liuius ipſe in annorum calculis non unum quempiam ſcriptorem ſequutus eſt, ſed plures, qui quum in annorum ratione uarii inter ſe ſint, effecerunt quoque ut Liuius in annorum ſumma non ſibi conſtaret. Nam alium fortaſſe auctorem ſequutus, ab eo quo Faſtos conſulares uſque ad X. viros digeſſit, annum urbis conditae CCCX. primis Tribunis militum conſulari poteſtate tribuit. Item quadringenteſimum in Sulpicii Petici III. Et Valerii Poplicolae primum conſulatum coniecit. Qui & ſi in primo anno Tribunorum militum conſulari poteſtate cum Varrone conueniat, à ſe ipſo tamen diſſentit, quod medium inter Decemuiros & Tribunos militum conſulari poteſtate annum omittit. Quod ſi pro trecenteſimo altero quis ſecundum intelligat, cum Faſtis certe Capitolinis eo loco conueniet, annusque primus Tribunorum militum cum Varrone CCCX. erit, uerum alter ex duobus reliquis ante X. Viros addendus erit conſulatus, quos Liuius conſulto omiſiſſe, alios annales ſequutus, manifeſtiſsimum eſt; tum quod quae à Dionyſio in eis quattuor annis geſta referuntur, ipſe in eos duos coniiciat qui extremi ſunt duobus conſulatibus omiſsis, tum etiam quod à primis Tribunis plebis, ad annum in quo x. primo creati ſunt, triginta ſex annos interfuiſſe ſcribat, quibus ſi ea duo Conſulum collegia, uel eorum alterum addantur, erunt ſeptem & triginta uel XXXVIII. Adde quod ſi uterque conſulatus apponatur, (neque enim uideo cur altero praeterito, alter addi debeat) X. uiros non CCCI. ſed CCCIII. magiſtratum iniiſſe oportebit. Liuium quoque diuerſos annales ſequutum plane etiam confirmatur, eo (quem dixi) Sulpicii tertio, & Poplicolae primo Conſulatu, inter quem & Decemuiros annos integros XCVII. coniecit, qui annis vrbis conditae adiuncti eum annum CCCXCIIX. non CD. faciunt; quae omnia euenerunt ob neglectam ab eo annorum rationem. Multis praeterea locis in eadem annorum ſerie Liuius a ſe ipſo diſſentire uidetur. Qui ſinguli ſuis locis enumerari poterunt

Huius claſsis fuit etiam Theophilus Antiochenus, qui libro diſputationum contra Autolycum III. ita ait: Ea tempeſtate etiam Romanorum res creſcebant, non citra auxilium dei condita vrbe à Romulo, qui filius fuit, ut aiunt Martis & Iliae, olympiade VII. Ante diem XI. cal. Maii eius anni, qui tum decem numerabatur menſibus

Hi igitur omnes ex annorum ſumma à Varrone aſſerta, forte annum ante vrbis conditae CCL ut fecit Verrius Flaccus, & alterum quempiam ex ſuperius citatis expunxerunt, quem fuiſſe crediderim CDXX. quem ſine Conſulibus ex Faſtis Capitolinis adpoſui

Altera ſcriptorum claſſis eſt quae vrbis annum primum incipiunt à fine quarti anni ſextae olympiadis, eumque fere integrum cum olympiadis VII. anno primo concurrere faciunt, ita ut quidam ex huius claſsis ſcriptoribus dixerit, eam conditam fuiſſe olympiadis VII. anno primo, quum potius, in fine quarti ſextae dicere debuiſſet. Hi autem ſunt Verrius Flaccus. C. Iulius Solinus, & T. Flauius Clemens Alexandrinus

Primus autem ex his fuit Verrius Flaccus auctor tabularum Capitolinarum, quod hac ratione colligitur. Anno ad Faſtorum Capitolinorum computationem, ab Vrbe condita DXLV: ineunte, M. Claudio Marcello V. T. Quinctio Criſpino Cos. olympias CXLIII. acta eſt. Quod libro XXVII. Liuius meminit. Ea enim (inquit qua hi Conſules erant) aeſtate, olympiae ludicrum futurum erat, maximo coetu Graeciae celebrandum, ad quod legatus. L. Manlius miſſus eſt. Eam autem fuiſſe olympiadem CXLIII. dubium non eſt, quum id ex Polybio, Dionyſio, & Euſebio manifeſtum ſit. Quater ergo multiplicatis CXLII. olympiadibus erunt anni DLXVIII. quibus de CXLIII. olympiade annectendus eſt annus primus, ut in ſolidum colligantur anni DLXIX. Ex qua ſumma detractis XXIIII. annis, ſex retro exiſtentium olympiadum, manifeſte erunt anni DXLV. quapropter quum anno poſt Romam conditam DXLV. olympias CXLIII. acta ſit, pareſt Romam in fine anni quarti ſextae olympiadis credi conditam. Non me latet quoſdam fuiſſe, qui annum quo ludi olympici CXLIII. celebrati ſunt, non Marcelli V. & Criſpini conſulatui, ſed ſequentium Conſulum adſcribant, quod tamen fieri non

poſſe

posse uerba Liuij deligenter legenti constabit. Postea Anno ex eorundem Fastorum ratione ab Vrbe condita DCCIX. uertente, ante cuius initium paulo ante C. Caesar Dictator occisus fuerat, ipso V. & M. Antonio Cos. olympias acta est. Quod Cicero ad Atticum refert libro XV. Epistola, Tandem à Cicerone; quae eo anno quo Caesar occisus est scripta fuit, vt ex Epistolarum ordine, & ex ijs quae scribit satis constat. Verba autem haec sunt: Scribe etiam quo die olympia, quum mysteria scilicet, ut tu scis, casus consilium. nostri itineris iudicabit. Dubitemus igitur, hyberna enim nauigatio odiosa est, eoque ex te quaesieram mysteriorum diem. Haec autem Epistola circa VI. nonas Iulij scripta fuit. Rem autem manifestissimam ideo quaesiuit Cicero, quod ob anni biennio ante à Caesare ordinati, nouam institutionem, quaterniones quoque olympiadum paulo mutati erant, quum à superioribus ludis ad hos, quattuor anni & aliquot menses, propter annum confusionis XV. mensium intercessissent. Atticus uero harum rerum peritissimus erat. Fuit autem olympias illa CXXCIIII. vt ex Polybij, Diodori Siculi, Dionysij & Eusebij calculis manifestum est. Quater igitur multiplicatis CXXCIII. olympiadibus DCCXXXII. anni erunt, quibus postea de CXXCIIII. olympiade addatur annus primus, ut omnino habeantur anni DCCXXXIII. Ex quo annorum numero detractis XXIIII. annis sex primarum olympiadum, reliqui erunt anni DCCIX. quare quum anno vrbis DCCIX. olympias CXXCIIII. celebrata sit, conueniens est Romam credi conditam fuisse in fine sextae, septimaeque principio

Iulius quoque Solinus Capite II. Polyhistoris, eadem ferme computatione ratiocinatur. Inquit enim: Anno vrbis conditae ex Fastis tamen Capitolinis, (quos sequutum fuisse in omnibus liquet) DCCCI. C. Pompeio Gallo & Q. Verannio Cos. olympias CCVII. actis publicis annotata est. Quater ergo multiplicatis sex ac ducentis olympiadibus, erant anni DCCCXXIIII. Quibus de CCVII. olympiade adiungendus est annus primus, ut in solidum colligantur anni DCCCXXV. ex qua summa detractis XXIIII. annis olympiadum sex retro existentium, manifeste anni DCCCI. reliqui fient. Quare qnũ DCCCI. anno vrbis conditae, olympias CCVII. acta sit, aequum est Romam VII. olympiadis anno primo credi conditam, hoc est in fine sextae & initio VII. cur vero primo dixerit superius exposui

Verrij Flacci, & Solini sententiam sequutus uidetur Clemens Alexandrinus. Is enim primo libro Stromatum. Rursus (inquit) à prima olympiade, nonnulli dicunt ad Romam cõditam colligi annos XXIIII. quibus sex fiunt olympiades, quibus fere finitis, circa XXV. initium, vrbs ipsa condita est

M. deinde Terentij Varronis, & omninm fere scriptorum qui post eum fuerunt praeter admodum paucos, quos superius enumeraui, communemque omnium sententiam fuisse constat, Vrbem conditam fuisse anno tertio sextae olympiadis desinente, atque ita in actis publicis populi Romani, senatus, & Imperatorum annotatum, & ex hac ipsa Varronis sententia annos vrbis conditae numerari coeptos, reliquis varijs scriptorum opinionibus in hac re dimissis. Qua ratione autem, & cur Varro hanc ipsam annorum seriem excogitarit, paucis aperiam

C. Caesar vir rebus pace belloque gestis clarissimus, victo pharsalica acie Cn. Pompeio, optimatum factione afflicta, Rep. oppressa, omnibusque hostibus aut domitis aut ad deditionem compulsis, post aliquot triumphos actos, multaque uarii generis spectacula populo Romano edita, Conuersus est (ut inquit Tranquillus) ad ordinandum Reip. statum, Fastosq; correxit, iam pridem uitio pontificum per intercalandi licentiam ualde turbatos, annumque ad cursum Solis accommodauit, ut CCCLXV. dierum esset, & intercalario mense sublato, unus dies, quarto quoque anno intercalaretur &c. De hac autem anni restitutione, uel potius noua institutione, latius infra disputabo. Porro in ea anni emendatione, uel circa ea tempora M. Terentius Varro, vir omnium iudicio doctissimus, diligentissimus, & Romanarum antiquitatum peritissimus multum in vrbe floruit, resque Romanas multis libris accuratissime descripsit, qui quum maximam inter auctores tum ueteres, tum suorum temporum uarietatem de conditae urbis anno considerasset, eamque rem adeo utilem & plane necessariam ignorari uidisset, (forte etiam ab ipso Caesare admonitus, qui sicut annum correxerat, ita urbis conditae certum annum haberi eumque stabilire uolebat,) omnino instituit, omnia accurate perquirere, quo nihil demum reliquum esset, quod non praetiterit in quo patriae prodesse posset. Sed quum hoc non facile tum propter uetultatem, tum propter uarias & inter se dissentientes auctorum sententias, perficere posset, id adminiculo L. Taruntii Firmani mathematicorum praestantissimi eruere instituit. Cui Varro iniunxit, ut Romuli conceptionem, & ortum, natalemque urbis in annum, diem, & si fieri posset horam deduceret, ipseque ei necessaria omnia ut ueterum memorias, & gesta subministraret. Suscepit igitur Taruntius munus sibi à Varrone impositum, ac perspectis Romuli ingenio, moribus, rebusque gestis, tum uitae tempore ac mortis genere, & pro sua sagacitate nunc diuersarum ciuitatum conferens tempora, nunc defectus, earumque interualla

ualla retro dinumerans, Solis quoque & planetarum motus ac uarietates obseruans; demum quicquid caliginis erat discussit, eruit, uerumque & lucem ostendit, per quam numerus certus non annorum modo, sed & dierum perspici potest. Hisque omnibus in unum collatis, uera ratione rettulit, Romulum ipsum primo anno secundae olympiadis à matre Ilia siue Rhea Siluia fuisse conceptum, mense Choe ab Aegyptiis nuncupato, quem nos Decembrem dicimus, X. scilicet cal. Ianuarii, hora tertia, qua Sol defecit omnino. In lucem vero editum anno sequenti, videlicet secundae olympiadis altero anno, mense Tohoth, qui September apud nos est, ad XXI cal. Octobris, circa ortum Solis. Vrbis uero fundamenta auspicato ab illo iacta esse v. Idus Pharmutbi mensis, qui Aprilis vocatur à Latinis, Parilibus, XI. scilicet cal. Mai; post secundam eius diei horam, & ante tertiam, quum duodeuiginti annos natus esset, Ioue in Piscibus; Saturno, Venere, Marte in Scorpione; Sole in Tauro; Lunaque in Libra constitutis; fuit autem is annus tertius sextae olympiadis finiens, quarti enim initium proximo solstitio aestiuo futurum erat. Nam altero secundae natus est, à quo ad tertium sextae olympiadis annum, XVIII. numerantur anni: Fuisse autem eum tertium sextae olympiadis, etiam constat, ex illo Solis deliquio, quod fuisse referunt iisdem Parilibus, quibus Romulus vrbem condidit; idque in tertium annum sextae olympiadis incidisse Antimachus Lyrius refert, qui id uidit, ut in Romuli vita prodit Plutarchus

Quantum autem Varroni tribuendum sit, ex his ueterum auctorum testimoniis colligi potest. Cicero enim in Bruto de eo ita loquitur: Quam scientiam Varro noster acceptam ab illo, auctamque per sese, vir ingenio praestans, omnique doctrina, pluribus & illustrioribus litteris explicauit. Augustinus libro VI. cap. II. de ciuitate Dei: Quis Marco Varrone, curiosius ista quaesiuit? Quis inuenit doctius? Quis considerauit attentius? Quis distinxit acurius? Quis diligentius pleniusque conscripsit? Qui tametsi minus est suauis eloquio; doctrina tamen atque sententiis ita refertus est, ut in omni eruditione quam nos saecularem, illi autem liberalem uocant, studiosum rerum tantum iste doceat, quantum studiosum uerborum Cicero delectat. Denique & ipse Tullius huic tale testimonium perhibet, vt in libris Academicis dicat; eam quae ibi versatur disputationem, se hausisse cum M. Varrone, homine (inquit) omnium facile acutissimo, & sine ulla dubitatione doctissimo. In primo autem libro quum eiusdem Varronis litteraria opera praedicaret: Nos (inquit) in nostra vrbe peregrinantes, erranteisque tanquam hospites tui libri, quasi in domum reduxerunt, nt possemus aliquando, qui & ubi essemus agnoscere; tu aetatem patriae, tu descriptiones temporum, tu sacrorum iura, tu sacerdotum, tu domesticam, tu publicam disciplinam, tu sedium, regionum, locorum, tu omnium diuinarum, humanarumque rerum nomina, genera, officia, caussas aperuisti. Iste igitur uir tam insignis, excellentisque peritiae, & quod de illo etiam Terentianus elegantissimo uersiculo breuiter ait

Vir doctissimus vndecunque Varro

Qui tam multa legit, ut aliquid ei scribere uacasse miremur, tam multa scripsit, quam multa uix quenquam legere potuisse credamus, iste inquam uir tantus ingenio, tantusque doctrina, si rerum uelut diuinarum, de quibus scribit oppugnator esset, atque destructor, easque non ad religionem, sed ad superstitionem diceret pertinere, nescio utrum tam multa in eis ridenda, contemnenda, detestandaque conscriberet. M. Fabius Quinctilianus libro X. capite primo institut. Alterum illud est prius Satyrae genus, quod non sola carminum uarietate mixtum condidit Terentius Varro uir Romanorum eruditissimus, plurimos hic libros & doctissimos composuit; peritissimus linguae Latinae, & omnis antiquitatis, & rerum Graecarum nostrarumq;, plus tamen scientiae collaturus quam eloquentiae. Et libro XII. cap. XI.: Quam multa immo pene omnia tradidit Varro. Lactantius Firmianus libro I. cap. VI. Instit. M. Varro quo nemo unquam doctior, ne apud Graecos quidem, neque apud Latinos, vixit

De L. Taruntio Firmano mathematico: Cicero secundo de Diuinatione: L. Taruntius Firmanus (Inquit) Chaldaicis sermonibus eruditus, vrbis Romae natalem diem, repetebat ab his Parilibus, queis eam à Romulo conditam accepimus. Palilia autem uel Parilia, Pales Pastorum deae festa dicebantur, quae à pastoribus XI. cal. Mai, in agris fiebant, ad lupos arcendos, morbosq; à pecore pellendos, seu pro partu pecoris, vnde & Parilia dicta. De hac re Propertius libro IIII

Vrbis festus erat, dixere Parilia patres
Hic primus coepit moenibus esse dies

Haec autem ex Solino, Plutarcho, Sex Pompeio, Censorino, & Cicerone ipso accepi

Huius autem sententiae fuisse T. Pomponium Atticum, & M. Tullium Ciceronem testatur Solinus capite II. Polyhistoris

Augustum, Claudium, Domitianum, Seuerum, & Philippum Imperatores posteriorem hanc sententiam sequutos ex ludis saecularibus ab uno quoque eorum celebratis plane constat. Nam & si Claudius Imp. (quum ut in eius uita prodit Suetonius dicere solitus esset: Augustum

suo

suo loco ludos saeculares, obseruata diligentissime temporum ratione celebrasse, quae post centum & decem annos à superioribus ludis erat) uideatur Fastis ipsis Capitolinis contradicere, quum iuxta earundem tabularum computationem Augustus annum anticipauerit, recte tamen dixit, atque ea quae uidetur, conuersia ita tolli potest. Augustus quidem annum anticipauit in ludis saecularibus celebrandis, nam quum eos edere debuisset Anno vrbis DCCXXXVII ad tabularum Capitolinarum normam, qui centesimus decimus annus finitus erat post superiores ludos saeculares celebratos, anticipato anno, eos fecit Anno vrbis DCCXXXVI. C. Furnio & C. Iunio Silano Cos. ut est apud Dionem, & Censorinum. Ex qua re maxime liquet Caesarem Augustum, animaduertisse ueteres Romanos ex Fastorum Capitolinorum calculis eos semper celebrasse anno septimo eius decadis annorum, in quo celebrari consueuissent, centum & decem integris annis interpositis, exempli gratia; Primos anno vrbis conditae CCXCVII. Secundos anno CCCCVII. Tertios anno DXVII. Quartos uero DCXXVII; quare ipsum quoque eos celebrare uoluisse anno VII. eius decadis annorum, qua suo tempore celebrandi essent, eumque rationem non habuisse superioris tabularum Capitolinarum annorum computationis, sed praesentis à Varrone adinuentae, quae annum antecedebat Fastorum Capitolinorum numerandi rationem; & ita eos celebrasse anno quidem vrbis conditae ex tabulis Capitolinis DCCXXXVI. uerum ex Varronis annorum noua deductione DCCXXXVII. atq; hac ratione, & si annum unum anticipauerit, quippe quod eos ediderit non finitio CX. more maiorum, sed CX. ineunte, septenarii tamen illius numeri ab antiquis obseruati rationem habere uoluit, qui quidem ex Varrone recte erat; eum enim urbis conditae Annum ex Varrone DCCXXXVII. uertentem numeramus. Atque hoc modo constat Diuum Augustum, annum in his ludis faciendis anticipare non curasse, ut Varronis computationem sequeretur. Idem de Claudio dici potest. Nam quum omnes scriptores eum anno DCCC. vrbis conditae se IIII. & L. Vitellio III. Cos. Ludos Saeculares fecisse scribant; si is annus ad Fastorum Capitolinorum calculos reducatur erit DCCXCIX. Quod ex Fastis ipsis clare liquet. Qui quidem annus, ex Varronis sententia DCCC. vrbis conditae est, quam in his ludis edendis Claudium Imp. sequutum fuisse constat. Hoc confirmari potest Taciti auctoritate, libro enim XI. historiae Augustae, Claudium (inquit) ludos saeculares celebrasse anno vrbis DCCC. ineunte scilicet, quarto uero & sexagesimo postquam Augustus eos ediderat. Qui LXIIII. si numerari coeperint ab anno DCCXXXVI. iuxta Fastos Capitolinos LXIIII. incidet cum DCCXCIX. si uero idem annus ex Varronis computatione à DCCXXXVII. anno auspicetur, LXIIII. incidet cum octingentesimo

Eadem ferme ratio est de ludis saecularibus Domitiani. Qui in extremo margine Fastorum Capitolinorum notati sunt anno DCCCXLI. ex Varronis annorum summa, quae si ad Fastorum Capitolinorum rationem deducantur, ut ex ipsis Consulum Collegiis, Imperatorumque annis constat, erunt DCCCXL. Neque quis mirari debet si ludi saeculares ipsius Domitiani diuersa numerandi ratione incisi sunt, quum idem etiam diu ante Domitianum Augustus obseruauerit, qui aliam annorum seriem, ab ea quae olim recepta fuerat sequutus est

Eadem dici possunt de ludis saecularibus Seueri & Philippi Imperatorum, qui superiores principes imitati, Varronis computationem sequuti sunt, ut in meis Fastis manifestum est

P. Velleius Paterculus etiam Varronem sequutus est, ut uideri potest initio libri primi historiae suae. Ait enim Vrbem in Palatio conditam à Romulo Parilibus; sexta olympiade, post duos & uiginti annos quàm prima condita fuerat, à quo tempore ad M. Vinucii consulatum, sunt anni exacti DCCXXCII. quum is Consul fuerit anno vrbis DCCXXCIII

C. Plinius Secundus Veronensis, ut ex plerisque historiae naturalis locis colligitur, huius classis fuit, & si aliquando uarius & inconstans in numeris sit, quod proculdubio librariorum uitio accidisse existimo, quum multis mendis, & ubique, & in numerorum notis refertus sit. Libro itaque primo cap. VIII. Annum vrbis conditae CXLII. Cum primo XLII. olympiadis coincidere facit. Ex qua re eum Varronem sequutum fuisse sic constat. Quater multiplicatis XLI. olympiadibus, erunt anni CLXIIII. quibus de XLII. olympiade annectendus est annus primus, ut omnino colligantur anni CLXV. Ex qua annorum summa detractis XXIII. annis sex olympiadum retro existentium, erunt anni CXLII. quare quum CXLII. anno vrbis olympias XLII fuerit. Roma quoque anno III. sextae olympiadis condita erit. Eadem subductio fieri posset, vbi IIII. annum XLVIII. olympiadis eundem facit cum anno vrbis conditae CLXX. libro primo cap. XII. Item libro eodem cap. XV. ubi primo anno olympiadis CVI. annum tribuit vrbis conditae CCCXCVIII. Idem colligi postremo potest in ex multis praeterea historiae suae locis

Plutarchus quoque in Romuli uita, de conditae vrbis anno ita scribit: vrbem igitur ad XII. cal. Mai, condi coeptam esse, opinione omnium satis constat, eumque diem Romani festum agunt, natalem patriae nuncupantes; Obseruatum autem deinceps est, ne qua, hostia Parilibus caederetur, ut dies iste sine sanguine esset, cuius significationem de partu Iliae tractam uolunt.

Pridie autem eius diei paſtoralem quádam feſtiuitatem agitábant, quae Parilia ab illis dicebatur Illum autem diem quo Romulus fundamenta vrbis iecit, x x x. fuiſſe perhibent, in eoque Lunam ex congreſſu Solis defeciſſe, quem uidiſſe ferunt Antimachum Lyrium, quum in tertium annum ſextae olympiadis incidiſſet.

P.etiam Cornelium Tacitum,hoc idem de anno vrbis conditae primo ſenſiſſe ex hoc liqnet, quod annum vrbis DCCC. eum appellat, quem ex Capitolinis tabulis DCCXCIX. fuiſſe conſtat; ex Varrone uero DCCC. licet baud dubie errore codicum libro XVII. Ser. Galbam II. & T.Vinium Cos. fuiſſe ſcribat Anno vrbis DCCCXXI. quum XXII. ſit reponendum

Varronis quoq; calculos ſequutus eſt Caſsius Diò, qui in hiſtoria Romana quoties ei annos vrbis enumerare uſu uenit, anno ſemper à iabulis Capitolinis diſcrepat,& cum annorum Varronis ſerie conuenit, ut in annis vrbis conditae DCC. & DCCXXV, Itemq; DCCC. quos ante annum eundem à Faſtis Capitolinis relatum poſuit, perinde ac ego in exteriori margine feci

Cenſorinus in libro de Die Natali hujus claſsis ſuit,ſic enim capite XIIII. ſcriptum rcliquit: Secundum Varronis de origine vrbis rationem hic annus,cuius uelut index & titnlus eſt Vlpii & Pontiani conſulatus,ab olympiade prima ∞ eſt & XIIII.A Roma autem cōdita DCCCCXCI cui olympiadum numero ſi XXIII. anni eximantur, C∞ & XCI. anni reliqui fient, qui ex tabularum Capitolinarum computatione, C∞ , tantum ſunt & XC

A.Gellium huius ſententiae ſuiſſe conſtat,ex Noctium Atticarum libro XVII.C.XXI.vbi qui bus temporibus poſt Romam conditam Graeci Romanique uiri illuſtres fuere, ante ſecundum bellum Punicum docet. In qua temporum digerenda ratione annum ſemper tabulas Capitolinas anticipat Varronem imitatus. Inter alia autem Ap. Claudium Caudicem & M. Fuluium Flaccum, initio primi belli Punici, quos Faſti Capitolini Cos. faciunt anno CDXXCIX. eos ipſe in annum CDXC.coniecit Varronis ſententiam in annis ab urbe condita ſequutus

Euſebius Pamphili Epiſcopus Caeſarienſis, idem ſentit in cbronico ſuo,qui primum annum vrbis conditae, in tertium ſextae olympiadis refert.

Idem exiſtimauit Eutropins,quum libro primo hiſtoriae ſuae ſcripſit Romulum olympiade VI.annos XVIII natum vrbem in Palatio condidiſſe

Poſtremo duo Paulli Oroſius & Diaconus eiuſdem fuerunt ſententiae, quod ex hoc conſtat, quod Eutropium uterque ſequutus eſt, & eum à quo Eutropius & alij acceperunt Varronem, quod ex plurimis eorum librorum locis maniſeſtiſsime colligitur

Porro quam ſententiam ſequutus fuerit Auſonius, qui ſe Conſulem fuiſſe ſcribit anno ∞ CXIIX. ingenue me ignorare fateor, ita enim ait

Mille annos centumque & bis fluxiſſe nouenos
Conſulis Auſonij nomen ad uſque leges

Quum in Faſtis anno vrbis conditae ∞CXXXI. referatur. Niſi eum bis Conſulem fuiſſe dicamus, primo Anno vrbis ∞CXIIX. ſuffeſtum, poſtea ∞CXXXI.ordinarium, vel eum aliam ſequutum fuiſſe annnrum in digerendis vrbis conditae annis rationem, quam nemo alius agnouit

Illud poſtremo non omittendum inter Solinum & Plutrachum de vrbis conditae die diſcrimen eſſe, quum Plutarchus pridie Pariliorum hoc eſt XII. cal.Mai, Solinus uero Parilibns ipſis ſ. XI.cal.Mai, condi coeptam ſcribant. Cum Solino ſentit Ouidius his verſibus IIII. Faſtorum

Apta dies legitur qua moenia ſignet aratro
Sacra Palis ſuberant, inde mouetur opus. Item Propertins

Parilia autem XI. cal. Mai fuiſſe ſatis ex antiquis lapideis dierum Faſtis conſtat, qui ſunt Romae apud Virum optimum Achillem Maffeum. Qnare Solino potius adducor ut credam, quàm Plutarcho. Nec tamen dici poteſt Plutarchum annorum eius temporis habuiſſe rationem, quo vrbs condita fuit, uel ante annum à Caeſare ordinatum, quum Parilia per id tempus X.cal.Mai, notari ſolita fuerint non XII. quod ſtatim poſt idus Aprılis, XVII.cal.Mai ſcriberent; poſt Caeſarem autem XVIII. ſcribi coeptum eſt, quum Aprili XXIX dierum menſi, ipſe diem addidiſſet, feciſſetque XXX

Hac itaque annorum vrbis computatione, tanquam omnium firmiſsima, diligentiſsimeq; ſtabilita, poſt Auguſtum totius populi Romani, atque omnium ferè ſcriptorum ſententia uſos demum omnes manifeſtum eſt. His autem animaduerſis ſcriptorum variis opinionibus, multae lapidum, auctorum,& aliorum ueterum monumentorum in annis vrbis conditae controuerſiae ortae, quàm facile tolli poſſunt. Quare quum duplicem annorum numerandorum praeceteris obſeruatum ordinem antiquitus fuiſſe adimaduerterim, his noſtris Faſtis, annorum quoq; ab vrbe condita duplicem numerum adiunxi, alterum ex uno, alterum uero ex alio margine, ut facillime intelligi & cognoſci poſsit, & Faſtorum Capitolinorum, & Varronis uariam eſſe numerandi rationem; tabularum autem Capitolinarum calculum ideo prae ceteris adieci; tum quod eum obſeruatnm fuiſſe crediderim ante Varronis tempora, tum etiam, quod Varronis cnius

ius ego sententiam sequi decreui, proximior est, atque in tabulis ipsis Capitolinis notatus. Quae autem ex tot de annis urbis conditae sententiis uerior fuerit, meum non est iudicare, quum omnes eruditissimos diligentissimosque assertores habuerint. Hoc autem mihi satis fuit, omnium quos extare uiderim auctorum opiniones colligisse, atque lectoribus quanta potui diligentia aperuisse. Varronis certe sententiã in his Fastis me sequi fateor, non quod ei magis quàm Fabio Pictori, vel Verrio Flacco, aut Dionysio credam, sed quod eius sententiam passim ab omnibus susceptam fuisse animaduerterim, atq; tãquàm omnium uerissimam certissimamq; obseruatam

De Anno, & eius partibus

In enumerandis auctoribus, qui de tempore vrbis conditae conscripserunt, saepius olympiadum mentio est facta, sine quarum ratione difficulter admodum vrbis origo inueniri potuisset. Et quoniam quid sit olympias, cur, quando, & à quibus initium habuerit, ludorum tempus, & alia id genus, non omnibus manifesta esse existimo, nunc locus ipse postulare videtur vt olympiadum rationem explicem. Verum quum quattuor annorum Solarium spatio olympias conficiatur, vt quae de ea tractaturus sum, facilius & commodius intelligi possint; prius de anno vertente siue Solari breuiter verba faciam; quum praesertim ad accuratam temporum cognitionem habendam, valde haec disputatio profutura sit. Adeo enim varius multiplexq; apud veteres olim annus fuit, ut totidem propemodum repetirentur annorum genera, quot gentes. Vt autem omnia distinctius accipi possint, quae de anno dicere proposui paulo altius repetam. Tempus omne in annos, menses, & dies commoda diuisione partiri, ceteris quibusque sectionibus omissis, satis constare arbitror. Annus autem vt Varro libro v. de lingua latina interpretatur, sic dictus est, quod vt paruuli circuli annuli, sic magni dicebantur circites anni; hinc etiam Seruius annum ab annulo dictum existimat, quod in se redeat quasi annulus, ad quam originem etiam Virgilius alludere videtur quum ait: Atq; in se sua per vestigia labitur annus. Sol enim per duodecim signa zodiaci excurrens annum conficit vnde apud Aegyptios, ante litterarum vsum, annus dracone caudam suam mordente effingebatur. Atteius Capito annum à circuitu temporis dictũ prodidit, quia ueteres am pro circum ponere solebant. Sex Pompeius annum ex Graeco uenire ait ἔνος, quod enim illi ἔνον nos annum dicimus; & quod nos triennium illi τρίενον. Alij annum ab annouando deducunt, quod suo naturali ordine cuncta annouet, hoc est circum nouet; alii ab am circum vt no fluo, quod circumfluat. Annorum autem duplex ratio fuit, quidam enim anni maximi, vel maiores; quidam uero minores, uel uertentes, siue Solares, aut ciuiles dicti fuerunt. Maximorum siue maiorum annorum apud antiquos diuersitas, atque de eis cognitu digna disputatio, peti potest à Censorino in libello de die natali, capite de annis maioribus, Vbi haec ipsa accuratissime tractat. Ego quoque multa de eis dixi, in libro quem de ludis saecularibus composui. Anni vero maioris tantum partes demonstrabo, quo facilius ad ea quae explicanda proposui deueniam. Annus igitur maximus, siue maior, diuiditur in aetatem, saeculum, genacam, tobileum, indictiones, aera, lustra, olympiades, siue penteteras, agones, & trieteras. Porro aetatis, genaeae, tobilei, aere, trieterisque enarrationes omittam, tum quia abunde de his Censorinus ex antiquis, ex recentioribus uerò Lylius Gregorius Gyraldus Ferrariensis conscripserunr; tum etiam, quia aliud requirant tempus, & occasionem, De saeculo autem, indictionibus, lustris, agonibus, quos Capitolinos uocant, & olympiadibus suis locis pertractabo. Hic autem primo de anno uertente, siue Solari, mox de ciuili, & praesertim Romano, postremo de olympiade ipsa agam. Annus autem uertens siue solaris est (ut inquit Censorinus) tempus illud, quo dum sol percurrẽs XII. zodiaci signa, eodem vnde profectus est reuertitur. Quot autem dierum spatio id faceret, maxima inter ueteres scriptores, & praecipue Astrologos dissensio fuit, Nec certum modum adhuc quisquam reperire potuit, licet multi multa commenti sint. Nam Philolaus Pythagoricus annum naturalem dies habere prodit CCCLXIIII. & dimidium; Aphrodus autem CCCLXV. & dierum duorum & viginti partem sexagesimam; Harpalus autem CCCLXV. dies, & horas aequinoctiales XIII. Ennius CCCLXVI. Thales Milesius CCCLXV. Hipparchus CCCLXV. dies, minus quarta parte diei. Gallenus annum credidit diebus CCCLXV. constare, & particula quadam, quae quadrante maior sit. Vettius Antiochenus in Antilogijs, annum diffinit CCCLXV. dierum, & unius septimae. Antiquiores Astrologi annum confici dixerunt diebus CCCLXV. & quadrante. Nostri temporis, quidam diligentiores Astrologi diebus CCCLXV. annum constare contendunt, horis quinq; & minutijs XLIX. ita ut singulo quinquennio hora una minus quinque minutiis superfluo intercaletur; quae in CXXXI anni spatio, diem unum conficiant; quae res multorum errorum caussa fuit. Plerique sunt, qui pro comperto habeant, annos omnes non aequales esse, quod citius interdum, interdum tardius Sol ad locum vnde digressus erat redeat; quo fit, ut sint, qui

omnino annum incomprehensibilem, & innumerabilem esse existimarunt, sed pro uero, quod proximum putabant maiores nostros amplexos esse. Quum tanta igitur inter doctissimos viros fuerit dissensio, de anno naturali: quid mirum si anni ciuiles, quos diuersae ciuitates rudes etiamnum pro arbitrio suo, sibi quaeque statuebant, tam inter se discrepent, quam cum illo naturali non conueniant? Ferunt autem in Aegypto antiquissimum annum menstruum fuisse, vt in Numa refert Plutarchus, siue bimestrem, ut prodit Censorinus, & postea à quodam Rege cui Pharao nomen fuit quadrimestrem factum: nouissime ad XII. menses & dies quinq; perductum. Herodotus uero libro II. Diodorus Siculus, Strabo, & primo Saturnalium libro Macrobius contra tradunt, antiquitus apud Aegyptios annum semper XII. mensium fuisse. Verum superiores auctores de antiquissimis Aegyptiorum temporibus, sequentes uero de recentioribus loqui existimarem; qui si ad nostram memoriam comparentur antiquissimi dici possunt, quum inter omnes gentes quarum origo uetustissima sit, se primas obtinere partes Aegyptij crediderint. Vt autem est apud Plinium; annum alij aestate unum determinabant, alii hyeme; alij uero quadripartitis temporibus sicut Arcades, quorum anni trimestres erant, Cares vero & Acarnanes semestrem annum habuisse dicuntur. Hebrei duodecim mensium ad Lunae cursum constitutorum annum habuerunt, Graeci autem CCCLIIII. dierum spatio in XII. menses diuiso annum terminabant. In Italia vero, Lauinij annum XIII. mensium ut docet Solinus habebant, qui CCCLXXIIII. diebus explebatur. Alium annum habebant Ferentini, alium Albani, qui erat X. mensium, alium Romani, alium aliae ciuitates; quibus tamen omnibus fuit propositum, suos ciuiles annos, uarie intercalandis mensibus ad vnum uerum illum naturalemque corrigere; quibus omissis ad Romani anni explicationem deueniamus

Annum uertentem Romae (ut inquit Censorinus) Licinius Macer, & Fenestella, ab initio XII. mensium esse dixerunt. Quod & si contra fere omnium scriptorum sententiam sit, mihi semper placuit; Nam certum est Troianos à quibus Albani primo, & postea Romani originem traxerunt, quum fuerint Asiatici, annum XII. mensium habuisse. neque unquam adduci potui ut crederem Albanos, & Romulum, uel à quo ille didicit Numitorem, sic rudes fuisse, ut annum tam breuem neque Solis, neque Lunae cursibus conuenire cognoscerent, praesertim quum tunc fere ubique XII. mensium annus Lunaris vsurparetur. Huic sententiae videtur alicubi assentiri Plutarchus, & praesertim in Numae; qui Romulo (inquit) regnante praeter rationem & ordinem mensibus utebantur Romani, alios enim menses dierum XX. alios XXX. alios XXXV. nonnullos uero plurium computantes, cognitionem Lunae aut Solis inequalitatis nullam habebant, sed dies tantum anni CCCLX. obseruabant, mensibus scilicet XII. In problematibus quoque in quaestione, in qua quaerit, cur Ianuarius principium sit anni, & December ultimum, idem sentire uidetur. Ex quo (inquit) nonnulli opinati sunt, veteres Romanos non XII. sed X. mensium annum complesse, & ob eam rem quibusdam mensibus, plures quàm trigintadies addidisse. Sunt qui monumentis mandarint Decembrem à Martio decimum computari, hunc & deinceps subsequi Ianuarium, & Februarium, in quo & purgationibus utuntur, & mortuis parentant anno finiente. Hunc postea ordinem mutatum esse constat, & Ianuarium primum omnium numerari coeptum, quod primo huius mensis die, quem cal. Ianuarias appellant, primi Consules exactis Regibus creati sint. & cet. Tempus autem, quo anni principium mutatum est, varie ab auctoribus proditur. Plutarchus hic velle videtur, post exactos Reges. Alii id factum Numae adscribunt, ut Iunius Gracchus, & Fuluius Nobilior. Ouidius vero secundo Fastorum id à X. Viris legum scribendarum factum referre uidetur: ita enim scribit

Sed tamen antiqui ne nescius ordinis erres
Primus ut est Iani mensis, & ante fuit
Qui sequitur Ianum, ueteris fuit vltimus anni
Tu quoque sacrorum termine finis eras
Primus enim Iani mensis, quia Ianua prima est
Qui sacer est immis manibus, immus erat
Post modo creduntur spatio destantia longo
Tempora bis quinque continuasse viri

Tamen quoniam omnium fere scriptorum consensu, de anno uetere hoc receptum est, ut X. mensium antiquitus esset à Romulo constitutus, à Martioque inciperet, huncque duobus additis mensibus Numam mutasse, Ianuario primo anni mense posito; tot & tantis grauissimis doctissimisque uiris nequaquam repugnare institui, praesertim quum antiquissimorum temporum gesta, ipsis uiciniora fuerint. Vt igitur Iunius Gracchus, Fuluius Nobilior, M. Varro, T. Liuius, Ouidius, Solinus, Plinius, Suetonius, Censorinus, Macrobius, alijque ueteres scriptores prodiderunt, antiquus annus à Romulo institutus decem mensium fuit. Vnde Ouidius primo Fastorum scripsit

Tempora

Tempora digereret quum conditor vrbis in anno
Constituit menses quinque bis esse suo
Scilicet arma magis, quam sydera Romulae noras
Curaque finitimos uincere maior erat
Est tamen & ratio Caesar, quae mouerat illum
Erroremque suum quo tueatur habet
Quod satis est, utero matris dum prodeat infans
Hoc anno statuit temporis esse satis
Per totidem menses à funere coniugis uxor
Sustinet in vidua tristia signa domo
Hoc igitur uidit trabeati cura Quirini
Quum rudibus populis annua iura daret

Hac igitur ratione quod & mulieres totidem menses ferant, totidemque funeris luctus produceretur, & tot in manibus digiti, seu quod crescendo usque ad numerum decem uenimus, postea que spaciis nouis sumitur initium. Romulum autem eum mensium numerum, ab Albanis accepisse quidam credidere. Annus autem ille decem mensium CCCIIII. diebus conficiebatur, hac (ut docent Censorinus & Macrobius) ratione: Martius, Maius, Quinctilis, & October XXXI. relqui sex, Aprilis videlicet Iunius, Sextilis, September, Nouember, & December XXX erant dierum; quorum quattuor maiores pleni, reliqui uero sex caui dicebantur

Ceterum ut Plutarchus, Solinus, & Macrobius referunt, anni initium erat à Martio, quem Marti genitori suo Romulus dicauit, ab eoque appellauit Martium, quod homo acer & bellicosus, & Marte genitum se esse existimans, patris sui nomen ceteris mensibus praeponendum esse censuit. Ouidius primo Fastorum

Martis erat primus mensis, Venerisque secundus
Haec generis princeps, ipsius ipse pater
Tertius à senibus, iuuenum de nomine quartus
Quae sequitur numero turba uocata fuit
Ast Numa nec Ianum, nec auitas praeterit in vmbras
Mensibus antiquis addidit ille duos

Et III. Fastorum, vbi inducit Romulum Marti loquentem

A te principium Romano ducimus anno
Primus de patrio nomine mensis erit
Vox rata fit, patrioque uocat de nomine mensem
Dicitur haec pietas grata fuisse deo

Martium quoque anni principium fuisse, ex hoc uel maxime probatur, quod ab ipso Quinctilis quintus est, deinde numero decurrente December solemnem circulum finiebat intra diem CCCIIII. Huius quoque mensis die prima uirgines vestales, ignem nouum aris Vestae accendebant, ut incipiente anno cura denuo seruati ignis nouati inciperet; mutabant ueteribus uirides laureas. Mercedes soluebant magistris, quos completus annus deberi faciebat, multa praeterea agebant testantia hunc ipsum mensem, olim anni principium fuisse, quae apud Macrobium primo Saturnalium uideri possunt

Porro Aprilem Romulus secundum anni mensem constituit, in Veneris honorem, ut refert etiam Ouidius, quasi Aphrilem cum haspiratione, quod Graece ἀφρὸν spumam uocant, vnde orta Venus creditur: Et hanc Romuli asserunt fuisse rationem, vt primum quidem mensem à patre suo Marte, alterum autem ab Aeneae matre nominaret. Alij dicunt ipsum ideo Veneri dicatum, quod quum praecedens mensis Marti hominum necatori dicatus sit, sequens quoque Veneri adscribi deberet, quae uim eius quasi benefica leniret. Ouidius IIII. Fastorum

Venimus ad quantum quo tu celeberrima mensem
Et vatem & mensem scis Venus esse tuos
Vt que fero Marti primam dedit ordine sortem
Quod sibi nascenti proxima caussa fuit
Sic Venerem gradibus multis in gente receptam
Alterius noluit mensis habere locum

L. autem Cincius in libro quem de Fastis conscripsit, & M. Varro, hunc mensem à Venere, quae necdum sub Regibus Romanis adhuc innotuerat nequaquam appellari posse scribunt, sed eum ab aperiendo Aprilem dictum esse scribunt, quasi Aperilem, quod ea quae hyemis tempore obteguntur, post aequinoctium vernum mense potissimum Aprili aperiantur, terraque germinare incipiat. Non tamen negat Verrius Flaccus quin postea, etiam institutum fuerit, vt & matrone Veneri hoc mense sacrum facerent

Maium Romulus tertium mensem posuit, quem vt Fuluius Nobilior in Fastis docet, eum à maioribus appellauit, posteaquam populum in maiores iunioresque diuisit, ut altera pars consilio, altera armis Remp. tueretur. Sequentem quoque in iuniorum honorem Iunium appellasse scribit Ouidius V. Fastorum

Romulus hoc vidit, delectaque corpora patrum
Dixit, ad hos vrbis summa delata nouae est
Hic sua maiores tribuisse vocabula Maio
Tangor, & aetati consuluisse suae
Et Numitor dixisse potest, da Romule mensem
Huoc senibus, nec auum sustinuisse nepos
Nec leue propositi pignus successit honoris
Iunius à iuuenum nomine dictus adest

Alij hunc mensem à Ioue dictum putant, qui à magnitudine & maiestate Mains appellatur; qui & apud Tusculanos Iuppiter Maius nominabatur. Vode Ouidius V. Fastorum

Donec honor placidoque decens reuerentia vultu
Corpora legitimis imposuere thoris
Hinc sata Maiestas, quae mundum temperat omnem
Quaque die partu est edita, magna fuit. & paulo post
His bene Maiestas armis defensa deorum
Restat, & ex illo tempore culta manet
Assidet inde Ioui, Iouis est fidissima custos
Et praestat sine ui, sceptra tenere Ioni
Veoit & io terras, coluerunt Romulus illam
Et Numa, mox alij tempore quisque suo

L. Cincius à Maia Vulcani vxore, quam Maiestam dici auctor est L. Piso, mensem hunc denominari dicit. Maiestas autem Honoris & Reuerentiae est filia, cni flamen Volcanalis cal. Mai rem diuinam facit. Alij à Maia Mercurij matre, propterea quòd hoc mense Mercatores Maiae & Mercurio sacrificare solebant. Alii inter quos est Cornelius Labeo, hunc mensem à terra dictum putant, quae à magnitudine Maia vocata est, quae & mater magna in sacris dicitur

Iunius autem ut superius ex Ouidio dixi, à populi iunioris parte dictus est. L. Cincius à Iuoone dictum putat, quod hic mensis ante Romanos, à Latinis Iunonius dicebatur, sic que apud Arricinos, Praenestinosque in Fastis relatus sit. Nisus quoque in Fastorum commentariis idem affirmat, sed post detractis qnibusdam litteris, ex Iunonio Iunius dictus est. Apud Ouidium VI. Fastorum ita legitur, Vbi Iuno loquitur

Ne tamen ignores, vulgique errore traharis
Iunius à nostro nomine oomen habet
Est aliquid nupsisse Ioui, Iouis esse sororem
Fratre magis dubito, glorier an ne viro.

Aedes autem Iunonis Monetae cal. Iunii dedicata est. Alii à Iunio Bruto primo Consule dictum existimant, quod hoc mense, id est cal. Iuniis pulso Tarquinio Rege, sacrum Carnae deae voti rens in Coelio monte fecit

Iulius qui nunc est anni septimus mensis, Iunium sequitur, qui quum secundum Romuli ordinationem, quod à primo mense Martio quinctus esset, Quinctilis diceretur, nihilominus tamen & post, praepositis à Numa Ianuario, & Februario retinuit idem nomen, quum iam quintus esse desijsset. Ouidius

Tertius à senibus, iuuenum de nomine quartus
Quae sequitur numero turba uocata fuit

Hic postea in honorem C. Caesaris Dictatoris, M. Antonio M.F. Consule legem ferente, Iulius appellatus est; quòd is hoc mense ad IIII. Idns Quinctileis procreatus fuisset

Sextus deinde à Martio sequitur Sextilis antea appellatus, quem postea in Caesaris Augusti honorem, ex S.C. Augustum uocatum fuisse constat. Cuius uerba haec fuernnt. Quum Imp. Caesar Augustus mense Sextili, & primum consulatum inierit, & triumphos tres in vrbem intulerit, & ex Ianiculo legiones deductae sequutaeque sint eius auspicia ac fidem, & Aegyptus hoc mense, in potestatem populi Romani redacta est; finisque hoc mense bellis ciuilibus impositus sit, atque ob has caussas mensis hic imperio felicissimus sit, ac fuerit; placere senatui, ut hic mensis Augustus appelletur. Item plebiscitum factum ob eandem rem Sex. Pacuuio Tribuno plebem rogante

September deinceps October & reliqui duo menses, qnod septimum, octauum, nonum, & decimum locum ab Martio obtineant, ita appellati, priscumque adhuc retinent nomen. Tiberius Caesar ut in eius uita scribit Tranquillus cap. XXVI. intercessit, & quo minus in acta sua

iuraretur

iuraretur, & ne mensis September Tiberius, October Liuius uocarentur. C. Caesar Caligula (ut Suetonius in eius uita cap. XV. prodit) Septembrem mensem Germanicum appellauit in patris Germanici memoriam

Domitianus quoque (ut idem Tranquillus in eius uitae capite XIII. refert) post duos triumphos Germanici cognomine assumpto, Septembrem, & Octobrem menses ex appellationibus suis Germanicum, Domitianumque transnominauit, quod altero suscepisset imperium, altero natus esset. Verum eo postea occiso decreto Senatus, nomen infaustum ex omni aere uel saxo erasum est, ut omnis eius memoria aboleretur; menses quoque usurpatione tyrannicae appellationis exuti sunt. Post haec fere omnes reliqui Imperatores diri ominis in fausta uitantes, mensibus ceteris prisca nomina seruauerunt. Tametsi Tacitus Imp. Sebtembrem mensem Tacitum appellari iusserit, quod eo mense & natus, & factus esset Imp. quod tamen eo mortuo antiquatum est. Omnia mensiũ nomina non tam peruerse, quàm inepte mutauit Commodus Antoninus Marci Imp. filius Augustus. Nam XII. anni mensibus has dedit ex nomine suo assumptas appellationes: Amazonius enim pro Ianuario, Inuictus pro Februario, Felix pro Martio, Pius, pro Aprili, Lucius pro Maio, Aelius pro Iunio, Aurelius pro Iulio, Commodus pro Augusto, Augustus, pro Septembri, Herculeus pro Octobri, Romanus pro Nouembri, Exsuperator uel Exsuperans pro Decembri, nominati sunt, atque ita publicis monumentis annotati: quae omnia poteft eius caedem ex S.C. abolita sunt, pristinaque mensibus nomina reddita. Haec autem fuit Anni Romulei X. mensium constitutio

Verum quum hic numerus, neque Solis cursui, neque Lunae rationibus conueniret, nonnunquam usu ueniebat ut frigus anni aestiuis mensibus, & contra calor hyemalis proueniret, quod ubi contigisset tantum dierum sine ullo mensis nomine patiebantur absummi, quantum ad id anni tempus adduceret, quo coeli habitus instanti mensi aptus inueniretur; quare non longe post, siue ut Fuluius Nobilior, Dionysius, Liuius, Solinus, Plutarchus, Censorinus, & Macrobius produnt à Numa, siue ut Iunio Gracchο placet à L. Tarquinio Prisco quinto Romanorum Rege XII. menses facti sunt, annusque ad Lunae cursum accommodatus, ut tum apud omnes fere gentes erat. Animaduertentes enim & facile ex Graecorum obseruationibus, Lunam XII suis mensibus CCCLIIII. dies absumere, prioribus CCCIIII. diebus quinquaginta primo addidere dies, quibus duodecies Lunae cursus confici crederent, annumq; CCCLIIII. dierum Graecorum more in XII. menses distinctum constituerunt. Diem praeterea unum supra Graecorum annum addiderunt, ut esset CCCLV. dierum, quod aut per imprudentiam accidit, aut quod magis creditur, ea superstitione, qua impar numerus, quàm par plenus ac magis faustus haberi, etiam ex Pythagorae instituto creditum est. Certe ad annum priorem Romuli, unus & quinquaginta dies accesseruut, qui quia duos menses non implebant, sex his cauis mensibus singuli sunt detracti dies, & ad eos addidi, factique LVII. Ex quibus Ianuarius unde triginta, & Februarius duo detriginta dierum facti sunt, aliique omnes menses pleni & impares dierum numero esse coeperunt, praeter Februarium, qui solus cauus & par, & ob hoc ceteris infaustior est habitus. Sic igitur annus coepit habere dies CCCLV. & menses XII. Ouidius III. Fastorum

Primus oliuiferis Romam deductus ab aruis
 Pompilius menses sensit abesse duos
Siue erat à Samio doctus, qui posse renasci
 Nos putat, Egeria siue monente sua

Ex duobus uero mensibus additis, alterum quem à Iano, Ianuarium uocauit primum anni esse uoluit, tanquam bicipitis dei mensem respicientem ac prospicientem transacti anni finem, futurique principia. Ouidius libro primo

Iane biceps anni tacite labentis origo
 Solus de superis qui tua terga uides. Et paulo post
At Numa nec Ianum, nec auitas praeterit umbras
 Mensibus antiquis praeposuitque duos

Secundum vero Februarium uocatum dicauit Februo deo, qui lustrationum potens creditur, lustrari autem eo mense ciuitatem necesse erat, in quo statuit etiam ut iusta Dijs manibus persoluerentur. Ouidius libro II. Fastorum

Februa Romani dixere piacula patres
 Nunc quoque dant verbo plurima signa fidem
Pontifices ab Rege petunt, & Flamine lanas
 Queis veterum lingua februa nomen erat. Et paulo post
Denique quodcunque est, quo corpora nostra piantur
 Hoc apud intonsos nomen habebat auos

Mensis

Mensis ab his dictus, secta qui pelle luperci
Omne solum lustrant, idque piamen habent
Aut quia pacatis sunt tempora pura sepulchris
Tunc quum ferales praeteriere dies

Hanc deinde anni ordinationem finitimi quoque populi sequuti sunt. Quem sic XII. mensibus distinctum accepimus. Ianuarius, Aprilis, Iunius, Sextilis, September, Nouember, December, vndetricenos; Martius uero Maius, Quinctilis, & October dies tricennos, & singulos habebant. Februario tantum XXIIX. tribuit dies, quasi inferis diminutio & par numerus conueniret, quibus is mensis dicatus erat. Quum ergo Romani ex hac Numae distributione, ad Lunae cursum sicut Graeci annum proprium haberent, necessario, & intercalarem mensem instituerunt more Graecorum. Conucuiens autem hic locus uidetur, ut de intercalatione quàm breuissime uerba faciam, qua annus Lunae cursui accommodatus ad solarem redigi solebat. Intercalo igitur uerbum à καλω verbo Graeco, quo priscos Latinos vsos esse uidemus, à quo & calendae, & curia calabra dicūtur, significat inter uoco, uel intercino; Liuius: ut intercalatae poenae usuram habeant. Intercalabantur autem hoc est interuocabantur nominabanturue dies, seu menses à pontifice, qui anno essent adiiciendi, demendiue, ut Lunaris circuitus Soli conueniret. Dies quoq; & menses interiecti, ut Lunae tempus Soli congrueret, intercalares uocati. Alij intercalo, intersero uel interpono interpretantur, qui effectum potius quàm uerbi uim attendisse uidentur. Quando uero, & quomodo, & quis primus intercalauerit apud gentes Barbaras praesertim peti potest à Lylio Gyraldo. Apud Romanos autem quando primum intercalatum sit variae refertur. Macer enim Licinius Romulo tribuit. Valerius Antias Numae Pompilio. Iunius vero Gracchus Ser. Tullio primam intercalationem assignant; alij etiam alio tempore primo intercalatum dicunt. Quod quum incertum sit obtinuit tamen Dionysio Liuio, & Plutarcho, Censorino, Gellio & Macrobio auctoribus, ut à Numa Rege id factum credatur. Quod à Graecis (ut dixi) sumptum est. Veteres enim Graeci quum animaduerterent temere se CCCLIIII. diebus annum ordinasse, appareretque ex re ipsa, Hipparchique obseruationibus, Solis cursui qui CCCLV. diebus abundante insuper & quadrantis particula, XII. Zodiaci signa conficit XI. dies cum quadrante, qui deberent interponi deesse, nimisque operosum atque difficile esse, omnibus annis vndecim dies, & quadrantem interserere, statuerunt tot annos sine aliqua intercalatione transigere, quoad oportunum tempus ad intercalandum nacti essent; obseruaueruntque tandem singulo octoennio adeo commodissimum esse tempus intercalationi, ut eo idoneis interpositionibus dierum exacto, nonoque anno incipiente, annus ad rectum tam Solis quam Lunae meatum quam rectissime reuerteretur. Quare intercalares menses hac ratione commenti sunt, ut octauo quoque anno XC. dies, quibus tres menses tricennorum dierum componuntur, intercalarent; tot enim dies conficiuntur ex quadrante & XI. diebus octies multiplicatis. Menses autem tres octauo quoque anno exacto, non unica intercalatione, sed quod commodius uisum est, duobus hoc modo interponebant. Prima enim post nouissimam intercalationem olympiade exacta, quae quattuor annorum spacio terminabatur (ex quibus si ad cursum Solis redueantur XLV. dies deficient) mensem unum XXX. dierum intercalabant, eratque annus ille quartus eiusmodi olympiadis XIII. mensium. Appellabatur autem mensis ille anno additus in Solis honorem Apollonius; quod haec intercalatio circa aestiui solstitij tempus fieret, anno quarto finito: quindecim autem dies adhuc intercalandi supererant, quos, ne contra morem quindecim, uel XLV. dierum mensem facere cogerentur, cum Luna XXX. diebus tantum cursum suum conficiat, essetque annus ille Lunae meatui accommodatus, ad sequentes XLV. dies proximae olympiadis eos protrahebant, qua exacta, quadraginta quinque eiusdem diebus intercalandis, XV. eos dies superioris olympiadis addebant, fiebantque duo menses, singuli tricenum dierum, quorum prior Apollonius in honorem (ut iam saepe dixi) Solis, sequens uero Parthenius in honorem Lunae, cuius cursui anni accommodati erant, appellabantur. Eratque annus is mensium XIIII. atque ita per singulas olympiades alternantes, modo unum, modo duos menses intercalabant, ita ut octauo quoque anno, annus ad rectissimum tam Solis, quam Lunae cursum reuerteretur. Haec autem ex auctoribus Pyndaro, & Lyeophronte collegi. Lyeophron enim Graecos (inquit) consueuisse ludos celebrare, aliquando quadragesimo nono mense finito, aliquando quinquagesimo secundum mensium varias intercalationes. Hunc itaque ordinem, quum Graecorum immitatione Romani sequi decreuissent, animaduerterunt tandem id fieri non posse: quippe illos fugit, diem unum, (ut supra dictum est) à se ad Graecum numerum in honorem imparis numeri additum; ea re per octennium conueniri numerus atque ordo non poterat. Sed nondum hoc errore comperto per octo annos nonaginta quasi superfundendos Graecorum exemplo computabant dies, alternisque annis binos & uicenos, alternis ternos uicenosque intercalares expensabant intercalationibus quat-

tuor

tuor. Sed octauo quoqne anno intercalares octo affluebant dies ex singulis, quibus uertentis anni numerum apud Romanos super Graecum abundasse iam dixi. Hoc quoque errore iam cognito haec species emendationis adducta est. Tertio quoque octennio ita intercalandos dispensabant dies, ut non nonaginta, sed sexaginta sex intercalarent, compensatis XXIIII. diebus pro illis qui per totidem annos supra Graecorum numerum creuerant. Ego uero hanc eos intercalandi rationem sequutos fuisse hoc errore cognito deprehendi. Quum enim decem dies & quadrans anno suo tantum deessent, qui singulo quadriennio unus & quadraginta dies intercalandi resurgunt, placuit ut alternis annis unus mensis, modo XX. modo unius vt XX. dierum intercalaretur; quo factum est, ut quarto quoque anno quum unus & quadraginta dies duobus intercalationibus consumpti essent, annus tunc ad Lunae cursum compositus, Solis quoque meatui conueniret. Appellabantur autem hi menses intercalares. Liuius libro XXXVII. Triumphauit (inquit) de Scipione Asiatico loquens, mense intercalario prid. cal. Martij. ita & ceteri scriptores prodidere. Porro autem omni intercalationi mensis Februarius deputatus est, quoniam is ultimus anni erat, quod & ipsum de Graecorum imitatione faciebant. Nam & ipsi ultimo anni mense superfluos interserebant dies, ut superius scripsi, Glaucippusque qui de sacris Athe nienfium scripsit, affirmat; in hoc autem à Graecis differebant, quod illi confecto ultimo mense, Romani uero non exacto Februario, sed post XXIII. diem intercalabant, Terminalibus scilicet iam peractis, ante Regifugium; deinde, perinde ac nos hoc tempore de bissexti die facimus, post intercalationem, reliquos Februarij mensis dies, qui erant quinque subiungebant, netere ea religione adducti, ut Februarium omnino Martius sequeretur: quam rationem & nostri ponti fices hoc tempore per manus traditam obseruant. Hanc antem intercalandi rationem, aliquando propter superstitionem omissam fuisse refert Macrobius; quare datum est negocium corrigendi annum pontificibus, eorumque arbitrio intercalandi ratio permissa, sed horum plerique ob odium aut gratiam, uel qno quis magistratu citius abiret, diutinsue fungeretur; ant publici redemptores in anni magnitudine in lucro, damnoue essent, pro libidine sua ita subtrahebant tempus, uel augebaut, nt intercalandi res sibi ad corrigendum mandata, uitiose deprauata sit; adeoque aberratum ut menses qui fuerant hyeme transacti, modo in aestiuum modo in autumnale tempus inciderent, neque messium feriae aestati, uel uindemiarum antumno competerent. Quare C. Iulius Caesar Pont. Max. Dictator, suo tertio & M. Aimilij Lepidi consulatu; omnem hanc inconstantiam temporum uagam adhuc & incertam incisa temporum turbatione, ex Hipparchi obseruationibus composuit, & iu ordinem statutae diffinitiouis coegit; Adhibitoque Sosigene Aegyptio Mathematicorum peritissimo, eiusque scientiae principe, simulque adnitente M. Flanio scriba, qui scriptos dies singulos ita ad Dictatorem rettulit, ut & ordo eorum inueniri facillime posset, & inuento certus status perseueraret, annum correxit, Fastisque emendatis ad uerum Solis cursum accommodauit, ut CCCLXV. dierum esset, & intercalario mense sublato, unus dies ut quarto quoque anno desinente intercalaretur, edixit. Quo autem magis in posterum è cal. Ianuarijs nobis temporum ratio congruerer, inter Nouembrem ac Decembrem menses interiecit duos alios; fuitque is annus quo baec constituebantur quindecim mensium, cum intercalario unius & uiginti dierum, qui ex consuetndine in eum annum inciderat; fuitque is annus solus CCCXLIII. dierum, qui à Mathematicis confusionis appellatus est. Nam ceteri deinceps anni CCCLXV. dierum numero, & quadrante confecti sunt. Ceterum Caesar ita annum ad Solis cursum reduxit. Intercalario enim (ut dixi) mense sublato, ne in futurum iterum erraretur, diebus CCCLV. neteris obseruationis X. addidit dies, quos per septem menses, qui unde tricenum erant dierum distribuit, ut Ianuario, Sextili, Decembri, bini accederent. Ceteris nero hoc est, Aprili, Innio, Septembri, & Nouembri singuli: eosque dies extremis mensium partibus adposuit, ne Nonarum aut Iduum religionem, quae statuto erat die, nouella comperendinatione corrumperet. Sed nec post Idus voluit interserere, ne feriarum quarumque uiolaretur indictio, sed peractis cuiuscunque mensis ferijs, locum diebus nouis fecit. Quapropter quum in septem mensibus dies singuli & triceni sint, quattnor tamen illi ita primitus instituti eo dignoscuntur, quod Nonas habent septimanas, ceteri quintanas. Februario autem mensi nullum addidit diem, ne Dijs inferis religio immutaretur. Praeterea pro quadrante diei qui annum nerum suppleturus uidebatur, instituit, ut peracto quadriennij circuitu à pontificibus, quibus boc curae esse uoluit, dies unus intercalaretur, ubi mensis quondam solebat, inter Terminalia scilicet & Regisugium, idest ante quinque nouissimos Februarij dies, idq; bissextum censuit nominandum, quia iterum repeteretur VI. cal. Martij XXIV. videlicet & XXV. die, quando ex consuetudine dies ille accidisset. Ex hoc autem anno ita a C. Caesare ordinato, ceteri ad nostram memoriam usque Iuliani appellantur: hique consurgunt ex quarto C. Caesaris consulatu, qui & si non optimi, soli tamen ad annum naturae apptati sunt. Ad quorum

rum rationem postea, non solum Itali, sed & aliae quoque nationes annos suos, ut refert Censorinus, correxerunt. Ita igitur Caesar annum ciuilem habitis ad Lunam dimensionibus olim constitutum, edicto publico palam posuit, publicauitq;. Vnde Ouidius III. Fastorum ita scribit

Sed tamen errabant etiam tunc tempora donec
  Caesaris in multis haec quoque cura fuit
Ille moras Solis, quibus in sua signa rediret
  Traditur exactis disposuisse notis
Is decies senis tercentum & quinque diebus
  Iunxit, & expleto tempore quinta die
Hic anni modus est; in lustrum accedere debet
  Quae consumatur partibus una dies

Et hucusque error stare potuisset, nisi pontifices sibi errorem nouum, ex ipsa emendatione fecissent, vitium enim in Intercalatione ab ipsis admissum est, nam quum praeceptum esset, ut quarto quoque anno scilicet exacto, antequam quintus inciperet, dies qui ex quadrantibus conficiebatur intercalaretur, illi incipiente quarto, non desinente intercalare coeperunt, ac per annos sex & triginta, quum nouem dies tantum sufficere debuissent, duodecim intercalati sunt; sed hunc quoque errorem deprehensum reformauit Augustus, qui iussit annos duodecim sine intercalatione decurrere, ut illi tres dies qui ultra nouem necessarios fuerant interiecti, hoc pacto absumi possent. Ex hac autem disciplina omnium postea temporum est fundata ratio, quae ad aeternam memoriam, aeneis tabulis incisa est; & post haec sunt anni Augustani ab Augusto, ut Iuliani à Caesare appellati, à quo tempore usque ad nostram memoriam, hac anni ratione usi sunt omnes qui orbem Romanum coluerunt; haec autem ex Solino, Gellio, Plinio, Censorino, & Macrobio excepi. Porro autem, eam unius diei ex quadrantibus constituti, quarto quoque anno intercalationem, adeo ad cursum Solis accommodatam fuisse scribit Diò libro XLIII. ut horae uix in minimo discordarent. Nam in annis ∞DLXI. vnus esset dumtaxat dies intercalandus. Quam quidem anni correctionem Caesarem ipsum deprehendisse ait, quod in Aegypto & Alexandriae sit diuersatus. Nostrae vero aetatis diligentiores Astrologi, accuratius haec considerantes, simulque anni longa obseruatione edocti, pro quadrante annuo intercalaris diei parte, non sex, sed quinque dumtaxat horas integras, & minutias circiter XLIX. intercalari deberi contendunt, constat autem hora minutijs LX. Et si hoc quod de minutijs dixi, non omnino apud omnes Astrologos idem sit. Nam ex Ptolomei sententia, quam multi sequuntur, uerus annus Solaris constat ex CCCLXV. diebus & minutijs LV. hoc est quinque minutijs minus quam intercalari consuetum est. Alij uero CCC. quoque anno, unum diem praeterea intercalarem omitti debere asserunt. Alphonsus coelestium motuum diligentissimus inuestigator affirmauit: Annum Solarem constare CCCLXV diebus, horis quinque, & quadraginta quattuor minutijs, & sexdecim secundis, ita ut ex diebus bissextilibus, centesimo quoq; & XXXIIII. anno unum diem intercalandum non esse scripserit. Vt ut illud sit, ea tamen opinio uicit, quae annum CCCLXV diebus, horis V. & minutijs XLIX. annum Solarem constare affirmauit, cuius computationis si rationem habere uoluerimus, necessario dici debet, singulo quadriennio minutias XLIIII. Superfluo intercalari, quas in annorum CXXXI. interuallo, diem integrum, qui nimio plus quam opus est intercalatur, constituere, hoc pacto constat. Quum XL amplius minutiae uel circa intercalentur singulis annis, ex eis quoque singulo quinquennio horâ vna quinque minutiis minus constituitur. Porro autem in XXIIII. lustrorum spatio, quae annos CXX. conficiunt XXIIII. horae amplius, minutijs minus CXXX. sunt intercalatae; Nam (ut dixi) uniuscuiusque quinquennij horae, quinque desunt minutiae. Ex reliquis vero minutijs quae CXX. sunt, decem annis posterioribus, reliquae uero decem sequenti superfluo intercalantur anno; ita ut infra CXXXI. annorum tempus dies unus una minutia minus (si tam subtili trutina licet omnia examinare) superfit. Ab anno igitur primo Iuliano, qui quartus & quadragesimus fuit ante Christum natum, usque ad praesentem annum, qui est ∞DLVIII. agitur annus ∞DCII. Ex qua annorum summa per CXXXI. annos partita duodecies centum, & XXXI. annus resultat, ita ut XII. dies abundantius ab anno Iuliano primo, usque ad annum Christi ∞DXXIIX. In quo duodecies centesimus & XXXI. annus exactus fuit, intercalati sint; Quare ut annus denuo (ex horum sententia) ad uerum Solis cursum reduci posset, debuisset in fine anni ∞DXXIIX. videlicet XIIII. cal. Ianuarij; Anni ∞DXXIX. initium sumi, duodecim diebus, qui affluentius à Caesare usq; ad nostrum tempus intercalati sunt, absumptis; aut per octo & quadraginta annos sequentes nullus annus bissextilis esse deberet, ut duodecim illi dies absumi possent. Tertiaedecimae autem partis videlicet CXXXI. annorum iam agitur annus XXXIIII. Hanc rem ex parte explicare uidetur Theodorus Gaza quum ait: Satius esse in quadriennio unum

diem intercalarem facere, unumq; CC.ferme anno omittere. Quod diuersum uidetur ab eo quod Diò scripsit. Hoc etiam innuere uidetur apud Ptolomeum libro V.cap.II. Almagesti Hipparcus, uir (ut ipse ait) & industriae magnae, & ueritatis amicus, quem hoc maxime in dubitationem impulisse scribit de annuo tempore, quoniam per reuolutiones quidem Solis, quae in Solstitijs & aequinoctialibus punctis fiunt, minus inuenitur tempus annuum CCCLXV diebus, eaque quarta additione; fierique non posse existimat, illius ueram & germanam quantitatem nancisci; argumenta quoque plurium annorum à quarta deficere compertum esse: harum tamen inaequalitatum errorem magis obseruationum, quàm rei esse se existimare refert. Hinc ortam esse existimo eorum opinionem, qui ut est apud Censorinum, annum incomprehensibilem & innumerabilem esse existimauerunt, ita ut certa syderum tempora tradi non possint. Artificiale namque tempus, quo metiri conamur Solis & ceterarum planetarum cursus, coelesti Syderum motui exacte applicari non potest, quum sit inmensurabilis. Pro uero autem, quod proximius est tempus Solis meatui adscribi posse existimo, ut Caesar in anni emendatione, & alii ueteres astrologi fecerunt, qui ad cursum Solis annum reducere operam nauarunt. Hoc autem accurate historiae naturalis libro XVIII.cap.XXV. docet Plinius. Primum omnium (inquit) dierum ipsorum anni, Solisque motus, prope inextricabilis ratio est: ad CCCLXV. dies adijciunt etiamnum intercalaris diei, noctisque quadrantes. Ita fit, ut tradi non possint certa syderum tempora. Accedit confessa rerum obscuritas, nunc praecurrente, nec paucis diebus, tempestatum significatu quod prochimazin Graeci uocant, nunc post ueniente, quod epichimazin; & plerunque alias citius, alias tardius coeli effectu ad terram deciduo &c. & paulo post: Res anceps primum omnium à coelo peti legem, deinde eam argumentis esse quaerēdam Super omnia est mundi conuexitatis, terrarumque globi differentia, eodem sydere alio tempore alijs aperiente se gentibus, quo fit ut caussa eius non ijsdem diebus ubique ualeat. Addidere difficultatem & auctores, diuersis in locis obseruando, mox etiam in ijsdem diuersa prodendo. Tres autem fuere sectae; Chaldaea, Aegyptia, & Graeca. His addidit apud nos quartam Caesar Dictator, annos ad Solis cursum redigens singulos, Sosigene perito scientiae eius adhibito: Et ea ipsa ratio, postea comperto errore correcta est; ita ut XII. annis continuis non intercalaretur, quia coeperat sydera annus morari, qui prius antecedebat. Et Sosigenes ipse trinis commentationibus, quamquàm diligentior esset ceteris, non cessauit tamen addubitare ipse se met corrigendo

De Olympiade

PERACTA de anno vertente, siue solari disputatione, nunc superest ut de anno Olympico differamus, cuius cognitio in hisce Fastorum libris adeo necessaria est, vt absque ea recta temporum ratio percipi nulla ratione possit. Anni maioris, siue maximi, (ut altius repetam) cuius pars Olympias est, tempus, adeo diuersum apud antiquos fuit, vt alij annum vnum magnum annis vertentibus duobus; alij multis millibus annorum constare arbitrati sunt: de quibus omnibus disputationes tanquam adhuc minime necessarias hic omittens, de Olympiade tantum, quum per eas Graeci tempora sua digesserint, verba facere institui. Quae autem de ea explicare proposui haec ferme sunt. Vnde dicta sit, quot annis terminaretur, à quibus initium habuerit, qua anni parte celebraretur, & alia eiusmodi. Olympus igitur nomen est montis in Graecia, vt prodit Plinius, cuius vertex vsque adeo attollitur, vt cacumen eius in colae coelum tangere putarint, propter quod poetae coelum olympum nominarunt. Dictus est autem quasi ὅλος λαμπρός; hoc est totus fulgens, quia semper Solem clarum habet, nullisque propter altitudinem nubibus offuscatur: de quo ita Lucanus

Nubes excedit Olympus

Inter quem montem & alterum cui Ossae nomen erat, vrbs fuit à monte vocabulum trahens Olympia dicta, mercatu totius Graeciae, & maxima ludorum quadriennalium celebritate clarissima: de qua ita Cicero primo Tusculanarum Quaestionum scribit: Quum Olympiam (inquit) venisset in maxima illa quinquennali celebritate ludorum. Item de senectute: Olympiae per stadium ingressus esse dicitur Milo, quum humeris bouem sustineret viuum. Strabo quoque libro VIII. huius vrbis mentionem facit. In cuius agro inter duo praeclara Graeciae oppida, Elidem & Pisam, iuxta Alphaeum amnem, haud procul ab Olympi montis radicibus templum fuit uetustissimum, ut Plinius & Diodorus prodidere, & maximum, plurimis picturis, speciosissimisque statuis ornatum, ab Elide stadijs fere CCC. distans, quod in honorem Iouis qui à monte Olympius dicebatur, antiquitus Deucalionem aedificasse uulgo proditum est. Quamuis alij, & templum & Iouis signum, de manubijs ab Eleis dedicatum fuisse scripserint, Pisaeis aliisque finitimis gentibus, qui rebellauerant bello superatis, ac Pisa ipsa direpta. Quod postea vetustate

collabens

collabens Imp. Caesar Hadrianus Augustus ad quattuor stadiorum ambitum ampliatum restituit, dedicauitque in eo signum, quod magnitudine cum Romanis & Rhodijs colossis conferri poterat. In eo quoque erat celeberrimum Iouis olympii simolachrum; cuius quidem vt Pausanias scribit, os tantum auro & ebore fabrefactum erat, reliquum vero corpus e gypso,& fictili materia; quod opus fecisse refert Theocosmum Eliensem, adiuuante Fidia. In templi autem postica parte,multo tempore tigna quaedam stetisse scribit duntaxat informata,quae Theocosmus auro & ebore fuisset ornaturus, ad signum Iouis absoluendum. Strabo autem libro VIII. Iouis Olympij solidam ex auro statuam elegantissime a Fidia factam fuisse scribit. Plinius vero eam ex ebore à Fidia sculptore factam prodidit his verbis: Minoribus inquit simulachris,signis que innumera prope artificum multitudo nobilitata est. Ante omnes tamen Fidias Atheniensis, Ione olympiae facto ex ebore quidem &c. Ceterum simulachrum ipsum, siue ex auro, uel ebore, aut ex fictili materia fuerit, omnia enim varijs temporibus vera fuisse existimo, à Fidia factum inscriptio ad Iouis simulachri pedes posita testabatur. FIDIAS. NE. CHARMIDAE. F. ATHENIENSIS. F. Templi autem ipsius dorica exaedificatio erat, ambitusque exterior columnis in orbem dispositis exornatus; parietes e marmore pario structi, pedum LXVIII. altitudine,XCV. latitudine,CCXXX. longitudine.Operi Architectus praefuit Libo vir indigena: tectum erat non coctili imbrice, sed caeso ad tegulae formam ex lapidicinis Pentelicis. Multis aureis, argenteis, & aeneis clypeis clarorumque uirorum. simulachris, qui in ludis olympicis uictores extiterant refertissimum erat. Quae omnia diligenter referuntur à Pausania libris V.& VI. Porro ante hoc templum lucus agresti olea septus surgebat, in quo patentibus campis stadium erat,vbi ludi in honorem Iouis Olympii celebrabantur Olympici appellati.Fuit autem is locus omnium quae in tota Graecia erant clarissimus, in quo mercatus maximus gymnicumq; certamen constituta fuere, quae quinto quoque anno inchoante,& quarto finito fieri solebant. quod quattuor annorum exactorum interuallum inter ipsos ludos praefixum olympias appellabatur à ludis nomen accipiens, quod ad ordinem temporum digerendum postea usurpari coeptum fuit. Hinc error eorum manifestum est, qui olympiadem dicunt, quinque annorum spatium explere, lustrumque à Romanis appellari contendunt, quum aperte ex Polybio, Dionysio, Solino, Phlegonte, Plinio, Africano, Gellio, Eusebio, Hieronymo, Suida, Isidoro, & alijs innumeris scriptoribus constet, annorum tantum quattuor spatio olympiadem finiri; lustrum uero ut colligitur ex omnium ueterum auctorum monumentis, & praesertim ex tabulis Capitolinis, pro quinque annorum exactorum interuallo accipi solitum fuerit. Quae enim inter lustrum & olympiadem, uel nominis significatione, uel numerandi ordine, uel instituti ratione conuenientia? Quum olympias quattuor annos nunquam excesserit, inter duo uero lustra, ut in pluribus quinque, uerum aliquando VII. aliquando X. aliquando XVII. anni intercessisse tradantur. Praeterea illa ad temporum rationem,ludorum & sacrificiorum solemnitatem, mercatus commoditatem; hoc autem ad ciuium censum, redditumq; aestimationem inuenta fuerint. Quamuis tamen lustrum pro quinquennio finito postea acceptum sit,quod ea lege prius institutum fuit, ut singulo quinquennio redeunte condereretur. In hoc autem uno tantum ea conuenire constat, quod utraque anni magni dici possunt, quae tamen tenuis admodum conuenientia est. Olympias etiam alio vocabulo penteterida à Graecis uocabatur,quod quarto quoq; anno completo, & quinto ineunte reuerteretur tempus ludorum. Hunc autem quattuor annorum curriculum olympiadem appellatum, maxime à Graecis ludorum, & mercatus interpositione diligentissime obseruatum constat. Cuius exemplo apud Romanos, Nero primum, postea Domitianus Imperatores Agonem Capitolinum quinquenalem instituerunt triplicem musicum, gymnicum, equestrem; qui sub Domitiano inchoatus accuratissime usq; ad Constantini Imp. tempora Romae obseruatus est, singuloque quadriennio celebratus: De quo suo loco latius disseretur. Isaacius Argyrus in commentarijs quos in poetam Lycophrontem edidit, quinquagesimo quoq; mense olympiacum Agonem magno Graecorum conuentu celebrarum prodidit. Isidorus quoque Etymol. libro V. Olympias (inquit) apud Graecos constituta,apud Elidem Graeciae ciuitatem, Eleis agentibus Agonem, & quinquennale certamen, quattuor medijs annis uacantibus, & hoc ob Elidum certaminis tempus olympiadem uocauerunt; quadriennio in una olympiade supputato. Hoc autem ideo attuli, quod sint nonnulli Grammatici, & celebriores, ut Lactantius Coelius in primo Theb. qui ita scribunt. Quinto finito anno agon olympicus fiebat, quo loco quarto potius legendum fuit, siue quinto quoque anno incipiente, non finito; sicut etiam clare sonare uidentur verba Senecae in Hercule furente

Qualis Eleum coijt ad Tonantem
Quinta quum sacrum reuocauit aestas
Claudere lustrum

Non

Non enim de perfecto quinquennio loquitur, sed incoepto. Nescio autem cur Ouidius in libris de Ponto ad Brutum olympiadem quinquennem uocarit, quum scripsit

In Scythia nobis quinquennis olympias acta est
Iam tempus lustri transit in alterius

Vbi existimo Ouidium improrie admodum olympiadem pro lustro accepisse, quum utraque sint anni maiores. Vel forte ac si dixisset, alijs olympias quattuor tantum annorum est, mihi uero in exilium acto olympias quinquennis est acta, scilicet quintum iam annum in exilio ago. Quattuor autem annorum interuallo, ideo potissimum olympiadem terminari uoluerunt, quod quum ueteres Graeciae ciuitates animaduertissent annum Solarem constare diebus CCCLXV. & diei parte circiter quarta, id tempus commodissimum esse arbitrati sunt, quo quattuor anni integri cum eorum quadratibus expleti, annus Lunae, quem obseruabant, ad rectum Solis cursum ex ea unius diei intercalatione quarto quoque anno reuerteretur, integerque & perfectus annorum Solis & Lunae ordo singulo quadriennio transigeretur, ut latius superius explicaui. Olympicorum autem ludorum originem ab Eleis, qui maxime rerum priscarum memoriam consectabantur, hanc fuisse proditum est. Hi enim Saturnum primum omnium, rerum porltum fuisse, eique in olympia ij homines, quod aureum genus nuncupatum est fanum primo dedicasse scripserunt; post haec recens natum Iouem Rheam matrem Dactilis Idaeis, siue fratribus Cureti bus, (ij fuerunt Hercules, Poconeus, Epimedes, Iasius, & Idas) commendasse; uenisseq; eos postea ab Ida Cretae monte in Elidem; ubi Hercules inter ipsos natu maior, dum luderet, fratribus ipsis cursus certamen proposuisse; victoremque se tunc primum quum oleastri corona redimiri uoluisset id ludicrum tum instituisse, prodiderunt. Auctor igitur ludorum Hercules Idaeus celebratur, à quo sunt olympici appellati, & ob eam rem tum quinquennales esse placuit, quod fratres quinque numero fuere. Sunt qui Iouem cum Saturno de Imperio hoc ipso loco colluctasse dicunt. Alij debellatis Tytanibus à Ioue ludos institutos, quibus & aliquos uicisse narratur. Mercurum enim cursu, Martem uero pugillatu ab Apolline uictos fuisse, eumque ob id primas olympicas palmas tulisse refertur. Haec autem sunt, quae de prima & antiquissima horum ludorum origine prodita fuere. Quinquaginta autem annis post Deucalionis diluuium, Clymenum Cardis filium ab Idaeo Hercule oriundum, aiunt, quum è Creta Elidem uenisset, ludos cum alijs Curetibus in olympia in honorem proaui Herculis restituisse, quum ibidem ei aram erexisset. Clymeno ab Endimione Aethelij filio, Iouis nepote, regno pulso, quum ipse Eleorum regnum obtinuisset, tertius olympia celebrauit; proposuitq; de imperio filijs Poconi, Epeno & Aetholo cursus certamen, in quo quum Epenus uictor euasisset, regno post patris mortem potitus est. Multis post Endimionis obitum annis, Pelops Lydus, Oenomao Alexionis filio, Eleorum regno exacto, quum ipse principatum obtinuisset, omnium qui ante se fuerũt maxime memorabiles ludos Ioui olympio instaurauit. Post eum eosdem ludos renouarunt communi consilio Pelops alter & Pelias. Augeas quoque Elei filius, post hos olympicum ludicrum egit. Hercules etiam Iouis Alcmenaeque Amphitrionis vxoris filius, Elide capta, equorum, quadrigarum, caestuum, & palaestrae certamen olympicum primus edidit, quum superiores ludi cursus tantum, uel pugillatus certamine fere semper transacti essent. In his uero ludis, quadrigis Iolaus Herculis Auriga, equis Iasius Arcas, vnus ex Tyndari filijs cursu, Pollux uero caestibus uicere, & coronis ab Hercule omnes donati sunt. Quod ludicrum ut Plinius, Strabo, & Diodorus scribunt Ioui patri; uel ut Solinus prodit in honorem attaui materni Pelopis, instituit; ubi & ipse coronatus fuit, quum lucta & pancratio uicisset. Locum vero optimum & clarissimum, ad tantos hominum conuentus celebrandos, totque certamina statuenda quaerẽs, campos iuxta Alphaeum amnem sitos, inter oppida Elidem & Pisam ad radices mõtis Olympi elegit; in quibus palaestram, & reliqua certamina primus instituit: atque quum fortissimum quemque ac robustissimum prouocaret ad luctam, nullusque certantium propter singularem eius uirtutem secum congredi ausus esset, primus sine pugna uicit. Hoc autem ludicrum ab Hercule actum omnium fuit praestantissimum, quod & à magno uiro initium habuerit, & multa praeterea noua certamina instituta fuerint. Illud autem iussit Hercules in posterum stato tempore aliquibus annis interiectis semper celebrari. Non longe post Herculem Oxillus Haemonis filius Eleorum Rex ludos fecit olympicos. Post Oxillum olympia temporum iniuria diu intermissa sunt, usque ad Iphiti Eleorum Regis tempora. Is filius fuit Haemonis ut proditum est ex inscriptione statuae, quae in olympia ei facta fuit, uel ut prisca Eleorum monumenta testantur Praxonide, qui ab Oxillo quoque oriundus erat. Hic autem, quum Graecia omnis intestinis seditionibus, & pestilentia prope deleta esset, consulendum earum calamitatum remedio Apollinem Delphicum censuit: Cui Daemon respondit: Expedire ab Iphito & Eleis olympiacos ludos instaurare, quare post annos CDXXVII. ut Clemens Alexandrinus, uel

& homines inducerentur in stadium. Pancratiastae deinde sub noctem prodibant, quum dies equiriis & quinquertio consumatus esset. De pancratiastis ea olympiade palmam tulit Callias Atheniensis. Hoc autem ludicro exacto finis erat olympiorum, sequentibus enim diebus nundinis & mercatui intenti erant. Eorum autem qui in agone olympico uictores extitissent praemium fuisse propositum vt Pindarus quidem, Herodotus, & Pausanias prodidere oleastro, vel vt Aristoteles olea, quae philostephanus dicitur, coronari. Non enim pecuniae certamen agitabant sed virtutis. Cicero de oratore. Et Horatius libro Epistolarum primo Ep. prima

Qui circum pagos & circum compita pugnax
Magna coronari contemnat olympia cuspex
Cui sit conditio dulcis sine puluere palmae

Plinius libro XV. cap. IIII. Athenae quoq; victores olea coronant, Graeci vero olympiae oleastro. Fabulis enim receptum est ab Hercule primum oleastrum delatum fuisse in Graeciam ex Hyperboreis regionibus, eoque quum victor extitisset se primum coronasse, iussisseque in posterum reliquos uictores in agone olympico eodem oleastro coronari. Eorum etiam qui olympiae vicissent statuas decerni mos erat, ut Pausanias & Plinius scribunt. Effigies (inquit Plinius) hominũ non solebant exprimi, nisi aliqua illustri caussa perpetuitatem merentium, & primo sacrorum certaminum victoria, maximeq; olympiae, ubi omnium qui vicissent statuas decerni mos erat: eorum vero qui ibi ter superassent, ex membris ipsorum similitudine expressa, quas Iconas vocant. Et Cicero pro Flacco Accinas (inquit) pugil olympionices, quod est apud Graecos prope maius aut gloriosius, quam Romae triumphare. De his autem qui ludis Iudices praeerant, non semper uno modo obseruatum est. Nam à prima olympiade usq; ad quinquagesimam Iphitus & eius posteri ludis praefuerunt. Quinquagesima vero olympiade Duum viri ab Eleis designati olympiorum curam habebant. LXXV. olympiade ad IX. Virorum numerum aucti sunt, Hellanodice appellati. Quorum tres de equorum cursu, totidem de quinquertio, ceteri tres de reliquis certaminibus cognoscebant. LXXVII. vero olympiade designator decimus additus X. Virique facti. Post centesimam olympiadem, quum in Tribus XII. Elei diuisi essent, statutum est, ut singulae tribus suum darent ludorum cognitorem, atque XII. Iudices constituti. Afflicti post haec Arcadum bello Elei & agri parte mulctati, tribubusque quattuor imminutis, ad octo cognitores redacti sunt, olympiade CIIII. Olympiade deinde CVIII. pristinus X. Virorum numerus restitutus. Idemque semper mansit quoad ludi olympici acti sunt, quos fieri desisse cõstat Magni Imp. Constantini tempore, qui quum Christi Sanctissimam religionem amplexus fuisset, multa veterum sacra, ludos, & ferias, edicto publico uetuit celebrari, in quibus fuere olympia; hoc autem factum fuisse didici circa olympiadẽ CCLXXVII. Anni vero Christi CCCXXX. In cuius locum ea numerandi ratio successit, quam nos INDICTIONEM appellamus, ut alio loco demonstrabo. A prima autem deinceps olympiade Graeci tempora sua digerere coeperunt. A quo tempore Graeca de temporibus historia uera credita est, quum ante Olympiades nihil certum, nihilque exploratum, in Graecorum historijs inueniatur, sed omnia sint confusis indistiucta temporibus. Post olympiades uero institutas, quoniam quadriennij interuallo diligentissime omnia notari poterant, nulla penitus temporum confusio fuit, ut recte in Annalibus prodit Iulius Africanus. Ita autem olympiades numerabantur. Olympiadis primae, uel secundae, aut centesimae, uel centesimae decimae annis primo, uel secundo, uel tertio, aut quarto. Anni vero olympici incipiebant à solstitio aestiuo circa VIII. cal. Iulij, quod & ratione, & ueterum scriptorum testimonio, contra multorum opinionem, demonstrare maxime est necessarium, quum in huius rei cognitione tanquam in stabili & fixo fundamento, omnis temporum summa collocata sit. Ex eius euim rei ignorautia, infiniti propemodum errores in temporum ratione ab omnibus Chronographis admissi sunt, dum anni olympici initium circa aequinoctium autumnale fuisse falso existimarunt. Dici autem uon potest, quanta sit temporum rationi lux accessura hac re diligenter examinata, & demum recte cognita & intellecta. Verisimile igitur primo est, eo potissimum tempore initium anni olympiaci Graecos habuisse, quo annus ipse ciuilis apud eosdem auspicari mos erat, quum olympiades non nisi per annos digererentur, eorumque institutio temporum & annorum rationi quam maxime deseruiret, ut per earundem annorum ueram institutionem, rerum gestarum certitudo haberi posset, quod etiam refertur ab interpraete Pindari; atqui apud Graecos ipsos, qui in Europa sunt & praesertim Athenienses, in quorum regionibus hi ludi celebrabantur, initium auni erat à solstitio aestiuo circa VIII. cal. Iulij, quam uis Graeci Asiatici, id ab aequinoctio autumnali auspicarẽtur, unde & erroris origo manauit; necessarium igitur uidetur anni olympici initium, quum idem sit qui ciuilis, fuisse circa VIII. cal. Iulij: Hoc autem à multis tum antiquis, tum recentioribus scriptoribus iuter quos est Theodorus Gaza uir Graecae & Latinae linguae peritissimus, proditur.

ditur. Gaza enim multum laborauit ut Athenienſium & aliorum Graecorum menſium ordinem oſtenderet, ipſosque ad Romanos menſes reduceret in libro quem de menſibus ſcripſit, Vbi diſficillimum eſſe dicit Graecos menſes ad Romanos exactiſsime poſſe referri. Quod etiam eauſſa eſt, ut inter Graecos auctores differentia non parua uiſa ſit, in referendis menſibus Graecis eiſque Romanis applicandis. Athenienſium enim menſes mobiles erant, ſicut Hebreorum, qui non habent menſes fixos ac ſtabiles perinde ac Ro mani; eorum enim menſes ad Lunae curſum computabantur. Luna & auſpicabatur & finiebat menſem. Romani vero menſes alia ratione deſcripti ſunt, nempe ut in anno conficiendo magis ad Solis curſum quadrarent fixi facti ſunt. Athenienſes autem annorum initium ſummebant, à ſolſtitio aeſtiuo, quod ſemper aceidit circa finem menſis Iunij, ita ut unumquenque eorum menſem inter binos Romanos interſeri hac ratione neceſſe fuerit: Hecatombaeon, quem primum eſſe anni Graecanici ex Ariſtotelis, Theophraſti, Thucydidis Demoſthenis, Plutarchique ſententia, Gaza poſuit, menſis Iunij par tem extremam, & Iulij priorem more menſium Hebreorum occupat. Ita ut ex eiuſdem uerbis clare cognoſci poſsit, apud Graecos anni principium fuiſſe ab ipſo ſolſtitio aeſtiuo, quem menſem Soli dicatum fuiſſe dicunt, propter ſolſtitium, qui eo menſe eſſe ſolet. Secundus Graecorum menſis Metagetmon dictus, poſteriorem Iulii partem, prioremque Auguſti attingit; & ſic deinceps uſque ad XII. is eſt Scirophoriona, qui in Maij extremam partem, prioremque Iunij incidit. Omnes autem ueteres Graecos auctores, hoc modo menſes numeraſſe teſtatur ipſe Gaza: Simplicius uero antiquus ſcriptor in commentarijs libri V. phyſicorum Ariſtotelis. Nos (inquit) Athenienſes anni principium in ſolſtitio aeſtiuo facimus: ij vero qui eam partem, quae nunc Aſia dicitur incolunt in autumnali aequinoctio, Romani autem poſt brumam, Arabes uero Damaſceni & Iudaei in verno aequinoctio. Quum autem Alphonſus in Tabulis, Rogerius Bacco in Epiſtola ad Clementem Papam V. dicunt Graecos ab aequinoctio autumnali incipere annum, de Graecis Aſiaticis non Europeis qui uere Graeci ſunt, intelligendum eſt, ut ex Simplicio & Theodoro iam uiſum eſt. quod etiam confirmat Bedas in libro de rerum natura capite X. & XXXV. quum ait Graecos à ſolſtitio aeſtiuo anni initium ſummere. Manifeſtum igitur eſt initium anni Graecorum & olympiadum à ſolſtitio aeſtiuo, uel à Luna noua eidem ſolſtitio proximiore accipi, in cuius fine videlicet circa medium menſis Iunij, fiebat intercalatio, ut refert Glaucippus in libro quem de ſacris Athenienſinm ſcripſit. Et tunc Agon Gymnicus Olympicus, in quo nudi ludebant edebatur. Quod circa ſolſtitium aeſtiuum celebrari ſolitum fuiſſe, multis praeterea ueterum auctorum teſtimonijs confirmari poteſt. Et ante omnium Pindari; qui in Olympicis, eiuſmodi ludicrum in aeſtate non in autumno, celebrari ſolitum refert; & quinque dies continuos nundinarum & mercatus cauſſa perdurare, ab XI. videlicet die primi menſis ad XVI. tumque principium anni ſimul fuiſſe & olympiadum. Liuius etiam libro XXVII. ita ſcribit. Olympiae ludicrum ea aeſtate futurum erat, quod maximo coetu Graeciae celebratur. Cenſorinus quoque libro de die Natali capite XIIII. de annis Romanis: Annus hic (inquit) cuius uelut index & titulus eſt Vlpij & Pontiani conſulatus, ab olym piade prima ∞ eſt & XIIII. ex diebus duntaxat aeſtiuis, quibus Agon Olympicus celebratur. Idem confirmari poteſt auctoritate Senecae in Hercule furente ſuperius citata

Quinta quum ſacrum reuocauit aeſtas
Claudere luſtrum

Poſtremo antiquus interpres Pindari anni initio ludos olympicos celebrari ſolitos fuiſſe ſcribit, facta (ut Glaucippus inquit) menſium intercalatione, quae eodem Glaucippo auctore in fi ne anni, paulo ante ſolſtitium aeſtiuum fieri ſolebat, ita ut menſis ille intercalarius, Apollonius à Sole diceretur, quod eo mente ſolſtitium aeſtiuum incideret. M. quoque Cicero ad Atticum ex Epiro ſcribens, circa IIII. Nonas Iunii, ab eo quaerit ut quam primum ſe certiorem faciat, quo die olympiaci ludi futuri erant, quibus intereſſe decreuerat, quod eo tempore non po ſtulaſſet ſi proximo Octobri fuiſſent celebrandi. Cur autem rem quae manifeſtiſsima eſſe debuiſſet, Cicero ab Attico qnaeſierit ſuperius expoſui. Poſtremo Plutarchi teſtimonium in Vi ta Alexandri Magni aperte olympicorum ludorum menſem & tempus aperire mihi uidetur. Ait enim die ſexto, menſis Hecatombaeonis (quem ex Theodoro Gaza primum anni fuiſſe ſatis demonſtraui, cuiusque die XI, ludicrum olympiae celebrabatur) Alexandrum natum fuiſſe. Adiungitq; eodem tempore Philippum Alexandri patrem duos laetiſsimos nuntios habuiſſe, quorum alter ei filium natum, alter uero victoriam olympicam nuntiarunt. Quod etiam refertur à Iuſtino. Vero autem ſimile eſt haec omnia ei quam celerrime nuntiata fuiſſe. His itaque tot grauiſſimorum ſcriptorum ſententijs, manifeſte colligi poteſt ludorum olympicorum tempus, eoſq; non in autumno ſed in aeſtate celebrari ſolitos, quod praeter ſupradictos ſcriptores Hero dotus quoque affirmat. Ludorum igitur & anni olympici principium nobis erit à ſolſtitio aeſtiuo

aeſtiuo

aestiuo, circa VIII. cal. Iulij. Quare quum dictum est, anno tertio uel quarto sextae olympiadis conditam fuisse vrbem Romam, id in eius anni fine intelligi debere, primumque annum vrbis conditae fere integrum cum anno sequenti incidere. Romulus igitur vrbem condidit ex Varronis & L. Taruntij sententia circa finem tertij anni sextae olympiadis, uel ut Verrius Flaccus existimauit circa finem quarti, aut ut Dionysius scripsit circa finem primi septimae, in qua victor extitit Dailes Messenius. Anno ante Christi Natalem diem DCCLII. post Troiae uero excidium CDXXXI. ex Varronis annorum summa, quam his Fastis in omnibus sequi institui, praeter quam in triumphis digerendis qui quattuor primis parastatis continentur, quos ex Verrij Flacci calculis annotaui. Palatinum autem collem Romulus, in quo ipse educatus erat primum munijt, oppidumque conditum ex nomine suo Romam appellauit, à qua & Romanis inditum nomen

Qua ratione uetera Romanorum praenomina, nomina, & cognomina à se inuicem internosci possint

Qvvm difficilis admodum atq; inter omnes res quae in Romana antiquitate tractantur ualde obscura sit ueterum nominum apud Romanos ratio, quae ad hos quos scripsi Romanorum magistratuum Fastos maxime pertinet, locus hic exigere uidebatur, ut ante quam Romanorum Regum, & magistratuum tempora attingerem, ubi non nisi praenomina, nomina, & cognomina describuntur, latius de illorum ratione disputarem. Sed quum hæc ipsa singulari libro à me quanta potui diligentia pertractata sint, eò lectorem remittendum esse duxi; cuius tamen commoditati consulturus ipsum in huiusce commentarij finem adijciam. Verum ne hic quasi in limine accuratus lector haereat, totius eiusdem libri breuissimam quandam epitomen, hoc loco apponere institui, qua uno intuitu, & facillime, quae ibidem latius enarrantur, percipere poterit, atque hac instructus, omnem, quae in Fastis circa nominum nomenclaturam suboriri posset difficultatem, nullo negocio intelliget. Quae autem dicenda proposui ad certas regulas quo facilius memoriae mandentur, redacta, altera pagina indicabit

VETERVM. ROMANORVM. NOMENCLATVRA

Apud antiquos Romanos tria erant nominis latiore significatu accepti genera

NOMEN

Praenomen, quod nomini gentilitio præponitur, vnde etiam dictum praenomen, ut C. M. P. Q. Erant autem praenomina numero finito, quippe XLV

Ex quibus

Quaedam usu frequentia, ut haec XVIII		Quaedam semel tantum uel raro usurpata, ut haec XXVII
Ap.	Appius	Agrippa
A.	Aulus	Ancus
K.	Caeso	Aruns
C.	Gaius	Cossus
CN.	Gnaeus	Drusus
D.	Decimus	Egerius
L.	Lucius	Faustus
Mam.	Mamercus	Hostius
M'.	Manius	Iulus
M.	Marcus	Lar
N.	Numerius	Mamurius
P.	Publius	Nero
Q.	Quinctus	Numa
Sex.	Sextus	Opiter
Ser.	Seruius	Postumus
Sp.	Spurius	Proculus
T.	Titus	Paullus
TI.	Tiberius	Potitus
		Romulus
Haec nunquam nomina gentilitia sunt praeter Numerius		Remus
		Sertor
		ST. Statius
		Tullus
		Vibus
		Volero
		Volusus
		Vopiscus

Nomen, quod gentis vel familiae erat proprium, ut Iulius, Tullius, Cornelius, ac Fabius. Erant autem nomina numero infinito. Quippe quot gentes tot nomina. Et omnia in IVS desinentia praeter

Perperna
Norbanus
Peducaeus
Poppaeus

Quae potius cognomina esse existimo, sed eorum nesciri nomina; Ideoque pro nominibus usurpata, ut de C. Verre aliquando, & de C. Maecenate creditum est, quorum tamen ille Cornelius, hic Cilnius fuit

Ratio qua haec tria Romanorũ nomina à se inuicem internosci poßint

Veterum nomina quae à Grammaticis uulgo propria appellantur, vel erunt ex XLV praenominibus, uel non. Si ex XLV. erunt praenomina. Si praenomina non erunt, aut in IVS aut in alias litteras terminabuntur. Si in IVS ea erunt nomina gẽtilitia, praeter quattuor superius posita, si in alias litteras, erunt cognomina, Pio Caprario, & Triario exceptis

Haec autem non nisi usque ad Augusti obitum locum habẽt

Cognomen, quod nomini gentilitio subiungitur; quae siue sint unum, siue plura, omnia cognomina sunt, ut Caesar, Cicero, Scipio; Item Maximus Verrucossus, Ouicula, Cunctator, quae omnia unius Q. Fabij cognomina fuerunt. Ea autem ut nomina numero erant infinito, & in IVS nunquam terminabant praeter

Pius &
Caprarius

ambo Metellorum cognomina; & Triarius Valeriorum Cognominum autem desinentiae hae ferme erant

Nasica	A
Caesar	AR
Laenas	AS
Gurges	ES
Pulcher	ER
Cornicen	EN
Caudex	EX
Violens	ENS
Frugi	I
Regillensis	IS
Felix	IX
Pius	IVS
Cicero	O
Cursor	R
Nepos	OS
Venox	OX
Rufus	VS
Corculum	VM

Haec omnia nomina à varijs euentibus indita sunt

Accuratior praenominum diuiſio

Praenomina vel erunt

Romana — Externa

Romana: Vſu frequentia ut haec XVIII — Raro vſurpata

Raro vſurpata: Quaedam ſemel tantum, ut haec XIII — Quaedam aliquando ut haec XIIII

Vſu frequentia ut haec XVIII	Semper prænomina, ut haec VI	Ex antiquiſſimis cognominibus nouiſsimis Reip. temporibus facta praenomina, ut haec VII	Semper praenomina, ut haec IX	Ex antiquiſsimis praenominibus nouiſsimis Reip. temporibus facta cognomina ut haec V	Externa vt Sabinorum Latinorum, Samnitium, Campanorum, & aliarum gentium. hæc autem ſunt infinita, in his
Ap					
A					
K					
C					
CN					Faunus
D					Picus
L			Aruns		Latinus
M	Ancus		Hoſtius		Turnus
Mam	Egerius		Numa		Auentinus
M'	Lar		Opiter		Amulius
N	Mamurius	Iulus	Sertor		Numitor
P	Romulus	Coſſus	Statius	Agrippa	Fauſtulus
Q	Remus	Druſus	Vibus	Fauſtus	Mettius
Sex		Nero	Volero	Proculus	Pompo
Ser		Paullus	Vopiſcus	Poſtumus	Ouius
Sp		Potitus		Tullus	Octauius
T		Voluſus			Herennius
TI					Attius

Ceterum tam de praenominibus, eorumq́ue origine & cauſsis, quam de nominibus cognominibusq́ue latiſsime, in libro quem de illorum ratione conſcripſi diſputaui, qui in fine commentarij (ut dixi) lectorum commoditatis ergo adiunctus eſt.

DE. REGIBVS

REX à rego deriuatur quod eſt guberno, rego autem dictum eſt quaſi rem ago. Eſt autem Rex teſte Speuſippo; Imperans ſecundum leges ſubiectis, inreprehenſibilis ciuilis ordinis inſtitutor. Vnde reges dicuntur qui regna poſsident, Regna autem appellantur integrae regiones, quae uni principi hoc eſt regi parent, ut Gallia regnum eſt, & qui eam poſsidet rex eius dicitur. Sic enim olim diſtinctus erat Orbis terrarum, ut ſingulae fere regiones regna dicerentur, & reges proprios haberent, à quibus ipſae regiones appellatae. Rerum autem initio, ſingulas familias ſingulos; reges habuiſſe perhibent, & eos quidem natu maximos, conſilioq́ue prudentia & aequitate praeſtantiſſimos; aliquanto autem poſt multis familijs idem rex imperare coepit, vrbibus deinde ſingulis mox gentium nationumq́ue principatus penes reges fuit. Id enim primum imperij nomen in terris fuiſſe Moſes ante omnes, Herodotus, Diodorns, Salluſtius, & Iuſtinus auctores ſunt. Quod inſtitutum in Aegypto repertum primo fniſſe ſcribunt Herodotus & Diodorus; apud qnos antiquiſſimum Iſideq́ue multis ſaeculis priorem Menem primum Regem fuiſſe referunt: quamqnam ante hunc Oſiridem, Horum, aliquotq́ue praeterea alios Deos Diodorus eo loco prodat. Virgilins nero Onidius & reliqni poetae: Primam hominum aetatem aiunt fuiſſe auream ſub Rege Saturnn, ſine bellis, ſine litibus, & ſine querelis, magna generis hnmani concordia, quae Saturnia tempora nominata ſunt. Sacrae autem litterae Nembrothum Cuſi filium primum Regem fuiſſe referunt, & Babiloniae imperaſſe. Priſcos autem Reges, quos ad ſupremae huiuſce maieſtatis faſtigium, duceſq́ue ſibi, rectores, & veluti publici commodi ſpeculatores populus eligebat, non ſors, nec nobilitas, non ambitio popularis, ſed ſpectata inter bonos moderatio prouehebat. Sua enim unicuiq́ue utilitas cum communi coniuncta tantum cara commendataq́ue erat, ut non niſi optimum quemq́ue eligerent

gerent. Arbitria uero Regum pro legibus erant; Quare id Reip. genus, ceteris praestare auctor est in Politicis Aristoteles: quum enim (inquit) princeps est bonus, satius est ab eo regi, quam à bona lege. Porro autem regibus antiquis principio mos fuit, fines imperij tueri, magisquam proferre; intra suam cuique patriam regna finiebantur; postea autem gerere inter se bella coepe runt, seque inuicem regnis spoliare: quare plurium ac diuersorum regnorum unus aliquando Rex fuit. Ninum autem Beli filium Assyriorum Regem fuisse tradunt, qui primus ueterem, & quasi auitum gentibus morem, noua propagandi imperij cupiditate mutauit: primusque finitimos reges bello petijt, eosque auitis regnis exuere coepit, rudes adhuc ad resistendum populos aggressus. Alij uero scribunt; Ante Ninum quoque bellatum esse inter mortales. Iam enim Afri & Aegyptij inter se pugnauerant sudibus, quas uocarunt Phalangas. Similiterque Sesostres Aegypti, & Tanais Scytharum reges Nino antiquiores bella commisisse referuntur; quorum prior in Pontum, alter usque in Aegyptum accessit. Plinius etiam libro V. belli auctores Phenices fuisse dixit; Verum hi longinqua non finitima bella gerebant, nec imperium sibi sed populis suis gloriam quaerebant, uictoriaque contenti imperijs abstinebant. Ninus uero magnitudinem dominationis continua possesione firmauit. Porro (ut dixi) antiquissimis tempo ribus Reges quoque dicebantur etiam & si unius tantum vrbis dominationem habuissent. Sic principio Reges Albanorum, Romanorum, Veientiumque dicebantur, quibus earum ciuita tum imperium permissum erat. Vrbs enim Roma Regum ab initio imperio paruit, tantae futu rae Reip. non solum utili uerum prope etiam necessario. Neq; enim pastorum conuenarumque congregata illa multitudo, quae ex suis populis ob nouam vrbem incolendam transfugisse dici tur; quum adhuc nec coniugum aut liberorum, nec ipsius soli cui longo tempore assuescitur charitas animos eorum consociasset, soluta metu regio, agitari popularibus seditionibus, aut in aliena vrbe cum patribus ciuili contentione decertare, sine summa totius reip. pernicie potuisset. Regum uero Romanorum munia secundo libro refert Dionysius. Primum enim Rex templorum & sacrificiorum omnium principatum obtinebat. Atque per eum omnia quae ad Deorum cultum, & honorem pertinerent agebantur, legum morumque patriae regimen habe bat, iuris omnis quum naturalis, tum ciuilis custos erat, iniuriarum maximarum iudicium penes regem esse solebat, minorum enim cognitio senatui permissa fuerat. Senatum habere, populum ad contionem uocare, & quae à pluribus decreta essent exequebatur. In bellis uero eius potestas summa erat. Et postremo tanquam omnium princeps & caput colebatur. A rege uenit interrex, is est, qui regis mortui munere fungitur, donec nouus creetur, illudque tempus interregnum dicitur. Porro si in alicuius Reip. uel populi ut Romani imperium Regum peruenerit, fit ex regno prouincia, quod nomen hinc tractum est, quod procul idest longe uinci uidetur. Prouinciae enim proprie dictae sunt regiones, siue regna longe ab Italia bello acquisitae, & in populi Romani eorum regibus uel captis uel imperio exactis ditionem redactae, ut Macedonia, Africa, Gallia, & Hispania, quod eas populus Romanus prouicerit. i. procul uicerit

DE. ROMVLO. SILVIO. REGE. PRIMO.

ROMVLVS vrbe condita, Remoque fratre caeso, quum à populo Rex auspicato creatus esset, regiam maiestatem, translato ex Etruria more, XII. lictoribus, sella curuli, & trabea purpurea augustiorem fecit. Ex tribus millibus peditum, & CCC. equitibus, quos ex vicinis Latinis, Tuscis que pastoribus, Phrygibus qui sub Aenea, & Arcadibus qui sub Euandro in Italiam venerant, aliquotque praeterea uicinis gentibus collegit, populum Romanum initio constituit. Mille ex his pugnatores delegit quos à numero milites appellauit, reliquam vero iuuentutem Romanā in militares ordines distinxit, vrbem in tres partes quas tribus vocauit, & unamquamque tribum in decem partes, quas curias nominauit, curias uero in decurias diuisit. Tribubus Tribunos, Curiis Curiones, Decuriis Decuriones praeposuit. Agrum Romanum in tres partes distinxit, quarum vna publica fuit, altera Sacerdotum; tertia vero priuatorum quam XXX. Curijs assignauit. Populum Romanum primo in patres & plebem diuisit, patrum progenies patricij dicti: patres autem ab aetate, quod non nisi seniores in eum ordinem legisset, vel ob curae similitudinem nominauit. Centum deinde ex patribus Senatores legit, quorum consilio Remp. administraret. Trecentos post haec iuuenes ex praecipuis familiis lectos decem scilicet ex singulis curijs, ad corporis custodiam habuit, quos ab eorum Duce Celere, Celeres nominatos fuisse prodit Valerius Antias, ab his equester ordo manauit, medius inter Senatores & populum reliquū. Regum deinde, patrum siue Senatorū, & plebei munia distinxit: comitia quae curiata fuerunt instituit. Ad augendam ciuitatem tria praecipue excogitauit, partus necare vetuit, hostes uictos pro amicis & ciuibus habuit, Asylum aperuit. Romanorum enim virtutem augere

uolens,

uolens, & finitimorum minuere, pollicitus est omnibus ad asylum confugientibus impunitatem, quare finitimorum multitudinem, qui aliquam apud suos ciues offensam contraxerant ad se confugientem in ciuitatem recepit, ita e uarijs quasi elementis congregans corpus unum populum Romanum fecit. Deorum post haec cultum LX. sacerdotibus, & auguribus creatis instituit, leges ciuiles, annum que decem mensium fecit; Quum vxores ipse & populus non haberent, neque à finitimis filias impetrare possent, animi aegritudine dissimulata, ad spectaculum ludorū solemnium Neptuno equestri ex industria paratorum, quos Consuales vocant, vicinas vrbi nationes inuitauit, praesertimque Sabinos, quarum quum ludicro interfuissent, filias uirgines medio spectaculo rapi iussit, quas DCXXCIII. fuisse Dionysius scribit, anno post vrbem conditam IIII. XIIII. Kal. Septembris. Quare hi populi qui raptas amiserant, & alij quos uel ipsi lacrimis suis, uel exemplum ad multos pertinens mouit, raptarum iniuriam uindicaturi, contra Roma nos arma ceperunt Sabini Caeninenses, Crustumini Antemnatesque. Romulus autem quum tantum in se parari bellum cerneret, ad Etruscorum longe lateque patentes opes confugit. Coelius quidam Vibenna Etruscus princeps suppetias Romulo tulit, à quo monti Coelio nomen inditum concitatoque bello hi populi qui offensam tulerant à Romulo superantur, quorum vrbes victas deductis habitatoribus colonias Romanas fecit. Nouissime uario & periculoso Marte, bellum cum Sabinis fuit; quorum Rex erat T. Tatius, in quo à Tarpeia virgine arce Romana prodita, vrbs admodum periclitata est. Demum triennio exacto, raptarum precibus Romani cum Sabinis amicitiam contraxere, atque intra vrbem recepti sunt; Et T. Tatius eorum Rex vna cum Romulo in vrbe regnauit annos V. Qui quum à Laurentibus caesus esset, solus Romulus regno deinceps potitus est. Quod autem T. Tatius VIII. vrbis anno Romae regnare coeperit, elicitur ex Dionysio libro II. qui refert post Sabinarum raptum, qui fuit anno vrbis IIII. totos tres annos, Tatium cum Romulo bellum gessisse, ad finem usque septimi anni regni Romuli; post quos inita societate T. Tatium cum Romulo regnare coepisse, uixisseque in regno Romae annos quinque, post caesum à Laurentibus esse. Dionysium autem in annis Tatii magisquam Plutarchum sequi uolui, qui IIII. tantum annos regni eius fuisse scribit in Romulo. Bellum deinde cum Veientibus, Fidenatibus, & Camerinis Romulus gessit, de quibus in Triumphis. Quum autem Sabinorum aduentu vrbs duplicata esset, ducenti Senatores facti sunt. Atq; XXX. curiae; & tres tribus, in quas Sabini quoque diuisi fuerunt nominibus auctae. Curijs quidem ex nominibus raptarum nomina imposita; Tribuum autem una Ramnensium, à Romulo, Tatientium, à Tatio, & Lucerum à Luco asyli vt Pedianus, uel à Lucumone Etrusco qui Romulo auxilio fuit in bello Sabino vt Varro, appellatae sunt: militumque legiones auctae. Ipsum uero Romulum Siluium à matris nomine appellaui, quod in certo patre natum, & spurium fuisse quum aliis placet auctoribus, tam maxime Plutarcho in Theseo. Appellatum etiam fuisse Altellum, proditur à Sex. Pompeio; quasi in terra altum à lupa, siue quod rebus gestis excelsus & gloriosus euasisset, siue quod à Tatio Sabinorum rege in colloquium postulatus, alternis vicibus audierit, ac loquutus fuerit. Qui postremo quum imperium Romanum praeclaris multis legibus, ac institutis fundasset, domesticamque ac militarem disciplinam stabilisset, vrbemque in eam redigisset magnitudinem, ut XLVI. millia peditum, & tria millia equitum essent, Nonis Quintilibus mortuus est; qui dies Nonae Caprotinae, & Populi fuga postea appellatus est; quod quum eo die ad exercitum recensendum concionem ad Capreae paludem haberet, subito coorta tempestas cum magno fragore tonitruisque conspectum eius concioni abstulit, nec deinde amplius uisus sit. Eumque quum plebs ualde desideraret, ut docet Ennius, apud quem populus Romanus amissum Regem dolens ita loquitur:

O Romule, Romule dic, o
Qualem te patriae custodem dij genuerunt
Tu produxisti nos intra luminis oras
O pater o genitor o sanguen dijs oriundum,

Proculi Iulij à patribus subornati oratione desiderium eius lenitum est. Is enim per sancte iurauit ea hora qua Romulus uideri desijt, sibi in urbem reuertenti apparuisse, dixisseque se Deum esse factum, & Quirinum uocari, atque iussisse ut templum sibi construeretur eo loco quo decesserat. Sunt etiam qui, quod magis credendum est, referant, Romulum in curia quum senatum haberet, patrum manibus discerptum fuisse, quod regnum in tyrannidem mutasset, ac unumquemque senatorum frustum corporis sub toga occuluisse, ne quid usque appareret, atque ita quo modo Romulus obierit à multitudine esse ignoratum, Proculumque Iulium sua oratione, & iusiurando populo Romano persuasisse, Romulum ad deos abijsse, senatumque ita suspicione regiae caedis liberasse. Hanc sententiam sequutus est Valerius Maximus libro V. cap. III. Alij eum ueneno extinctum prodidere; alij quod ualetudinarius esset sua manu mortuum; alij alia mortis genera & caussas scripserunt. Dies quoque

que

que mortis eius Populi fuga (ut dixi) appellatus est, ob consternatum repentina regis morte po pulum, ut Dionysius, & Plutarchus auctores sunt. Post consecrationem uero Quirinus dictus est. Cuius cognominis has caussas reddit in Fastis Ouidius

Siue quod hasta quiris priscis est dicta Latinis
Bellicus à tello uenit in astra deus
Siue suo regi nomen posuere Quirites
Seu quia Romanis uicerat ille Cures

Scribit Plutarchus: quum Sabinorum more Romulus hastam ferret, quae eorum lingua quiris appellatur, Quirinum nominatum. Romani vero siue à quiritibus idest hastis, siue à Quirino Quirites etiam appellati sunt. Dionysius uero & idem etiam Plutarchus Romanos à Curibus Quirites dictos scribunt, atque a Quiritibus Quirinus. Qui tradunt ita inter Romulum & T. Tatium Sabinorum regem conuenisse, quum ille à Romulo bello Sabino in ciuitatis & imperij societatem acceptus esset, vt vrbs à Romulo Roma diceretur. Populus à Curibus T. Tatij patria Quirites uocaretur. Alii Quirinum dici existimant ob generis nobilitatem à patre suo Quirino, hoc est Marte. Romani enim Martem dum feriret Gradiuum, dum tranquillus esset Quirinum nominabant. Multis quoque alijs post deificationem immutata fuisse nomina liquet; ut humano nomine relicto augustiores uideretur. Constat si quidem; quod quae antea Laeda postea Nemesis dicta est, quae Circes Marica, quae prius Ino post Matuta, qui prius Melicertes postea Palaemon siue Portumnus; qui Aeneas postea Iuppiter Indiges; sic qui prius Romulus, postea deificatus Quirinus dictus. Excessit autem annos natus quinque & quinquaginta, anno regni XXXVII. mense II. & die XVIII. quantum est à Parilibus, ad nonas Iulij. ut omnes auctores praeter unum Eutropium qui XXXIX. annos eum regnasse scripsit, prodidere. Eundem sine uxore uixisse multi affirmarunt. Liuius uero Hersiliam sibi despondisse scribit: quam tamen non sibi sed Hostio Hostilio fortisimo uiro despondisse ab alijs traditum est. Dionysius Hersiliam matrem Romulo, filiam Hostilio nupsisse ait. Eadem ratione ne liberos quidem ullos reliquisse sunt qui scribant, ut Plutarchus & Dionysius; quum tamen Zenodotus ut est apud Plutarchum, filiam nomine Primam, & filium Aollium post Abillium nominatum, ipsum suscepisse tradiderit. Haec autem ex Dionysio, Liuio, Messalla, Solino, Plutarcho, Plinio, & Eutropio, Coruino, Sex. Rufo, Eusebio, Paullo Orosio, Cassiodoro, Beda & reliquis antiquis historijs decerpsi

De. romvli. annis

Qvot autem mensium anni Regni Romuli fuerint non ita clarum est. Theophilus Antiochenus libro III. contra Autolycum decem mensium fuisse refert. Idem omnes scriptores, praeter Licinium Macrum, Fenestellam, & alicubi Plutarchum, qui duodecim mensium fuisse scribunt; sentiunt. Alij autem decem mensium quidem fuisse existimant, uerum varijs intercalationibus, annos omnes imperij Romuli redactos fuisse ad annos Solares XII. mensium; ita ut omnium scriptorum uera esse posit opinio. Ego autem ita annos Romuli adposui ut XII. mensium solarium fuerint; eumque non XXXVII. annos decem mensium, sed XLIII. & quattuor fere menses regnasse mihi ipsi constitui; qui postea per varias intercalationes XXXVII. solares anni fuerunt. Nam quum numerus dierum anni ab eo instituti (si modo decem mensium fuit) neque Solis cursui, neque Lunae rationibus conueniret, & nonnunquam frigius anni aestiuis temporibus, & contra calor hyemis tempore proueniret; tantum dierum sine ullo mensium nomine patiebantur absumi, quantum ad id anni tempus adduceret, quo coeli habitus instanti mensi aptus inueniretur. Quod Seruius in Georgicis his verbis declarare uidetur. Duo (inquit) menses propter rationem signorum anni intercalabantur, qui postea à Iano & Februo nominati sunt. Ex quibus uerbis manifeste constat, annos Romuli XXXVII. si X. mensium fuerunt uarijs dierum interpositionibus ad annos Lunares duodecim mensium, & hos ad solares reductos demum fuisse. Idemque dicendum est de annis Regni Numae antequam Fastos emendaret. Itaque omni sublata ambiguitate anni Regum erunt CCXLIIII. Lunares, & ex his ad Solis cursum reuocati

De. patriciis. et. senatoribvs

Senatorvm uero ordinem à Romulo, apud Romanos primo institutum esse nemo non prodit. Quippe quum nouam vrbem uiribus, & iuuenum robore affatim ab se munitam cerneret, haud minoris momenti fore ratus, si eandem quoque consilij ope fulcisset. Quare populum Romanum, ut Dionysius (quem hic sequi institui) scribit, in duas partes diuisit. Ex his illu-

striores

ſtriores genere, ſpectatae uirtutis, ditioresque, ac natu grandiores patres, reliquam vero multitudinem plebem appellauit, exemplo ab Athenienſibus ſumpto; patres autem dicti ob aetatem, nam ex populo ſeniores erant, uel ob curae ſimilitudinem, uel quia agrorum partem tribuebant tenuioribus, perinde ac liberis proprijs, & eos ſuae curae commendatos, atque in clientelam ſuſceptos tanquam patres tuebantur. Horum autem progenies patricij dicti perinde ac plebeiorum plebeij. Patres ad concionem ſingillatim per praeconem conuocabantur addito patris nomine, plebes vero coniunctim cornu bubulo. Porro ex patribus hac ratione centum legit ſenatores, quorum conſilio Rempublicam adminiſtraret. Primo tres ex ſingulis curijs, quae triginta erant lecti, ſactique nonaginta, deinde tres ex ſingulis tribubus, & vnus à Romulo nominati, qui centum numerum explerunt. Centum autem ideo tantum creauit, uel quia is numerus ſatis erat nouae & paruae ciuitati, ſiue quia ſoli centum erant qui creari Senatores poſſent, Senatores autem propter ſenectutem, quum uetuſtiſſimi patriciorum eſſent, ſiue ab honore & virtute appellauit. Vlpianus autem eos à ſiniendo dictos putat, quoniam ipſi agendi facultatem dabant. Horum munus erat cognoſcere de omni re, de qua Rex primo, & poſtea Conſules referre ſoliti erant, ſuffragium ferre, & quod maiori parti placuiſſet, id demum perfici, hocq; à Regibus & Senatu Lacedemonijs translatum, quibus omnis iuris publici poteſtas penes Senatum erat; ex patricijs quoque ſiue Senatoribus, ſacerdotes & magiſtratus tantum creabantur, Plebis autem, ſiue reliqui populi, officia erant, magiſtratus creare, leges ſciſcere uel condere, deque bello paceue decernere, quum Rex uel Conſules referrent: neque tamen plebis poteſtas abſoluta erat, niſi eam etiam Senatus probaſſet. De Romano Senatu ex paſtoribus, uel nouis hominibus collecto, ita ſcribit Propertius

Curia praetexto quae nunc nitet alta ſenatu
  Pellitos habuit ruſtica corda patres
Buccina cogebat priſcos ad uerba Quirites
  Centum illis in prato ſaepe ſenatus erat

Patriciorum autem & Senatorum numerum Sabinis intra vrbem receptis, centum ex eiſdem additis Romulus duplicauit, ducentosque Senatores fecit. Hic autem non eſt praetereunda, quae inter Dionyſium, & Liuium eſt controuerſia. Dionyſius enim ait Romulum patricios primo, deinde centum ex patriciorum primoribus, qui numero longe plures erant, Senatores feciſſe, ita ut uere dici poſſet Senator eſt ergo patricius, non e contra patricius eſt ergo Senator, quiſ ex Dionyſio non omnes facti patricij Senatores lecti eſſent. Quorum poſtea numerum Sabinis intra vrbem receptis duplicaſſe idem ſcribit. Liuius uero, centum tantum patricios à Romulo factos fuiſſe prodit, quos etiam Senatores fuiſſe refert, Romulique ſecundam ex Sabinis lectionem omittit. Ita enim ait. Quum iam virium haud poeniteret; conſilium deinde viribus parat: centum creat Senatores, ſeu quia is numerus ſati s erat; ſiue quia ſoli centum erant, qui creari patres poſſent. Patres certe ab honore, patricijque eorum progenies appellati. Hos autem à Romulo prima lectione patricios creatos, eos eſſe conſtat, qui maiorum gentium dicti ſunt, Qui uero à reliquis Regibus, Brutoque primo conſule, minorum gentium: hoc autem M. Tulij auctoritate confirmatur, qui in Epiſtola ad Papirium Paetum: Quoſdam ex Papirijs fuiſſe patricios ſcribit, uerum minorum gentium. Conſtat autem ex pontificatu maximo C. Papirij, & Sacerdotio primi regis ſacrorum M. Papirij, quorum prior ante Reges exactos, ſequens vero anno primo libertatis partae creati fuerunt, eos patricios factos fuiſſe ante Bruti primi Conſulis magiſtratum. Nam is patricios legit, quos primos fuiſſe ex his qui minorum gentium dicti ſunt innuere uidetur Cornelius Tacitus libro XIII. his uerbis: Iiſdem diebus in numerum patriciorum adſciuit Caeſar vetuſtiſſimum quemque e Senatu, aut quibus clari parentes fuerant, paucis iam reliquis familiarum, quas Romulus maiorum, & L. Brutus minorum gentium appellauerant; exhauſtis etiam quos Dictator Caeſar lege Caſſia, & princeps Auguſtus lege Saenia ſublegere: Vbi ſentire uidetur, Patricios inter Romulum & Bruti Conſulatum ab omnibus Regibus lectos omnes maiorum gentium fuiſſe, nam primos minorum gentium patricios Bruto tribuit. Potius igitur cum Cicerone & Liuio ſentiendum exiſtimo, ex quibus clare collegitur eos quoque patricios minorum gentium fuiſſe, qui poſt Romulum à ceteris Regibus creati fuerunt. Ex duabus autem quas Romulus fecit parriciorum, ex Dionyſij ſententia lectionibus, utramque maiorum gentium eſſe dicemus ſi Liuio & Tacito in hac re credere uoluerimus: licet alii primam tantum maiorum gentium eſſe crediderint, ſecundam uero, cum Regum reliquis, minorum gentium dictam affirment. Quid ergo ipſe afferam dubius haereo. Vero autem ſimile eſt omnes reges patricios aliquos allegiſſe. Nam Marcios Numa, & Tarquinios Ancus patricios creaſſe creditur. Poſt Numam autem Tullus Hoſtilius Rex tertius, Alba longa diruta Albaniſque in ciuitatem receptis, nobiliſſimas Albanorum familias Iuliam, Seruiliam, Geganiam,

meriti) equum publicum ipse ad Censores adduxit. Praeclarumq; populo Romano spectaculum fuit, Consulem sua manu equum publicum ducentem intueri. Haec autem de ciuibus Romanis ex equestri ordine, uel plebe in senatum lectis intelligenda sunt, qui Reip. tempore fuerunt Nam regum aetate soli Patricij Senatores erant. Sub Imperatoribus uero religiosus hic ordo labefactatus. Penes senatum autem adeo semper totius Reipublicae summa innixa erat, ut ne Reges quidem, Consules, uel Dictatores, aut alius quispiam maior magistratus, nec Imperatores ipsi inconsulto senatu, quippiam molirentur. Adeo ut quum Tarquinius Superbus Rex pleraque praeter auctoritatem Senatus decreuisset, amisso regio nomine Tyrannus appellatus sit, & demum Regno eiectus. Itemque Caesar Dictator quum Senatus auctoritatem neglexisset, caesus est. Senatorum autem triplex ordo fuit. Primus patriciorum, alter conscriptorum, tertius uero pedariorum. Patricij erant ex C. primis Senatoribus sub Romulo lectis oriundi. Conscripti autem erant hi, qui ceteris Regum primo, postea Consulum, deinde Censorum lectionibus in Senatum acciti fuerunt tam ex patricio quam plebeio genere. Regum enim tempore solis patricijs curia patuit, quibus exactis, Senatores quoque ex plebe legi coepti. De Pedarijs autem senatoribus, non omnes uno modo auctores scribunt. Quidam enim eos dictos putant, qui in Senatu sententiam non dicebant, sed ab alijs dictam comprobabant, mouentes se suo loco, & in partem eius cuius sententiam adprobabant, ambulantes, propter quod qui ita faciunt, ire in sententiam pedibus, ipsique pedarij dicuntur. C. Bassus in commentarijs apud Gellium libro III. cap. XVIII. hanc non adprobat sententiam. Eos enim Senatores pedarios dictos existimat, qui magistratus curules nondum adepti erant, quod pedibus in curiam proficiscerentur. Nam qui curulem magistratum in ueterum aetate gessissent, curru solitos honoris gratia in curiam uehi scribit, in quo sella esset super quam considerent, quae ob eam caussam curulis appellabatur. M. autem Varro in Satyra Menippaea, equites quosdam dicit pedarios appellatos fuisse, uideturque eos significare, qui nondum à Censoribus in senatum lecti erant. Senatores quidem non erant, sed honoribus populi usi in Senatum uenire poterant, sententiae dicendae ius habentes. Nam curulibus magistratibus functi, qui nondum à Censoribus in Senatum lecti erant, Senatores non erant. Et quia in postremis scripti erant non rogabantur sententias, sed quas principes dixerant, in eas descendebant. De pedariis senatoribus Cicero ad Atticum libro primo. Est illud S. C. summa pedariorum uoluntate, nullius nostrum auctoritate factum &c. Et paulo post. Et raptim pedarii in eam sententiam cucurrerunt. De ordine uero ac ratione consulendi Senatus, ante legem latam de Senatu habendo, ordo rogandi sententias uarius fuit. Alias primus sententiam rogabatur, is qui à Censoribus in recensendo Senatu, hoc est in enumerandis senatoribus lustri tempore, primo lectus fuerat, qui Princeps Senatus dicebatur: alias qui designati Consules erant si modo post consularia comitia senatus haberetur. Ex his autem qui prius Cos. designatus fuisset. Quidem è Consulibus studio, aut necessitudine aliqua adducti, quem iis uisum erat honoris gratia extra ordinem sententiam primum rogabant; obseruatum tamen est, quum extra ordinem fieret, ne quis quemq; ex alio quam ex consulari loco sententiam primum rogaret. Consuetudo autem uetus erat, ut quem primum cal. Ianuarii Consul rogasset, is toto anno primus sententiam, ut est apud Tranquillum, diceret. Quem tamen ordinem C. Caesar primo consulatu suo, quem cum M. Bibulo gessit, neglexit. Nam quum primum M. Crassum cal. Ianuarii rogare coepisset, postea quam filiam Cn. Pompeio despondisset, primum coepit Pompeium rogare. Cuius rei eum Senatui rationem reddidisse Tiro refert: idque ex patrono suo M. Cicerone si audiisse scripsit. Idipsum etiam C. Atteius Capito in libro quem de officio senatorio composuit docet. Vt autem in eo libro idem Capito auctor est: Ius erat Senatori, ut sententiam rogatus, diceret ante quicquid uellet alterius rei, & quoad uellet. Tranquillus in Augusto sententias de maiore negocio, non more, neque ordine, sed prout libuisset rogabat; ut proinde quisque animum intenderet, ac si censendum magisquam assentiendum esset. De more autem habendi Senatum M. Varro Cn. Pompeii rogatu librum edidit, quum ille primum Consul cum M. Crasso designatus esset; quoniam propter militiae tempora Senatus habendi, consulendi, ceterarumque rerum vrbicarum expers erat. Eum autem librum sua aetate periisse libro quarto, Epistolicarum quaestionum, in litteris ad Oppianum ipse Varro scribit; in qua epistola multa quae illo libro continebantur posuit; In eo autem libro primo docebat, qui fuerint, per quos more maiorum senatus haberi soleret, nominatque Dictatorem, Consules, Praetores, Tribunos plebis, Interreges, Praefectos vrbi. Neque aliis praeter hos ius fuisse dixit facere S. C. Addidit deinde extra ordinario iure, Tribunos militares, Decemuirosque consulari potestate, & Triumuiros R. P. C. ius consulendi Senatum habuisse. De Praefecto autem vrbis Latinarum Feriarum caussa in urbe relicto, an Senatum habere posset, anceps controuersia fuit. Id agere eum potuisse Q. Mucius negat, quoniam

ne senator quidem sit, neque ius habeat sententiae dicendae, quum ex ea aetate Praefecti fiant, quae non sit senatoria. M. autem Varro libro IIII. Epistolicarum quaestionum, & Atteius Capito: Ius habendi senatus Praefectum vrbis habere dicunt, deque ea re assensum esse Capitonem Tuberoni, contra sententiam Mucij refertur. Nanque & Tribuni (inquit) plebis Senatus habendi ius habebant, quamquam non essent senatores, ante Atinium plebiscitum. Ius autem intercedendi Senatus Consultis, hi soli habebant, qui eandem potestatem, quam hi qui S.C. facere uellent, maioresue essent. Non licet autem S.C. facere nisi in loco per augures constituto, quod templum appellatur, quod si alibi fit, irritum est. De tempore autem; Ante exortum (inquit) Solis, aut post eius occasum S.C. factum nullius momenti erat. Dies quoque docebat quibus haberi Senatum ius esset. Legitimi autem habendo senatui dies erant Kalendae, Nonae, Idus. Reliquis uero diebus modo comitiales non essent, haberi quidem senatus poterat; sed certus neq; lege, neque more statutus erat dies, positum id erat in uoluntate magistratuum. De diebus quoq; habēdi senatus legitimis in Augusto Suetonius ita scribit. Sanxit (inquit) ne plusquam bis in mense legitimus senatus haberetur, Calendis scilicet & Idibus; neue Septembri Octobriue mense ullos adesse alios necesse esset, quam sorte ductos, per quorum numerum decreta confici possent. De aetate autem senatorum: constat antiquitus ex ueterum monumentis, senatorum adulescentibus filijs senatum ingredi licuisse, Idque Papirii Praetextati exemplo. Quo tempore illi aetati aditus in senatum interdictus est, ut Valerius Maximus scriptum reliquit. Tumq; S.C. factum est, ne cui paucioribus XXV. annis nato senatum ingredi liceret, ut est apud Plutarchum in uita Pompeii Magni. Qui autem senatum habiturus esset, auspicari primo, atque immolare hōstiam debere M. Varro censebat, qui etiam docuit de diuinis rebus, priusquam de humanis ad senatum esse referendum. Qui etiam S.C. fieri duobus modis dicebat, aut per discessionem si consentiretur, aut si res dubia esset per singulorum sententias exquisitas; singulos quoq; debere consuli gradatim. Primo enim consulares, post praetorios, deinde qui ceteris magistratibus functi, uel citius in senatum lecti essent. C. autem Atteius Capito in coniectaneis secus sentire uidetur de S.C. duobus modis faciendo; nam in libro CCLIX. Tuberonem dicere ait: Nullum S.C. fieri posse non discessione facta; ut est apud Gellium libro IIII. & XIIII. Quo tempore autem primum Senatores ex plebe legi coeperint, uarie auctores prodidere. Nam id sub regibus factum fuisse innuere uidetur Tranquillus in uita Augusti quum ait: Octauia gens à Tarquinio Prisco Rege inter Romanas gentes allecta in senatum, mox à Ser. Tullio in patricios transducta &c. Vbi eam prius in senatum, quam inter patricios adscitam fuisse referret; si autem a Ser. Tullio patricia facta, ergo à Prisco ex plebe in senatum vocata. Ego autem hic Suetonium lapsum fuisse facile mihi persuadeo, quum ex aliis grauiss. auctoribus constet, nullum ex plebe senatorem ante exactos reges fuisse. Existimoq; ita Suetonium dicere voluisse: Eam gentem patriciam à Tarquinio factam, quandoquidem is patricios fecerit, Dionysio Liuioque auctoribus, in senatum uero à Ser. Tullio esse promotam; nullibi enim quod sciam legitur Ser. Tullium patricios fecisse; praeter quam apud Ioannem Zonaram in eius Regis uita, qui locus merito suspectus esse debet. Senatum uero supplere munus regum erat. Hoc autem confirmare uidetur Sex. Pompeius quum ait: praeteriti senatores quondam in opprobrio non erant, quod ut reges sibi legebant, sublegebantque quos in consilio publico haberent: ita post exactos eos, Consules quoq; & Tribuni militum consulari potestate coniunctissimos sibi quosque patriciorum, & deinde plebeiorum legebant, donec potestas tribunicia interuenit, qua sancitum est, ut Censores ex omni ordine, optimum quenque curiatim in senatum legerent, quo factum est, ut qui praeteriti essent, & loco moti haberentur ignominiosi. Dionysius quoque libro VII. Senatores è plebe fieri coeptos post Reges exactos scribit. Post lectos autem ex plebe Senatores, Ciuium Romanorum, qui ex duplici genere constabant, patricio uidelicet & plebeio tres ordines facti sunt; Senatores, equites, de populo. Duplexque Romanorum ciuium diuisio orta, quarum altera ad alteram nihil pertinebat. Prior autem fuit haec & antiquissima à Romulo instituta: omnes Romani ciues uel patricii sunt uel plebeii, posterior haec, quum Senatores ex plebe fieri coepti, introducta: ciues Romani omnes uel Senatores sunt, uel equites, uel de populo; tamet si populi plebisque nomina, apud Ciceronem & Liuium aliquando confundantur. Verum propria populi appellatione omnes non senatores, vel ut alii, extra Senatorum & equitum numerum, intelligebantur; hinc illud notissimum elogium S.P.Q.R. uel illud: CONSENSV. SENATVS ET. EQVESTRIS. ORDINIS. POPVLI. QVE. ROMANI. Ita uel à genere, uel ab ordine ciueis Romani distingui coepti. Vt ciuis Romanus genere patricio natus, equestris tamen ordinis, si nondum in senatum lectus esset (inter senatum enim & populum, medius erat equester ordo, tanquā gradus ad senatoriam dignitatem) sin Senator autem esset factus, ordinis senatorii diceretur. Quod si patricius non modo in senatum allectus non esset, uerum nec inter equites locum

cum haberet, quia scilicet equestri censu non esset, hoc est HS. CD∞. non possideret (minus enim qui habebat eques esse nō poterat, sed de populo erat) aut quia cum CD∞ HS. possideret annulo tamen aureo nō uteretur, & equum publicum non haberet, quae illi equestris ordinis insignia Censor ob aliquod flagitium ademisset, aut deniq; quia neque maiores eius, neq; pater, neque ipse, quum CD∞ eoue amplius haberet, de equestri dignitate obtinenda laborassent, equestrisque ordinis indicia annulum scilicet aureum, & equum publicum, neq; in militia à Duce, neque domi à Censoribus quum conseretur postulasset, quod tamen uix est ut credi possit unquam accidisse. Quis enim quum ab infimo ordine populari, ad equestrem possit ascendere, aut ab equestri ad senatorium, recuset? Si quis igitur patriciae gentis, neque Senator esset, neque eques, is patricius quidem erat, & dicebatur; idem tamen de populo erat. Quando quidem ciuis Romanus quicunq; erat, ut is de tribus ordinibus unum haberet, senatorium, aut equestrem, aut popularem necesse esset. Ita ut dici posset, Senator non es, ergo eques, aut de populo; neque Senator, neque eques, quamuis patricius, ergo de populo; ordo enim praeterea nullus superest. Ita quoque de plebeio genere, qui patricio opponebatur, dicendum. Si Ciuis Romanus pelebeius minus haberet CD∞ de populo erat, si CD∞ HS. baberet, equūq; publicum obtinuisset, annuloque aureo uteretur, quamuis plebeius, erat tamen eques. Si ex equite in Senatum à censoribus lectus, Senator erat: hoc autem post reges exactos factum est. Senatorius autem census octingenta millia HS erat. At quadringenta millia, qui est equestris census, aut octingenta millia qui senatorius, possideo, sequitur ergo ut eques ob CD∞. aut senator ob DCCC∞. falsum. Census enim dat non ut eques, aut Senator necessario sis, sed ut esset possis; neq; propter opes honor datur, sed ob inopiam negatur; turpe enim & indecorum Senator egens, malasque res non omnino malis mentibus quandoq; persuadet inopia. Erant ergo ita patriciorum tres ordines sicut & ciuium plebeiorū. Ciues Romani patricij & plebeii, senatores; Ciues Romani patricii & plebeii equites; Ciues Romani patricii & plebei, de populo uel de plebe. Patriciorum uero & plebeiorum ciuium intio vrbis Romulus primus ordines siue genera diuisit, quū primo ut Liuius scribit, centum patres senatoresq; creauit, quorū filii patricii postea fuerunt dicti; uel quū eos tunc primum patricios creasset ut Dionysius, & à reliqua multitudine, quae plebs dicta est separasset; atq; illorum progenies patricii, horum uero plebeij dicti sunt; nisi à ceteris regibus, uel Bruto primo Consule ex plebeis, in patricios fuerunt lecti. Porro quae familiae patriciae, quae plebeiae fuerint suo loco demonstrabo. Ciuis autem Romanus ex equite senator factus, equestris ordinis insignia, annulum scilicet, & equum publicum, minime amittebat, auctus enim dignitate aliud quid praeterea etiam consequebatur. Nam praeter annulum & equum quae equitum erant, habebant senatores tunicam purpuream, ut ab equestri ordine aliqua omnino specie distinguerentur, sicuti equester ordo à cetero populo annulo aureo, & equo distinguebatur. Porro autem quum Senatus à censoribus legendus esset, quod non nisi ex equestri ordine suppleri soleret, equester ordo senatorum seminarium dicebatur, quod ex eo potissimum medio inter Senatum, & populum Romanum ordine, senatores à censoribus legerentur. Nouissimis autem Reip. temporibus, quum omnes fere patriciorum, tum maiorum, tum minorum gentium familiae defecissent, atq; rerum publicarum administratio penes nouos homines, uel plebeios, senatusque fere omnis ex bis lectus esset, primus Caesar ex senatoribus plebeiis patricios multos fecit. In his Tullios, Octauios, Iunios, Attios, Pedios & multas praeterea familias. Post Caesarem Augustus primo, deinde Claudius, postea Vespasianus, ex praecipuis & dignioribus senatoribus patricios legerunt, ut produnt Cor. Tacitus libro XIII. & Iulius Capitolinus in vita M. Aurelii Imperatoris. Vbi ita scribit: Marci auus Annius Verus iterum Consul, & praefectus vrbi, adscitus fuit in patricios à principibus Vespasiano & Tito censoribus. Post eos sequentes Imperatores nobilissimos quosq; è senatoribus, ex toto orbe Romano, cui ciuitas data erat factos, in patricios adlegerunt. Ita ut qui primo ex patriciis senatores, ita mutato rerum ordine, ex senatoribus patricii crearentur. Porro circa Constantini & sequentium Imperatorum usque ad Iustinianum tempora, patriciatus dignitas maxime aucta est; atque pro singulari quodam & eximio munere bene de Rep. meritis concedebatur. Sic legimus multos duces & senatores, urosque consulares à Constantino, Valentiniano, & Theodosio Imperatoribus patricios lectos. Quae autem essent patriciorum dignitas, & priuilegia, nouissimis Romani imperii temporibus docet Cassiodorus libro variarum VI. in formula patriciatus, ita enim scribit. Si antiquitatis ordine perscrutemur originem dignitatum, patriciorum familia Ioui noscitur fuisse dicata, ut summi dei (sicut putauere) cultura locum primarium possideret. Sed quia uos aliquod babere decebat eximium, & nomen ipsum patribus magna se nicinitate iungebat, superstitione derelicta ad uestrum coetum felici conditione migrauit Quia pontificalis laus conscientiae senatui recte poterat conuenire. Hinc est quod & bonor ip

fe cinctus est, quum uacaret nihil iurisdictionis habens,& iudicantis cingulum non deponens; in quo felicitas perpetua noscitur dum successoris ambitio non timetur. Nam mox ut datus fuerit in uitae tempus, reliquum homini fit coaeuus, ornatus indiuiduus, cingulum fidele, quod nescit ante deserere, quam de mundo homines contingat exire. Credo ad similitudinem pontificatus unde uenerat rem fuisse formatam, qui sacerdotium non ponunt, nisi quum uitae munera derelinquunt. Additur quod leges tantam illis reuerentiam detulerunt, ut in sacris positus quum hoc fuerit honore praecinctus, paternae potestatis nexibus exuatur, nisi contra specialiter à principe caueatur. Quod constat ratione probabili constitutum, ut qui amplissimum genium pretiosae libertatis acceperat, uilissimam conditionem cum subditis non haberet. Praefectorios & aliarum dignitatum uiros praecedit, unitatum caedens fulgori, quem interdum etiam à nobis constat assumi. Proinde necessario laudatam intellige dignitatem, ne aut nos parum dedisse uideamur, aut tu negligentius tractes, si te aliquid mediocre suscepisse putaueris. Quapropter &c. Quum autem Romanos ciues in duo genera à Romulo diuisos fuisse dixerim, patricios & plebeios, uaria quoque erant eorum munia & dignitates. Nam quum prius uniuersa Resp. paucorum patriciorum imperio commissa, plebsque omni prorsus Reip. munere exclusa esset, patriciique soli consulatum id est regium imperium, sacra, comitia, omnemque in plebem & uitae & necis potestatem haberent, plebsque ipsa non modo omnis expers honoris optimatibus obediret, sed dirempto etiam connubiorum iure magna cum indignitate seruiret, secessione facta, sacrosanctum tribunatum à patricijs extorsit, quo ipsa tanquam acerrimo quodam telo contra optimatum potentiam atque libidinem, se, libertatem, atque pudicitiam suamque retur, atq; defenderet. Cuius auxilio primo connubiorum ius, mox etiam, Consulatum, Dictaturam, Censuram imperium, sacra, sacerdotia, quae unius ante nobilitatis fuerant, non sine magnis Reip. motibus sibi uindicauit. Eoque deuentum est, ut omnia fere sacerdotia & magistratus promiscua essent, praeter Interregem, Regem sacrorum, Flamines, Salios, & ex dimidia parte reliquos sacerdotes, ut pontifices, & augures, qui ex patriciis semper fuerunt. Econtra, plebis tribunatum uiro patricio capere fas non erat, nisi ad plebē trāsiisset, quod ut plurimum adoptione fiebat; Nam homini plebeio lege curiata patricium, patricio uero plebeium adoptare non licebat. Ita Clodius, ita Dolabella ex patriciis plebei facti, tribunatum plebis adepti sunt. Vt autem ad rem redeam. Senatorius qui & amplissimus ordo dicebatur, Romae usque ad Iustinianum Imp.& bellum Gothicum Italicum perdurauit. In quo omnis fere Romana nobilitas, atque in primis uiri senatorii omnes à Gothis excisi sunt. Sensimque Exarchorum tyranide cum imperii Romani occidentalis nouissimo casu, quum ordinis nomen, tum dignitas ipsa defecit, Duce & Iudicibus aliquot vrbem pro Imp. Constantinopolitano administrantibus. Porro circa Annum Christi ∞CXL. Senatorius ordo à Romanis restitutus, atque circiter XXX. Senatores contra Romani pontificis uoluntatem facti, diu vrbis imperio non sine magnis seditionibus, & intestinis discordiis potiti sunt, donec sensim deficientibus, ad XX. primo, mox decem, deinde sex, postremo duorum numerum redacti fuere. Duos autem populi Rectores qui ex XXX. illorum ordine reliqui fuerant, quos senatores populus Romanus appellabat, diu vrbem administrasse constat: donec & eorum potestate à Romanis Pontificibus abolita, unus tantum relictus fuit, qui Romanis Praetoris loco esset, qui in antiquae institutionis memoriam Vrbis senator inepte nimirum, adhuc appellatur

DE INTERREGIBVS

POST Romuli mortem, patrum animos certamen regni ac cupido versare coeperunt: nec dum autem ad singulos, quia nemo magnopere eminebat in nouo populo, peruenerāt factiones, inter ordines certabatur. Oriundi ab Sabinis, ne, quia post Tatii mortem ab sua parte non erat regnatū in societate aequa, possessionem imperij amitterent, sui corporis creari regem uolebāt: Romani veteres peregrinum regem aspernabantur. In varijs uoluntatibus regem tamen omnes volebant, libertatis dulcedine nondum experta. Timor deinde patres incessit, ne ciuitatem sine imperio, exercitum sine duce, multarum circa ciuitatum irritatis animis, uis aliqua externa adoriretur; itaque rem inter se ducenti patres decem decuriis factis, singulisque in singulas decurias creatis, qui summae rerum praeesse consociarunt. Eos autem tunc centum Senatores Liuius, Plutarchus centū & quinquaginta; Dionysius uero CC. fuisse scribunt. Centū videlicet ex Romanis & totidem ex Sabinis. Postea autem sorte missa, eorum decuria cui primo sors obtigisset, vrbi imperitabat, non autem simul omnes decem; sed vnus tantum cum insignibus Imperii & lictoribus erat: quinque dierum spatio finiebatur imperium, ita ut uniuscuiusque decuriæ patres quinquaginta dies vrbi praeessent. quinque enim diebus exactis, is cui primum in ea

ea decuria imperii ſors obtigerat, ſecundo tradebat cum imperij inſignibus poteſtatem, atque ille tertio, aliis quinque diebus finitis: atque ita vſque ad decimum; elapſo primis decem interregibus quinquaginta dierum ſpatio, alia ſenatorum decuria eadem ratione alios quinquaginta dies vrbi praeerat, ac per omnes in orbem ibat, donec annuum interuallum regni exactum fuit. Id ab re, quod poſtea quoque tenuit nomen interregnum appellatum eſt, homineſque ipſi Interreges. Hoc itaque anno primo apud Romanos Interregis magiſtratus inuentus eſt. Non autem omnes Senatores interreges fuerunt; Nam ſi annus ille decem tantum menſium fuit CCC. uidelicet & quattuor dierum, Interreges circa ſexaginta tantum fuerunt. Si uero per intercalationem ad Lunae ſaltem curſum reuocatus fuit, ut CCCLIIII. dierum ſpatio conficeretur, Interreges fuerunt plus minus LXX. De Interregum origine Dionyſius libro II. Liuius libro I. Plutarchus in Numa, Eutropius, Sex. Rufus. Euſebius; & alii ueteres ſcritores multa prodideret Porro autem non ſolum mortuo Romulo ad interregnum uentum eſt, Sed etiam poſt Numae, Tulli, & Anci Regum exceſſum. Itemque Reip. tempore poſt annuorum magiſtratuum tempus exactum, ante nouorũ creationem quã ſaepiſſime. Quibus comitia habentibus noui magiſtratus à populo creabantur. Interregis autem munus erat, per omnes dies interregni ſui, qui ex more ueteri quinque numerum non excedebant, ea omnia obire quae uel Regum, uel conſulum in vrbe fuiſſent, perinde ac ius dicere, Remp. adminiſtrare, ſenatum habere, ad eumq́ue de rebus referre, ſubrogandiſq́ue magiſtratibus comitia habere. Legimus aliquando Interregi tempore Interregni ex. S. C. Ius conceſſum, ut uideret ne quid Reſp. detrimenti caperet; quae poteſtas ſumma in Republica erat, & non niſi magnis Reip. periculis cuiquam concedi ſolebat. Hac autem ratione Interreges creabantur. Vt primũ annuus magiſtratus, ut Conſules, uel Tribuni militum conſulari poteſtate, magiſtratu abiiſſent, niſi prius ipſi ſucceſſorum conſulum creandorum comitia habuiſſent, nulluſq́ue in urbe eſſet (reliquus) patricius magiſtratus Interrex ex patriciis à Senatu, nec à Senatoribus cunctis ſed à patriciis tantum creabatur, Inter rex enim eſſe nõ poterat qui patricius non eſſet. Qui niſi in quinque dierum interuallo, quibus praeerat conſulibus creandis comitia habuiſſet, alio Interrege prodito magiſtratu abibat, & ſic deinceps alius alio, donec comitia habita eſſent. Quare multoties uel candidatorum ſeditionibus, uel Tribunorum interceſſionibus ad quartum, quintum, & aliquando plures interreges deuenire neceſſe erat. Pedianus in Milonianam. Fiebant (inquit) interea alii ex aliis Interreges, qui comitia Conſularia propter eorum candidatorum tumultus, & eaſdem manus armatas habere non poterant. Et ibidem paulo inferius: poſt biduum medium quam Clodius occiſus erat, Interrex primus proditus erat. M. Aimilius Lepidus. Non fuit autem moris ab eo qui primus Interrex proditus erat comitia haberi, quare quum contra ius poſtularent, ut Interrex ad comitia Conſulum creandorum deſcenderet, idq́ue ipſe non faceret, domum eius per omnes interregni eius dies (fuerant autem ex more quinque) obſederunt. Interregem autem prodere III. Kal. Februarii moris erat, vt auctor eſt Aſconius, quamuis Feneſtella IIII. cal. Februarii tradat. Aſconii autem ratio actis Senatus excepta eſt. Interreges autem, Regem Sacrorum, alias ſacrificulum, Flamines omnes, Salios, & ex dimidia parte reliquos ſacerdotes ſemper ex patriciis fuiſſe creatos, Interregemque à patriciis prodi ſolitum referunt Cicero pro domo ſua ad pontifices, & Aſconius. C. Mario iuuene, & Papirio carbone III. Coss. Occiſis. Interrege L. Valerio Flacco comitia habente L. Cornelium Sullam Dictatorem R. P. C. creatum fuiſſe ſcribit Appianus libro bellorum ciuilium primo. Ciceroq́ue contra Sulpicium Ruſſum huius interregis meminit. Cn. quoq; Pompeium Magnum primum ſine Conlega Cos. ſeditionis ſedandae cauſſa à XII. demum Interrege Ser. Sulpicio Rufo V. cal. Martii renunciatum fuiſſe, docet in Milonianam Pedianus; & Cicero de legibus. Comitiorum enim tempus eo uſque potentiſſimorum candidatorum contentionibus, & tumultibus extractum erat. Interregis autem magiſtratus ſub Caeſare Dictatore Romae eſſe deſiit, quum is Rep. oppreſſa, omnia ad libitum adminiſtraret. Atque hactenus de Interregibus.

DE. NVMA. POMPILIO. REGE. SECVNDO

ANNO Interregni finito, grauis populo Romano uiſa eſt ea regnandi ratio, plebs enim fremere, multiplicatam ſeruitutem, ducentos pro uno dominos factos, nec vltra niſi regem, & ab ipſis creatum uidebatur paſſura. Quae quum patres ſenſiſſent, in hoc tandem conuenere, ut ueteres ſenatores regem crearent, quem uellent praeterquam ſui corporis. Quare ut ſeditionis occaſio tolleretur, aliquem uirum externum, neutriſq́ue adherentem in Regnum uocare decernunt, omnibusq́ ſuffragiis hominem Sabini generis praetulerunt Numam Pompilium Pomponis (ut ſcribit Dionyſius) uiri illuſtris inter Sabinos filium, atque è quattuor fratribus natu minimum, cuius inclyta religio, iuſtitiaque ea tempeſtate erat. Curibus Sabinorum is uir diuini hu

manique iuris consultissimus habitabat. Qui in urbem accitus augurato regnum auspicatus est, Vrbis conditae anno nouo & XXX. Olympiadis XVI. anno secundo. Rex autem creatus nulla belli laude insignis fuit; sed non minus ciuitati in pace quam Romulus in bello profuit. Nam quum dea Egeria sibi congressus nocturnos esse simulans, multis bellis animos ferocis populi iniecto religionis metu compescuit, qui proeliorum nimia consuetudine, latrones fere uidebantur. Vrbem vero nouam ui & armis conditam, iure, legibus, ac moribus de integro condere coepit. Quibus bellis frequentibus assuetis, quum haec facile se persuadere non posse cerneret, mitigandum ferocem populum armorum desuetudine ratus, Iani templum ad infimum Argilletum indicem pacis bellique fecit; Quod apertum in armis esse ciuitatem, clausum uero circa omnes populos significaret pacatos. Omnibus uero finitimis gentibus societate, ac foederibus iunctis, id primus clusit. Quo facto, leges plurimas & utiles populo Romano, moresque constituit. Annum ad cursum Lunae in XII. menses, additis Ianuario & Februario, primus descripsit, eumque ad Solis meatus per uarias intercalationes reducendum curauit; nefastos dies, fastosque fecit. Sacerdotum plura genera excogitauit, ueteribusque à Romulo institutis adiunxit, atque ad octo numerum auxit. Fuerunt autem XXX. curiones; quorum primus curio maximus dictus. Tres flamines, Dialis videlicet Ioui, Martialis Marti, & Quirinalis Romulo consecrati, quibus postea duodecim alii additi. Tres augures, ad quindecim postea numerum redacti. Tribunus celerum, qui secundum post Regem locum obtinebat. IIII. uel ut aliis placet VI. virgines Vestales, duodecim Salii Palatini Marti sacrati; quorum primus Magister collegii Saliorum dicebatur, hi ancylia ferebant belli tempore. Fetiales cum patre patrato, ab Aequis mutuati, & Pontifices III. quorum primus Pontifex Maximus appellabatur, quorum collegium ad XV. postea numerum auctum. Omnium denique sacrorum ritus tradidit. Pontificem Maximum Numam Marcium M. F. generum suum fecit Anci posta Regis patrem. Quas ob res uicini populi qui antea vrbem infestare solebant, in eam uerecundiam adducti sunt, ut ciuitatem totam in cultum uersam deorum uiolari nefas ducerent. Itaque hi duo reges alius alia uia, ille bello, hic pace ciuitatem auxerunt. Eius autem patrem Valerius Maximus, Plutarchus, & is qui de uiris illustribus scripsit uocant Pomponium: at Dionysius libro II. itemque libro XL. Liuius Pomponem. Eum autem regnasse annos XLIII. omnes conueniunt praeter Eutropium, Eusebium, & Cassiodorum recentiores scriptores, qui XLI. produnt. Ipsum quoque annos plus XXC. uixisse refert Dionysius. Natus enim erat teste Plutarcho, eo die quo Romulus vrbem condiderat, videlicet XI. cal Maii. De uxoribus & liberis eius magna quaestio est: Alii uxorem eius unam tradunt Tatiam, T. Tatii Sabini, qui cum Romulo regnauit filiam: alii aliam adiungunt Lucretiam, quam post Tatiae mortem rex sibi desponderit. Eadem ratione alii Pompiliam tantum filiam ex Tatia; alii praeter Pompiliam filios etiam quattuor ex Lucretia reliquisse tradiderunt Pomponem, Calpum, Pinum, & Mamercum, à quibus quattuor Romanas familias manasse scripserunt, id est Pompouios, Calpurnios, Pinarios, & Aimilios. Filia autem Numae Marcio M. F. Pontifici Maximo nupsit, ex quibus Rex quartus progenitus est Ancus Marcius. Numae autem corpus in Ianiculo sepultum est, cuius arca lapidea longo annorum interuallo post in Ianiculo inuenta. De Numa Dionysius libro II. Liuius libro I. Solinus cap. II. Plutarchus, Plinius, & Eutropius in eius uita; itemque Valerius Maximus pleraque tradidere.

De Tullo Hostilio III. Rege

Post mortem Numae quum ad interregnum uentum esset, factum est S. C. in quo approbante plebe, auctoribus patribus Rex Romanorum tertius creatus est Tullus Hostilius Anno vrbis conditae XXCIII. primo XXVII. olympiadis anno. Hic ut quibusdam placuit primus Regum Roman. sellam curulem, lictores, togamque pictam inuenisse dicitur. Albanis ob non redditam praedam ex agro Romano abductam bellum indixit, quo tergeminorum pugna finito victores Romani fuerunt. Mettius Suffectius Albanorum Dux, quum ob eam rem se inuisum suis ciuibus uideret, ut rem corrigeret, Veientes & Fidenates contra Romanos clam incitauit; quibus à Tullo uictis Mettiique proditione cognita, ipse captus occisus est; Albaque dirui iussa, Anno postquam ab Aeneae filio Ascanio condita fuerat CDXXCVII. Tullus autem euersa Alba, Albanos Romam transire iussit, plebi ciuitatem dedit, primores in patres legit, inter quos nobiles familiae fuere, Iulia, Seruilia, Quinctia, Gegauia, Curiatia, Cloelia, Quinctilia, & Atilia. Quum uero Roma Albae ruinis ualde creuisset, duplicatusque ciuium numerus esset Coelius mons vrbi adiectus, Albanisque ad habitandum assignatus, in quo ut frequentius habitaretur, Tullus regiae suae sedem posuit, quae postea Curia Hostilia appellata est. Fidenatibus uictis Sabinos quoque bello domuit, & de iis triumphauit. Eum autem post Numam

annos

annos XXXII. regnasse omnes scriptores tradunt. Demum fulmine ictus cum regia, vxore, & filiis, omnique familia conflagrauit ut prodit apud Plinium lib. II. L. Piso in annalibus. Quam uis alii eum Anci Marcii qui post ipsum regnauit insidiis extinctum scribant. De Tullo Hostilio Dionysius, Liuius, Eutropius, Macrobius, uterque Plinius, valerius Maximus, Gellius & alii multa scribunt. De eius uero genere haec accepi: Dionysius libro III. Vir (inquit) nobilis ac fortis Hostilius, ex vrbe Medullia quum Romam regnante Romulo commigrasset, Hersiliae filiam sibi despondit. Qui quum bello Sabino cecidisset, filium reliquit ex quo Tullus Hostilius Rex natus est. Liuius uero libro primo Tullum Regem Hostilii illius nepotem vocat, cuius bello Sabino infima arce clara pugna sub Romulo fuerat: De quo uterq; Plinius maior quidem libro XVI. cap. IIII. ita scribit: Romulus frondea coronauit Hostium Hostilium quod Fidenas primus inrupisset, auus Tulli Hostilii Regis hic fuit. Minor uero in libro de viris illustribus in Romulo idem refert, eumque Hostium appellat. Macrobius autem primo Saturnalium: vetustatis peritissimi referunt in raptu Sabinarum unam mulierem nomine Hersiliam, dum adhaereret filiae simul raptam, quam quum Romulus Hosto cuidam ex agro Latino, qui in Asylum eius confugerat, uirtute conspicuo uxorem dedisset, natum ex ea puerum antequam ulla aliarum Sabinarum partum ederet, eumque quod primus esset in hostico procreatus Hostum Hostilium à matre uocatum; & eundem à Romulo bulla aurea, ac praetexta insignibus decoratum. Ex quibus locis satis intelligi potest, patrem & auum huius regis Hostii praenomen habuisse. Quod praenomen ego Hostium potius quam Hostum dixi, quod cur fecerim inferius demonstrabo

De Anco Marcio quarto Romanorum Rege

POST Tulli Regis obitum Interrex à patribus proditus est, quo comitia habente anno vrbis conditae CXIIII. Olympiade uero XXXV. Ancum Marcium quartum Romanorum Regem populus creauit, patres auctores fuere. De cuius patre, atque auo, haec inueni. Plutarchus in Numa: Marcius (inquit) Sabinus, quum Numam Pompilium ad Regnum suscipiendum hortatus esset, cum eo Romam commigrauit, & in Senatum lectus est. Post obitum autem Numae in regni certamine à Tullo Hostilio superatus sibi mortem consciuit: ex eo natus est Marcius cui Pompilia regis filia collocata est, ex quibus genitus est Ancus Marcius Rex quartus. Eadē fere referunt Liuius & Dionysius. Patrem autē Regis huius Numae praenomine usum esse uidetur referre Tacitus lib. V. quum ait: Numā Marcium ab Tullo Hostilio Rege vrbi praefectum fuisse. Nemo autem regnante Tullo nisi Anci pater Romae nixisse uidetur e gente Marcia, cui ille tantum muneris mandare potuerit; de eo quoque mentionem facit Liuius libro primo quem Numam Marcium M. F. vocat, eumque à Numa Pompilio Rege Pontificem maximum creatum fuisse tradit. Is rex creatus caerimonias à Numa institutas, & paulatim abolitas renouauit, bella cum Latinis, Fidenatibus, Sabinis, Veientibus, & Volscis gesit. Ex quibus, Latinis victis & ad vrbem acciris, montem Auentinum asignauit, Ianiculum ponte sublicio super Tiberim facto vrbi inclusit; nouis moenibus vrbem circumdedit, fines imperij protulit, Ostiam Coloniam deducit, salinarum uectigal instituit, carcerem primus aedificauit, ius fetiale ab Aequicolis acceptum instituit, quamuis hoc institutum alii Numae Pompilio tribuant. His itaque egregijs pace belloque rebus gestis, anno regni sui quarto & vigesimo vt Liuius & Dinysius, uel XXIII. ut Eusebius, Eutropius & Cassiodorus produnt, obijt. Reliquit autem duos filios, qui quum postea L. Tarquinium Priscum Regem occidissent, à Ser. Tullio Rege in exilium acti sunt. De hoc Rege plura Dionysius libro III. Liuius libro primo, Plutarchus, vterque Plinius, Messalla, Eutropius & reliqui scriptores

De L. Tarquinio Prisco Rege Romanorum quinto

L. Tarquinius Priscus (ut Dionysius, Liuius, & Strabo scribunt) Damarati Corinthii mercatoris exulis filius fuit; qui quum patria per seditionem à Tyranno Cypsello pulsus esset, in Italiam traiecit; Tarquiniisque Etruriae vrbe consedit. Vbi filios duos genuit Aruntem & Lucumonem. Arunte ante patris mortem, & Damarato patre paulo post mortuis, Lucumo Tarquinios relinquens Romam cum uxore Tarquiniensium nobilissima Tanaquilde sub Rege Anco uenit, Vbi more Romano, se pro Lucumone Lucium, & Tarquinium ab vrbe in qua educatus fuerat appellauit: à posteris uero Priscus dictus est, vt ab eius filio, uel nepote Superbo distingui posset, quod eo maior natu fuisset. Diuitijs autem, industria, & qua plurimum valebat prudentia clarus factus, ab Anco Rege in Senatorum numerum accitus est. Is eo moriente, quum

tutor

tutor liberis suis relictus esset, regnum ambitiose primus, & ad conciliandos animos oratione habita intercepit, pueris Anci filiis interregni tempore tanquam uenatum ablegatis. Rex autem ab interrege iussu populi, patribus auctoribus proditus est, Anno vrbis conditae CXXXIX. Olympiade XLI. Hic Reip. augendae studiosus centum ex populo patricios legit, qui minorum gentium ut ait Liuius dicti sunt, Senatorumque ad CCC. numerum auxit. Latinos, Etruscos, & Sabinos rebellantes, ac populationibus infestum Romanum agrum reddentes pluribus proeliis fregit, ac de iis triumphauit. Circum maximum ex hostium manubijs fecit: de quo & ludis maximis uel circensibus ab eo institutis satis disputaui in eis libris, quos de ludis Romanis conscripsi. Equitum centurias duplicauit. Vrbem muro lapideo circundare coepit, quem Ser. Tullius perfecit; Postremo bellica uirtute, & pacis artibus clarus octogenario maior, insidiis duorum Anci Marcij Regis filiorum extinctus est. Anno regni duodequadragesimo, ut Liuius & Dionysius quos ego auctores sequutus sum, tradunt, vel XXXVII. vt Solinus, Messalla, Rufus Eutropius, Cassiodorus, Eusebius, & Bedas. De quo praeter supradictos scriptores, multa Valerius Maximus, Vterque Plinius, & Sex. Pompeius scripserunt. Vxorem (ut dixi) habuit Tanaquildem Tarquiniensem, quae à Romanis Caia Caecilia appellata fuit, hanc Etruscae disciplinae peritam, regnum viro adhuc priuato auguratam fuisse scribunt, quae tantae fuit probitatis, vt boni ominis caussa omnibus matronis Caiae praenomen reliquerit: ex qua rex Tarquinius duas filias tulit, quarū una Ser. Tullio Regi nupsit; alia M. Iunio patri Bruti primi Cos. itemq; filium qui viuente patre mortuus est, duobus filijs Arunte & Lucio relictis, ex quibus Lucius, cui postea Superbo fuit cognomen, Romae regnauit, vt scribit Dionysius, à quo Liuius & Verrius Flaccus ut postea dicam, in ea re dissentire videntur

De Ser. Tullio Rege Romanorum sexto

CAESO Prisco Tarquinio statim iniussu populi, patrum tamen consensu primus regnum Romanum suscepit Ser. Tullius Anno vrbis CLXXVI. Olympiadis quinquagesimae anno III. in cuius genere tradendo uariant auctores. Tullius enim (inquit Dionysius) Corniculanus uir nobilis, quum pro patria quae tum à Tarquinio Rege oppugnabatur dimicās cecidisset, Ocrisiam vxorem praegnantem reliquit, quam captiuam rex vxori Tanaquildi donauit. Ea quum puerum peperisset, quem à patris nomine Tullium, à fortuna Seruium nominauit, libertati restituta est; puer autem ubi corroborata aetate fuit, regi gener adscitus est; quo à filiis Anci occiso, hortatu socrus regnum Romae suscepit. Liuius vero huius Regis patrem Ser. Tullium nominat: ita ut potius Seruii praenomen à patre sumpsisse uideatur, quam (ut Dionysius ait) à seruitute; quamquam ut adiicit Liuius fortuna matris, quod capta patria in hostium manus uenerit, ut serua natus uideretur effecerit. Verrius Flaccus in tabulis Capitolinis patris praenomen, quod ego Liuij auctoritate adposui, omisit, uel quia ambiguum esset, uel quod eum spurium, & incerto patre ortum opinaretur, quam sententiam multorum fuisse Plutarchus in libro de fortuna Romanorum ostendit. Quo in loco scribit, alios putasse Ocrisiam domi Tarquinij ex quodam regis cliente, alios ex lare aliquo, alios ex Vulcano ipso Deo Seruium procreasse. De Vulcano autem rumor eo percrebuit, quod ei puero in cunis existenti, repentina flamma caput arsisse proditum est. Quo signo Tanaquil regiua summam ei portendi dignitatem augurata est. Regno autem potitus, Veientes atq; Etruscos multis proelijs domitos, terque triumphatos, bello viginti annorum compescuit. Vrbis murum lapideum à Prisco Rege inchoatum perfecit, Quirinalem, Esquilinum, & Viminalem colles pomoerio inclusit, vrbem in quattuor tribus diuisit quas vrbanas appellauit, Suburanam, Palatinam, Collinam, & Esquilinam, XVII. alias quas rusticas uocauit adiunxit, scilicet Aimiliam, Clustuminam, Corneliam, Fabiam, Galeriam, Mentinam, Ocriculanam, Papiriam, Polliam, Pupiniam, Romiliam, Sergiam, Veientinam, Veturiam, Voltiniam, & eam quae postea Claudia appellata est, XXIq; Tribuum numerum fecit. Censum primus egit lustrumque condidit, Templum Dianae cum Latinis commune in Auentino fecit. Compitalitios ludos instituit, populo annonam, mensuras & pondera ordinauit, aereum nummum primus percussit: multa praeterea pace belloque praeclara gessit. Demum quum XLIIII. annos regnasset à genero Tarquinio caesus est: Filias enim duas ex Tarquinia vxore susceperat, quarum altera Arunti alrera Lucio Tarquiniis collocata fuerat. Ex quibus Arunte, & Tullia Lucii vxore mortuis, Lucius ipse fratris vxorem alteram, Tulliam in matrimonio habuit, cuius impulsu socerum interfecisse traditur. De annis Regni Ser. Tullii nonnihil controuersiae inter scriptores est. Liuius enim Dionysius, & Solinus quos ego sequutus sum, eum annos, XLIIII. regnasse scribunt, Messalla uero Coruinus, Sex. Rufus, Eutropius, Eusebius, Cassiodorus, & Bedas tantum XXXIIII. uerum eos decem, postea Tarquinii regno adiungentes nihil annorum huic summae officiunt.

Nam

Nam quos Liuius, Dionysius, & Solinus XXV. faciunt, eos XXXV. scribunt. De hoc Rege praeter hos scriptores mentionem etiam facit Cicero, Valerius Maximus, uterque Plinius, Gellius, & alii plerique

De Censu primo, & lustro instituto

SER. Tullius Rex Tuscorum exercitu fuso, Romam (ut inquit) Liuius reuersus, longe maximum pacis opus aggressus est: ut quemadmodum Numa diuini iuris auctor fuisset, ita Seruium conditorem omnis in ciuitate discriminis, ordinumque, quibus inter gradus dignitatis fortunaeque aliquid interlucet, posteri fama ferrent. Censum enim instituit rem saluberrimam tanto futuro imperio, ex quo belli pacisque munia non uiritim, ut ante, sed pro habitu pecuniarum fierent, nam classes, centuriasque, & hunc ordinem ex censu descripsit, uel paci decorum, uel bello. Tum igitur ciues omnes bona sua aestimare rex iussit, atque eorum aestimationem iure iurando obstrictos ad se deferre; praeterea patrem, nomina, & aetatem vxorum, liberorum, libertorum, seruorumque profiteri, quaque vrbis in regione, aut quo suburbii pago, habitarent, indicare: qui secus fecisset, bona eius publicari, ipsum uerberatum uenire, & ciuitatem amittere uoluit. Ex iis autem uerbis quae Dionysii sunt colligimus: Ciues Romanos non vbi ad aetatem ferendis armis idoneam, hoc est ad annos XVII. peruenerant, ut quidam existimarunt, sed à quo primum die nati erant, censos fuisse. Quo in loco Dionysius ipse libertinos quoque & seruos vna cum ingenuis fuisse censos significat. Quum autem ut ex eodem liquet rustici Romani censi fuissent, non est dubium, quin posteaquam communicari ciuitas coepta est, municipia & coloniae in censum recepta fuerint; de municipiis autem ita scribit Pedianus: Conuenerat ex municipiis cuiuscunque modi multitudo, aut propter comitia suffragiorum caussa, aut ludorum, aut ut censerentur. Idem quoque significant uerba Ciceronis in oratione Pro Cluentio quum scribit: Tabulas publicas Larini censorias corrupisse, decuriones uniuersi iudicarunt. Certe enim de tabulis iis intelligit, in qua Censores quum Ciuium Romanorum censum agerent, municipum nomina rettulerant. Coloni vero bello Punico secundo censeri coepti. Ita enim scribit Liuius libro XXIX. Duodecim coloniarum quod nunquam antea factum erat, deferentibus censoribus, censum acceperunt: ut quantum numero militum, quantum pecunia ualerent, in publicis tabulis monumenta extarent. Orbos autem & orbas, itemque uiduas censu exclusas aliquando fuisse refert Liuius. Libro enim III. Q. Fabio (inquit) T. Quinctio Cos. censa sunt ciuium capita CXXIIIↀ CCXIIII. praeter orbos, orbasque. Et libro LIX. ait: censa ciuium capita CCCLXIIIↀ. DXIII. praeter orbos & uiduas. Nulla igitur (his exceptis) hominum conditio censu à Ser. Tullio exclusa fuit, ut ex Dionysio satis constat. Qui professione perfecta tabulas perlegit, quibus & ciuium numerum, & uniuscuiusque opes cognouit. Prout autem uarius erat cuiusque census, ita etiam sex descripsit ciuium classes, quae in centurias dispartitae erant. Ita ut in primam ditissimum quenque, in sextam tenuissimum coniiceret. Ex his enim quorum maximus erat census, id est: qui centum millia aeris eoue amplius possiderent, primam classem fecit octuaginta centuriarum, quadraginta quidem seniorũ, & totidem iuniorum. Erant autem seniores post annũ aetatis XLV. iuniores autẽ à XVII ad XLV. seniores ad vrbis custodiã ut praesto essent, iuuenes ut foris bella gererent. Arma his imperata galea, clypeus, ocreae, lorica omnia ex aere, haec ut tegumenta corporis essent, tela in hostẽ hastaq; & gladius. Additae huic classi, ut Liuius scribit, duae fabrum centuriae: quae sine armis stipendia facerent, datum munus vt machinas in bello ferent. Has duas centurias, nõ primae sed secundae classi adiectas fuisse prodit Dionysius, earumq; unam centurias seniorum, alteram uero iuniorum sequi iussas. Secunda classis intra centum, usq; ad quinque & septuaginta millium censum vinginti centuriarum instituta, decem seniorum & decem iuniorum, his arma imperata, scutum pro clypeo, & praeter loricam omnia eadem. Tertiae classis quinquaginta millium censum esse uoluit, uiginti quoque centuriarum, ex quibus decem iuniorum, totidem seniorum, quibus de armis quicquam mutatum, praeter ocreas tantum, quas eis ademit. In quarta classe census quinque & uiginti millium ut Liuius uel XX. tantum millium ut Dionysius, totidem centuriae, eodemque discrimine aetatum factae; arma his immutata nihil praeter hastam & verutum datum. Quinta classis aucta, centuriae XXX. factae XV. seniorum, XV. iuniorum, XL millibus haec classis censebatur, fundas lapidesque missiles hi secum gerebant. In his ut Liuius scribit accensi, tibicines, cornicinesque in tres centurias distributi. Dionysius uero, duas tibicinum tantum centurias factas fuisse refert, easque quartae classi adiunctas, quarum vna erat seniorum altera iuniorum. Census autem XI. millium minor reliquam ciuium multitudinem habuit, quae erat maior ciuium multitudo, quam in unam centuriam redegit militiae ac tributi immunem, & haec fuit sexta classis. In hac autem centuria proletarii, & capite censi

erant. Proletarii autem erant qui ∞C. asses, uel plus minus in censum deferebant, qui soli in vrbe procreandae proli, & nulli alio uidebantur uacare publico muneri, unde à prole proletarii nuncupati. Capite censi uero tenuiores erant qui CCCLXXV. asses haberent in censum, qui quoniam pecunia non uiderentur censi, capite suo censebantur ciuium numerum augentes, quibus non ideo uacatio à militia data, quòd arma his quoque non comitti possent, sed quia bellicos sumptus facere nequirent. Eis enim temporibus milites se de suo alebant. Proletarii longo tempore post militare coeperunt. Capite uero censis primus bello Iugurthino arma dedit C. Marius, ut scribunt Sallustius, & Valerius Maximus. Ceterum Ser. Tullius ita pedestri exercitu ornato distributoque, equitum ex primoribus ciuitatis qui maximo censu essent, XII. scripsit centurias. Sex item alias centurias tribus à Romulo institutis, sub iisdem quibus inauguratae erant nominibus fecit, atque ad XVIII. numerum auxit, quas cum octuoginta primae classis centurijs coniunxit, eisq; ad equos emendos, dena millia aeris ex publico data, & quibus equos alerent uiduae attributae, quae bina millia aeris in annos singulos penderent. Ex qua diuisione sequitur ut decuriones, equites, senatores omnes in prima classe censerentur, quandoquidem neque decurio poterat esse qui centum millia non haberet, neque eques qui quadringenta millia, neque senator qui octingenta millia. Summa autem centuriarum quae omnibus classibus cōtinebatur, erat centū nonaginta trium, uel ut Liuius CXCIIII. qui unam tibicinum cornicinum, & accensuum centuriam adiungit. Ex his octo & nonaginta erant primae classis, si numerētur centuriae XVIII. equitum, uel centum centuriae erunt primae classis si duas Fabrum addiderimus, quas Liuius primae, Dionysius uero secundae classibus adiunxere. Populo ita distributo militum descriptionem per centuriarum diuisionem faciebat, ac tributum ex censu per easdem centurias imperabat. Nam si quando ei opus esset militum decem millibus, aut uiginti, diuisa in CXCIII. centurias ciuitate, per centurias imperabatur quantum dare militum quęq; oporteret. Tum inita ratione pecuniarū quae exercitui ducendo opus esset, populus in CXCIII centurias diuidebatur, & quid quamque centuriam conferre oporteret, imperabat. Qua ratione fiebat, ut qui maximo censu erant, quum & pauciores essent, & in plures diuisi centurias, saepius ac fere continenter ferrent onus militiae, & de suis facultatibus plus in commune conferrent, atque ut ait Liuius: In dites à pauperibus inclinata onera. Qui enim medio censu erant, quia plures erant, & in pauciores centurias distributi, nec ita saepe militabant, nec magno tributo grauabantur; qui uero infimo censu erant omni onere immunes fuerat. Atque illo quidem periculorum & impensarum onere diuitibus imposito, ut ne id grauiter ferrent, optimam rationem leniendae indignationis commentus est. Effecit enim ut hi uere Reip. domini essent, & in pauperibus nulla propemodum uis esset, idque ita fecit, ut se excludi plebs non sentiret: Fuit autem illa quam diuitibus dedit dominatio in comitiis, quibus res maximae à populo sciscebantur. Nam ex ueteri lege tria erant in populi potestate, magistratus omnes creare, leges condere, aut abrogare, bellum indicere, aut pacem facere. Haec uero à populo adhuc ita peragi solita erant, ut per curias diuisus suffragium ferret. Erantque tunc pauperes diuitibus ferendo suffragio pares. Quinetiam, quia multo pauciores erant diuites pauperibus, ita fiebat, ut vis suffragiorum essent penes pauperes. Quo à Ser. Tullio animaduerso in diuites transtulit potestatem suffragiorum; quando enim uolebat uel magistratus creare, aut leges ferre, aut bellum indicere, Centuriata comitia pro curiatis uocabat, ac primum quidem ad suffragium ineundum uocabat centurias maximi census, in quibus erant XVIII. centuriae equitum, & peditum XXC. Hae octo & nonaginta centuriae quae reliquam multitudinem tribus centuriis superabant si conuenissent, reliquas uincebat, omninoque quod statuissent obtineri oportebat. At si omnes illae non conuenissent, tunc uocabant secundae classis XX. uel XXII. centurias, quod si harum rursus diuersae fuissent sententiae, uocabantur centuriae XX. classis tertiae, mox quartae XX. uel XXII. idque eòusque faciebat, donec XCVII. centuriae conuenirent, quod si vocata etiam quarta classe id nondum ita accidisset, sed suffragiorum multitudine pares essent CXCII. centuriarum sententiae, tum ultimam centuriam sextae classis uocabat, quae cui parti se addidisset ea uincebat. Id quod raro aut nunquam usu uenit; fere enim à prima classe omnia transigebantur, raro ad quartam peruentum. Quinta uero classis, ac postrema nullius fere momenti erant. Atq; illo quidem ordine instituēdo, quo tantum auctoritatis dabatur ditioribus, ut pene exacti Reip. administratione pauperes viderentur, tantum adhibuit calliditatis, ut plebi infimae fraus non appareret. Omnes enim se aequabiliter gerere Remp. censebant, quod uiritim rogabantur in suis singuli centuriis. At decipiebantur, partim quod uniuersae centuriae unum esset suffragium, siue plurimos siue paucos ciues complecteretur, partim quod primae suffragium ferrent eae centuriae, quae erant maximi census, quae & plures erant numero reliquis omnibus, & pauciores tamen homines singulae continebant. Erat vero & pars fraudis non minima in eo,

quod

quod capite censi quamquam longe plures essent, unicum tamen suffragium omnes faciebant, ac postremi uocabantur. Qua ratione efficiebatur, ut diuites quorum erant maximae in Rep. impensae, quique continenter onera Reip. sustinerent, minus id grauate ferrent, propter eam quam obtinebant in rebus maximis auctoritatem; quam cum ijs non communicari uidebant, quibus in capescenda Rep. non tantum oneris incumberet: pauperes contra, quibus oneris publici minimum imponebatur aequo animo ferrent, se pro sua immunitate tributorum ac militiae inferiores iis esse, in quos ista incumberent. Haec ratio Reip. gerendae per multas aetates à Romanis seruata est. Qua ratione autem posterioribus temporibus mutata fuerit, tribuum numero aucto, centuriisq; duplicatis alibi explicabo. Censu autem à Rege Ser. Tullio perfecto, quem maturauerat metu legis de incensis latae (nam uinculorum minis, mortisq; edicto cauerat ne quis incensus remaneret) lustrum hac ratione primo condidit. Edixit ut omnes ciues Romani, equites, peditesque in suis quisque centuriis, in campo Martio prima luce adessent, ibi instructum exercitum omnem sue, oue, & tauro, sacrificio facto lustrauit, quas hostias quum eas prius circunduci ter circum exercitum iussisset, immolauit; idque conditum lustrum appellatum, quia in censendo finis factus est. Id autem sacrificii genus Solitaurilia, & Sueouetaurilia uocabant. Primo autem lustro censa fuisse XXC. ciuium millia traduntur, quem numerum eorum tantum fuisse Q. Pictor scripsit, qui arma ferre poterant. Dionysius uero ea XXCIIII. millia fuisse prodit. Idq; ex tabulis censoriis se accepisse scribit: cum Dionysio sentit Eutropius. Quum uero institutum fuerit ut quinto quoq; anno exacto census fieret, lustrumq; conderetur, hinc lustrum pro quinquennali spatio sumptum esse constat. Idq; à luendo dictum scribit Varro libro V. de lingua latina, quod quinto quoq; anno uectigalia, & alia tributa per censores persoluerentur: tamet si ultra quinquenii tempus uel bello, uel domesticis discordiis, uel alio casu saepe productum in septem, decem, & aliquando XVII. annos fuisse lustrum ex Fastis constet. Magistratus autem huic muneri praefuit primum qui summus in urbe fuit, Reges; electis regibus consules, deinde quum consules bellis impedirentur censores, qui ab re nomen acceperunt. Censum autem in foro primum, deinde in Villa publica (locus is erat in campo Martio) fieri institutum; lustrum uero semper in campo Martio conditum. Plura de censu, & lustro afferam, quum ad primam censorum institutionem explicandam deuenero. Haec autem ex Dionysio, Liuio, Plinio, Sallustio, Valerio Maximo, Eutropio, Censorino, Sex. Pompeio, L. Floro, & ceteris qui Ser. Tullij regis acta scripserunt decerpsi

De anno quo primum lustrum à Rege Ser. Tullio conditum est

PRIMVM autem lustrum conditum fuisse Anno vrbis conditae CXXCVI vel CXXCVII. qui Regni Ser. Tullij annus XI. vel XII. erat, colligitur ex Censorino: qui in libro de die natali cap. XIIJ. inter primum lustrum & L X X V. quod ab Imp. Caesare Vespasiano Augusto V. & Tito Caesare III. Cos. & Censoribus factum est, annos intercessisse plus minus DCXL. tradit. Nam ab anno vrbis CLXXXVI. ad Annum DCCCXXVI. in quo Vespasianus & Titus censores lustrum condiderunt, inter sunt anni DCXL. quos inter vtraque lustra fuisse prodit Censorinus. Hoc autem Liuij quoque auctoritate confirmatur. Qui post victos Etruscos Ser. Tullium censum fecisse scribit. Porro in tabulis Capitolinis secundus Ser. Tullij de Tuscis triumphus notatus est VIII. cal. Iunij Anno vrbis CXXCVI. Quo acto verisimile est eum statim census descriptionem inchoasse, lustrumque censu acto primum condidisse. Tria autem sequentia lustra singulo quinquennio annotaui, quod iam vulgatum sit, vt lustrum quintoquoq; anno redeunte conderetur, veroque simile sit primis lustris Ser. Tullium Regem ordinem à se institutum seruasse. Porro autem eum quater lustrum condidisse testatur Valerius Maximus lib. III. cap. IIII. De his qui infimo loco nati clari euaserunt. Vbi ita scribit: In Ser. vero Tullio praecipue fortuna vires suas ostendit, vernam huic vrbi natum, regem dando, cui quidem diutissime imperium obtinere, quater lustrum condere, ter triumphare contingit

De L. Tarquinio Superbo Rege VII

ANNO vrbis conditae CCXX. Olympiadis LXI. anno tertio, occiso Ser. Tullio Rege, non per interregem, legumque iure, sed armorum ui regnum Romanum L. Tarquinius Iunior inuasit, à morum acerbitate Superbus cognominatus, quia soceri à se occisi corpus sepulturae mandari vetuisset, Romulum quoque insepultum perijsse dictitans. Eum autem L. Tarquinii Prisci regis filium fuisse tradunt Q Pictor, Cn. Gellius, Licinius Macer, Verrius Flaccus, & Liuius. Dionysius tamen ex L. Pisone Censorio in annalibus, firmissimis certissimisque rationibus errorem

rorem illorum coarguit, idque haud fieri potuisse, ex certa annorum ratione ostendit. Nepotem autem Prisci fuisse ex filio, qui Prisco ipso uiuente obiit, at vero adoptione filium probat, quae res ceteris erroris caussam tribuerit. Vtrocunque autem modo sentiamus, vera Verrij Flacci descriptio in tabulis Capitolinis erit, quum eum L. F. Damarati N. esse refert. Hic regnum per vim adeptus, primores patrum quos Seruii rebus fauisse arbitrabatur occidit, conscius dein de male quaesiti regni, ab ipso aduersum se exemplum capi posse existimans, armatorum custodia corpus suum circumsepsit. Bello autem strénnus bellum cum Volscis primus gessit, Sabinos uicit. Ex hostium Volscorum manubiis templum Ioui optimo maximo, quod Tarquinius Priscus uouerat in Capitolio condidit, Gabios in potestatem suam redegit, ferias Latinas primus instituit, cloacam maximam fecit. Pacem cum Aequis, foedusque cum Tuscis renouauit. Multa praeterea bello paceque praeclara gessit. Filios autem tres ex Tullia suscepit Sextum, Aruntem, & Titum. Ex his Sextum natu maximum vocat Dionysius, at Liuius, & in Fastis Ouidius minimum. Hic quum stuprum Lucretiae intulisset, caussam L. Bruto, & sociis eius praebuit, vt pater Superbus Rex, quum tota regia stirpe Roma exigeretur. Quamquam Seruius non Sextum, sed Aruntem, qui Lucretiae uim fecerit, nominat. Titus ad oraculum à patre comite L. Bruto dato missus, quum quis post Tarquinium vrbe potiturus esset consuluisset, responsum est, eum qui primus matrem osculatus esset, quo responso quum Titus aliter interpretaretur, L. Iunius Brutus Tarquinia regis sorore genitus, prolapsum se simulauit, & terram osculatus est, idq; factum euentus rei comprobauit. Nam quum impotenter se gerendo Superbus, omnes in odium sui adduxisset, nouissime propter expugnatam nocturna vi à Sexto eius filio Lucretiae pudicitiam, Bruti opera maxime, regno cum vxore & filiis exactus est, quum annos XXV. ut Dionysius, T. Liuius, & Solinus scribunt Romae regnasset, perpetuoque exilio cum omni stirpe sua mulctatus est. Qui statim ad Porsennam Clusinum Tuscorum Regem confugit, cuius opera primo, deinde Latinorum quum in regnum restitui saepe frustra tentasset, demum Cumas concessit, ubi cum summa ignominia reliquum uitae tempus apud Aristodemum Tyrannum transegit. Reliquit & filiam Tarquiniam, quae Octauio Mamilio Tusculano Duci nupsit. De eo plura scripsere Dionysius, Cicero, Liuius, vterque Plinius, Valerius Maximus, Macrobius, Gellius, Item Eutropius, Eusebius, Cassiodorus, & Bedas qui Tarquinio Superbo X. annos quos Ser. Tullio abstulerunt addentes, eum XXXV. annos regnasse scribunt

De annis quibus Romae regnatum est

ANNVS quo primi Consules magistratum inierunt, uarie ab historicis Romanis (ut eorum consuetudo est) proditur. Dionysius enim libro primo, in fine quarti, & initio quinti, Reges annos CCXLIIII. fere integros regnasse scribit. Quod etiam ex Varronis annorum summa elicitur, Liuius quoq;, Censorinus, & Messalla idem confirmant. Quorum sententias ego etiam in Fastis sequutus sum. Quum autem Eutropius & Sex. Rufus eos annos tantum CCXLIII. regnasse scribant, animaduertendum, ex singulorum regum, quos enumerant annorum summa, ipsos annis regum, interregni annum eximere, quem Dionysius, Liuius, Varro, Censorinus & Messalla interponunt. In enumerandis enim singulorum Regum annis, tot eis Eutropius, & Sex. Rufus annos regni tribuunt, quot Dionysius, Liuius, & caeteri; quo fit ut iidem scriptores idem omnino cum Dionysio & reliquis sentiant. Alii uero ut est apud Eusebium in chronicis CCXLIII. annos tantum cum interregno Reges regnasse scribunt, quorum sententiam sequuti uidentur Paullus Orosius, Iornandes, & Bedas. Orosius enim libro V. cap. IIII. & V. anno ipso CCXLIIII. Brutum Consulem de filiis supplicium sumpsisse scribit, idem Bedas cap. LXVI. & Iornandes confirmant. Hos autem XXXIIX. regni Tarquinij Prisci annum exemisse constat. Huius uero opinionis auctorem fuisse Verrium Flaccum facile crediderim. Nam in tabulis Capitolinis ante annum vrbis CCL. annum reiecit, quem quo Varronis annorum summae conuenirem, ego adposui, qui Fastorum Capitolinorum summae annũ adiecit. Hoc autem ita colligitur. Annus quo P. Postumius & Agrippa Menenius Cos. de Sabinis triumpharunt in Capitolinis fragmentis CCL. appellatur. Quod si uere scriptum est, profecto si regredientes usq; ad annũ quo Reges pulsi sunt, perueniemus, eum CCXLIII. nõ CCXLIIII. esse reperiemus, quo fit ut ab ea annorum summa, quam ego ex Varrone sequutus sum, aunum adimi necesse sit ante CCL. vrbis conditae annum; quis autem hic fuerit (Lartii enim & Herminii consulatum esse multis rationibus quas superius exposui confirmatum, adduci nõ possum ut credam) non ita clarũ est. Certe XXXIIX. Tarquinij annus à Solino quoq; est praeteritus: Solinus enim quũ XXXVIII. Tarquinii Prisci, & duos nouissimos Ser. Tullij Regum annos exemisset, Reges tantũ CCXLI. annos regnasse, interregno tamẽ adposito, scriptum reliquit. Eusebius autem Romanos reges addito interregno

regno CCXL. annos tantum regnasse scribit. Numae enim biennium, Anco annum, & Prisco alterum annum ademit; Eusebium sequutus est Casiodorus. Tantae autem uarietatis caussae praeter eas quas superius attuli, etiam esse possunt tum anni Romuli & Numae quum decem mensium essent, tum septem regum nouissimi anni, qui forte non expleti tanquam integri numerati sunt, & cum primis sequentium regum confusi. Annum igitur quo Reges exacti sunt nobis ex Varrone, Dionysio, Liuio, & ceteris statuamus fuisse CCXLIIII. vrbis conditae; in eius scilicet anni fine: primosque Consules in fine quidem anni CCXLIIII. creatos, uerum anno integro CCXLV. magistratum gessisse; quod ita esse constabit, quum Regisugij quoq; diem cõfirmauero, ut enim de anno, sic de die, quo primi consules inierint incertum apud auctores est.

De Anno & die Regifugij

REGIFVGIVM (inquit) Sex. Pompeius libro XVI. sacrum dicebant, quo die Rex Tarquinius fugerit è Roma. Quis autem dies is fuerit, variant scriptores, apud quos plura & diuersa regifugia leguntur. Quorum unum extat in antiquis lapideis Fastis VI. Kal. Martii, ita notatum REGIFVG. De quo ita scribit Ouidius II. Fastorum

> Tarquinius cum prole fugit, capit annua consul
> Iura, dies regnis illa suprema fuit

De alio regifugió quód mense Maio, idest VII. Kal Iunii quidam fuisse dicunt, Ouidius quoque mentionem facit V. Fastorum

> Quattuor inde notis locus est, quibus ordine lectis
> Vel mós sacrorum, vel fuga regis inest

De hoc regifugio loqui uidetur Macrobius libro primo Saturnaliũ cap. VII. quum ait: Putauerunt Iunium mensem à Iunio Bruto, qui primus Cos. Romae factus est nominatum, quod hoc mẽse, idest Kal. Iuniis pulso Tarquinio sacrum Carnae deae uoti reus in Coelio mõte fecit. Plutarchus autem in problematibus: in eo problemate, in quo cur Ianuarius primus anni mensis esset, quaerit, regifugium, primosque Consules, Kal. Ianuarii creatos fuisse scribit. Ita enim ait: Hunc postea ordinem commutatum esse constat, & Ianuarium primum omnium numerari coeptum, quod primo huius mensis die, quem Kal. Ianuarij appellant, primi Consules exactis regibus creati sunt. Ego vero hic Plutarchum errare, quum multis rationibus arbitror, tum uero, quod anno tantum sexcentesimo ab vrbe condita, Cos. Kal. Ianuarii primum inire coepisse manifestum est. Dionysius autem libro quinto, ita scribit: Regio igitur principatu olympiade sexagesima octaua dissoluto, paucorumque principatu inito, regium dominatum susceperunt Consules, quattuor mensibus ad illum annum deficientibus. Vbi de quo anno loquatur Dionysius animaduertendum. Nam de anno vrbis conditae, qui Parilibus, uel de anno ciuili à Numa instituto qui Kal. Ianuarij inchoabát, eum loqui minime crediderim, quod, neque XII. Kal. Ianuarij, neque circa Kal. Septembris, nulla apud ueteres scriptores extet alicuius regifugij mentio. Eum igitur de eo potissimum anno loqui existimandum, quibus temporum rationem digerit, hi autem sunt anni Graeci, siue Attici; uel Olympici: per olympiadum enim annos historiam suam deducit, historiae quoque contextus id aperte demonstrat; vbi ita scriptum est; olympiade LXVIII. primos Consules creatos, quattuor mensibus ad illum annum, videlicet de quo locutus est, olympicum inquam, deficientibus. Hoc autem maxime quadrat REGIFVGIO in Fastis lapideis VI. Kal. Martii notato, Ouidijque sententiae. Quod non paruum est ueritatis argumentum. Si quidem à VI. cal. Martii, ad initium anni olympici, quod circa VIII. Kal. Iulij fuisse satis superius demonstraui, menses integri quattuor intercedunt. Quam ego sententiam sequutus reges exactos, primosque Consules VI. Kal. Martii creatos fuisse scripsi. Neq; huic rei repugnat quod Liuius libro II. Quum de regum bonorum publicatione loquitur, de segete matura messi, & de Tiberi leni fluente aqua, ut mediis caloribus solet, affert; quum praesertim à regum eiectione, vsque ad eorundem bonorum publicationem, multa interim gesta fuisse tradantur, quae non nisi tribus ad minus mensibus confici potuerint, ut manifeste ex Dionysio constat, ea autem quae de segete matura messi à Liuio referuntur, circa medium vel finem mensis Maij facile esse potuerunt. Quo mense fasces cum securibus penes Brutum erant, qui eás mense Martio concedente collega prior habuerat. Aprili Collatinus, Maio autem iterum Brutus. Alternabant enim per singulos menses fasces cum securibus, ne si ambo fasces, & secures haberent, duo Reges pro uno creati uiderentur. Quo tempore messi apto occisis coniuratis, bonisque regum publicatis, agrum Marti consecrarunt, qui campus Martius appellatus est, ex cuius frugibus in Tiberim missis, nata est insula, Ita autem scribit libro II. Ager Tarquiniorum, qui inter vrbem & Tiberim fuit, consecratus Marti, Martius deinde cam

pus fuit, forte ibi tum seges farris dicitur fuisse matura messi, quem campi fructum quia religiosum erat consumere, desectam cum stramêto segetem magna uis hominum simul immissam corbibus fudere in Tiberim, tenui fluentē aqua, ut medijs caloribus solet. &c. Neq; enim uerisimile est si primi Consules VII. Kal. Iunii creati sunt, tot ante maturam messem, quot gessisse narrantur, fecisse, quum ante medium mensis Iunii in agro Romano omnes undique tritici messes in horrea congregentur. Quod autem Plutarchus in Poplicolae vita scribit prid. cal. Martij Brutum in proelio occisum fuisse, id omnino falsum esse existimo; quod absurdum est, tantas res quantas L. Iunius Brutus in consulatu gessit, ab eo non nisi quinque dierum spatio gestas fuisse; quum praesertim eum usque ad prid. cal. Martij sequentis anni, idest ad extremum anni diem obtinuisse dicere non possimus. Nam si ita res accidisset, nullum in Bruti mortui locum subrogari opus fuisset, quum tamen duo deinceps sint suffecti Sp. Lucretius, & M. Horatius, qui ex rebus eius gestis diu in magistratu fuisse uidetur. Atque hac ratione Plutarchi sententia labefactatur. De eo vero Regifugio de quo Ouidius V. Fastorum scribit, quattuor inde notis &c. dici potest Ouidium ipsum forte eo loco errasse, si enim Fasti lapidei aspiciantur, Die X. cal. Iunij TVBIL, idest Tubilustrium, IX. uero, hoc est die sequenti Q. R. C. F. notata sunt; de quibus ita Ouidius in Fastis

Proxima Vulcani lux est, quam lustria dicunt
Lustrantur purae, quas facit ille tubae

Hi autem uersus ad x. cal. Iunij hoc est Tubilustrium pertinent: sequitur deinde

Quattuor inde notis locus est, quibus ordine lectis
Vel mos sacrorum, vel fuga regis inest

Hae autem quattuor notae IX. cal. Iunij in Fastis exaratae, sunt haec Q. R. C. F. Id est: quando Rex comitiauit fas: quas non intellexisse Ouidius visus est, nihil enim ijs notis est cum regifugio. Quum aliter interpretentur atque ab Ouidio expositae sunt. Nam M. Varro libro V. de lingua Latina ita scribit: Dies qui vocatur sic: Q. R. C. F. hoc est, quando Rex comitiauit fas: dictus ab eo quod eo die Rex sacrificulus dicat ad comitium, ad quod tempus est nefas, ab eo fas. Et Sex. Pompeius libro XV. Quando rex (inquit) comitiauit fas in Fastis notari solet, & hoc videtur significare, quando Rex sacrificulus diuinis rebus perfectis, in comitium uenit. Et ideo Ouidius, vel ignarus, uel incertus quid hae notae significarent, ita dubie interpretatus est. Quid enim Q. R. C. F. ad regifugium pertinent? Macrobium quoque ex hoc loco forte errandi occasionem assumpsisse crediderim. Sed qua ratione errauit Macrobius, qui nullius regifugii mentionem facit, etsi enim ea uerba scripserit, non tamen tempore uel die determinato reges exactos fuisse exponit, nam longe ante sacrum in mōte Coelio à Bruto Carnae deae factum, Tarquinius eiectus esse potuit, atque ea demum die uota à Bruto postea soluta fuisse. Et si quid diuinando dicere licet: Existimarem ego Brutū eo potissimum die sacrificium id fecisse, votumque explesse ob Tarquiniorum detectam coniurationem, quam circa ea tempora fuisse ex Liuio docui. His igitur demonstratis atque confirmatis, Reges exacti erunt VI. Kal. Martij, prope finem CCXLIIII. anni, qui proximis Parilibus terminandus erat, & CCXLV. initium, quattuor mensibus ad eum annum Graecum vel Olympicum prorsus deficientibus, is fuit secundus LXVII. Olympiadis. Verrio autem Flacco auctori Tabularum Capitolinarum CCXLIII. erit, si tamē annum à Regibus unum exemerit, Dionysio autem erit annus quidē CCXLIIII. uerum LXVII. olympiadis quartus, nam proximō solstitio aestiuo primus LXVIII. inchoandus erat, quid autem, & qua ratione singula hoc primo anno Consules gesserint, paulo post aperiam. Dies autem solemnes ineundi Consulatus usque ad annum vrbis DC. quo firmatum est, vt essent Kalend. Ianuarii, singulis temporibus pro ut occasio se se offeret explicabo. Nil tamen ante DXXX. fere ab vrbe condita annum, labantius, atque inconstantius fuit, quam solemnis ineundo consultui dies, ut suis locis ostendam. Porro circa haec tempora Kal. primum Martias, deinde haud multo post cal. Octobres solemnes fuisse ex Dionysio elicitur, qui libro VI. Sp. Cassium & Postumum Cominium Consules anno CCLXI. consulatum iniisse ait Kal. Septembris, citius quam alii ante consueuerant

De Consulatu

HAEC est (ut inquit Florus) secunda populi Romani aetas, primaque Reipublicae mutatio, qua Superbo rege, quum propter eius impotentiam, tum propter stuprum Lucretiae à Regis filio illatum, exacto; libertateq; parta, imperium duobus viris annuum mandatum est, qui Praetores primo; deinde Iudices, postremo Consules appellati sunt. Quod ita fuisse plerique scriptores tradiderunt. Sex. enim Pompeius libro XIIII. Praetoria (inquit) porta in castris appellatur, qua exercitus in proelium educitur, quia initio Praetores erāt, qui nunc Consules, quo

rum tabernaculum quoque dicebatur praetorium. Idem Pedianus actione III. in Verrem confirmat iis verbis: Veteres omnem magistratum cui pareret exercitus Praetorem appellauerunt, vnde & praetorium tabernaculum eius dicitur, & in castris porta praetoria, hodie quoque praefectus praetorio. Iustinianus quoque Imp. Nooella XXIIII. & XXV. De Lycaoniae Praetore ita ait: Et Praetoris appellatione decorare, est enim hoc nomen Romani Imperii proprium, & ante ipsos etiam Consules in vetere, atque praeclara constitutione Reipublicae vsurpatū. Etenim olim Romani Imperatores suos Praetores appellabant, qui & militaribus copiis praeessent, & iura scriberent quibus omnes obedirent. Postea tum Praetores tum Consules appellari coepti, ut scribit M. Varro libro II. de uita populi Romani. Iidem (inquit) dicebantur Consules, & Praetores, quod praeessent populo Praetores, quod consulerent Senatum Consules. Morem autem, vt Praetores Consules quoque appellarentur, non longe post Decemuiros ortum arbitror; si quidem eorum tempore, qui postea Consules Praetores adhuc appellari moris fuisse docet libro III. Liuius. Io. Zonaras Graecus scriptor anno post X. Viros dignitate mulctatos L. Valerio & M. Horatio qui tum praetores dicebantur, consulatus nomen primo inditum fuisse scribit Historiarum Tomo secundo. Creato demum Praetore vrbano, qui populo ius diceret, eo anno quo primus è plebe Cos. factus est, tum Coosules crediderim Praetoris oomine relicto, Iudices quoque uocari coeptos. Si quidem constat postquam Praetoris uocabulum in Consulibus esse desijt, eos modo Consules, modo Iudices vocatos fuisse. Liuius libro III. L. Valerio, M. Horatio Cos. anno vrbis CCCIIII. his temporibus nondum Consulem Iudicem, sed Praetorem appellari mos fuit. Ac si dicat, post aliquot annorum spatium Iudices quoq; appellati sunt. Cicero etiam libro III. de legibus, eundem aliquando fuisse Praetorem Iudicem & Consulem his verbis docet: Regio Imperio duo sunto, iique praeeundo, iudicando, & consulendo, Praetores, Iudices, Consules appellanto; militiae summum ius habento. Erat etiam lex antiqua, quae loco Consulum Iudices appellabat. Ea est: Qui Trib. Plebis, Aedilibus, Iudicibus, X. Viris nocuisset, eius caput Ioui sacrum esset, familia ad Aedem Cereris, Liberi, Liberaeque uenum iret. M. quoque Varro Consules aliquando Iudices appellatos fuisse libro V. de lingua Latina auctor est. In commentarijs consularibus (inquit) scriptum sic inueni: Qui exercitum imperaturus erit, accenso dicit hoc. Calpurni uoca inlicium omneis Quirites huc ad me. Accensus dicit sic: omneis Quirites inlicium uisite huc ad Iudices. C. Calpurnius dicit: Voca ad conuentiooem omneis Quiriteis huc ad me. Accensus dicit sic: omnes Quirites ite ad conuentionem huc ad iudices. Ex quibus sententiis constat, Consules, primo Praetores tantum, deinde tum Iudices tum Consules appellatos. Quod quo tempore factum fuerit, incertum est. Constat Consules populi Romani Imperio paulatim crescente pluribus bellis implicitos fuisse, quumq; ius populo reddere nequirent atque una bella gerere, magistratus à patribus creatus est (eom enim sibi quaesiere patricij pro communicato plebi altero consulatu,) qui ius tantum populo diceret. Cui vnum ex Consulum nominibus inditum est, Praetorque vocitari coeptus. Quo potissimum tempore Consules Iudices quoque nominatos crediderim. Postremo Iudicis nomine antiquato, Consules tantum appellatos. Eos autem hoc hominum ordine ita appellatos fuisse, clare Cicero explicauit, quum dixit: ijque praeeundo, iudicando, consulendo, Praetores, Iudices, Consules appellanto.

Consul itaque (Plutarcho & Sex. Pompeio tradentibus) summum erat apud Romanos ordinarie dignitatis fastigium, vrbis conditae anno CCXLIIII. post exactos reges inuentum. Dictus autem est Consul (ut Cassiodorus scribit) à consulendo, idest prouidendo, quod ut in libris de legibus docet Cicero reipublicae consuleret, uel ut libro IIII. de verborum origine Varro scribit consulere populum & Senatum deberet, aut ut Attius ait: quod a ciuibus consuleretur. Vnde idem in Bruto: qui (inquit) recte consulit Consul fiat. Cui adiunctum, ut omnium quae e Republica fore arbitraretur diligenter curam ageret. Primi autem consules hac ratione creati sunt. Regibus vrbe pulsis, duo uiri ab vrbis praefecto, siue interrege Sp. Lucretio Lucretiae patre, comitijs centuriatis, ex commentariis Regis Ser. Tullij, Brutus scilicet & Collatinus, pro Rege creati sunt. Quibus praeter quam quod anouum tantum imperium datum est, nihil aliud ex Regia potestate immutatum. Itaq; omnia regum iura; lictores quoque cum fascibus, & securibus, Trabeam praetextam, Sellam curulem regiam, ceteraq; omnia regum insignia primi Consules habuere: id tantum cautum est ne si ambo fasces cum securibus haberent, duplicatus terror, duoque reges pro uno facti uiderentur, ut alter Consul fasces XII. securibus alligatas, alter uero uirgarum fasces tantum cum lictoribus haberet. Idque alternatim singulis mensibus, donec annuum eorum imperium expleretur, facerent. Brutus priore mense concedente collega fasces cum securibus habuit; qui non acrior ante libertatis uindex fuerat, quam custos inde fuit. Hac igitur ratione quum duorum regum metum ciuibus ademissent, potestatis inuidiam mi-

nuerunt. Ideo autem virgarum fasces securibus alligatas praeferebant, ut ostenderent, non oportere magistratus in iracundiam proclines esse, siue quia uirgarum dissolutio, mora & tarditate iram frangit, & impetum moderatur. Duo autem Consules ideo creati sunt, ut si unus improbus esse maluisset, alter eandem habens potestatem, conlegam coherceret; placuit quoq; ne imperium consulare longius quam annuum esset, ne propter magistratus diuturnitatem insolentiores, superbioresque essent, sed ciuiles se semper redderent, qui se post annum scirent magistratu abituros. Patricii autem ambo creati sunt, nam hoc tempore in patriciorum potestate uniuersa Respublica fuit. Penes primos vero consules post reges exactos omnis regia potestas erat. Totius enim imperij summa per eos administrabatur, nam S. P. Q. R. per accensos, & praecones cogebant, exercitum parabant, ab eis prouocatio non erat, domini pacis bellique erant, inconsulto Senatu uel populo, in caput cuiuscunque ciuis animaduertere poterant. Postremo penes eos (ut inquit) Pomponius, summum ius uti esset lege cautum est. Tamen ne per omnia regiam sibi potestatem vendicarent, legibus à P. Valerio Cos. quo plebi gratificaretur latis, quare etiam Poplicola appellatus est, consulum auctoritas ualde imminuta est, regiaeque potestati longe inferior facta. Institutum enim Valeriis duabus legibus est, primum ut magistratum nemo caperet nisi qui à populo imperium acciperet, si quis aliter fecisset capitali poena puniretur, qui eum occidisset ei impune esset, deinde ut prouocatio à consulibus ad populum esset, neue possent in caput ciuis Romani animaduertere iniussu populi, relicto eis tantum, ut cohercere possent, & in uincula publica duci iuberent. In atrocibus autem casibus, maximisque Reip. periculis uel necessitatibus, consulibus aliquando summum ius, & regia prorsus potestas ad tempus per Senatum ijs uerbis concedebatur. Vt consules darent operam, ne quid Resp. detrimenti caperet: ea potestas more Romano magistratui maxima permittebatur, exercitum parare, bellum gerere, cohercere omnibus modis socios, atque ciueis, domi, militiaeque imperium atque iudicium summum habere, aliter sine populi iussu, nulli earum rerum Consuli ius fuisse prodit Sallustius. Hoc autem factum fuisse constat, Grachanis & Saturnini Tribunorum plebis seditionibus, coniuratione Catilinae, tertio Pompei consulatu, & nouissimo Reip. contra Caesarem anno. De consulari officio Cicero in L. Pisonem. Animo consulem esse oportet, consilio, fide, grauitate, uigilantia, cura, toto denique munere consulatus, omni officio &c. Consules autem (ut dixi) non nisi ex patribus creari mos fuit, quod penes alios auspicia non essent. Fieri enim ex plebe Consules religiosum olim fuisse creditum est. Demum post diuturna ob hanc rem patrum plebisque certamina, circa annum vrbis CCCXC. tribunicijs seditionibus tandem patres uicti, alterum quoque ex plebe consulem creandum concessere. Primusq; e plebe lege sua Consul factus est L. Sextius Lateranus. Consules autem ita creari mos fuit. Habitis in Campo Martio uel ab utrisque, uel ab altero Consulum, siue ab Interrege, aut Dictatore Comitijs Centuriatis (his namque omnibus ius consularium comitiorum habendorum fuit) is qui plurium Centuriarum suffragia tulisset, Consul ab eo qui comitia habebat renuntiabatur, magistratumque stato quodam die inibat. Comitia autem ea centuriarum per singulas tribus distinctarum conuentu, ac suffragiis constabant, quibus ab eo qui comitia habiturus erat, comitiorum tempore accitis; qui consulatum petituri erant, in campum è colle hortulorum uestibus albis induti descendebant, quod signum erat magistratus petentium, inde candidati appellabantur qui aliquem magistratum petituri essent. Quos autem centuriarum quae per singulas tribus diuisae erant, suffragia consularibus comitiis rite habitis, praeferebant, ij Consules designati erant, statutoque die inibant magistratum. Comitiorum autem plura genera erāt. Centuriata scilicet quae ex centurijs, tributa, quae ex tribubus, & curiata quae ex curijs constabant. Quum enim populus per centurias diuisus suffragia ferebat, ea erant comitia centuriata, quum per tribus, tributa, perque curias, curiata. Comitijs centuriatis quibus omnibus ciuibus inter esse ius erat, tam patricijs, quam plebeis, maiores magistratus creari, leges, ferri, & iudicia exerceri mos erat. Tributis uero quae in manibus tantum plebis erant, minores magistratus creare, sacerdotes cooptare, leges ferre, & iudicia etiam exercere solebant. Curiatis autem post Ser. Tullij tempora multa & varia fiebant, de quibus omnibus, & de ijs tribus comitiorum generibus alius erit differendi locus. Annus autem quo per leges Consulem esse liceret, erat XLIII. ut refert Cicero oratione V. in Antonium quum ait: quid Macedo Alexander quum ab ineunte aetate res maximas gerere coepisset, nonne tertio & trigesimo anno mortem obijt, quae est aetas nostris legibus decem annis minor quam consularis &c. Verum de Rep. meritos, eximiaeq; uirtutis ergo legibus aliquando solutos quosdam fuisse videmus. Nam Coruinum trium & XX. annorum, item Scipionem Aemilianum XXXVI. quum scilicet aedilitatem peteret, & Cn. Pompeū Magnum XXXV. annorum Consules creatos fuisse constat. Alij per uim contra leges ante tempus consulatum inuaserunt, ut C. Marius iunior, & Caesar Octauianus, qui ante XX. aetatis annum

num eum magistratum occuparunt. Consulatus autem annuus ex legibus magistratus Repub. stante semper fuit. In magistratu uero mortuo Consule, aut quum alteri eorum ob necessarias caussas magistratus abrogatus est, Consul alius in reliquum anni tempus subrogabatur; nec ob aliam rationem plures Consules quam binos singulis annis creari mos fuit. Primus Caesar Dictator perpetuus creatus, quum multa contra leges patrias fecisset, Anno vrbis DCCVII. consulatum ex annuo bimestrem, uel trimestrem, siue ad eius arbitrium fecit. Qui ut plures, quibus in bellis ciuilibus ministris usus fuerat, eo supremo magistratu insigniret leges neglexit, quum eum magistratum quibus, quoties, & quo anni tempore illi placuisset, praeter S.C. populique suffragia dare coepisset. Nam anno vrbis DCCVII. quum se iterum Dictatorem & M. Antonium Mag. Eq. sine consulibus creasset, postremo anni fine Q. Fufium Calenum, & P. Vatinium Consules in aliquot nouissimos anni menses renuntiauit. Item interiecto anno, quo ipse III. Cos. fuit, se quartum Consulem renuntiatum sine collega, paulo post tertiae Dictaturae honore contentus, quam sibi cum consulatu à senatu decerni uoluerat, quum in vrbem venisset consulatu abdicauit, Q. Fabio Maximo & C. Trebonio Consulibus suffectis. Quo anno tunc primum contra patrias leges factum est, ut aliquis Cos. designatus, & qui inijsset magistratum, eum anno integro non teneret, sed adhuc uiuens, nec aliquo iure, seu ui coactus, alijs suffectis abdicaret, quod postea frequentissimum sub sequentibus Imperatoribus fuit. Vnde de hac re Lucanus loquens ita scribit

Inde perit primum quondam ueneranda potestas
Iuris inops, careat tantum ne nomine tempus
Menstruus in Fastos distinguit nomina Consul

Quum autem Italiae uniuersae primo, deinde multis extra Italiam prouinciis, postremo uniuerso fere orbi Romano ciuitas ab Imperatoribus data esset, & infinita hominum multitudo iure adeptae ciuitatis, Romanas dignitates & magistratus adipiscerentur; ut omnibus consularis dignitas facilius pateret, eundem maiorem quem Caesar Dictator primus excogitauit, omnes quoque sequentes Romani principes sequuti sunt, praesertimque qui ei statim successit eius filius Augustus, à quo etiam id ceteri Imperatores seruare didicerunt. Augustus enim triumuiratus tempore, quo pluribus suae factionis ciuibus gratificaretur, quorum opera in bellis ciuilibus usus fuerat, consulatum ipsum pro suae & collegarum uoluntatis arbitrio, profusissime & nulla temporum, uel hominum discriminis ratione habita, in plures pauciores ue ut illi libuisset, anni menses dedit. Ita ut post haec tempora pauci admodum reperiantur, qui anno integro Consules fuerint. Multi enim quo viri consulares dicerentur, consularisque in senatu sententiae essent, non in menses quoque, uerum etiam in paucissimos anni dies consulatum ab imperatoribus deprecabantur, eumque obtinebant. Hoc autem maxime factum est triumuiratus tempore. Verum exuto Lepido, & Antonio occiso, quum Augustus Caesar solus Remp. obtinuisset, omniaque ad moderatam quandam rationem redegisset, consulatibus quoque dandis modum adhibuit, ut etiam in plerisque alijs rebus fecerat, quae superiorum temporum licentia la befactatae fuerant. Etenim imperii sui singularis initio, more maiorum annuum consulatum per aliquot annos concessit; uerum aliquibus interiectis annis ex annuo semestrem fecit, ita ut duo Consules essent à cal. Ianuarij ad Kal. Iulias; & rursus his abdicantibus duo alij à cal. Iulijs ad anni finem. Tiberius Caesar consulatum quadrimestrem fecit, qui postea à Claudio Imperatore bimestris factus est, quem ad modum ex longa & diligenti ueterum auctorum, & lapidum obseruatione didici; ita ut singulo anno XII. ad minus Consules essent, quorum primum collegium, Kal. Ianuarii, alterum Kal. Martii, tertium cal. Maij, quartum cal. Iulij, quintum cal. Septembris, sextum postremo cal. Nouembris magistratum inirent. Ad breuiorem autem quam duorum mensium spatium, (ut in pluribus fieri consuetum erat, & de iis consulatibus loquar qui tanquam legum more concessi essent) consulatum redactum fuisse nunquam memini me legisse. Quam uis saepius Imperatores hoc ordine nequaquam seruato, ad arbitrium suum consulatus dare & auferre soliti fuerint, quibus & quo anni mense eis libuisset. Videmus enim Consules aliquando ante tempus priuatos alijs suffectis, ut Caligula fecit, qui consulibus oblitis de natali suo edicere ante tempus magistratum abrogauit. Item in Fastis coartatos fuisse à Vitellio Imperatore aliquot bimestres consulatus, eosque menstruos factos, quo suis belli ciuilis ducibus Consulibus ab se eo anno designatis, locus esset, ut libro XVIII. refert Tacitus: multi quoque in magistratu ipso occidebantur, ut à Nerone, Domitiano, & aliis factum fuisse constat ex Tranquillo. Imperatores quoque ipsi consulatum in paucos menses, & aliquando in paucissimos dies inibant. Fuere etiam qui cal. Ipsis Ianuarijs, statim post initum magistratum alio suffecto abdicarent, honoris tantum nomine contenti; Item qui cum, in breuissimos dies, & aliquando paucas horas, quo quis uir consularis diceretur, darent. Ita ut certa omnino regula de Consulum

tempore tradi non posit, & praesertim post Marci Imperatoris saecula. Post quae maior Romanorum Principum pars non homines, sed ostenta mera, & prodigiosae libidinis, saeuitiae, atque immanitatis tyranni esse coepissent. Qui eos homines moribus sibi coniunctos, ad praefecturas, consulatus, sacerdotia & ceteras dignitates euehebant quales nemo bonus domi vellet habere seruos: quorum consilio auctoritateue omnia regebantur, supplicia, inimicorum caedes, litium euentus, prouinciae, magistratus, & omnes honores uendebantur, ita ut sub Commodo Imperatore uno anno XXV. Consules, quod nunquam antea factum fuerat, aliquando fuisse proditum sit. Quo factum est, ut de eorum temporum consulatibus nihil certi tradi possit; quod per ea tempora nihil praeter inanem magni nominis umbram consulatus retineret. Verum haec omnia (ut dixi) haud ordinaria erant, sed omnia contra iam ab Imperatoribus receptas consuetudines, quas boni uiri ad Imperium euecti ut Traianus, Hadrianus, Pius, Marcus, Seuerus, Alexander, & Gordianus seruauere. Consulatus autem in priuatis diu bimestris mansit; eum enim usque ad Constantini tempora ea ratione perdurasse constat. Qui Byzantio restituta, atque ea suo nomine appellata, praecipuis quoq; quo facilius Persarum motus reprimere posset imperij opibus eò translatis, Romanum imperium primus in orientale & occidentale diuisit. Orientis sedem vrbem à se conditam instituit, occidentis uero caput Roma remansit. In qua orbis Romani diuisione prouinciae omnes transmarinae orientales usque ad Nilum, Illuricus omnis, Graecia, Thracia, Creta, Cyprus, Dacia, & Moesia Imperij orientalis ditionis fuerunt. Reliquae omnes prouinciae sub Imperio occidentis relictae. Atq; ut vrbem à se conditam in omnibus ueteri Romae parem faceret, duos saltem Imperatores esse procurauit, quorum alter Romae in occidente alter Constantinopoli in oriente rebus Romanis praeessent. Senatum quoque diuisit. Nam Senatores omnes lecti ex prouincijs transmarinis, uel eorum quae sub orientalis Imperii ditione erant, Constantinopoli migrare iussi, qui vero ex occidentis Imperio erant Romae relicti. Statuit etiam ut ex duobus consulibus qui singulis annis creabantur, alter Romae, alter Constantinopoli designaretur. Et quoniam nimis difficile, atque operosum erat tam disiunctis regionibus multos Consules eodem anno fieri ex iam receptae consuetudinis praescripto, consulatum denuo more ueteri annuum fecit. At ne plerique Duces eo honore priuati id aegre ferent, nouos multos magistratus excogitauit, quibus pro ablato consulatu; qui quum annus factus esset, ita multis amplius communicari non poterat, eos honestaret. Aliud quoque honoris genus Imp. Constantinus commentus est, siue ab Augusto diu ante inuentum, & postea intermissum renouauit, ut hi scilicet qui consules esse non possent, dignique consulatu existimarentur, ornamentis consularibus honorati, uiri consulares appellarentur, perinde ac si Cos. fuissent, eorumque priuilegijs & dignitate potirentur, qui actu consulatum gessissent. Ex his fuere Sex. Rufus. P. Victor, Macrobius, Rutilius Gallus, & plerique alij. Quo fit ut post oppressam Remp. tria Consulum genera fuisse animaduerterimus, qui distinctis nominibus uocarentur. Hi enim Consules qui Kal. Ianuarij magistratum inibant, appellabantur Consules ordinarii, siue maiores. Qui & si toto anno Consules non essent; quicquid tamen eo anno memoria dignum agebatur, ita sub eorum consulatu notatum erat, ac si anno integro Consules fuissent, quum ipsi anno nomen darent, annorumque series ab eorundem consulatibus numeraretur, quamquam iam antea alijs suffectis, consulatu abijssent. Porro primum anni consulum collegium uel Imperatorum, aut Caesarum, aut nobilissimorum ciuium erat. Hi vero Consules qui ordinarijs abdicantibus, in aliquot reliquos anni menses subrogabantur, dicebantur Consules suffecti, siue minores, hi plerunque non ita nobiles erant, sicut ordinarij qui (ut dixi) in binos, ternosue, aut plus vel minus anni menses magistratum gerebant, ut imperatoribus libuisset. Eodem tamen iure, ijsdemque omnibus priuilegijs potiebantur Consules suffecti, quibus etiam ordinarij, quorum omnium tanta erat auctoritas, quanta illis ab Imperatoribus concessa erat; more tamen ueterum Consulum, togam praetextam, sellam curulem, lictores cum fascibus XII. ceteraque imperij consularia insignia ab antiquis Consulibus usurpari solita retinebant. Tertium autem Consulum uel ut rectius dicam Consularium genus, erant hi qui honorarii dicebantur, quorum dignitatem ab Augusto excogitatam, & longo tempore intermissam Constantinus restituit; hi & si nunquam consulatum adepti essent, consulares tamen uiri ex imperatorum indulgentia, & priuilegijs appellabantur, ornamentis & priuilegiis omnibus consularibus eis concessis. Qui ut à ceteris consulibus tum ordinariis, tum suffectis internosci possent honorarii Consules, siue consulares viri dicebantur. Dignitas autem consularis Romae in occidente fuit usque ad Iustiniani Imperatoris tempora, & bellum Gothicum Italicum à Belisario, & Narse Iustiniani Ducibus contra Theodahatum, Vitigem, Totilam & Theiam Reges Gothorum gestum. Anno enim vrbis ∞CCXXCVIII. Christiani autem natalis DXXXVI. Post Decium Theodorum Paullinum nullus amplius more maiorum Consul

Romae

Romae factus est, quo tempore bellum Gothicum initium habuit. Si quidem indignatus Imp. Iustinianus Regi Gothorum Theodahato, quod Amalasuntham Reginam vxorem suam, à qua in regni communionem assumptus fuerat, prius relegatam interfecisset, bellum Gothis, qui tum totius Italiae Imperio potiebantur indixit. Belisarioque tunc orientali Consuli, qui bello Vandilico ex sententia confecto, ea tempestate omnium Romanorum Ducum clarissimus erat, exercitum victorem in Italiam transferre iussit, tumque bellum Italicum Gothicum coeptum est anno post consulatum Theodori Paullini primo in occidente, Fl. vero Bellisario V.C. in oriēte Consule. Quod bellum per annos duo de viginti, maxima cū vrbis Romae, tum totius terrae Italiae calamitate, incēdijs, rapinis, ruinis, vrbium direptionibus, & his quæ atrociss. bellis contingi solent protractū est; atq; ob eam caussam eo potissimū tempore nullus Romae Consul more maiorum fieri poterat, quū vrbs Roma modo in Gothorū, modo in imperatoris ditionē alternatis vicibus deuenisset; saepius obsessa, capta, populata, & aliquādo diruta, & incensa fuerit. Regibus uero Gothorum, qui Consules ipsos occidētales designare soliti erant bello implicitis, simulq; Iustiniano principi infensis, aliud curae erat, quam de consulum creandorū comitijs agere. Postremo uictis & LXXVII. anno posteaquam Italiam occupauerant ex eadē Gothis pulsis, eorumq; rege Theia occiso, Narses solus; qui bello Gothico maxime vigente Bellisario successerat, pro Imperatore, Italiae sub Ducis nomine annos XVI. praefuit, Rempublicamque Romanam ualde attritam & labefactatam, omissa consulari dignitate, quae per id quoque tempus etiam Constantinopoli in priuatis esse desierat, per Ducem & aliquot Iudices absq; directos administrare coepit, quem morem sequentes quoque inferiorum Imperatorum in Italia Duces, qui Exarchi appellabantur immitati sunt, usque ad ea tempora, in quibus Romanis proceribus & optimatibus annuentibus, Pontifices Maximi rem Romanam administrandam susceperunt. In oriente autem bello Gothico in Italia maxime uigente, diu uel principis ignauia, aut quod ita in occidente fieret nomen consulare intermissum est. Nam post Fl. Iunii Basilii orientalis Consulis consulatum, is fuit Anno vrbis ∞ CCXCIII. Christi vero DCXLI. quinq; & viginti annis oriens sine Consule fuit, toto scilicet Iustiniani Augusti imperio. Initio autem Imperij Iustini Iunioris Augusti, alia ratione atque ab antiquis dignitas consularis iterum vsurpari coepta est. Nullus enim deinceps priuatus Consul ordinarius fuit. Soli Imperatores quorum primus Iustinus Iunior fuit, Consules circa principia Imperij semel tantum creabantur in annum, consulatusque anno exacto, Imperij deinceps annos, ab ipsorum consulatu hac ratione numerabant. Post consulatum Imp. N. anno primo. Iterum Post Cons. Imp. N. Tertio P. C. Imp. N. Quarto post Consulatum. Vbi semper intelligendum anno: quae numerandi ratio non omnino diuersa erat ab ea, qua antiqui Imperatores per tribuniciam potestatem annos imperij suos digerere solebant, ita ut omnes fere Constantinopoli orientis Imperatores semel in vita, praeter Mauricium, qui XII. & Iustinianum Iuniorem qui iterum consulatum adepti sunt, tantum Consules fuerint, quod circa eorundem imperij initia fiebat, tempusque medium ab uno ad alterum consulatum ea ratione quam dixi digerebatur, vt tertium Fastorum meorum librum percurrenti post Iustiniani tempora manifestum erit. Vbi illud animaduertendum, illas notas P. C. post Consulatum, interpretari debere, quo anno nullus Consul ordinarius erat, perinde ac si quis diceret annus sine Consulibus, qui fuit post Consulatum Diocletiani X. & Maximiani VII. Porro autē omnes Imperatores orientis ea ratione cōsulatibus functos fuisse animaduerti vsq; ad Cōstantini VIII. Porphyrogeniti Imperatoris tempora, ut ex Fastis Siculis Graecis, qui vsq; ad primum imperij Heraclii Augusti annū & Consulatū pertinent, didici; itemq; ex uariis diplomatum, priuilegiorum, constitutionum, nouellarum, & edictorum Imperialium datis obseruaui. Eos autem non nisi vsque ad Constantinum Eirenes adposui, tum quod deinceps haud multum historijs usui sint futuri; tum etiam, ne annorum imperij occidentalis noui quod eo tempore institutum fuit, seriem turbarem. Porro autem usque ad eadem Constantini VIII. Porphyrogeniti Imperatoris tempora, & annum Christi plus minus C ∞ L. Consules suffectos, vel honorarios perdurasse inueni, qui postea quam magistratu abijssent, vel priuilegijs & insignijs consularibus donati ab Imperatoribus essent, non viri Consulares, vt antiquitus mos fuit, sed Exconsules appellabantur, id est qui fuerant Consules, Exconsul enim idem apud recentiores Imperatores fuit, quod ueteribus temporibus uir Consularis. Horum autem Exconsulum quum multis in locis, tum praesertim in actionibus conciliorum generaliū V. VI. VII. & VIII. mentionem fieri inuenio; octaua autem vniuersalis synodus non longe ante Constantini VIII. Imperatoris tempora Constantinopoli celebrata fuit. Atque haec sunt quae de Consulari dignitate, atque horum trium Consulum generum origine, atque exitu, apud veteres scriptores extare animaduerterim

De differentia quae inter Dionyſium, & Liuium eſt in horum temporum hiſtoria digerenda

QVVM in hiſtoriae Romanae explicatione vbique magna inter Dionyſium & Liuium differentia ſit, quum annorum, temporum, & magiſtratuum, tum rerum geſtarum ratione, maxime tamen poſt exactos reges, eorum inter ſe controuerſiae appareot. Quare hoc loco ante quam ad primum conſulum annum deueniam, prius de hac tanta eorum varietate praefari cogor. Vter enim eorum ueriora & certiora tradat, meum non eſt modo iudicare, quum utroſque probatiſſimos, & uetuſtiſsimos hiſtoriae Romanae ſcriptores ſequutos fuiſſe conſtet. Ego tamen multis argumentis mihi diu ante perſuaſi, antiquiſsima haec populi Romani geſta, longe diligentius à Dionyſio conſcripta fuiſſe; quum Liuij praeſertim ea praecipua cura fuerit, nequaquam haec uetuſtiſsima geſta deſcribere, ſed ea potiſſimum monumentis litterarum mandare, quae à ſecundo bello Punico, uel paulo ante, ad ſuam uſque aetatem à populo Romano geſta ſunt; prioribus temporibus tanquam à multis diligentiſsime deſcriptis, omiſsis. At ne tantum opus ſine principio publicaret: quod plerique alij tum Graeci, tum Latini Hiſtorici geſſerunt, eum feciſſe traditum eſt, qui breuiter admodum & exiliter X. uel XX. prioribus libris, ab vrbe condita ad initium belli Punici ſecundi, populi Romani geſta perduxit; quare multa & longe neceſſaria etiam eum omiſiſſe conſtat, parumque diligenter ea ſcripſiſſe uidetur, quum ad recentiora tempora feſtinaret. Quot triumphos, cenſuras, pontificatus, magiſtratus, leges, iura, geſtaq; prima quae extat librorum decade omiſit? Quod tamē mirum non eſſe arbitror, quum eorum temporū accuratam ſibi explicationem, tanquam quae ab aliis edita eſſet, ſcribere non propoſuiſſet, ſed poſteriorum. Quod ita eſſe ex eius hiſtoriae diuiſione clare cognoſci poteſt; ſiquidem prioribus decem libris CDLX. annos comprehendit. Secunda uero librorum decade, annos LXXIIII. incluſit. In tertia autem tanquam ea re, quam ſerio, & ex inſtituto tractandam ſuſceperat, uix XVIII. annum attingit; quam rationem in reliquis quoque hiſtoriarum ſuarum libris ſequutus eſt; A quartae enim Decadis initio, uſque ad XIIII. finem libris centum, ea tantum perſcripſit, quae à S. P. Q. R. per annos CXCII. geſta fuere. Anno enim vrbis DCCXLV. Nerone Claudio Druſo, & T. Quinctio Criſpino Cos. ſcribendi finem facit, ita ut per ea tempora neceſſe ſit quoſdam integros libros eſſe, qui geſta unius anni non comprehendant. Quum uero Dionyſius ex inſtituto antiquiſsima populi Romani facta accuratiſsime deſcripſerit, nihilque memoratu dignum praetermiſerit; ita ut quae Liuius uix tribus libris comprehendit, ipſe XI. enarrauerit, idcirco praeter unam aut alteram rem Dionyſium ſequi inſtitui, eiuſque rationes Liuij ſententiae praeferre, tanq; eius ſcriptoris qui ex inſtituto diligentiſſime ea tempora perſequutus fuerit.

De his quae anno primo partae libertatis geſta ſunt

EXACTIS (ut dixi) Tarquinijs Regibus, duobuſque conſulibus Bruto & Collatino creatis, ut primum conſules magiſtratum inierunt, ſtatim Brutus plures ad populum utiliſsimas leges tulit, quo ſtatum Reip. confirmaret, regiam uero tyrannidem omnino conuelleret, ac labefactaret; inter quas concione uocata, iure iurando vniuerſum populum Romanum adegit, neminem Romae ſe regnare paſſuros. Non longe poſt filios ſuos Titum & Tiberium, M. quoque & M'. Vitellios uxoris ſuae fratres, ſororiſque Collatini Conſulis duos alios filios L. & M. Aquillios, complures quoque alios adoleſcentes nobiles, qui de recipiendo in vrbem Rege Tarquinio, caeſis conſulibus coniurauerant, uirgis caeſos ſecuri coram omnibus percuſſit. Tarquinium Collatinum conlegam ſuum conſulatu abdicare coegit, & vrbe cedere, uel quod propter affinitatem & nomen Tarquiniorum ſuſpectus, ut L. Piſo, Liuius, & Plutarchus ſcribunt, populo factus fuiſſet; uel ut Dionyſius, qui hanc irridet ſententiam, refert, ob ortam inter Brutum & Collatinum diſſenſionem; quum Brutus ſupplicio de filijs ſumpto, pariter in ſororis Collatini filios coniurationis eius ſocios animaduerti uellet: Quos quum pro pari poteſtate qua praeditus erat, eximere poena Collatinus tentaſſet Brutus miſſo in ſuffragia populo, ei ſtatim magiſtratum abrogauit, & vrbe expulit. Piſonem ſequitur Cicero III. de officijs, & in Bruto. Bona deinde regum diripi iuſſit, eorundem agrum Marti conſecrauit, qui poſtea campus Martius nominatus eſt. P. Valerium Voluſi F. Voluſium, ex Sabinis oriundum Collatino in magiſtratu ſubrogauit, cuius praecipue opera in expellendis regibus uſus fuerat. Patriciorum ac ſenatorum ordines caedibus regiis diminutos ſuppleuit. Et ex equeſtri ordine ad CCC. numerum ſenatum perduxit. Quum aduerſus reges, qui contractis Veientium & Tarquinieſium copiis, bellum vrbi intulerant exercitum duxiſſet, in acie cum Arūte Superbi filio commortuus eſt; ante cuius cadauer in foro poſitū, oratio prima funebris in eius honorem à cōlega habita, eumq; matronae annum luxerunt. Brutus autē nullam poſt ſe prolem reliquit, vt Dionyſius ſcribit. Nam quū

patricius ille fuisset, omnes sequentes Iunii plebei fuerunt, magistratusq; omnes quos patricios petere non licebat adepti. Consulatum vero nemo eorum consequutus est, nisi post eum plebi à patribus communicatum, atq; cum patriciis consules fuerũt à plebe dati, quum lex vetaret duos simul patricios Consules esse. P. Valerius alter Consul occiso Bruto, comitiis centuriatis habitis, Sp. Lucretium Tricipitinum patrem Lucretiae primo sibi cooptauit, eique ut natu grandiori prius fasces dedit. Mox quum iam aetate confectus esset, eo intra paucos dies mortuo, M. Horatium Puluillum collegam sibi in consulatu assumpsit. Porro autem apud quosdam ueteres auctores, non inueniri Lucretium Consulem libro secundo adiicit Liuius; Qui Bruto statim Puluillum suffectum scripserunt; credit ipse Lucretii consulatum nulla re gesta insignem memoria intercedisse. Quũ autem P. Valerius Consul domum in Summa velia tutissimo loco aedificare coepisset, in suspicionem regni affectati uenit, quo cognito, quaestus prius apud populum, quod de se tale aliquid timuissent, eam à fundamentis diruit, securesque fascibus dempsit, & eis in populi concionem submissis, earum numerum dimidia ex parte minuit. Leges quoque humanissimas & maxime populares tulit, inter quas ea fuit de prouocatione à magistratibus ad populum; de imperio à populo accipiendo; & ne cuiquã iniussu populi ciuem Romanum aut uerberare, aut necare fas esset. Quare in eo magistratu Poplicola primo uocatus est, quod plebis studiosus populum nimis coluisset, ut auctor est Dionysius. In tabulis autem Capitolinis Poplicola semper exaratum est: quamuis tum in vulgatis, tum in antiquis manuscriptis codicibus, (quod errore ne an studio aliquo id factum fuerit incertum) Publicola semper legatur, eadem certe significatione, uerum ijs litteris aliquantulum uariatis, quae nihilominus maximam inter se affinitatem, ut scribit Quinctilianus habent; ut O. cum V: & P. cum B. legitur enim in antiquis inscriptionibus saepe poplicus, pro publico. Haec itaque anno post exactos reges primo domi forisque gesta ex Dionysio, Liuio, Plinio Iuniore, Plutarcho, Valerio Maximo, & Eutropio decerpsi

De Primis Cos. Anno CCXLV

Nemo non prodit L. Iunium Brutum, & L. Tarquinium Collatinum primos Consules fuisse. Qui in fine anni vrbis CCXLIIII. VI. cal. Martij, Regibus Tarquinijs vrbe exactis, centuriatis Comitiis, (ut omnes Consules postea creari mos fuit) renunciati sunt. Patrem Bruti M. Iunium Dionysius uocat, eumque progeniem unius eorum prodit, qui cum Aenea coloniam condiderunt. Is duobus ex Tarquinia Prisci Regis filia liberis susceptis, M. & L. Iuniis una cum maiore filio Marco à Superbo Rege occisus est. Lucius autem quum ab eodem Rege Tarquinio auunculo, omnem nobilitatis indolem excerpi, atque inter ceteros patrem, fratremque occisos animaduerteret, regis insidias metuens, quo facilius quae animo agitabat exequi posset, obrui se esse cordis simulauit, qua fallacia ingentes uirtutes texit, Vnde & Brutus dictus est, Brutum enim Romani stultum, uel stupidum, & insipientem uocabant. Vnde & à moribus cognomen Bruti inditum habuit. Dionysius libro IIII. Liuius libro II. Val. Maximus libro VII. cap. III. Plinius de viris illustribus. Itaque quum Sex. Tarquinius Lucretiae Collatini vxori uim intulisset, primus populus ad recuperandam libertatem incitauit, & primus cum Collatino Lucretiae uiro Cos. factus est. De Collatino autem non idem tradunt Dionysius; & Liuius. Hic enim ex Fabio Pictore & Cn. Gellio, eum Egerii filium, Aruntis nepotem, Damarati pronepotem; ille uero ex L. Pisone Egerij nepotem, Aruntis pronepotem, Damarati abnepotem uocant. Plutarchus incertus est quam opinionem sequatur. Ego autem Liuii sententiam sum sequutus, quae temporum rationi quadrare mihi maxime uisa est. Egerius autem Aruntis fratris Tarquinii prisci Regis filius fuit, Damaratique nepos, qui natus post patris mortem, quum testamento ab auo praeteritus esset, omniaque bona Tarquinio Prisco cessissent, ab inopia Egerii praenomen habuit. De quo plura Dionysius, & Liuius. Is Collatia à Prisco Rege capta, ibique in praesidio relictus, Collatini cognomen primus inuenit, quod diu Collatiae praefuisset, de quo secundo Fastorum Ouidius

Surgit cui clarum dederat Collatia nomen. De hoc Consulum collegio Cicero pro Planco; Philippica prima, & secundo de legibus. Dionysius libris IIII. & V. Liuius libris primo & II. Plutarchus in Poplicolae; Valerius Maximus libro VII. cap. III. quod tam uaphre telluri impressum osculum, vrbi libertatem, Bruto primum in Fastis locum tribuit. Et libris I. & V. cap. VIII. Virgilius quoque libro VI. Aeneidos

Consulis imperium hic primus saeuasque secures
Accipiet

Cornelius Tacitus libro I. Libertatem & consulatum L. Brutus instituit. Florus libro I. Vterque Plinius, Histor. natural. libro XXXIII. cap. IIII. & de viris

illu

illustribus. Pomponius I.II.II.Macrobius libro primo Saturnalium cap.V.& VIII.Orosius libro V.Eutropius libro primo,qui praenonem Collatini omittit,& Cassiodorus.Quod autem de Collatino scripsi COACTVS. A CONLEGA. ABDICAVIT. id ex Verrii Flacci instituto feci,qui in tabulis Capitolinis caussas omnes notare solet depositi magistratus.Huius autem Collatini abdicationis meminerunt Cicero in Bruto,& officiorum III. L.Piso in annalibus apud Gellium libro XV.cap.XXIX. Dionysius libro V.Liuius libro II. Plutarchus in Poplicolae,Eutropius,& Florus libro primo. IN. EIVS. LOCVM. FACTVS. EST. P. VALERIVS. VOLVSI. F. VOLVSVS Pater P.Valerii in tabulis Capitolinis est Volusus; in Liuio vero & L. Hyginio libro primo de claris uiris,ut est apud Pedianum in Pisonianam,& reliquis historiae Romanae scriptoribus,est VOLESVS.vtroque modo & recte dici posse testantur duo antiquissimae marmoreae inscriptiones,quarum altera in Via Sacra,ante Basilicam SS. Cosmae & Damiani eruta fuit,altera uero adhuc est Romae apud Achillem Maffeum totius antiquitatis accuratissimum indagatorem

Apud Maffeos	Eruta in Via Sacra
P. VALESIVS. VOLESI. F	P. VALESIVS. VOLESI. F
POPLICOLA	POPLICVLA
	IOVI. IVNONI
	SAC
	P. PETRON. RESTITVIT

Hoc loco autem Volusum siue Volesum cognomen esse non praenomen,ea potissimum ratione mihi persuadeo, quod mihi absurdum videtur eodem tempore,& forte in eodem homine,idem vocabulum praenomen & cognomen fuisse. Nam in Poplicolae fratre L.Valerio certe cognomē est,ita enim à Verrio Flacco in tabulis Capitolinis exaratus est Anno vrbis cōditae CCLXXI L. VALERIVS. VOLVSI. F. VOLVSVS. POTITVS. atqui quid absurdius hoc praesertim tempore, eandem vocem in patre praenomen in filio uero cognomen esse? Patris autem cognomen in nominum appellationibus pro praenomine aliquando etiam à Verrio Flacco in tabulis Capitolinis usurpatum fuisse, testimonio est C. LIVIVS. M. AIMILIANI. F. M.N. DRVSVS quae apud ceteros scriptores frequens est appellatio,ut Q. Fabius Maximi F. L. Aimilius Paulli F. L.Valerius Potiti F. & similes.Porro autem quum Volusum, patris ac fratris Poplicolae cognomen fuisse certe inuenerim,rationi quoque consentaneum erit, ut & Publii, Marci,& M'.Valeriorum fuerit, quod postea nouis cognominibus adquisitis, ut tum consuetudo erat relinquerunt, quod deinde in praenomen (ut dixi) mutatum est. Gentis autem Valeriae Romae auctor fuit Volusus siue Valesius quidam Sabinus de quo Plutarchus in Poplicolæ,cuius præcipua opera, pax inter T.Tatium & Romulum bello Sabino facta fuerat: cuius Valesii Consulem hunc pronepotem fuisse refert Dionysius libro IIII. De primo autem P.Valerii consulatu Cicero in L.Lucullo, & pro L.Flacco, Dionysius, Liuius, Valerius Maximus libris I.& II.cap.VIII.& L. Florus,Eutropius,& Cassiodorus

QVI. IN. HOC. HONORE. POPLICOLA. APPELLATVS. EST. Hanc rationem scribendi ex tabulis Capitolinis sumpsi, in quibus alio loco ita est. QVI. IN. HOC. HONORE. MESSALLA APPELLATVS. EST. Et QVI. IN. HOC. HONORE. CENSORINVS. APPELLATVS. EST. à qua formula nulla ratione mihi discedendum esse duxi. De hac re Dionysius, Liuius, Plutarchus, Valerius Maximus, & uterque Plinius.De L.Bruto & Valerio Poplicola consulibus Polybius libro III.Dionysius, Liuius, Valerius Maximus libro IIII.cap.IIII. Plutarchus in Poplicolae, Plinius libro XXXVI.cap.XV. Sex.Rufus

IN. PROELIO. POSTEAQVAM. SIBI. CONLEGAM. SVBROGASSET. OCCISVS. EST. Haec quoq; scribendi ratio usurpata est à Verrio Flacco in tabulis Capitolinis Anno vrbis DLXXVII Q. PETILLIVS. C. F. Q. N. SPVRINVS. IN. MAGISTRATV. POSTEA. QVAM. SIBI CONLEGAM. SVBROGASSET. OCCISVS. EST

Cicero de Senectute, Dionysius, Liuius, Plutarchus, Valerius Maximus libro V. Cap.VI.Plinius Iunior de viris illustribus, Eutropius,& Orosius IN. EIVS. LOCVM. FACTVS. EST SP. LVCRETIVS. TRICIPITINVS. IN. MAG. MORTVVS. EST. IN. EIVS. L. FACT. EST M. HORATIVS. PVLVILLVS

Cicero pro domo, Dionysius, Liuius, Valerius Maximus libro IIII. cap. I. & libro V. cap. X. Plutarchus, vterque Plinius, Eutropius, & Cassiodorus. De Poplicola & Puluillo consulibus Dionysius, Liuius, Plutarchus, Eutropius, & Cassiodorus

De Rege *Sacrorum primo*

DIONYSIVS libro V.ait: Creatus Rex Sacrificulus primus est M'. Papirius ex patriciis, uir quietis studiosus. Liuius libro II. Reum (inquit) deinde diuinarum habita cura, & quia quae-

dam

dam publica sacra per ipsos reges factitata erant, necubi regium desiderium esset, regem sacrificiorum creant, id sacerdotium pontifici maximo subiecere; ne additus nomini honos aliquid libertati cuius tum primum cura erat officeret. Porro hoc sacerdotium comitiis centuriatis institutum est. Quod semper penes patricios fuisse docet Cicero. Durauit autem Romae usque ad Imp Theodosii tempora, à quo cum reliquis sacerdotijs ueteris superstitionis sublatus est

De Primis Quaestoribus

QVAESTOR, minor, nec curulis, quam uis patricius magistratus erat, qui publicae pecuniae praepositus, aerarij curam habebat, à quaerendo dictus, ut libro IIII. de lingua Latina tradit Varro, quod pecunias publicas conquireret. De cuius magistratus origine mire inter se uariant auctores. Vlpianus enim in lege vnica de officio Quaestoris. Digest. libro I. ita scribit: Origo Quaestoris creandi antiquissima est, & pene ante omnes magistratus; Gracchanus denique Iunius libro VII. de potestatibus, etiam ipsum Romulum, & Numam Pompilium binos Quaestores habuisse, quos ipsi non sua voce, sed populi suffragio crearent, refert. Sed sicuti dubium est, an Romulo & Numa Pompilio regnantibus, Quaestor fuerit, ita à Tullo Hostilio Rege Quaestores fuisse certum est. Et sane crebrior apud ueteres opinio est Tullum Hostilium primum in Remp. induxisse Quaestores, & à genere quaerendi Quaestores initio dictos, ut Iunius, & Trebatius, & Fenestella scribunt. Idem Tacitus sentire uidetur; Libro enim II. ita scribit: Sed Quaestores regibus etiam tum imperantibus instituti sunt, quod lex curiata ostendit à L. Bruto repetita. Plutarchus in vita Poplicolae scribit: In quaestoria etiam lege ferenda maximam est laudem consequutus, vbi enim opus erat ad bellum pecunias pro censu ciues cófe rre, quum neque ipse id munus obire uellet, & ab eo obeundo amicos deterreret, nec omnino publicas pecunias in priuatam domum inferri aequum duceret, aerarium Saturni aedem constituit; itaque hodie manet. Concessit autem popolo ut Quaestores duos ereare posset, creatique sunt primi P. Veturius & M. Minutius. Et Zonaras tomo II. Publicola (inquit) pecuniae tractationem aliis mandauit, ne Consulum per eam potestas augeretur, tum primum Quaestoribus designatis. Apud Dionysium & Liuium nulla (ni fallor) est mentio Quaestorum ante annum vrbis CCLXIX. & consulatum Q. Fabij & Ser. Cornelij. Circa quae tempora eos primum creatos innuere uidetur Pomponius libro I. digest. tt. II. de origine iuris cap. Necessarium. Nam post Tribunos & Aediles plebis creatos, subiungit deinde quum aerarium populi auctius esse coepisset, qui illi praeessent constituti sunt Quaestores, dicti ab eo quod inquirendae & conseruandae pecuniae caussa creati erant. Quaestores autem primo à consulibus deligebantur, ut scribit Cor. Tacitus libro II. Mansit autem (inquit) consulibus potestas deligendi Quaestores, donec eum quoq; honorem populus mandaret, creatiq; primú Valerius Potitus, & Mam. Aimilius XIII anno post Tarquinios exactos, ut rem militarem comitarentur. Non est autem dubium quin ante quam frequentari coeperunt tributa comitia, curiatis comitiis Quaestores, eodem modo quo Tribunos Aedilesque plebis ante legem Publiliam, creari solitos. At postquam curiata comitia coeperunt, velut auspiciorum tantum caussa in vrbe retineri, ut Cicero in Rullum scribit, tributis comitiis creari coeperunt. Eos enim Ciceronis aetate tributis comitiis creari solitos ipse indicat lib. VII. Ep. fam. Epistola ad Curium. Cuius initium est. Ego uero. In campo certe non fuisti, quum hora secunda comitijs quaestorijs institutis sella Q. Maximi, quem illi Consulem esse dicebant, posita esset. Quo mortuo nuntiato sella sublata est, ille autem qui comitijs tributis esset auspicatus, centuriata habuit. Quod enim Cicero dicit: Caesarem tributis comitiis auspicatum, quum vellet comitia questoria habere, aperte demonstrat quaestoria comitia fuisse tributa. Postea ut Tacitus scribit gliscentibus negociis duo alii additi quaestores, qui Romae curarent, quum alii duo rem militarem comitarentur. Hoc autem factum fuisse anno vrbis conditae CCCXXXIII. T. Quinctio & N. Fabio Cos. libro IIII. docet Liuius. Qui ita scribit: quem admodum bellum minore, quam timuerant dimicatione erat perfectum, sic in vrbe ex tranquilla nec inopinata moles discordiarum inter plebem ac patres exorta est. Coepta ab duplicando Quaestorum numero. Quam rem ut praeter duos vrbanos Quaestores, duo consulibus ad ministeria belli presto essent, à consulibus relatam, quum & patres summa ope approbassent. Consulibus Tribuni plebis certamen intulerunt, ut pars Quaestorum (nam ad id tempus patricii creati erant) ex plebe fieret. Aduersus quam actionem primo Consules, & patres summa ope annixi sunt. Concedendo deinde, ut quemadmodum in tribunis militaribus consulari potestate creandis usi sunt, adaeque in Quaestoribus liberum esset arbitrium populi, quum parum proficerent totam rem de augendo quaestorum numero omittunt. Excipiunt omissam Tribuni. Et paulo post: anno sequenti patres patiendo Tribunos militum pro consulibus fieri, Tribunis

bunis plebis non intercedẽdo quo minus quattuor Quaestores promiscue de plebe ac patribus libero suffragio populi fierent, concordiam copularunt. Tribunicia primo comitia habita sunt. Vnoque Tribunorum quaestoria habente quattuor tum primum quaestores, & omnes patricij creati sunt. Verum non longe post & de plebe fieri coepti. Quattuor quaestorum numerus diu mansit, donec (ut inquit) Tacitus stipendiaria iam Italia facta, & accedentibus prouinciarum uectigalibus, eorum duplicatus est numerus, & octo facti. Post lege Sullae XX. creati supplendo senatui, cui iudicia tradiderat. Caesar quoque Dictator, quum aliorum fere omnium magistratuum, tum quaestorum numerum ut scribit Tranquillus auxit. Ex his duo tantũ in vrbe manebant, aerario praefecti, qui eius pecunias expensas & acceptas referre in tabulas publicas consueuerant, quique Quaestores vrbani appellabantur, ceteri enim omnes prouinciales dicti sunt à prouincijs in quas mittebantur, ut rei pecuniarie scilicet, uectigaliorum publicorum, & redditaum populi Romani, uel bellorum tempore praedae ac manubiarum, quae in rationes publicas referebantur, in his prouinciis curam haberent. Sortiebantur enim Quaestores omnes nõ vrbani ex S.C. prouincias, ut eam quisq; administraret, quam à senatu decretam ei sors dedisset, ijque quum consulibus praesto essent, una cum eis in prouincias ibant. Sic enim Cicero loquitur actione III. in Verrem: Quaestor ex S.C. prouinciam sortitus es, obtigit tibi consularis, ut cum Consule Cn. Carbone esses, eamque prouinciam obtineres; similiter quotquot erant Romanae prouinciae, quae proconsulum, aut propraetorum imperio administrabantur, hae (quas quidem senatus quaestorias decreuisset) in sortem mittebantur. Veluti in Sicilia duae erant sub uno propraetore prouinciae quaestoriae, Lilybetana, & Syracusana ut auctor est Pedianus; In Hispania duae; In Sardinia, Africa, Bithynia, Asia, Achaia, Cilicia, Gallia utraque, aliae. Sed quoniam uel illae prouinciae satis magno nũmero non erant, ut quaestorum numero respondere possent, uel non omnes à senatu decernebantur, hinc fit ut alias praeterea per Italiam prouincias quaestorias reperiamus, ut Ostiensem, quae frumentariam procurationem haberet, & alteram lege Titia factam, ad colligendum uectigal agris publice assignatis impositum; de quibus Cicero pro Muraena: & aliae eiusmodi. Quaestoris autem prima erat senatori administratio ut scribit Asconius. Nam post quaesturam Aedilitas, deinde Tribunatus plebis, post praetura, & demum consulatus peti solebant. Quaestorum magistratus diu Romae mansit, nam usq; ad Iustiniani Imp. tempora crebra in omnibus historiis de eo mentio est. Quem bello Gothico Italico cum consulatu, & alijs quae superant dignitatibus sublatum esse in vrbe constat. Constantinopoli autem diu hic honos mansit, qui cum eius imperii casu demum cõcidit. Eius etiam nunc exempla supersunt; nam Thesaurarios, vel Camerlingos, aut Camerarios, quaestorum locum & potestatem obtinere ex eorum munere manifestum est.

De Quaestoribus parricidij, Quaesitoribus, & Triumuiris capitalibus

Ante constitutas quaestiones perpetuas, hoc est, vt essent perpetui iudices, uel Praetores annui qui certis legibus formaque praescripta de uarijs criminibus singuli cognoscerent, veluti de falso, de parricidio, de sicarijs, de iniurijs, de ambitu, de repetundis, & similibus (omnes enim hae quaestiones suos particulares Praetores postea habere coeperunt) quoties de capite ciuis Romani ius dicendum esset, toties Quaestores per populum creabantur, qui capitalibus rebus praeessent, hique appellabantur quaestores parricidij, quorum meminit lex XII. Tabularum, dicti ut M. Varro scribit, quod conquirerent maleficia. Quum enim iniussu populi Rom. de capite ciuis agere non esset consulibus permissum, propterea hi quaestores à populo constitui mos erat, vbi aliquod crimen publica animaduersione dignum incidisset, ita ut ordinarius magistratus non esset. In horum locum postea (vt idem Varro scribit) perpetuus magistratus creatus fuit Triũuiri capitales, qui de his rebus cognoscerent, de quibus olim quaestores parricidij iudicabant. Ab eis postea qui quaestionum iudicia exercerent quaestores, uel vt scribit Cicero quaesitores dicti. Nam Praeter eum praetorem cuius iurisdictio erat de crimine sibi oblato cognoscere, sorte creabatur ex numero Iudicum vnus, qui & quaesitor, & iudex quaestionis à Cicerone, & princeps Iudicum à Pediano dicitur. Nam in Iudicijs publicis, quorum ex aliqua lege perpetua iurisdictio constituta erat, ita cognoscebat is Praetor, qui quaestioni praeerat, vt eius munus tantum esset Iudices cogere, eorumque sortitionem ac subsortitionem facere, ex ijs Iudicum decuriis quibus iudicandi tam munus incumbebat, reliqua vero quae ad caussae cognitionem pertinebant, Quaesitor, siue Iudex quaestionis absoluebat. Praetor quidem pro tribunali residens, ac pro Imperio indices cogebat; Iudex vero quaestionis in subselijs praetorij tribunalis cum ceteris iudicibus sedens de crimine quaerebat, atque ad ceteros indices referebat. Et (ut ait Quinctilianus) Praetor in ijs quae imperij sunt fere impediebatur, Iudex quae-

stionis

ſtionis in ijs quae ad cauſſae cognitionem pertinebant, eodẽ prope modo, quo in priuatis actionibus Iudex à praetore datus; tum cauſſa cognita Iudices ſententiam ferebant. Porro Triumuiri capitales poſt quaeſtores parricidij creati, de omnibus cognoſcebant; quae prius iudicare ſolebant quaeſtores parricidij, at poſt conſtitutas quaeſtiones perpetuas, (quod L. Cenſorino & M. Manilio factum fuiſſe ſcribit Cicero Anno vrbis D C V.) quum praetores qui de eis quaererent inſtituti ſunt, tũc Triumuiri capitales ad columnam Moeniam in foro tantum cognoſcere coeperunt de ſeruis, & ceteris extremae ſortis hominibus, itemque de eorum ſceleribus, qui cũ ciues Romani non eſſent in vrbe habitabant; carcerisque cuſtodes erant, eorumque interuentu in eos animaduertebatur, qui extremo ſupplicio damnati eſſent. Creabantur & ij ſuffragijs populi comitijs tributis vt Cicero & Liuius docent, de eis crebra mentio apud omnes hiſtoricos veteres eſt

De primo inter Romanos et Carthaginienſes foedere

POLYBIVS libro III. Primum igitur foedus inter Romanos, & Poenos initum eſt ſtatim poſt eiectum ex vrbe regium nomen L. Bruto, & M. Valerio conſulibus, duodetriginta annis ante primam Xerxis in Graeciam transfretationem

De conſulibus anni CCXLVI. *et luſtro* V

ALTER poſt exactos reges annus Conſules habuit P. Valerium Poplicolam II. & T. Lucretium Tricipitinum, auctoribus Dionyſio, Liuio & Caſsiodoro. Iterum autem conſul Valerius ſcribitur; ut idem eſſe, qui priore anno fuit intelligatur; notatur autem hac ratione II. vt paulo poſt latius demonſtrabo. Lucretio autem cognomen Tricipitini ideo adiunxi, tum quod familiae proprium fuerit, tum quod ab antiquo Faſtorum ſcriptore qui eſt in Cuſpiniani commentario Tricipitinus appelletur; ut ſequenti anno demonſtrabo. Titi uero filium ideo dixi, quod eum patrem eſſe arbitratus ſum T. Lucretij T. F. T. N. Tricipitini, qui Cos. eſt anno vrbis CCXCI. in Faſtis Capitolinis. Quum autem hi Conſules cenſum feciſſe à Dionyſio tradantur, quo cenſa ſunt ciuium capita CXXXↀ. ab eiſdẽ quoque quintum luſtrum conditum fuiſſe intelligo, quorum auctor Ser. Tullius Rex fuerat, quae quum toto Superbi regno intermiſſa fuiſſent, hoc anno, & ab his Conſulibus acta ſunt. Quintum autem luſtrum id fuiſſe, ex Valerio Maximo colligitur, qui Ser. Tullium luſtrum quater condidiſſe ſcribit: idque apertius ex luſtro VIII. demonſtrabo. Cenſum ante agere munus Conſulum per aliquot annos poſt exactos reges fuit. Quibus poſtea uarijs bellis implicitis, quum rebus domeſticis vacare non poſſent, Cenſores creati ſunt. Porro autem hoc anno facta fuiſſe Liuius refert, quae de Porſenna Cluſinorum Rege, Horatio Coclite, Mucio Scaeuula, & Cloelia Virgine Veſtali dicuntur. Dionyſius vero anno ſequenti, Eutropius cum Liuio ſentit. Plutarchus in Poplicola in vtrunque Conſulatum haec diuiſit

De Conſulibus anni CCXLVII

HIC Poplicolae addita nota III. ut Horatio II. eoſdem eſſe demonſtrat, qui antea conſulatum quoq; geſſerunt, ita autem notaui quod ſic fieri animaduerterim in nummis, & antiquis marmoreis Faſtorum tabulis, & praeſertim Capitolinis: quae omnia ut accuratius percipiantur pauca quaedam ſubijciam de his ipſis notis, quibus eundem magiſtratum pluries ab eodem homine geſtum fuiſſe demonſtrabatur, ut in hoc conſulatu licet intueri. Ante omnia itaque illud animaduertendum, quum nulli magiſtratui, quis quis ille fuerit, nota aliqua numeri in nominis fine aditur, eum hominem illum magiſtratum tunc primum adeptum fuiſſe ſignificari, exemplum à primis quinque conſulibus peti poteſt, quibus nullae numerorum notae additae ſunt. Quum uero quiſpiam eundem magiſtratum iterum adeptus eſſet, eius nomini addebatur nota IT. vel ITER. aut ITERVM ſiue numerus II. quo idem ſignificabatur. Secundum enim interpretari, uel ſecundo in uetuſtis exemplaribus nunquam memini me uidiſſe. Quod ſi ter aut quater, ita notabant TERT. QVART. vel III. IIII. vel IV. ut in Poplicola uideri poteſt, ideſt tertium uel quartum, non tertio & quarto, ut plerique eruditi homines, ut eſt apud Gellium libro X. cap. primo, ſcripſerunt, inter quos celebriores fuere C. Coelius & Q. Claudius Quadrigarius libro XIX. Qui C. Marium Cos. ſeptimo creatum fuiſſe dixit. Quam controuerſiam M. Varro libro diſciplinarum V. ita tractauit. Aliud eſt (inquit) quarto praetorem fieri, & quartum, quod quarto locum adſignificat, ac tres ante factos, quartum tempus adſignificat, & ter ante factum. Iccirco Ennius recte ſcripſit: Quinctus pater quinctum fit Conſul

Et Pompeius timide quod in Theatro ne adſcriberet Conſul tertium aut tertio, extremas litteras non conſcripſit. De qua re à Varrone paucis tractata, M. Tullius M. L. Tyro latius in quadam

Q Epiſtola

Epiſtola mentionem facit, quum Pompeius (inquit) aedem Victoriae dedicaturus foret, cuius gradus uice Theatri eſſent, nomenque eius & honores inſcriberentur, quaeri coeptum eſt, utrum Conſul tertio, an tertium inſcribendum eſſet: eam rem Pompeius exquiſitiſſime rettulit ad doctiſsimos ciuitatis, quumque diſſentiretur; & pars tertio, alij tertium ſcribendum contenderent, rogauit Ciceronem Pompeius ut quod ei rectius uideretur ſcribi iuberet, tum Ciceronem iudicare de uiris doctis ueritum eſſe, ne quorum opinionem improbaſſet, ipſos uideretur improbaſſe: perſuaſit igitur Pompeio ut neque tertio, neque tertium ſcriberetur, ſed ad ſecundum uſque T. finirent litterae TERT. ut uerbo non praeſcripto, res quidem demonſtraretur, ſed dictio tantum ambigua uerbi lateret. Porro autem quum multis annis poſt, eiuſdem theatri ſcena quae conciderat reſtituta eſſet, numerus tertii Pompei Conſulatus non uti initio prioribus litteris TERT. ſed tantum lineolis III. inciſis ſignificatus eſt. M. vero Agrippa in ea inſcriptione quae periſtilijs porticus templi Iouis vltoris affixa eſt, Varronem ſequutus eſt; atque ita ſcripſit M. AGRIPPA. L. F. COS. TERTIVM. FECIT. quum igitur dicitur Poplicola II. uel III. aut IIII. iterum, tertium & quartum interpretandum, qua nota ſignificatur eum quater adeptum fuiſſe eundem magiſtratum, idem de reliquis notis V. VI. VII. &c. quintum, ſextum & ſeptimum dicendum. Illud autem in tabulis Capitolinis accurate obſeruatum eſt, numeros quibus magiſtratus multiplicati notantur ſuper impoſitam habere lineam hoc modo II. III. IIII. V. triumphorum uero numeros nullam, ut ſic. II. III. IIII. V. quod ipſum differentiae cauſſa diligentiſsime cuſtodiendum eſſe inſtitui. Eſt etiam animaduertendum, non idem omnino eſſe ter Conſul, & tertium Conſul, nam tertium tempus, ter uero perſonam ſignificat. Quum enim de aliquo quid factum refertur, adiungiturque tertium Conſul, ut id de eius tertii conſulatus anno intelligatur neceſſe eſt, quum uero dicitur ter aut quater Cos. ſignificatur eum hominem tertio, aut quarto conſulatibus iam factum, ampliusque Conſulem non eſſe, ita ut uere dici poteſt C. Marius ſeptimum Conſul non ſepties obiit, quia ſeptimi ſui conſulatus anno deceſſerit. Itemq; Cn. Pompeius tertium Conſul Theatrum & M. Agrippa tertium Conſul porticum Panthei condiderunt, neque hic ter Conſul dici debet, quum tertii conſulatus ſui anno uterque ea geſſerit, recte tamen dici poteſt C. Marius ſepties, Agrippa ter, & Auguſtus terdecies Conſules fuerunt, quod hi homines, non magiſtratuum tempora intelliguntur: idcirco recte Plinius: quũ de Muciano ter Conſule quam ſaepiſsime mentionem facit

Porro in hũc annum Liuius P. uel vt quidam codices habent T. Lucretium & P. Valerium Poplicolam, Dionyſius uero P. Valerium Poplicolam tertium, & M. Horatium iterum Conſules fuiſſe ſcribunt. Plutarchus de tertio tantum P. Valerii conſulatu mentionem facit. In Caſsiodoro deſunt hi conſules. Ego Dionyſium potius ſequutus ſum, tum ob eas quas ſuperius attuli rationes, tum ẽt quod hi Conſules referãtur ab antiquo Faſtorum auctore, qui conſulum nomina ab exactis regibus ad Honorii Imperatoris tempora deduxit, ut eſt apud Cuſpinianũ hoc modo

BRVTO. ET. COLLATINO

POPLICOLA. II. ET. TRICIPITINO

POPLICOLA. III. ET. PVLVILLO

Puluillus autem eſt M. Horatii cognomen ut Dionyſius & Liuius ſcribunt. Ea quae à Liuio ſuperiore anno geſta fuiſſe traduntur, Dionyſius in hunc annum coniecit, Lartes enim Porſenna Rex Cluſinus quum Tarquiniorum rogatu bellum populo Romano intuliſſet, nihil profecit. qui nouis Romanae fortitudinis exemplis Horatii Coclitis, Mucii Scaeuulae, & Cloeliae virginis perculſus, pacem cum populo Romano fecit, belloque Etruſco difficili & perículoſo finis impoſitus eſt. Dionyſius, Liuius, Plutarchus, Plinius Iunior, & Eutropius

Hoc demum anno Templum Iouis Optimi Maximi in Capitolio ut Dionyſius refert à M. Horatio Conſule dedicatum eſt, quod Polybius libro III. Liuius libro II. & Plutarchus in Poplicola Idibus Septembris biennio ante factum ab eodem Conſule ſcripſerunt. De qua dedicatione Valerius Maximus libro V. cap. X. & M. Tullius pro domo mentionem faciunt. De hoc autem Templo plura ſcripſi in libris de antiqua vrbe

De Conſulibus anni CCXLIIX

POST Poplicolam III. & Puluillum II. Conſules Dionyſius poſuit Sp. Lartium, & T. Herminium. Idem facit Caſsiodorus, & liber incerti auctoris qui a Cuſpiniano citatur, in quo ita eſt

POPLICOLA. III. ET. PVLVILLO

RVFO. ET. AQVILINO

VALERIO. ET. TVBERTO

Huius quoque anni interpoſitionem neceſſariam eſſe ex M. Tullio in Bruto liquet: vbi à Regibus exactis ad Ser. Sulpicii, & M. Tullii conſulatum decem annos fuiſſe ſcribit. Id etiam ex Aſconio

nio in Cornelliana colligitur, vbi Tribunos plebeis primos XVI. post reges exactos anno prodidit. Quare iniuria haud dubie temporum, uel librariorum uitio, à Liuio omittuntur, sequentis enim anni Consules statim subijcit. Hos quoque Consules à Verrio Flacco non respui in tabulis Capitolinis satis constat, si is Prisco Tarquinio XXXVII. annorum regnum tantum tribuerit, ut credendum est. Lartius autem nomen à Larte deriuatum est, atque ita scribi debet, ut ex antiquis lapidibus apparet LARTIA. C. F. VXOR. non Largius ut deprauate in uulgatis Dionysii & Liuii libris extat. Cuius cognomen Flauum fuisse Dionysius in secundo eius consulatu refert, quod Rufum esse in libro Cuspiniani satis constat. Herminij autem cognomen esse Esquilinum existimo, tum quod eius cognominis mentio extet in tabularum Capitolinarum fragmento, anno CCLXXVI. ita SQVILINVS, tum quod cuius familiae fuerit à nullo unquam quod sciam proditum est, quod ego huic Herminio ex libro Cuspiniani adiunxi, in quo Aquilinus haud dubie pro Esquilino notatum est, neque enim eius cognominis alicubi praeterea mentionem unquam fieri inueni, quare id in libro Cuspiniani deprauatum fuisse suspicatus sum. Hic autem Sp. Lartius frater fuit T. Lartii primi Dictatoris ut Dionysius scribit

Annus CCXLIX

DIONYSIVS libro V. M. Valerium, P. Postumium Tubertum Consules edit. Liuius M. Valerium, P. Postumium. Plutarchus M. Valerium Poplicolae fratrem Postumium Tubertum. Si M. Valerius Poplicolae frater est, ut etiam Dionysius & Liuius tradiderunt, ergo recte Volusi filius, cui ob eandem (quam superius dixi) rationem cognomen Volusi adiunxi. P. autem Postumium Q. F. fuisse tradit Dionysius libro VI, quum de legatis consularibus ad populum seditionis tempore agit. Huius anni consules Cassiodorus P. Valerium III. & P. Postumium uocat. Postumium autem sine haspiratione media ideo à ueteribus scriptum est, uel quod à posteà Postumus Postimius deinde Postumius deriuetur, uel quod antiqui Vmus sine haspiratione scriberent De Tuberto Cos. meminit Cicero de legibus & Valerius Maximus lib. II. cap. II. In consulibus autem digerendis eos semper praeponam qui uel priore mense fasces habuerût, uel prius renunciati fuerunt, atque in hac recognoscenda ante omnes tabularum Capitolinarum ordinem sequar, ubi hae mancae sunt Dionysium, post quem Liuium, ubi is deest Cassiodorum usque ad Ciceronis tempora, quibus res ex eiusdem aetatis scriptoribus paulo clariores sunt

Annus CCL

DIONYSIVS, Liuius, Plutarchus, & Cassiodorus habent in hunc annum Consules P. Valerium Publicolam IIII. & T. Lucretium II. Cuspiniani vero liber Publicolam IIII. & Tricipitinum edit. Valerius Max. libro IIII. cap. IIII. Valerius Publicola (inquit) Consulatus initium cum Bruto auspicatus est, idemq; postea tres Consulatus acceptissimos populo Romano gessit

Annus CCLI

DIONYSIVS, hoc anno habet Consules Agrippam Menenium Lanatum. P. Postumium Tubertum iterum. Liuius, Cassiodorus, liber Cuspiniani, & Fasti Graeci non dissentiunt. Agrippam Menenium C. F. vocat Dionysius, Vbi de legatis Consularibus agit ad plebem missis anno CCLXI. Valerius libro IIII. cap. IIII. eum M. Menenium Agrippam deprauate nominat, rectius vero qui de viris illustribus scripsit: Menenium Agrippam cognomento Lanatum

Annus CCLII

DIONYSIVS hoc anno Consules subijcit Sp. Cassium Vscellinû Opiterem Virginium Tricostum. Liuius & Cassiodorus habent Opiter Virginius: Sp. Cassius. Fasti Graeci Tricostus & Vitellinus. Cicero in Laelio Cassium Becillinum vocat, quem Cuspiniani liber Viscellinum; vt à Visco Viscellus, deinde Viscellinus deriuetur. Hunc ego sequutus sum

Annus CCLIII

HOC anno Consules referuntur à Dionysio, Liuio, & Cassiodoro Postumus Cominius, & T. Lartius; quorum cognomina fuerunt, libro Cuspiniani, & Fastis Graecis testibus, Auruncus & Flauus. Quos autem liber Cuspiniani Rufos dicit eos Fasti Graeci & Dionysius diuersa voce sed eodem significatu Flauos appellant. Hic T. Lartius Flauus dicitur à Dionysio frater Sp. Lartij de quo supra diximus. Valerius Maximus in Epitoma Postumi Cominij Aurunci meminit. Item Plutarchus in problematibus, & paralellis, vbi Cominium Laurentinum vocat

Annus CCLIIII

SER. Sulpicius Camerinus, & M. Tullius Longus Consules hoc anno à Dionysio referuntur

tur. Liuius & Cassiodorus cognomina tantũ omittunt, quae à Fastis Graecis ponuntur. Ser. Sulpicium P. F. vocat Dionysius vbi de legatis Consularibus agit. De M. Tullio ita Cicero in Bruto: Vt si ego me à M. Tullio esse dicerem, qui patricius cum Ser. Sulpicio Cos. anno X. post exactos reges fuit. Eum Dionysius in magistratu mortuum fuisse scribit, neque in eius locum quenquam factum, quia annus prope finem erat

Annus CCLV

CONSVLES fugerit Dionysius P. Veturium Geminum, & T. Aebutium Heluam. Liuius T. Aebutium & C. Vetusium. Cassiodorus T. Aebutium, L. alias Cn. Vetusium. Fasti Graeci Heluam & Geminum. Dionysius libro VI. Vbi de legatis Consularibus agit, hunc T. Aebutium T. F. nominat. P. autem Veturium eum esse existimo, quem anno post exactos reges, primum quaestorem cum M. Minucio factum scribit Plutarchus. Qui autem Vetusium scribunt, antiquam consuetudinem imitantur in qua S. pro R. ponebatur, vt quum Fusios, Valesios, Papisios dicebant, qui Veturium recentem vsum. Hac de re Liuius in anno CCXCII

Annus CCLVI

DIONYSIVS in hunc annum edit Consules T. Lartium Flauum, & Q. Cloelium Siculum. Liuius & Cassiodorus cognomina praetereunt, quae apponuntur à Fastis Graecis, & libro Cuspiniani, & si is pro Flauo Rufum scribat. T. Lartius est idem qui ante Consul fuit, ex Dionysio; ideo iterum addidi.

De Dictatore & Magistro Equitum primum creatis

DICTATOR extraordinarius erat apud Romanos magistratus, cui periculosissimis Reip. temporibus, in sex tantum menses creato summa potestas permittebatur, quam dictaturam uocabant, Praetor Maximus ab initio, post populi magister appellatus; ita dictus siue à dictando iure, uel ut Dionysius scribit propter potestatem iubendi edicendique quod uellet (si quidem rerum iustarum iniustarumq; iussa à Romanis edicta nominabantur) siue ut M. Varro libro IIII. de lingua Latina scribit, quod à Consule diceretur, cuius dicto omnes audientes essent; creabantur enim uiua Consulis voce, non per populi suffragia. Vtrasque autem has caussas exponit Plutarchus in Marcello. Dictatoris autem quia summa erat in populum potestas, is quoque magister populi appellatus est, Vnde Varro eodem libro. Magister equitum, quod summa potestas huius in equites & adcensos, ut est summa populi Romani Dictator; à quo is quoque magister populi appellatus. Et libro V. hinc Dictator magister populi, quod is à Consule debet dici. Et Sex. Pompeius Optima lex * In magistro populi faciendo, qui vulgo Dictator appellatur, quam plenissimum posset ius esse significabatur, vt fuit M. Valerij M. F. Volusi. N. qui primus magister à populo creatus est. Cicero III. de finibus. Rectius magister populi (is enim est dictator) quam Sulla. Praetorem autem maximum eum dictum fuisse docet lib. VII. Liuius. Ea (inquit) religione adductus Senatus. Dictatorem claui figendi caussa dici iussit. Dictus L. Manlius Imperiossus L. Pinarium magistrum equitum dixit. Lex vetusta est priscis litteris uerbisque scripta, ut qui Praetor Maximus sit, Idibus Septembribus clauum pangat. Suprema autem Dictaturae potestas ac plane regia erat; habebat enim Dictator ius animaduertendi in cuiusque ciuis Romani caput inconsulto populo, nec ab eo prouocatio erat, nec alio pacto creari solebat, quam quum uis aliqua maior repente oborta ingentem vrbi cladem minitari uideretur; lictores, fasces cũ securibus, ac vniuersa regum insignia habebat (hoc autem ex regia potestate ademptum est, quod ei nisi ad bellum ituro equum conscendere non licebat, neque vllos ex aerario sumptus facere sine S.C. vel populi iussu) & postremo ceteros magistratus creare poterat, à quibus etiam dictandis quidam volunt Dictatorem appellatum. Et si vt dixi dicturae magistratus ex legibus intra sex menses terminaretur, eundem tamen in annum aliquando prorogatum fuisse, ob necessarias reipub. caussas legimus, vt Camillo in Senonico vrbis excidio, bis L. Papirio Cursori, semel. Q. Fabio Maximo. Primus autem L. Sulla, post C. Caesar propriam potentiam legibus ac libertati anteponẽtes, perpetuam dictaturam armis inuasere, verum Sulla modestior, dictaturam enim sponte disposuit; solusque aut cum paucis comitibus in publico uersari solitus est. At Caesar dominandi auidissimus, eam vsque dum vixit retinuit, illudque saepe in ore habebat Sullam nescisse litteras, quum eius inscitiã imprudentiamq; in omittenda dictatura notaret. Mortuo Caesare lege à M. Antonio Consule lata dictaturae honos in perpetuum sublatus est; quem quum populus Romanus Augusto Caesari offerret constantissime recusauit, neque quisquam amplius Romae Dictator fuit appellatus. Quum autem mos esset Dictatorem tantum ab altero Consulum dici, eis bello implicitis, uel mortuis, aliquando prodictator à populo creatus

creatus est, vt bello Punico secundo Q. Fabius Maximus. Cui petenti, eximiae virtutis ergo à senatu tunc praeter leges primum concessum est, vt equo vehi posset, nam lex erat, ne Dictator equo veheretur, vt in eius vita docet Plutarchus; idque, vel ob eam caussam, quod quum plus esse roboris in pedestribus copijs putaretur, propterea in legione permanere, nec locum deserere debeImperator; uel quod, quum ad alia omnia dictatoris esset singularis potestas, in hoc vno voluerunt eū populo inferiorem videri. L. etiam Sulla & C. Caesar praeter pratriae morem primi R. P. C. Dictatores à populo, alter interrege L. Valerio Flacco, alter vero M. Lepido praetore comitia habentibus, creati. Reliqui omnes Dictatores à Consulibus his causis & hoc modo creati sunt. Quoties aut belli externi, seditionisue domesticae vis quaedam maior incidisset, quae videretur maiori imperio quàm consulari indigere, aut si adesse comitijs non possent Consules, nec vellet Senatus rem ad interregnum redire, aut si figendus esset clauus religionis caussa, aut ludi faciendi, quaestiones exercendae, uel feriae Latinae constituendae, aut senatus legendus (has enim ob caussas creatos Dictatores fuisse obseruaui) tum si Senatui ita videretur, iubebatur alter ex Consulibus dictatorem dicere, hoc est quem vellet (modo ex consularibus) aliquem nominaret, qui Dictator esset; tunc Consul captatis auspicijs oriente nocte, silentio, Dictatorem dicebat: qui deinde magistrum equitum quem vellet dicebat. Haec autem ordinaria erat Dictatoris & magistri equitum creatio, vt non à populo, nec à Senatu sed ab altero Consulum diceretur aliquis ex consularibus, ita enim lex iubebat vt scribit libro secundo Liuius. Aliquando autem Senatum voluisse populum rogari constat, vt quem vellet dictatorem iuberet, qui deinde à Consule diceretur, vt scribit Liuius libro XXVII. qua ratione Q. Fuluius Flaccus Dictator à populo iussus, renuntiatus est à M. Claudio Marcello Cos; & ex eodem plebiscito ab eodem Dictatore P. Licinius Crassus pontifex maximus magister equitum dictus est. Quum autem non nisi ex consularibus dictatorem dici lex iuberet, sequebatur vt de patricijs pri mo crearetur, Cōsules.n. per multos annos patricij fuerunt. Nec prius de plebe legi dictator coeptus, quam creari de plebe Consules quoq; coepti sunt. nam qui primus de plebe dictator fuit C. Marcius Rutilus à M. Popillio Laenate Consule plebeio dictus est, atque ita communicata quoque est plebi Dictatura anno vrbis CCCXCIII. Idque contra ueterem consuetudinem, non tamen cōtra legem factum est. Non enim lex de plebe Dictatorem fieri uetuerat sed de consularibus iusserat, at C. Marcius consularis. Satisfecit igitur legi Popillius quum consularem hominem dictatorem dixit, consuetudini & patriciis non satisfecit, quia de plebe dixit, quum antea de patriciis dici consueuissent. Dictatori autem (ut dixi) magister equitum additus; qui talis apud Dictatorem erat, quales apud Reges tribuni Celerum, & ut dictatori summum ius in populum fuit, ita magistro equitum in omnes milites atque accensos. Porro cum à Dictatore antea prouocatio non fuisset, postea ab eo magistratu ad populum instituta est; ut scribit Sex. Pompeius quum ait: Posteaquam uero prouocatio ab eo magistratu ad populum data est, quae antea non erat, desitum est dici, ut optima lege, ut pote imminuto iure priorum magistratuum. Quis autem primus Romae Dictator, vel quo anno, aut qua caussa creatus fuerit, varie admodum inter se ueteres dissentiunt scriptores. Quam annalium uarietatem Liuius etiam miratus, & quid de hac re constitueret ambigens, ita scripsit, Postumo Cominio & T. Lartio Cos. triennio ante: In hac tātarum expectatione rerum solicita ciuitate, Dictatoris primum creandi mentio orta, sed nec quo anno, nec quibus consulibus, quia ex factione Tarquinia essent (id quoque enim traditur) parum creditum sit, nec quis primum dictator creatus sit, satis constat. Apud ueterrimos tamen auctores T. Lartium Dictatorem primum, Sp. Cassium magistrum equitum creatos inuenio, consulares legere. Ita lex iubebat de Dictatore creando lata. Eo magis adducor ut credam Lartium qui consularis erat, potius quam M. Valerium M. F. Volesi nepotem, qui nondum Consul fuerat, moderatorem & magistrum consulibus appositum. Qui si maxime ex ea familia legi Dictatorem vellent, patrem multo potius M. Valerium spectatae virtutis, & consularem uirum legissent. Et paulo post. Hoc demum anno ad lacum Regillum pugnatum apud quosdam inuenio, A. Postumium quia collega dubiae fidei fuerit, se consulatu abdicasse, Dictatorem inde factum. Tanti errores implicant temporum, aliter apud alios ordinatis magistratibus, ut nec qui Cosules secundum quosdam, nec quid quoque anno actum sit in tanta uetustate, non rerum modo, sed etiam auctorum digerere possis. Dionysius uero asseueranter, quasi nullum dubium habeat, Dictatorem & magistrum equitum primum in hunc annum reiicit, quo T. Lartius II. & Q. Cloelius Cos. fuerunt. Liuium sequuntur Eusebius, Eutropius, & Cassiodorus, qui omnes anno post reges exactos nono Dictatorem primum esse creatum scribunt. Neq; uero de caussa satis conueniunt. Orosius enim Sabinorum bellum mouentium caussa. Liuius ad Sabinos Latini etiam belli metu accedente, quum triginta iam coniurasse populos concitante Octauio Mamilio Tusculano Duce satis constaret. Dionysius; Quum plebs graui aere alieno

obstricta ad bellum Latinum nomina dare detrectaret, post longas consultationes abrogata pro tunc consulari potestate, nouum hunc magistratum, à quo nulla esset prouocatio, quique summum ac regium ius haberet, ad comprimendos sedandosque eos tumultus senatum creasse scribit. Nam quum regium nomen abrogatum esset, monarchiaque utilissima res esset ad res gerẽdas, tumultusq; populares sedandos, odioso nomine reiecto, rem ipsam sub alio uocabulo renouarunt. Atq; alii quidem (vt Liuius & Festus prodũt) M. Valerium M.F. Volusi nepotẽ, qui nondum Consul fuerat creatum scribũt. Alij uero quos Dionysius & Liuius sequuntur, T. Lartium Cõsulem. S.C. autem factũ ait Dionysius ut Lartius & Cloelius Consules, ceteriq; magistratus abdicarent, unusq; uir quem Senatus nominaret, populus sciseeret, haud amplius quã in sex mensium spatium sine prouocatione, & maiore quam Consules essent potestate, imperaret, quo facilius sublata prouocatione seditio gliscens sopiretur. Itaq; Cloelio Consuli negocium datum Dictatoris dicendi. Qui T. Lartium Flauum conlegam dixit. Is Romae primus creatus est princeps vnicus belli pacis, ceterarumq; rerum imperator, Praetor Maximus, Magister populi, & Dictator appellatus. T. autem Lartius dictator dictus Sp. Cassium Viscellinum uirum consularem Magistrum equitum dixit. Atque inde ea semper in Rep. consuetudo fuit, ut dictator cum magistro equitum magistratum gereret. Quod tamen bello Punico secundo semel, & postremo iterum ab ipso Caesare neglectum est. Quum autem multae fuerint caussae propter quas dictatorem dici solitum esset, quas superius enumeraui, atque in tabulis Capitolinis à Verrio Flacco obseruatum sit, ut caussa etiam dicti dictatoris extaret, propterea idipsum ego quoque studiosissime retinendum esse putaui, ea ratione scribendi seruata, quam in tabulis Capitolinis usurpari animaduerterim: primus autem hic Dictator seditionis sedandae, & rei gerundae caussa dictus fuit. Dictatoriã autem potestatem tradit Dionysius à Graecis Romanos sumpsisse, apud quos antiquitus, vt in libris historiae de Regno scribit Theophrastus electi quidam tyranni erant αἰσυμνῆται vocati, qui a populis in certum tempus creabantur, id publica aliqua necessitate exigẽte, ut Mithylenaei qui Pittacum aduersus exules Imperatorem suprema cum potestate in statum tempus renuntiarunt. Licinius Macer ab Albanis id sumptum esse scripsit, qui post Amulij & Numitoris mortem, deficiente regia stirpe, annuo magistratui regium imperium commendauerunt, quem Dictatorem appellauerunt. Porro autem quum suprema haec ac plane regia potestas esset, neminem fuisse constar, qui non ea moderate ciuiliterque vsus fuerit. Primus L. Cornelius Sulla Felix saeue crudeliterque ea potestate usus est, ita ut tunc primum senserint Romani, id quod antea ignorauerant, dictaturam meram tyrannidem fuisse. Sulla enim dictatoria potestate senatum ex quibuscumque hominibus constituit, tribuniciam potestatem ad nihilum fere redegit, vrbes euertit, Ciues indicta caussa ad XL. millia necauit, legibus patriis abrogatis, nouas ipse leges multas tulit. Cuius exemplum in multis sequutus C. Caesar occasionem eo caeso senatui praebuit, ut lege à M. Antonio Consule lata, eius nomen in perpetuum tãquam tyrannicum sublatum fuerit. Ceterum De T. Lartio primo Dictatore Macrobius primo Saturnalium mentionem facit, quem aedem Saturni Saturnalibus dedicasse scribit

De Lustro VI.

LIVIVS (vt dixi) quum ad sua tempora properaret, anguste admodum ueteris Reip. gesta tractauit. Nam inter tot triumphos, sacerdotia, magistratus, & cetera multa quae omittit cognitu dignissima, lustrorum quoque & censuum mentionem nullam facit, res ad tradendum Romani Imperij incrementum maxime necessaria. Quae nisi à Dionysio relata fuissent, nulla omnino certa sedes censibus horum temporum extaret. Scribit enim T. Lartium Dictatorem ex instituto Ser. Tullij populum censuisse, eoque lustro CIↃↃ DCC. Capita esse censa. Eusebius eiusdem census verum triennio ante meminit, quo anno quoque primum Dictatorem factum prodit. Dionysium autem census nomine lustrum etiam comprehendere, paulo post aperiam

Annus CCLVII

A. SEMPRONIVM Atratinum, & M. Minucium, cui in secundo consulatu cognomen Augurinum adiunxit, Consules in hunc annum edit Dionysius: Liuius & Cassiodorus cognomina tantum omittunt, quae à Fastis Graecis hoc anno; & libro Cuspiniani in secundo ipsorum consulatu referuntur

Annus CCLVIII

A. POSTVMIVS & T. Virginius Consules referuntur à Dionysio, Liuio, & Cassiodoro. Iis cognomina addunt Fasti quidem Graeci Albus & Coelimontanus, Liber uero Cuspiniani Regillensis & Tricostus. Ita ut sint A. Postumius Albus Regillensis, & T. Virginius Tricostus Coelimon

Coelimontanus. Dionysius vbi de legatis consularibus ad plebem seditionis tempore agit, A. Postumium P. F. Album uocat, & Plutarchus in Poplicola Postumium Album; qui postea Dictator factus, Latinisque ad lacum Regillum victis, Regillensis ab ea victoria appellatus est. Quare huius filius in Tabulis Capitolinis scribitur P. Postumius A.F.P.N. Albus Regillensis. Tricostus vero & Coelimontanus Virginiae gentis sunt nota cognomina.

De bello Latino, & A. Postumio Albo Dictatore eius belli caussa creato

Hoc anno Latinis populis Duce Octauio Mamilio Tusculano, quem Tarquinij excitauerant iterum mouentibus, in magna ciuitatis trepidatione opus dictatore fuit. Itaque alter ex Consulibus Virginius natu grandior conlegam dictatorem dixit. is T. Aebutium T. F. Heluam virum Consularem magistrum equitum creauit: haec Dionysius. Nam Liuius tertio ante anno hunc Dictatorem factum fuisse scribit. Ego Dionysium sum sequutus, tum ob eas quas superius saepe dixi caussas, tum quia uero similius videtur, Postumium in consulatu quam ante, Dictatorem esse ex lege dictū: Qui (vt dixi) in hoc honore parta ad Regillum lacum egregia de Latinis victoria, Regillensis appellatus est. In quo bello Magistrum equitum fuisse Cossum falso Florus, & Qui vitas illustrium virorum scripsit prodidere. De hoc dictatore Cicero libris primo & secundo de natura deorum. Valerius Maximus libro primo cap. VIII. Plinius libro XXXIII. cap. II. mentionem faciunt. Pugnae ad lacum Regillum meminerunt omnes quos citaui scriptores, & ex his Dionysius & Plutarchus in Coriolano, qui eam fuisse Idibus Quintilibus docent. Huius Dictatoris nonnulla vestigia sunt in Capitolinis triumphis, ex quibus apparet, etiam eum Regillensem esse dictum.

Annus CCLIX

Ap. Claudius Sabinus, & P. Seruilius Priscus Consules hoc anno referuntur à Dionysio. Idem praeter cognomina scribunt Liuius & Cassiodorus, quae à Fastis Graecis, & libro Cuspiniani ponuntur. Hunc Ap. Claudium, praeter Dionysium, Liuium, & Cassiodorum, Cicero quoque libro primo de oratore, Valerius Maximus libro IX. cap. III. Plinius libro XXXV. cap. III. Cornelius Tacitus lib. XI. & Tarquillus in Tiberio vocant. Hoc idcirco notaui quod ab omnibus historicis auus dicitur Ap. Claudij Decemuiri qui à Verrio Flacco in tabulis Capitolinis Ap. F. M. Nepos dicitur. Contra tot scriptorum sententiam Verrium Flaccum hic sequi non placuit, ex quo eum Marcū appellari debere dicitur, sed eam ob caussam ipsum Marci filium nominaui. Hic autē est princeps gentis Claudiae Attius Clausus primū, post Ap. Claudius appellatus, qui ex Sabinorum vrbe Regillo, vnde Sabinus Regillensis dictus Romam commigrauit anno ab vrbe condita CCLI. atque à populo inter Patricios adscriptus est. Eumquoq; Rigillensem appellari debere id praecipue indicat, quod eius aliquot posteri eo cognomine usi sunt. P. autem Seruilius P. F. dicitur à Dionysio libro VI. Vbi de legatis consularibus ad populum seditionis tempore missis, scribit.

Annus CCLX

Hos Consules Dionysius uocat A. Virginium Montanum & T. Veturium Geminum. Liuius vero, & Cassiodorus T. Vetusium A. Virginium, Fasti Graeci Coelimontanum, & Geminum. Liber Cuspiniani Montanum et Geminum; Qui autem Montanus idem etiam Coelimontanus fuit. Nam Dionysius Vbi de legatis Consularibus agit eum A. Virginium A. F. Coelimontanum vocat. Hos Consules Pedianus in Cornelianam A. Virginium Tricostum, & L. Veturium Cicurinum appellat, ex quo intelligi potest, vtrumq; horum Cōsulum duo praenomina habuisse Tricostum Coelimontanum, & Geminum Cicurinum. Ita enim alio loco alij appellati sunt. Hunc annum vna cum Cicerone, post reges exactos esse XVI. refert eo loco Asconius. In quo primos Tribunos plebis creatos fuisse scribunt, ita vt omnino necesse sit Lartij & Herminij Consulatum interponere, vt annorum summa ab his relata constet. Tribunorum plebis creationem in sequentem annum reijciunt Dionysius & Liuius.

De M. Valerio Voluso Dictatore

Qvvm Aequi, Volsci, & Sabini vna omnes bellum excitassent, ac plebs graui aere alieno nexa; nomina profiteri nollet, iamq; seditio anno priore nexorum caussa cōmota, uehementius in dies glisceret, visum est patribus ad Dictatorem confugere, cuius metu plebs sine dubio quietura videretur. Itaq; Manius Valerius Poplicolae frater annos natus amplius septuaginta Dictator dicitur. Is Q. Seruilium P. Seruilij Q. F. Prisci superiore anno Consulis, fratrem, sibi magistrum Equitum cooptauit. Haec Dionysius, ac fere eadem Liuius; qui addit eum Volesi filium

& non

& non consularem Dictatorem factum. Seditionis autem sedandae, & rei gerundae caussa factũ fuisse ex his Liuij verbis constat, vbi ipsum loquentem refert: Discordiae intestinae, & bellum externum fecere, vt hoc magistratu egeret Resp. Triumphus quoque ab eo actus eum rem prospere gessisse ostendit. Maximus autem vt Dionysius & Liuius scribunt, in hoc honore appellatus est, quod conuocata concione plebem gratissima oratione represserit, atque iussa facere magnis pollicitationibus hortatus sit. Cicero autem in Bruto hanc orationem non in vrbe, sed in castris, ad sacrum montem tempore secessionis eum habuisse, Ideoq; eum Maximum appellatum scripsit. Cum Cicerone sentit Valerius Maximus libro VIII. cap. X. Plutarchus in Pompeio, cũ à populo Maximum appellatum scribit, quia plebi senatum conciliauit. De eo praeterea Varro, Pomponius, Eusebius, Orosius, Eutropius, & alii mentionem faciunt

Annus CCLX

Consvles in hunc annum produnt Dionysius, Liuius, & Cassiodorus Postumum Cominium, & Sp. Cassium. Fasti Graeci & liber Cuspiniani Auruncum, & Viscellinum. Dionysius eos iterum fuisse adijcit, atque hoc anno Kal. Septembris citius quam consuetum erat magistratum inijsse. Horum Consulum meminit Cicero pro Cornelio Balbo. Postumi uero Cominii iterum Consulis Valerius Maximus libro IIII. cap. III. Eiusdem & Plutarchus in Coriolano

De Lustro VII

Censvm ab his consulibus actum, ciuiumque amplius quam CX. millia capita censa solus omnium quod sciam tradit Dionysius. Hoc autem fuisse Lustrum VII. ex sequenti manifestum erit

De prima Secessione Plebis, & Tribunis Plebis primum creatis

Qvvm in hoc commentario inter cetera, omnium magistratuum initia aperire instituerim, id maxime mihi faciundum esse iudicaui de Tribunis plebis, quod aliquando sine curulibus magistratibus ullis summæ rerum praefuerunt. Verum antequam ad eorum originem explicandam accedam, quid hac Tribuni uoce significetur, uel unde manauerit prius est aperiendum. Tribunorum autem nomen Varro libro IIII. de lingua Latina eo ortum tradit, quod terni ex tribus tribubus Ramnium Lucerum Tatientium olim ad exercitum mittebantur. Pomponius uero ex eo ortum putat; quod id temporis populi tres tantum erant partes, quas tribus nominabant, & ex singulis singuli creabantur qui eis praeessent, tribuni vocati. Alii à centuriarum equestrium numero dictos malunt, quas ab initio tres tantum fuisse constat Ramnensium, Tatientium & Lucerum. Nec desunt qui à Tribuum suffragijs quibus creabantur dictos existimant. Alii à tributo pendendo tribunos appellatos scripserunt. Erant autem plura Tribunorum genera. Fuerunt enim origini vrbi aequales quidam Tribuni qui equitibus praeerant, Tribuni Celerum dicti (equites namque à primo eorum tribuno Celere Celeres dicebantur) de his Pomponius: hi equitibus praeerant, & veluti secundum locum à regibus obtinebant, quemadmodum magistri equitum apud Dictatores, & praefecti praetorio apud Imperatores; quo in numero fuit Iunius Brutus. Postea facti sunt Tribuni militares, siue Tribuni militum in castris, qui aliquando consulari potestate remp. administrarunt. Horum, ut docet actione secunda in Verrem Pedianus duo genera erant; primum eorum qui Rufuli dicuntur, hi in exercitu creari solebant, alii fuerunt comitiati, qui Romae comitiis designabantur. Fuerunt & Tribuni aerarii, uerum is ordo non magistratus erat, dicti ob eo quod his attributa erat pecunia, quam militi reddebant. Fuerunt & Tribuni plebis Romae qui plebem ut ait Varro defenderent, non dissimiles iis qui apud Lacedemonios Ephori dicebantur, de quibus hoc loco tractare institui. Triennio ante Ap. Claudio & P. Seruilio Cos. seditio plebis ex nobilium foeneratorum impotentia, qui plebeios aere alieno obstrictos in vinculis habebant, exarsit; Sedata tamen est à Seruilio Consule; quum edixisset ne quis ciuem Romanum vinctum, aut clausum teneret, quo minus ei nominis edendi apud Consules, qui tunc in Volscos bellum parabant, potestas fieret. Anno uero insequenti A. Virginio T. Veturio Cos. plebem iterum eadem de caussa militiam detrectantem M. Valerius Maximus Dictator promissis mitigauit, & in hostes eduxit, ac quum uictoria parta, per senatum promissa praestare non posset, dictatura se abdicauit. Post autem quum plebs per caussam renouati ab Aequis belli ex vrbe educta esset, auctore Sicinio quodam patribus irata à consulibus discessit, & trans Anienem amnem collem quendam occupauit, qui sacer est appellatus, neque eo anno reuocari in vrbem ulla ratione potuit. Consules inde per secessionem plebis magistratum inierunt Postumus Cominius II. & Sp. Cassius II. Tum legatis decem viris consularibus à senatu ad plebem de pace missis, vnius Menenii Agrippae oratione commota, decreta à senatu leuatione debitorum, & nexorum ob aes alienum solutione, rediit.

Ceterum

Ceterum verita ne soluto coetu, vel promissis non staretur, vel vt digressi essent, alius ob alias caussas comprehensi poenas darent, hac lege quae sacratae nomen accepit, cum patribus in gratiam redijt, vt magistratum & ipsa sibi e suo corpore contra patriciorum potentiam ac vim creare posset, quoque auxilij latio aduersus Consules esset, utque hic magistratus sacro sanctus esset, idest, ne quis tribunum plebis aut verbo aut manu violaret, qui secus fecisset, ipsum impune posse occidi, ac sacrum esse videri, neue cui patriciorum eum capere magistratum liceret. Ii Tribuni plebis dicti sunt. De Tribunicia autem potestate haec lex lata fuit, ut scribit III. de legibus (Cicero

Tribunum inuitum, tanquam vnum è multis, nemo ullum agere cogito
Neque verberato, neque alteri ut verberet imperato
Neque occidito, neque occidi iubeto
Si quis autem prohibitorum horum aliquid fecerit, impius execrabilisque esto
Bonaque eius publicanto ad sacra Cereris

Haec autem ex Dionysio, Liuio, & Pomponio; à quibus in eo dissentiunt Cicero pro Cornelio, Pedianus, Plutarchus in Coriolano, & Eutropius, quod primos tribunos plebis superiore anno, idest XVI. Post reges exactos creatos scribunt. Cicero: Tanta igitur in illis virtus fuit, vt anno XVI. post Reges exactos, propter nimiam dominationem potentium secederent, leges sacratas ipsi sibi constituerent, duos tribunos crearent, montem illum trans Anienem, qui hodie mons sacer nominatur, in quo armati consederant aeternae memoriae caussa consecrarent. Primum autem ut scribit Cicero comitiis curiatis duo creati sunt, deinde eodem anno tres adiecti, vt essent quinque, singuli ex singulis classibus, ut Pedianus in Cornelianam ex Tuditani, Attici, Ciceronis, & Liuij sententia tradit. Nam Dionysius & Plutarchus quinque primum factos vna affirmant, ita vt à superioribus non multum dissentiant, nam & si non simul eos primum factos in monte sacro fuisse, eodem tamen anno creatos tradunt. L. autem Piso in annalibus (ut scribit Liuius) XXII. anno post, T. Quinctio & Ap. Claudio Cos. Anno vrbis cōditæ CCXXCIII tribus additis quinque tribunos plebis primum creatos fuisse rettulit. Illud vero non ambigitur, quin anno CCXCVII. C. Horatio & Q. Minucio Cos. quinque additis decem effecti sint; qui numerus deinde stante Rep. conseruatus est. Primos autem duos creatos Pedianus ex vetustissimorum annalium auctoritate nominat L. Sicinium L. F. Bellutum, & L. Iunium C. F. Paterculum. Liuius vero C. Licinium & L. Albinium, ex tribus vero reliqnis vnum tantum Sicinium refert, de reliquis duobus parum ait conuenire. Dionysius vero C. Sicinium Bellutum, L. Iunium Brutum, C. & P. Licinios & C. Icilium Rugam quinque primos vocat. Plutarchus in Poplicola duos ex quinque nominat Iunium Brutum, & Sicinium Bellutum, Suidas Sicinium & Brutum. Diem autem quo primi tribuni plebis inierunt, ante IIII. Idus Decembris nominat Dionysius, qui eum solemnem vsque ad sua tempora ineundo tribunatui diem tradidit. Quapropter Liuius etiam libro XXXIX. Naeuium tribunum plebis eo die inijsse scribit. Quum autem primo mos esset Tribunos plebis comitiis curiatis creari, XXII. anno post T. Quinctio & Ap. Claudio Cos. lege à Volerone Publilio & Laetorio tribunis plebis lata, omnes plebei magistratus tributis comitiis (quibus patricij omnes exclusi fuerant) fieri coepti in his tribuni plebis: quo anno tres additos primum fuisse, perinde ac duo antea tantum fuerint, L. Piso auctor est. Qui Tribunos eos nominat Cn. Sicinium. L. Numitoriū, M. Duillium, Sp. Icilium & L. Mecilium. XXXV. deinde anno si Dionysij & Liuij sententiam de primo anno tribunorum plebis sequamur, vel XXXVI. si Ciceroni assentiri voluerimus, Anno vrbis conditae CCXCVII. C. Horatio & Q. Minucio Cos. decem tribuni plebis primo creati sunt, bini ex singulis classibus, itaque cautum est ut postea crearentur. Quum autem Decemuiri sine aliis magistratibus legum ferendarum caussa creati, coacti à S. P. Q. R. abdicassent, tribunicia quoque potestas quae his duobus annis intermissa fuerat, ob secessionem plebis restituta est. Quo tempore M. Duillius Tribunus plebis quo hunc magistratum firmiorem redderet, plebem rogauit; plebesque sciuit, qui plebem sine tribunis reliquisset, quique magistratum sine prouocatione creasset, tergo ac capite puniretur. Quum etiam mos esset, vt non omnes Tribuni, plebis suffragiis crearentur. Sed aliquot Tribuni creati, reliquos sibi ad decem numerum cooptarent; anno sequenti, Larte Herminio & Sp. Virginio cos. L. Trebonius Tribunus plebis infestus patribus, quod se ab ijs in cooptandis tribunis fraude captum, proditumque à collegis aiebat, rogationem tulit, vt qui plebem Romanam tribunos plebis rogaret, is usque eò rogaret, dum X. tribunos plebis faceret. Ceterum tribuni plebis per multos annos ex ipsa tantum plebe creati sunt. Verum cum curia & senatus plebi concessa fuissent, senatoresque è plebe legerentur, multi quoq; tum equites, tum senatores Tribuni plebis facti (liberum enim erat populo Romano tribunatum plebis mandare cui uellet) demum Atinius Trib. plebis tribuniciae potestatis maiestatem augens legem tulit; vt quem Tribunum plebes creasset, is hoc ipso in posterum senator esset, quare non nisi senatores post Atinium

Plebiscitum

plebiſcitum de quo Gellius mentionem facit, Tribuni plebis fuerunt; hinc Auguſtus, vt eſt apud Tranquillum, comitiis tribuniciis ſi candidati ſenatores deeſſent, ex equitibus Romanis creauit, ex quo ſequitur non licuiſſe antea equitibus Romanis tribunatum petere, multo igitur minus tertio ordini, iis qui de plebe dicebantur, qui nec equites, nec ſenatores erant. Quum autem primo eis tantum auxilij latio conceſſa eſſet, ne patricij aduerſus plebem inſolentius, aut arrogantius agerent; tum iure ſacroſancti magiſtratus quum inuiolabiles eſſent, longe maiora moliti, magnas in Republica turbas, & ſeditiones ſaepe concitarunt; neque enim grauioris poenae metu, ijs qui eos laedebant irrogatae, quisquam eis repugnare, aut ui aduerſari audebat: ceteros enim omnes magiſtratus Sacroſancta poteſtate ſuperabant; primo enim, quem uis à quo imploratum eorum auxilium eſſet aſſerebant, ſupplicem tuebantur, non contra priuatos duntaxat, ſed etiam aduerſus ipſos magiſtratus, dictatoribus tantum exceptis. Quod ſi quis ad eos vel etiam abſentes prouocaſſet, is ſtatim liberatus ab eo à quo comprehenſus fuerat, vel in concionem adducebatur, vel abſoluebatur. Ad haec, ſi quod eis decretum ſiue à priuato, ſiue à magiſtratu, ſiue à plebe factum diſplicebat, Intercedebant; quod ſi ſenatus aliquid vel agere, vel decernere inſtituiſſet, atque vnus Trib. plebis interceſsiſſet, id decretum promulgari non poterat. Progreſſu temporis, illa etiam ſibi vendicarunt, vt & ſenatum conuocarent, dicto non audientes punirent, haruſpicesque conſulerent. Multa demum quae non licebant, interceſsionibus illis inuictis conſequebantur, rogationes ferebant, quibus lege Hortenſia omnes Quirites obſtringebantur. Poſtremo eò eorum audacia, & poteſtas creuit, vt aliquando Conſules in carcerem coniecerint, & quoſdam indicta cauſſa necarint, neque enim eis quisquam aduerſari audebat; alioqui ipſe ſacer & deuotus erat. Si qui tamen non ab omnibus Tribunis damnarentur, opem diſſentientium implorabant, itaque cauſſam dicere, ſiue apud eos ipſos, ſiue apud alios iudices, ſiue apud populum licebat, plurium ſuffragijs condemnandi vel abſoluendi: vt autem ex Gellio libro III. cap. II. elicitur lex aliquando fuit quae tribunos plebis vetaret integrum diem vrbe abeſſe, quam tamen impune aliquos tranſgreſſos fuiſſe conſtat. Tribunorum vero numerus ad denos auctus, poteſtatis eius valde vires imminuit. Nam collegarum in magiſtratibus quum natura quodammodo, tum magis ex inuidia societas Infida eſt; Nec ita facile eſt, ut multi praeſertim magno praediti magiſtratu conſentiant. Eo accedebat quòd alij ipſorum vim debilitare ſtudentes, motus excitabant, vt diſſentientium robur infringeretur, alijs ad alios ſe conferentibus. Vno enim eorum intercedente omnium erant irrita decreta. Principio eis curiam intrare non licebat, ſed ante valuas poſitis ſubſelliis, decreta patrum attentiſsima cura examinabant, vt ſi quae ex eis improbaſſent rata eſſe non ſinerent. Itaque ueteribus ſenatus conſultis T. littera ſubſcribi ſolebat, eaque nota ſignificabatur, illa Tribunos quoque, qui pro commodis plebis excubabant, inque impetiis compeſcendis occupati erant, cenſuiſſe. Poſtea et ſenatores (vt dixi) facti, non niſi ſenatoribus is magiſtratus capi licebat, quamquam plebeis tantum, patricij enim eo magiſtratu excluſi erant, quod ſi quis patriciorum ad plebem tranſiſſet, eum capere poterat, vt Clodius & Dolabella fecerunt. Tametſi aliquos patricios & eos quidem conſulares Tribunos plebis creatos fuiſſe apud Liuium legatur libro III. Ita enim ſcribit: Noui Tribuni plebis in cooptandis collegis patrum voluntatem fouerunt, duos etiam patricios conſularesque Sp. Tarpeium & A. Aterium cooptauere. Hoc autem nunquam praeterea factum fuiſſe memini me legere. Verum L. Sulla Dictator factus plebis inimiciſſimus ad imminuendam tribuniciam poteſtatem legem tulit, primum ne tribunis plebis alios magiſtratus capere liceret, deinde ne ad eos prouocatio eſſet, tum ne leges ferre poſſent, poſtremo ne iis concionari liceret, iure tantum intercedendi illis relicto. Sed eo mortuo C. Aurelius Cotta Conſul primum legis caput abrogauit, tulit enim vt alios magiſtratus tribunis plebis capere liceret, reliqua abrogauit Pompeius Magnus in primo cōſulatu, lege lata vt ad Tribunos pleb. eſſet prouocatio. Omniaq; omnino quae tribunis plebis ademerat Sulla illis fuiſſe reſtituta multis exemplis intelligitur. Plutarchus in Problematibus ſcriptum reliquit: tribunatum plebis magiſtratū non eſſe; quod neque purpuram habeat, neque lictoribus vtatur, neque ſella curuli ſedens ius dicat, neque poteſtatem creato Dictatore deponat, more omnium magiſtratuum. Cicero tamē in oratione pro Quinctio magiſtratum appellat. Item pro Cluentio: purpuram geſtaſse tribunos plebis ſcribit, quo loco de L. Quinctij intolerabili ſuperbia verba facit. Vultum (inquit) atque amictum, atque illius uſque ad tallos demiſſam purpuram recordemini. Eſt & illud animaduertendum Tribunos plebis comitiis deſignari ſolitos antequam Conſules, vt ex epiſtola prima ad Atticum liquet, qui etiam ante Conſules magiſtratum inibant, nempe A. D. IIII. Id. Decembris. Tribunatus plebis, ſiue eius magiſtratus vmbra Romae diu manſit, nam vſque ad tempora Cōmodi Imp. vt ex Dionis hiſtoria patet, eius manifeſta eſt mentio, qui eorum quoq; temporum ſenatus conſultis aliquando interceſſiſſe traduntur. Eum autem magiſtratum uſq;

ad

ad Constantini tantum Imp. saecula in vrbe mansisse existimo, neque enim facile post Constanti num Aug. eius mentio in eorum temporum historiis inuenitur, sub eo autem potissimum eum defecisse arbitratus sum, quod is nouam reipublicae formam multis additis nouis, aut veteribus sublatis magistratibus, constituit

De primis Aedilibus plebis, Aedilibus curulibus & Cerealibus

EODEM anno, & eodem secessionis tempore cũ primis Tribunis plebis, comitiis curiatis alius quoque plebeius magistratus creatus est Aediles plebis nominati, ut Dionysius, Pomponius, & Zonaras scribunt ab aedibus quibus praeerant ita appellati, in queis omnia scita, & decreta plebs deferebant custodienda. De quorum institutione ita scribit libro VI. Dionysius. Creatis Trib. plebis, plebs à senatu petit, vt permitteret sibi binos viros singulis annis plebeios creare, qui tribunis subministrarent omnia quae necessaria erant, quiq; eas caussas iudicarent, quas ipsi eis permitterẽt, eosq; sacrorum publicorumq; locorum, & affluentiae forensis curam habituros, quo etiam à senatu concesso duos uiros creauere quos ministros tribunorũ, & collegas Iudicesq; vocauerũt, qui ab officio eorum Aediles vocati sunt, idest sacrarum aedium curatores, Varro lib. IIII. Aedilis (inquit) qui aedes sacras & priuatas procuraret dictus. Zonaras Tomo II. Trib. plebis recens creatis duo Aediles sunt adiuncti, quorũ ministerijs ad scripturas vterentur. Qui cum omnia decreta, plebiscita, & senatusconsulta acciperent, atque asseruarent, nihil eos eorum om nium quae agebantur latebat. Olim igitur his de causis, dicundique iuris ergo creabantur. Li uius libro III. Institutum est (inquit) à M. Horatio & L. Valerio Cos. vt S.C. in aedem Cereris ad aediles plebis deferrentur, quae antea arbitrio consulum supprimebantur vitiabanturque. Post ea autem quum alia, tum rerum venalium forum eis commissum. Duo autem ex plebe primo Ae dilis creati sunt plebei appellati curiatis comitiis, post lege Publilia Tributis creari coepti. Deinde procedente tempore, duo alij ex patricijs adiuncti sunt Aediles, qui à solio eburneo quod eis datum est, curules dicti sunt. Quorum munus erat ludos publicos maximos, uel Romanos facere, sacras, priuatasque aedes procurare, totam vrbem tueri, vt cloacae, & aquaeductus, & quaeque publica aedificia munda & integra essent, loca in theatro assignare; si quispiam seruum aut iumentum morbosum, vitiosumue pro integro sanoque vendidisset, edicto aedilium emptori succurrebatur. Cicero libro III. de legibus in XII. tabula. Suntoque Aediles curatores vrbis, annonae ludorumque solemnium. Ollisque ad honoris amplioris gradum is primus ascensus esto. Creabantur & ij aediles curules quam uis patricius, tamen quia minor magistratus erat, comitiis tributis, ut apud Gellium libro XIII. cap. XIIII. scribit Valerius Messalla, qui ait maiores magistratus fuisse Consules, Praetores, & Censores, reliquos omnes fuisse minores, quo in loco etiam scribit maiores centuriatis, minores tributis comitiis creari solitos. Vnde necessario efficitur Aediles curules tributis comitiis creari. Idque multis aliis ueterum scriptorum testimoniis confirmari potest. Porro quum initio Aediles curules ex patribus tantum crearentur, postea cum reliquis fere omnibus magistratibus plebi quoque communicati sunt. Postremo C. Iulius Caesar Dictator, duos Praetores, & duos Aediles qui frumento praeessent. adiunxit, quos à Cerere cereales nominatos scribit Pomponius, his Aedilibus cura ponderum & mensurarum, ne qua fraus in illis fieret comissa erat, atque ita ad sex aedilium numerus redactus. Quem nunquam praeterea auctum fuisse me legere memini. Frequens est Aedilium usque ad Imp. Hadriani tempora mentio, quibus hunc magistratum remansisse quidem verum mutatis nominibus existimo, quum is vt (scribit Victor) pleraque officia publica mutauerit, tum palatina, tum militaria in eam formam, quae paucis per Constantinum Magnum Augustum immu tatis, vsque ad Imperii Romani casum permansere

Annus CCLXII

DIONYSIVS initio libri septimi Cos. in hunc annum edit T. Geganium Macerinum, & P. Minucium. Idem Liuius libro II. Cassiodorus, Eutropius, & Orosius libro II. cap. V. referunt, praeter alterius cognomen. Vtraque vero cognomina adduntur à Fastis Graecis, & libro Cuspiniani, Macerinum enim Geganiorum, & Augurinum Minuciorum cognomina fuisse infra apertius patebit

Annus CCLXIII

A. Sempronius Atratinus II. & M. Minucius Augurinus II. citantur à Dionysio. Liuius & Cassiodorus cognomina, & notam II. omittunt. Fasti Graeci & liber Cuspiniani habent Augurinum II. & Atratinum II. Hunc annum esse XIX. à primis consulibus Dionysius refert. Hoc anno C. Marcius Coriolanus exilio à plebe damnatus, quem Plinius vel auctor libri de viris illustribus Consulem fuisse dicit, quod falsum est; petiit tamen consulatum, & repulsam tulit

Annus

Annus CCLXIIII

SVPERIORIBVS consulibus suggerit Dionysius Q. Sulpicium Camerinum, & Sp. Lartium Flauum iterum. Hos Liuius & qui eum sequutus est Casiodorus consulto (vt existimo) praetereunt, Fasti Graeci Camerinum & Flauum habent, liber Cuspiniani Cornutum & Flauum; est autem & Cornutus Sulpiciorum cognomen, vt ex tabulis Capitolinis intelligi potest. Non esse autem hos Consules omittendos ad Varronis annorum summam digerendam, satis ex his quae superius dixi constat

Annus CCLXV

POST superiores Consules Dionysius adponit C. Iulium Iulum, & P. Pinarium Rufum. Fasti Graeci habent Iulum & Rufum: liber vero Cuspiniani Iulum & Mamercinum. Mamercinum autem Pinariorum quoque cognomen esse ex alio loco constabit. Hunc, quod decem viri patrem existimauerim, Lucij filium dixi: quum is in tabulis Capitolinis notatus sit C. Iulius C. F. L. N. Iulus. De Iulo cognomine quod in Tullum & Tullium passim se transformauerat, Virgilius

At puer Ascanius cui nunc cognomen Iulo

Hos quoque Consules vt priores omittit Liuius: de quo idem dici potest, quod ipse libro IX. de Pisone scribit, ita enim ait: Hos Consules Piso Q. Fabio & P. Decio suggerit, biennio exempto quo Claudium Volumniumque, & Cornelium cum Marcio Consules factos tradidimus, memoria ne fugerit in annalibus digerendis, an consulto binos Consules factos ratus transcenderit, incertum est

Annus CCLXVI

SP. deinde Nautius & Sex. Furius Cos. hoc anno digeruntur à Dionysio, Liuio, & Casiodoro. Fasti Graeci habent Nautium & Rufum II. mendose vt existimo, pro Fuso, quod Furiorum cognomen esse alibi indicant Dionysius, Liuius, & tabulae Capitolinae. In libro vero Cuspiniani est Rutilus quod cognomen Nautiorum est, in eius vero collega est menda, nam pro Medullino, quod Furiorum quoque cognomen fuit, Viscellinus est. Sp. Nautium Sp. F. dixi ex eius Filii consulatu, qui in tabulis Capitolinis ita notatus est. C. Nautius Sp. F. Sp. N. Rutilus

Annus CCLXVII

CONSVLES hoc anno fuerunt auctore Liuio T. Sicinius & C. Aquillius. Quos Dionysius & Casiodorus vocant T. Siccium & C. Aquillium. Horum cognomina ex Fastis Graecis, & libro Cuspiniani fuerunt Tuscus & Sabinus

Annus CCLXVIII

CONSVLES in hunc annum digerit Dionysius Proculum Virginium & Sp. Cassium III. Liuius & Casiodorus Sp. Casium & Proculum Virginium. Diodorus libro XI. Virginio Tricosti cognomen adiungit. Fasti Graeci, & liber Cuspiniani Rutilum & Viscellinum. Valerius libro VI. cap. III. tres magnificos huius Sp. Casij consulatus scribit. De lege agraria à Sp. Casio Consule hoc anno primum lata, quae ipsi exitiabilis fuit, mentionem faciunt Dionysius, Liuius, & Valerius Maximus lib. V. cap. VIII

Annus CCLXIX

DIODORVS libro XI. Q. Fabium Vibulanum, & Ser. Cornelium Cossum Consules in hunc annum prodit: eosdem Dionysius, Liuius, & Casiodorus edunt, sed cognomina omittunt. Porro Q. Fabium K. Filium Vibulanum vocat etiam Dionysius in secundo eius consulatu, quod est etiam in Capitolinis eius consulatus fragmentis. Ser. vero Cornelium L. F. Maluginensem dixi, quod patrem esse arbitratus sum L. Cornelii Ser. F. L. N. Maluginēsis Cossis. Qui Cos. fuit anno vrbis CCXCV. atque Maluginensis cognomine hoc eodem anno referatur cum Fabio collega in Fastis Graecis

Annus CCLXX

L. Aimilius Mamerci filius, & Caeso Fabius Caesonis Filius, hoc anno Consules referuntur à Dionysio; Liuius, Casiodorus, itemque Diodorus, qui L. Aimilio Mamerci cognomen adiungit, eosdem produnt; patrum tamen praenomina omittunt. Fasti Graeci habent Mamercum & Fabium; quod cognomen etiam Dionysius ipsi Aimilio in eius tertio consulatu addidit.

Quum

Quum autem mihi uerisimile non sit, idem eodem tempore esse praenomen & cognomen, immo in eadem persona, Mamercum pro cognomine reieci, atque praenomen esse constanter assero. Mamercinum vero cognomen adposui, neque enim in tabulis Capitolinis, unquam Mamercum cognomen videmus, sed qui ab aliis Aimilij Memerci dicuntur, eos Verrius Flaccus Mamercinos semper nominat. Ita ve hac aetate Mamercum cognomen nulla ratione admitam, absurdum enim mihi videtur & inauditum, ut idem vocabulum in vno homine sit praenomen & cognomen, ideo huic L. Aimilio Mamercinum cognomen adiunxi quod Aimiliorum praecipue erat, Kaesonem autem Q. Fabij Vibulani priore anno Consulis fratrem scribit Dionysius, qui & hunc annū ab vrbe cōdita vocat CCLXX. Varronis hactenus annorū rationem sequutus

Annus CCLXXI

Diodorvs hoc anno habet Consules M. Fabium Vibulanū, & L. Valerium Potitum; Dionysius, Liuius, & Cassiodorus M. Fabium & L. Valerium. Fasti Graeci Fabium & Volusum, liber Cuspiniani Fabium & Potitum. In extremis fragmenti Capitolini leguntur huius Consulis haec duo cognomina ita: Volusus Potitus. Eum autem Dionysius Poplicolae fratrem paulo ante, nunc vero M. F. vocat ita vt adducor vt credam patrem Poplicolae appellatum fuisse M. Valerium Volusum, & idcirco adieci Volusi filium, quem patrem esse reor C. Valeri L. F. Volusi N. Potiti Volusi III. Tribuni militum consulari potestate, vt est in tabulis Capitolinis. M. vero Fabium fratrem natu minimum Quinti & Caesonis consularium scribit Dionysius. Quem Vibulanum etiam cognominatum fuisse, ex eius secundo consulatu in tabulis patet Capitolinis

Annus CCLXXII

Dionysivs in hunc annum Consules comparat C. Iulium & Q. Fabium, K. F. II. Idem Liuius & Cassiodorus praeter patris praenomen, & notam II. Vibulanus II lapis capitolinus. Iulus autem Iuliorum hac aetate cognomen erat, & corrupte in Fastis Graecis dicitur Tertullus, hic postea in decemuiratu dicitur C. F. C. N. à Verrio Flacco, si quidem quum legatus ad plebem mittitur consularis appellatur Anno CCCIII. à Pediano in Cornelianam, & a Dionysio dicitur uir consularis quum decemuir creatus est.

Annus CCLXXIII

Dionysivs Caesonem Fabium II. & Sp. Furium hoc anno Consules scribit. Liuius & Cassiodorus eundem edunt verum notam II praetereunt, Diodorus Furio addit cognomen Medullinum. ex Verrio Flacco adhuc apparet Furio huic cognomen fuisse Fusium. Fabij autem Vibulanum cognomen esse satis liquet. Sabinum deprauate & Fusum habent Fasti Graeci

Annus CCLXXIIII

Consvles subsequuti sunt M. Fabius II. & C. Manlius teste Dionysio. Diodorus vero Liuius, & Cassiodorus M. Fabium & Cn. Manlium Consules produnt. Fabium II. & Cincinnatum Fasti Graeci, & liber Cuspiniani. Vibulanum II. lapis Capitolinus. Cn. Manlium P. F. Vulsonem dixi quod eum patrem esse arbitratus sum A. Manlij Cn. F. P. N. Vulsonis Decemuiri. Nam Cincinnatum hoc tempore praesertim Manliorum cognomen fuisse nunquam adduci potui vt crederem. Eum autem, & Q. Fabium Consulem, consulisque Marci fratrem in proelio cum Veientibus occisos fuisse Dionysius, Liuius, Frontinus, Orosius, Eutropiusque auctores sunt, Dionysius etiā illud addidit M. Fabium ob vulnus in proelio acceptum, consulatu se duobus ante anni exitum mensibus, abdicasse

Annus CCLXXV

Kaeso Fabius et T. Virginius hoc anno Consules referuntur à Diodoro, Dionysio, Liuio, & Cassiodoro, Dionysius addit Caesonem superioris Cos. fratrem III. Consulem designatum fuisse, In tabulis Capitolinis est cognomen Virginij Tricostus. Rutilus tantum à Fastis Graecis relatus est. De his consulibus Eutropius mentionem facit, alterumque C. Fabium vocat

Annus CCLXXVI

Consvles subsequuti sunt L. Aimilius & C. Seruilius Dionysio, Liuio, & Cassiodoro auctoribus, quamquam apud Dionysium mendose est C. Sergius pro Seruilio, Nam cognomina Structus Ahala, quae sunt in fragmento Capitolino Seruiliorum sunt non Sergiorum. Diodorus L. Aimilium Mamercū cum C. Cornelio Lentulo edit. Nomenclatura integra L. Aemilij à primo eius Consulatu peti potest; hunc autem secundum fuisse liquet ex Dionysio qui eius tertiū

 recenset;

recenset; de eius collega mortuo, alteroque Consule suffecto nemo quod sciam scribit. Quare hoc huius anni Capitolinum fragmentum quodad hunc Consulem attinet, ita interpretatus sum, vt C. Seruilius in magistratu mortuus sit, & in eius locum factus fuerit alter, cuius cognomen Esquilinus esset; legitur enim in tabulae fragmento SQVILINVS. & in Fastis Graecis Aemilius & Esquilinus. Quare quum hoc cognomen paulo ante Herminiorum esse demonstrauerim, suspicatus sum hunc T. quendam Herminium Titi viri Consularis filium fuisse, qui suffectus sit. Quod an recte factum fuerit aliorum sit iudicium

Annus CCLXXVII

CONSVLES hoc anno referuntur à Diodoro, Dionysio, Liuio, & Cassiodoro C. Horatius & T. Menenius. Diodorus Horatio Puluillũ: Menenio vero Lanatum Verrius Flaccus; & vtraque Fasti Graeci cognomina adiungunt. Horum consulum meminit Gellius libro XVII. cap. XXI. atque M. Horatium & Agrippam Menenium Consules scribit. Gellium ego in Horatij Consulis praenomine sum sequutus, Marcumq; appellaui. Nam quum hic Menenius Agrippae, & Horatius M. Horatij primo anno Consulis filij à Dionysio & Liuio dicantur, hunc esse patrem C. & M. Horatiorum Consularium esse conieci, qui ambo M. F. M. N. in Tabulis Capitolinis exarati sunt. Marcusq; à Liuio nepos Horatij Puluilli primi anni Consulis dicatur, ita ut huius Consulis filius sit, quum hic patrem habuerit primum Horatium Consulem. Hoc anno CCCVI. Fabij, qui biennio antea bellum sibi cum Veientibus depoposcerant ad unum omnes ad Cremeram occisi. Dionysius & Liuius

Annus CCLXXIIX

DIODORVS hoc anno Consules edit A. Virginium Tricostum, C. Seruilium Structum. Dionysius, Liuius, & Casiodorus A. Virginium & Sp. Seruilium. Rutili & Structi cognomina Fasti Graeci, & liber Cuspiniani, fragmentum Capitolinum tantum Structum habent. Rutilum autem Virginiorum cognomen esse constat. Hos Consules solstitio aestiuo Sextili mense iniisse notat Dionysius

Annus CCLXXIX

P. Valerius Poplicola & C. Nautius Consules referuntur à Dionysio. Diodorus addit Nautio cognomen Rufi; liber Cuspiniani, & tabulae Capitolinae pro Rufo Rutilum habent. Liuius & Casiodorus cognomina omittunt. Hi ambo Consules descripti sunt ex secundo ipsorum consulatu Capitolino. Is autem P. Valerius auctore Dionysio Poplicolae filius fuit

Annus CCXXC

DIODORVS hoc anno Consules prodit L. Furium Medullinum, & M. Manlium Volsonem. Liuius & Casiodorus L. Furiũ & C. Manlium. Dionysius A. Manlium L. Furium. Furio gentile aliud cognomen adiunxi Fusum. A. Manlius descriptus est ex eius Decemuiratu Anno CCCIII

De Lustro VIII.

LVSTRVM octauum hoc anno factum fuisse colligitur ex tabulis Capitolinis, cuius sub censis tantum nomine meminit Dionysius, qui Ciuium capita CIII. millia censa fuisse scribit. Eutropius quoque quamquam de tempore non ita conueniat, hunc censum non praeteriit. Hinc intelligi potest, si ter tantum ante hunc annum à consulibus Censum esse actum reperimus, eodem etiam tempore ab iis lustrum conditum fuisse. Nam Ser. Tullium illud quater condidisse superius ex Valerio Maximo demonstraui. Quod à Tarquinio Superbo omnino (vt scribit Dionysius) neglectum, à consulibus restitutum fuit. Nam nisi quater à Tullio, & ter postea ante hunc annum à consulibus lustrum factum fuisse dicamus, ad hunc lustrorum numerum, qui est in Capitolinae tabulae fragmento peruenire non poterimus

Annus CCXXCI

DIONYSIVS hoc anno Consules fuisse scribit L. Aimilium Mamercum III. & Vopiscum Iulium. Liuius L. Aimilium & Opiterem Virginium, sed in quibusdam annalibus ait se inuenisse pro Virginio Vopiscum Iulium, quos sequuti sunt Diodorus, Fasti Graeci, & Verrius Flaccus, in cuius fragmento est Iulus Iuliorum cognomen. Casiodorus Liuium sequitur. Eorum Consulum quos Liuius prodit, mentio est apud Valerium in epitoma libri X

Annus CCXXCII

L. Pinarius Mamercinus,& P.Furius proponit mendose (ut existimo) Consules hoc anno me morantur à Diodoro. Dionysius, Liuius, & Casiodorus cognomina omittunt. Ego L.Pinarium Publij viri consularis filium facio, idcirco alterum cognomen gentilitium Rufum videlicet adiunxi. P.vero Furio Medullinum ego peculiarae gentis cognomen, Fusum vero Fasti Graeci & tabulae Capitolinae adijciunt. Horum Consulum apud Macrobium primo Saturnalium meminit M. Varro

Annus CCXXCIII

Dionysius Consules in hunc annum prodit Ap.Claudium Ap. F. Sabinum, & T. Quinctium Capitolinum. Liuius cognomina omittit. Diodorus & Casiodorus Ap. Claudium T. Quinctium Capitolinum. T. Quinctio praeter Capitolini, Barbati quoque cognomen apponendum esse docet Zonaras, quod Tabulae Capitolinae innuere videntur, in quibus eius filius Capitolinus Barbatus exaratus est. Ap. Claudio gentile alterū cognomen Regillensem adiunxi

Annus CCXXCIIII

L.Valerius II. ex priore consulatu. TI. vero Aimilius ex Dionysio descripti sunt. Horum Consulum meminere praeterea Liuius & Casiodorus. In quibus pro Tito Aimilio restitue TI.idest Tiberium. Diodorus Valerio, Poplicolae, Aimilio vero pro Mamercini, Mamerci cognomina tribuit. Dionysius L.Valerium II. TI. Aimilium Lucii ter Consulis filium scribit

Annus CCXXCV

Apud Dionysium Consules hoc anno sunt A.Virginius Mōtanus, quem Fasti Graeci vocant Coelimontanum, & T.Numicius Priscus. Diodorus, Liuius, & Casiodorus cognomina silent. Hunc Virginium A.F.A.N. Tricostum ideo descripsi, quod filium eum esse existimauerim illius A. Virginij, qui Cos. fuit Anno CCLX

Annus CCXXCVI

T. Quinctius Capitolinus II. Q.Seruilius Priscus Consules referuntur à Dionysio. Diodorus Seruilio Structum adiungit. Liuius & Casiodorus cognomina tacent. Q. Seruilium suspicatus sum filium esse Q. Seruilii Prisci Magistri Eq. Anno CCLX

Annus CCXXCVII

Ti. Aimilius II. & Q. Fabius. quos hoc anno Consules fuisse Diodorus, Dionysius, Liuius, & Casiodorus prodidere, alter ex Dionysio, alter vero ex secundo & tertio eius consulibus in tabulis Capitolinis descripti sunt. Is autem Fabius is est qui postea quater Consul fuit, Fabijs ad Cremeram interfectis superstes, nō puber vt Liuius, sed ad res gerendas idoneus, & manu promptus, vt Dionysius prodidit, Marci viri consularis filius

Annus CCXXCIIX

Ex iis consulibus Sp.Postumius ex tabulis Capitolinis, Q. vero Seruilius ex priore cōsulatu, iterum enim hoc anno à Dionysio dicitur, concinnati sunt. De quibus praeterea Diodorus, Liuius, & Casiodorus. Hic etiam Sp. Postumius A. Postumii Dictatoris filius proditur à Liuio.

Annus CCXXCIX

T. Quinctius ex Diodoro, qui eum III. Consulem prodit, & Q. Fabius II. ab eodem Dionysio relatus, ex tabulis Capitolinis satis noti sunt. De eis quoque Diodorus, Liuius, & Casiodorus mentionem faciunt

De lustro IX

Nonum lustrum esse, quod his consulibus factum fuisse à Liuio tantum scribitur hinc intelligi potest, quod superius proximum VIII. est in tabulis Capitolinis, & proximum insequens X. esse ab eodem Liuio notatur, qui hoc censu ciuium capita CXXIIII ꝏ praeter orbos, orbasque censa, lustrum à Quinctio Consule conditum fuisse tradit

Annus CCXC

A. Postumius ex tabula Capitolina, & Sp.Furius Fusus ex Dionysio, Liuio, & Casiodoro notati

notati sunt. Diodorus Furio alterum gentile cognomen Medullinum addit pro Fuso. Hic Postumius Dictatoris A.Postumii & ipse filius fuit, ac Sp.Postumij tertio ante anno Consulis frater. Sp.vero Furius frater est P.Furii Coosulis Anno CCXXCII. quem hoc anno in proelio contra Aequos cecidisse refert Dionysius

Annus CCXCI

ALTER quoque horum Consulum P. Seruilius Priscus ex fragmento Capitolino descriptus est. Cui Structi alterum cognomen adiicit Diodorus, qui eius collegam L.Aebutium Heluam prodit. Liuius & Casiodorus cognomina praetereunt, Dionysius Seruilio Priscum addit. Ego L. Aebutium T.F.T.N. dixi, quod filium eum esse existimaui T. Aebutii T.F. Consulis Anno CCLV. Liuius Kal. Sextilibus (vt tum anni principium agebatur) Consules magistratum iniisse scribit. Eodem anno foedissima pestilentia ciuitatem Romanam vexatam, ambos Consules mortuos Dionysius, Liuius, Etropius & Orosius scribunt. Hunc annum vocat Orosius CCLX. mendose haud dubie pro CCXC. tabulas Capitolinas hic sequutus

Annus CCXCII

T. Lucretins Tricipitinus alter Consulum à Verrio Flacco, Diodoro, Dionysio, Liuio & Cassiodoro descriptus est. Cui omnes collegam adiungunt T. Veturium vel Vetusium Geminum, quem pro Gemino Diodorus lib.XI. Cicurinum appellat. Liber Cuspiniani Tricipitinum & Geminum. Fasti Graeci Tricipitinum & Veturium produnt. Ego quum in Fastis Capitolinis Sp.Veturium Sp.F.P.N.Crassum quem virum consularem appellant Dionysius & Liuius, Decemuirum exaratum fuisse conspexerim, eum in hunc potissimum annum conieci, quod quem Decemuirum Diodorus & Capitolini Lapides Sp. Veturium vocant, Dionysius eum T. Veturium prodat. Hi Consules ante Diem III.Idus Sextilis inierunt: Liuius

Annus CCXCIII

P. Volumnius Amintinus Gallus Consul est hoc anno in tabula Capitolina. Galli Diodorus; Dionysius vero Liuius & Cassiodorus Amintini cognomina silent. Eique collegam addunt Ser.Sulpicium, quem Dionysius tantum Camerinum vocat. Fasti Graeci habent Gallum & Camerinum. Ser. Sulpicium Ser. Sulpicii Cos. Anno CCLV. filium esse credo, Patrem autem Q.Sulpicii Ser.F.Ser.N. Camerini Cornuti Tribuni militum anoo CCCLI. Ideo Cornuti alterum cognomen adposui, qui postea X.Vir fuit. Pediaons in Cornelianam eum P.Sulpicium vocat, Virumque consularem, & ad plebem legatum fuisse scribit in secunda eius secessione. Horum etiam Consulum meminit Val. Maximus libro primo cap.VI. de prodigiis, & Plinius Histor. nat.libro II.cap.LVI

Annus CCXCIIII

P.Valerins Poplicola Poplicolae primo anno Consulis filius II. Consul scribitur in Fastis Capitolinis. Dionysius, & Liuius P.Valerium Poplicolam, & C.Claudium Sabinum nominant. Diodorus pro Sabino Regillanum gentile gentis Claudiae cognomen habet. C. Claudium Ap. F.& patruum Ap.Claudii Decemuiri esse Liuius & Dionysius auctores sunt. Porro P.Valerium Consulem in pugna contra seruos, qui hoc anno duce Ap.Herdonio Sabino Capitolium occuparant, occidisse, atq; in eius locum L. Quinctium Cincinnatum suffectum Verrius Flaccus, Dionysius, Liuius, Eutropius & Orosius prodiderunt. Liuius mense Decembri Consulem suffectum, quem Dionysius arantem à viatore repertum scribit. In eo proelio Herdonius occisus Capitoliumque receptum. De hoc Cincionati consulatu Val.Max.libro IIII.cap.primo

Annus CCXCV

Q.Fabius ex Tabula Capitolina Consulum, L.vero Cornelius Triumphorum descripti sunt. De eis praeterea Diodorus, Dionysius, Liuius, Cassiodorus. Item fasti Graeci, & liber Cuspiniani mentionem faciunt: qui Vibulanum & Maluginensem Coosules in hunc anoum edunt

De lustro X

CENSVS superiore anno actus: Lustrum propter Capitolium captum, Consulem occisum condi religiosum fuit, perfectum est autem hoc anno. Id lustrum ab origine vrbis decimum conditum: fuerunt censa ciuium capita CXXXII ∞CCCCIX. Haec Liuius. Eutropius quoque hoc anoo censum actum scribit. Huius lustri meminit Dionysius libro XI.io anno CCCX explicando, quod ab his consulibus conditum fuisse scribit. Ex Liuii autem verbis nouem lustra

stra, quae ego ex Dionysio & Valerio Maximo adposui prius acta fuisse liquet, etsi ipse de eis ne verbum quidem (praeter de vno) fecerit

Annus CCXCVI

DIONYSIVS Consules suggerit L. Minucium, C. Nautiũ II. Diodorus L. Minuciũ καρουτιανον C. Nautium Rutilum. Liuius & Dionysius cognomina tacent. Integra C. Nautii nomenclatura est in tabula Capitolina. Quid apud Diodorum sit καρουτιανον non intelligo, locum mendosum pro αὐγουρινὸς esse existimo: ex Fastis Graecis gentile cognomen Augurinum Minucio restitui. Is qui de viris illustribus scripsit in Cincinnato hunc Q. Minucium vocat, Eutropius Marcum. Valerius Max. libro V. cap. II. de Gratis, deprauate hos Consules Quinctum pro Nautio, & Minucium scribit. Dionysius, Liuius, Valerius Max. Florus, & Orosius tradunt L. Quinctium hoc anno Dictatorem quum L. Minucium obsidionis periculo exemisset, eundem vt se magistratu abdicaret coegisse. Addit Liuius Q. Fabium ex vrbis praefecto in eius locum suffectum: Hoc idem quia in Capitolinis consulibus notatum fuisse ex duorum versuum inani interuallo suspicatus sum, neque mihi quidem omittendum duxi, nam Q. Fabium quartum Consulem in Minucii locum factum descripsi

De L. Quinctio Cincinnato Dictatore R. G. C.

AEQVI hoc anno fracto foedere Duce Cloelio Graccho contra Romanos mouerunt, aduersus eos L. Minucius Consul missus, quum in Algido monte ab eis conclusus fuisset, intellectum est Dictatore opus esse. Quare ex S.C. a C. Nautio Cos. Dictator dictus L. Quinctius Cincinnatus; Is magistrum equitum sibi L. Tarquitium Flaccum cooptauit virum patriciae gentis, sed qui stipendia pedibus propter paupertatem fecerat; qui quum L. Minucium Consulem ab obsidione liberasset, re prospere cum Aequis gesta XVI. die dictatura abdicauit; Notatus est in tabulis Capitolinis. Hunc Dictatorem ex aratro factum scribunt Cicero de finibus, Dionysius, Liuius, Valerius Max. libro II. cap. II. & libro IIII. cap. IIII. vterque Plinius maior quidem libro XVIII. cap. III. Orosius, & Eutropius. Cicero tamen de senectute secundam dictaturam ei quoque (memoriae vitio lapsus vt existimo) aranti oblatam scribit. Dionysius etiam id quoque ei in primo consulatu accidisse prodidit

Annus CCXCVII

C. Horatius Puluillus Cos. in Fastis Capitolinis exaratus est. Cuius collega à Dionysio, Liuio, & Cassiodoro refertur Q. Minucius. Cui ex Fastis Graecis gentile cognomen Augurini attribui: apud Liuium & Cassiodorum mendose legitur M. Horatius, nam anno CCCII. C. Horatium Puluillum augurem mortuum idem scribit. Diodorus L. Postumium & M. Horatium Consules edit, & libro XII. suggerit L. Quinctium Cincinnatum & M. Fabium Vibulanum, qui in aliis desunt

Annus CCXCVIII

Cos. deinde (vt ait Diodor.) fuerunt M. Valerius Lactuca, Sp. Virginius Tricostus. Dionysius, Liuius, & Cassiodorus cognomina silent; liber Cuspiniani edit Maximum & Coelimontanum: Lapis Capitolinus, & Liuius biennio ante M. Valerium M. F. Volusi N. Maximum. Lactucinum autem cognomen esse Valeriorum docet Plinius. Horum Consulum meminit Censorinus libro de die natali vbi de Ludis saecularibus agit, quos primum ex XV. virorum sententia his consulibus factos fuisse; quos ego sequutus sum, scribit. Ceterum quum de ludis saecularibus singularem librum, quem in Commentarii fine adiiciam, ediderim, eo remittendum esse lectorem institui

Annus CCXCIX

C. Veturius Cicurinus T. Romilius Vaticanus, cui Fasti Graeci Roci cognomen adiungunt, Consules in hunc annum digeruntur à Diodoro libro XII. Dionysius, Liuius, & Cassiodorus cognomina tacent. T. Romilius quoque descriptus est ex tabula Capitolina. C. Veturium Titi Veturii Gemini Cicurini anno CCLX. Consulis filium fuisse suspicatus sum, quapropter ei & alterum peculiare eius familiae cognomen adiunxi Geminum. Porro C. Romilij meminit Plinius lib. VII. cap. XXVIII. Is postea X uir fuit

Annus CCC

SP. Tarpeium M. F. M. N. Montanũ Capitolinum Consulem edunt Fasti Verrij Flacci, cuius

Diodorus, Dionysius, Liuius, Pedianus in Cornelianam, & Cassiodorus, exceptis cognominibus, meminerunt: liber Cuspiniani & Fasti Graeci Capitolinum habent. De collega eius inter se variant. Diodorus enim eum A. Asterium Fontinalem. Dionysius vero A Termenium, Liuius & Plinius libro VII. cap. XXVII. A. Aeternium. Solinus cap. IIII. Polyhistor. Gellius libro I. cap. XI. A. Thermum. Cassiodorus postremo A. Aterium. Ego Cassiodorum sequi decreui, quod Ateria gens ceteris quas alii produnt sit notior; cognomen quoq; Fontinalis ex Diodoro adiunxi. Hoc anno legati tres in Graeciam ad eorum leges cognoscendas suscipiendasq; missi

Annus CCCII

Sex. Quinctilius Sex. F. P. N. cui ex Fastis Graecis Vari cognomen adtribui, refertur à tabulis Capitolinis. Eundem Diodorus, Dionysius, Liuius, & Cassiodorus, praeter cognomen produnt. Collega eius in ambiguo est. Nam à Dionysio P. Horatius, à Liuio & Cassiodoro P. Curiatius, à Diodoro Tergeminus, quod tam Curiatiorum quam Horatiorum cognomen est proditur. Ego Curiatium probaui magis. Fuit enim & gens Curiatia nobilis & patricia inter Romanas, Alba oriunda. Hoc anno pestilentia laboratum; inter ceteros Sex. Quinctilius Consul mortuus est, & qui in eius locum suffectus fuerat Sp. Furius: Ita Dionysius. Eum ego Sp. Furium XI. annis ante Consulem esse arbitratus sum, & idcirco II. addidi. De morte Quinctilij meminit etiam Liuius, sed de Sp. Furio aut suffecto, aut mortuo nihil. Verrius Flaccus in tabulis Capitolinis de Quinctilii morte vel Sp. Furii subrogatione nihil prodidit. Dionysium ego sequutus sum. Huius anni meminerunt Eutropius, & Orosius

De Anno CCCIII. *& Decemuiris legum scribendarum caussa creatis*

Consules hoc anno designatos fuisse Ap. Claudium & T. Genucium Dionysius, & Liuius prodiderunt, eosque decemuirum creandorum caussam abdicasse ijdem cum Verrio Flacco, quantum ex tabularum fragmento intelligi potest, scripsere. Decemuirorum autem creandorum occasionem praebuit lex Terentia, quam C. Terentius Arsa Tribunus plebis de quinque viris creandis, qui leges populo Romano de imperio consulari conscriberent, promulgauit. Plebs enim nimium esse & intolerabile consulare imperium querebatur, idque imminui, & moderatius fieri postulabat. Quae lex quum sex annos à tribunis frustra iactata, atque pro concessa sibi duplicandorum tribunorum potestate, tandem refrixisset, postea Romilio Veturio que Consulibus in plebem militiam detrectantem impotentius se gerentibus, acrius etiam quam ante relata est. Igitur incertis quid agerent patribus, demũ in T. Romilii sententiam itum est, vt legũ latores ex plebe & patribus communiter crearentur, qui intra utrisq; vtilia, & quibus libertas aequaretur conscriberent, quaeque ab ijs essent decreta ea plebem patresque tenerent; plebe autem assentiente, mittuntur legati tres in Graeciam, qui inclytas Solonis leges perscriberent, Atheniensiumque, & aliarum Graeciae ciuitatum instituta, mores, & iura noscerent, eaq; Romam deferrent. Sp. Postumius Albus, A. Manlius Vulso, Ser. Sulpicius Camerinus. Missi autem Tarpeio, Aterioque Consulibus, tertio anno post cum legibus reuertuntur Sestio & Menenio Cos. Quum autem instarent Tribuni, vt tandem scribendarum legum initium fieret, atque in hunc annum designati Consules essent Ap. Claudius & T. Genucius, tum in Ap. Claudij sententiam S. C. factum est, vt reliquis omnibus abrogatis magistratibus, decemuiri cum imperio consulari ac plane regio sine prouocatione crearentur, qui ex patrijs moribus, & peregrinis legibus, optimas seligentes, & Reip. maxime vtiles, iura populi Romani constituerent, quaeq; ij scripsissent si S. P. Q. R. probasset, ea in perpetuum populum Romanum tenerent. Quo Senatus Consulto à plebe comprobato, Consules abdicarunt, & in eorum locum decemuiri Consulares hi facti sunt. Ap. Claudius & T. Genucius, quia designati Consules in eum annum fuerant, pro honore honor redditus, hi ex tabulis Capitolinis descripti sunt. Appius. n. Appij filius & primi Appij virorum Consularium nepos fuit, vt Liuius & Dionysius tradunt. Eum M. Nepotem scribit Verrius Flaccus, quod non probaui, quum contra omnium veterum scriptorum testimonia sit. In eisdem tabulis est cognomen CRASSIN. R. quod ego Crassinus Regillensis interpretatus sum; eum enim Diodorus & Tranquillus in Tiberio Regillanum vocant, ego potius Regillensis gentilitium cognomen à Regillo deriuatum dixi, in Fastis enim legitur Postumius Regillensis ab eodem Regillo deductum cognomen. Ex reliquis fuerunt Sp. Postumius, Ser. Sulpicius, & A. Manlius, qui Consulares legati Athenas profecti fuerant: vt pro legatione tam longinqua praemio esset honos, simulque peritos legum peregrinarum ad condenda noua iura vsui fore credebant. His additus prioris anni Consul P. Sestius quod eam rem inuito collega ad patres rettulerat. Reliqui graues aetate, & Consulares omnes numerum suppleuere Sp. Veturius, T. Romilius, C. Iulius, & P. Curiatius. Ex Diodoro, Dionysio, & Liuio. Qui vel ex tabulis Capitoli

Capitolinis, uel ex eorum consulatibus descripti sunt. &c. Ex his Sp. Postumium Dionysius Publium vocat. Veturium quoq; Dionysius Titum, Liuius L. Veturium. Diodorus cum lapidibus Capitolinis Spurium. Eum ego esse existimo, si tamen Consularis erat, qui conlega fuit L. Lucretij Tricipitini, quique a Dionysio T. Veturius dicitur. Pro P. Curiatio, quem ex Liuio ita vocaui, Dionysius habet P. Horatium, ut in Consulatu quoque edit. Hos decemuiros Anno ab vrbe condita CCCI. inijsse scribit Liuius, & qui eum sequutus est Casiodorus, ae is liber qui Messalle Coruini nomine vulgo circumfertur. Verrius Flaccus & Solinus CCCII. Varro quem ego sequutus sum CCCIII. Hi decimo die ius populo singuli reddebant. Eo die penes praefectum iuris fasces XII. erant, collegis nouem singuli accensi apparebāt, & vnica concordia inter ipsos, qui consensus priuatis interdum inutilis esset, summa aduersus alios aequitas erat. Interim legibus condēdis opera dabatur, ingentique hominum expectatione propositis decem tabulis, populum ad concionem aduocarunt. Et quod bonum, faustum, fœlixque Reip. ipsis liberisque eorum esset, ire & legere leges propositas iussere. Se, quantum decem hominum ingenijs prouideri potuerit, omnibus summis infimisque iura aequasse, plus pollerent multorum ingenia consiliaque, uersarent in animis secum vnamquamque rem, agitarent deinde sermonibus, atque in medium quid in quaque re plus minusue esset conferrent, eas leges habiturum populum Romanum, quas consensus omnium non iussisse latas magis, quam tulisse videri posset: quum ad rumores hominum, & vno quoque legum capite edito, satis correctae viderentur, centuriatis comitijs decem tabularum leges perlatae sunt. Vulgatur deinde rumor duas deesse tabulas, quibus adiectis absolui posse velut corpus omnis Romani iuris. Ea expectatio quū dies comitiorum appropinquaret, desiderium decemuiros iterum creandi fecit. Iam plebs practerquam quod consulum nomen, haud secus quàm regnum perosa erat, ne tribunicium quidem auxilium, cedentibus inuicem appellatione decemuiris, quaerebat

De Decemuiris Anni CCCIIII

Magno itaque patrum plebisque studio in hunc annum iterum decemuiri consulari potestate sine prouocatione creati sunt, Ap. Claudius II. Q. Fabius qui quater Consul, & M. Cornelius Maluginensis frater L. Cornelij, qui Consul anno CCXXCV. fuerat, M. Sergius, L. Minucius, T. Antonius Merenda, M. Rabuleius. Itemque tres ex blebe Q. Poetelius, K. Duilius, Sp. Oppius Cornicen. vt auctores sunt Diodorus, Dionysius, & Liuius. Quamuis horum pleraque nomina apud Diodorum desiderentur, ac inter hos falso Sp. Veturius numeretur. In his ego L. Minucio familiae cognomen attribui Augurinum. Reliqua enim ex Dionysio & Liuio addita sunt

De Anno CCCV. & secunda secessione plebis in Auentinum, Decemuiris abdicatis, ac Consulibus suffectis

Qvvm ad Idus Maias deuentum esset, solemnem tunc ineundo consulatui diem, nullis magistratibus sobrogatis, ijdem qui priore anno fuerant decemuiratum cum magna totius populi indignatione continuarunt, Iamq; maior pars anni processerat, & duae tabulae legum ad prioris anni decem tabulas erant adiectae, nec quicquam iam supererat, si hae quoq; leges centuriatis comitiis perlatae essent, cur eo magistratu Reip. opus esset, expectaretq; populus quam mox Consulibus creandis comitia edicerentur; tum Decemuiri nulla comitiorum mentione facta, iuuenum patriciorum cateruis stipati, superbius, atq; impotentius se in vnum quemq; gerebant. Nondum tamen finito anno, hanc potissimum ob caussam à S. P. Q. R. coacti abdicarunt. Appius Claudius, quum alij collegae in Aequos, alij in Sabinos exercitum duxissent, vrbis praesidio relictus, Virginiam plebeiam virginem quam amabat, pretio pellicere adortus, vbi res non successisset, eam per clientem suum in seruitutem asserere conatus, eius patrem eo compulit, vt ipsam filiam manu sua antea occiderit, quàm Ap. Claudij libidini dederetur. Atrox res in vtraque castra perlata, seditionem maximam plebis excitauit. Quae relictis castris quum in Auentinum primum post in montem sacrum secessisset, paulo post placata, se redituram esse professa est, si tribuni sibi redderentur, & Decemuiris abdicatis consulatus restitueretur. Quibus conditionibus à senatu acceptis, ipsa in vrbem redijt. Decemuiri abdicarunt, & Q. Furio pontifice maximo comitia habente X. Tribuni plebis iterum creati sunt. Haec secesio à Varrone Crustumerina dicitur libro IIII. de lingua Latina, quod plebs tum è castris secesserit quae inter Fidenas Crustumeriumque Inco edito communita erant, quam LX. anno post reges exactos fuisse Cicero de finibus scripsit. Conuenitq; eius summa cum Capitolina Varronis, & Dionysij. Comitijs deinde per interregem consularibus habitis, Consules creati L. Valerius Potitus, & M. Horatius Barbatus, qui magistratum statim inierunt. Hos autem in tertium decemuirorum annū

coniicere

coniicere coactus fui, quamquam Liuius dissentire videatur, ut Capitolinae summae, quam Varronis quoq; esse existimo conuenirem. Nam horum Consulum triumphi in tabulis Capitolinis hoc ipso anno, id est CCCIIII. ex earundem calculis exarati sunt, ita vt manifestum sit huius anni partem à decemuiris, partem à Consulibus explectas fuisse. Tacitus & Rufus biennio tantum X. Viros fuisse scribunt. Ex consulibus L. Valerius eius P. Valerii filius est, qui in consulatu secundo pugnans contra Ap. Herdonium occisus est, eius qui eiecit Reges nepos. M. quoque Horatius M. Horatii qui cum Poplicola Consul fuit anno primo partae libertatis, nepos traditur à Dionysio. In Tabula Capitolina M. Horatius M. F. Barbatus dicitur, L. Valerio, Poplicolae & Potiti cognomina addita; de quo Cicero ita scribit in Bruto: Ne L. Valerium quidem Potitum arbitror non aliquid potuisse dicendo, qui post decemuiralem inuidiam plebem in patres incitatam legibus & concionibus suis mitigauit. Horum Consulum Diodorus, Dionysius, Liuius, & Cassiodorus; huius vero anni praeter superius dictos, Vterq; Plinius, Pedianus in Cornelianam, Pomponius, Orosius, Eutropius, Eusebiusq; meminerunt.

Annus CCCVI

VALERIO & Horatio Liuius suggerit Sp. Herminium, & T. Virginium Coelimontanum. Cassiodorus L. Herminium & T. Virginium. Dionysius Laron Herminium, & T. Virginium. Diodorus Laron Herminium & T. Virginium Structum. Fasti Graeci Herminium, Tricostum, Vnde vereor ne apud Diodorum mẽdose pro Tricosto sit Structus; nam Structus Seruiliorum est cognomen non Virginiorum. Hunc ego T. Virginii Consulis anno CCLVIII. filium esse existimaui. Eius autem collegam Lartem Herminium esse dicendum, praeter Diodorũ & Dionysium docet Valerius libro X. vbi ita scribit: Lartis praenomen est sumptum à Laribus, Tuscum ante creditum esse, fuitque consularis Herminij, qui fuit Cos. cum T. Virginio Tricosto.

Annus CCCVII

M. Geganius Macerinus, & C. Iulius Consules hoc anno referuntur à Liuio, Macerinum cognomen silet Cassiodorus, & Diodorus, qui etiam L. Iulium scribit. Dionysii hic aliquod paginae desiderantur. In tabulis Capitolinis dicitur M. Geganius M. F. Ego C. Iulio quem C. Iulii X. Viri filium fuisse suspicatus sum, gentile cognomen Iulum adiunxi.

Annus CCCVIII

DIONYSIVS & Liuius, T. Quinctium Capitolinum IIII. & Agrippam Furium Consules edunt. Diodorus, & Cassiodorus cognomen & notam IIII. silent. Fasti Graeci habent Furium & Capitolinum. Ego Furio auita cognomina adiunxi Medullinus Fusus.

Annus CCCIX

POST eos Consules fuerunt M. Genucius & P. Curiatius vt Liuius, vel vt Cassiodorus M. Genucius T. vel P. Curiatius, aut vt Dionysius M. Genucius & C. Quinctius; qui M. Genucium Consulem fratrem esse T. Genucii primo anno Decemuiri scribit, ideoque L. F. L. N. Augurinum adiunxi. In eius collega haud dubie mendum est, nam C. Curtius pro Curiatio, vt est apud Liuium & Cassiodorum, vel Quinctio vt est apud Dionysium reponi debet. Zonara M. Genucium, & C. Curtium Consules vocat. Diodorus M. Genucium, Agrippam Curtium Chilonem prodit. At M. Varro in libris de lingua Latina ita scribit: Cornelius & Lucceius scribunt lacum palustrem, qui tum in foro fuit, antequam cloacae essent factae, esse fulguratum, & ex S. C. septum esse, idque factum esse à Curtio Consule, cui M. Genucius fuit collega, atque inde Curtium lacum appellatum. Fasti Graeci legunt Genucium & Curtium.

De Anno CCCX. *Et primis Tribunis militum consulari potestate*

VNDE Tribunorum nomen manarit, & quot eorum genera fuerint quum superius exposuerim, nunc de ipsis Tribunis militum, qui consulari potestate Reip. multis annis praefuerunt, reliquum est ut differamus, quandoquidem eos hoc anno primum institutos fuisse referant Dionysius, & Liuius, quorum creandorum haec caussa fuit: Quum C. Canuleius priore anno legem promulgasset, vt Consul alter ex plebe crearetur, in quo patriciorum dignitas minuebatur, patres veriti ne se inuitis lex perferretur, in eam sententiam ierunt, vt pro consulibus, tres tribuni militum ex patriciis, totidemque ex plebe crearentur, iique consulari potestate Remp. administrarent. Quorum annuo imperio finito iterum senatus & plebs consuleretur, Consules ne an tribunos mallent, atque qui magis placuissent deinceps fierent. His rebus decretis, comitia Tribunis consulari potestate creandis indicuntur: quibus in magno plebeiorum & patriciorum petentium studio, tres ex patriciis tantum creati sunt, plebs eo contenta fuit, quod sui ratio in comitiis habita fuisset. Haec ex Dionysio & Liuio. Anno igitur (ut scribit Liuius) CCCX quam vrbs Roma condita erat, primum tribuni militum pro consulibus magistratum inierunt A. Sempronius Atratinus, L. Atilius Longus, T. Cloelius Siculus, vt iidem Liuius, Dionysius, & Diodorus produnt. Hic A. Sempronius frater est L. Sempronii, qui Consul hoc anno suffe-

ctus fuit, auctor Dionysius: quos ego Auli filios appellaui, quod A. Sempronium L.F.A.N. in Fastis Capitolinis tribunum militum exaratum huius Consulis filium fuisse crediderim. Atilio gentilitium cognomen Longi addidit Dionysius, sicut & Cloelio Siculi. Postea sunt (subijcit Liuius) qui propter adiectum Aequorum Volscorumque bello, & Ardeatium defectioni, Veiens bellum, quia duo Consules obire tot simul bella nequirent, Tribunos militum tres creatos dicant, sine mentione promulgatae legis de consulibus creandis ex plebe, & imperio & insignibus consularibus vsos. Hic autem magistratus unicum remedium per multos annos fuit, ad tuendam contra plebem consularem dignitatem, quae quoties Consulem ex suo corpore fieri poscebat, hoc magistratu à patribus delinita quiescebat; Quare annos plus minus XXC. in Republica perdurauit, donec postremo plebs eo non contenta, quum pertinaciter alterum Consulem ex suo ordine fieri petijsset, atque non sine magnis Reip. motibus id obtinuisset, haec dignitas è republica sublata est. Non alienum autem erit, quando in Tribunorum militum mentionem primo inciderim, haec pauca subijcere; quae ex antiquitatis monumentis obseruaui. Romulus igitur vt dixi, primus in exercitu tres tribunos militum instituit, hi mille hominibus principio praeerant, quum non nisi tria millia peditum exercitum haberet, post auctis Romani Imperij opibus, Tribuni plures quam tres, & diuersi generis esse coeperunt. Nam vt scribit Pedianus in Actionem II. contra Verrem, Tribunorum militarium duo erant genera; primum eorum qui Rufuli dicebantur, hi in exercitu creari solebant, & comitiatorum, qui Romae comitiis designabantur. De iis vtrisque etiam Liuius libro VII. ita scribit: Et quum eo anno primum placuisset Tribunos militum ad legiones suffragio ferri (nam & antea sicut nunc quos Rufulos vocant, Imperatores ipsi faciebant) secundum in sex locis tenuit. Ex quibus locis apparet non omnes tribunos militum populi suffragio creari, & qui creabantur primum creari coepisse Q. Seruilio II. & L. Genucio II. Cos Anno vrbis CCCXCII. De eisdem tribunis militum ita scribit Liuius libro IX. Et duo Imperia eo anno dari coepta per populum, vtraque ad rem militarem pertinentia: vnum vt tribuni militum XVI. in quattuor legiones à populo crearentur, quae antea perquam paucis suffragio populi relictis locis Dictatorum, & Consulum ferme fuerant beneficia. Hi singuli mille viris praeerant; quum tum exercitus Romanus (vt scribit Polybius) ex quattuor tantum legionibus, legio non nisi IIII. millium peditum esset; post quum legiones ipse ad sena millia hominum auctae fuissent XXIIII. Tribuni à populo fieri coepti, sexque per singulas legiones distributi. Quod postea semper obseruatum est. Hi autem tribuni militum consulari potestate, ex iis nequaquam fuerunt, qui in legionibus singulis mille viris praeessent, nam eos plures fuisse necesse esset, sed nouus fuit magistratus pro consulari dignitate patriciis tuenda à patribus excogitatus, hi Tribunis militum, qui per singulas legiones diuisi erant, perinde ac Consules praeerant. Hi vnquam neque tribus pauciores, neque plures quam sex fuerunt, nam quod Liuius aliquando octo tribunos militum consulari potestate creatos fuisse scribit, lapsus est, quum duos Censores Tribunis ipsis interiecerit, vt ex tabulis constat Capitolinis, ceterum aliquando etiam quattuor fuerunt, quos omnes suis locis annotabo

De Tribunis militum abdicatis, & consulibus suffectis

HORVM Tribunorum militarium (inquit Liuius) non pro firmato stetit ius, quia tertio mense, quam inierunt, augurum decreto, perinde ac vitio creati honore abiere, quod C. Curtius, qui comitijs eorum praefuerat parum recte tabernaculum cepisset. Interim patricij quum sine curuli magistratu Resp. esset, coiere & interregem creauere, cótentio Consules ne an tribuni militer crearentur, in interregno dies complures tenuit. Interrex ac senatusconsultum comitia, tribuni plebis, & plebs tribunorum militum vt haberentur tendunt. Vicere patres. T. Quinctius Barbatus interrex Consules creauit L. Papirium Mugillanum, & L. Sempronium Atratinum. Haec Dionysius & Liuius; qui addit: Hos Consules neque in annalibus priscis, neque in libris magistratuum inueniri, quod quum tribuni militum initio anni fuerint, eo perinde ac si totum annum in imperio fuerint notati sunt, suffectis vero his consulibus, eorum praetermissa nomina. Licinius autem Macer auctor est, & in foedere Ardeatino, & in libris linteis ad Monetae, horum Consulum nomina inuenta. Cicero in epistola ad Papirium Paetum. Papirij (inquit) fuerunt patricij minorum gentium, quorum princeps L. Papirius Mugillanus, qui Censor cum L. Sempronio Atratino fuit, quum antea Consul cum ipso fuisset, Annis post Romam conditam CCCXII. sed tum Papisij dicebantur. Quo in loco vt ego restitui legendú existimo ex ipsa historia; Hic L. Sempronius (vt dixi) pater fuit A. Sempronij L.F.A.N. Atratini, qui & Consul & tribunus militum in tabulis Capitolinis exaratus est

Annus CCCXI

DIONYSIVS & Casiodorus Consules in hunc annum profitentur M. Geganium Macerinum II. T. Quinctium Capitolinum V. quos mense Decembri inijsse tradit Dionysius: Casiodorus

dorus vtraque cognomina, Diodorus Capitolinum silent. Fasti Graeci Macrinum II. & Capitolinum V. Zonaras Macrinum edit & Barbatum. Ita vt etiam T. Quinctius pater Barbati & ipse cognomen tulerit, quod Fastis ipsis adijciendum est

De Censoribus primis, & lustro XI

IDEM hic annus censurae initium fuit, rei à parua origine ortae, quae deinde tanto incremento aucta est, vt morum disciplinaeque Romanae penes eam regimen, senatus, equitumque centuriae, decoris dedecorisque discrimine; sub ditione eius magistratus publicorum ius, priuatorumque locorum, vectigalia populi Romani, sub nutu atque arbitrio essent. Ortum autem initium rei est, quod in populo per multos annos incenso, neque diferri census poterat, neque consulibus quum tot populorum bella imminerent operae erat id negotium agere. Mentio illata ab senatu est rem operosam, ac minime consularem suo proprio magistratu egere. Cui scribarum ministerium, custodiaeque, & tabularum cura, cui arbitrium formulae censendi subijceretur. Et patres quamquam rem paruam tamen quo plures magistratus patricij in republica essent laeti accipere, id quod euenit (vt credo rati) vt mox opes eorum qui praeessent ipsi honori ius maiestatemque adijcerent. Et tribuni id quod tunc erat magis necessariam quam speciosi ministerii procurationem intuentes, ne paruis quoque rebus incommode aduersarentur, haud sane tetendere. Quum à primoribus ciuitatis spretus honor esset, Papirium Semproniumque, quorum de consulatu dubitabatur, vt eo magistratu parum solidum consulatum explerent, censui agendo populus suffragijs praefecit, Censores ab re appellati sunt. Haec ad uerbum Liuius. Dionysius vero Consules (inquit) Macerinus & Capitolinus ad Senatum rettulerunt, quod quum multa necessaria ob continua bella neglecta essent, tum maxime census erar, nullo intra XVII. annos iam censu facto post L. Cornelij & Q. Fabij consulatum, quare censum necessarium ciuitati videri. Reliqua in Dionysio desiderantur. De primis censoribus mentionem facit Cicero in epistola quam superius citaui ad Papirium Paetum. Quamquam autem hic nulla lustri fit mentio id tamen factum esse sequentia lustra indicabunt. Pomponius lib. I. II. II. de origine iuris: Post deinde quum census agendus esset, & Consules non sufficerent, huic officio Censores constituti sunt. Zonaras: Censores vero (inquit) anno sequenti Barbato & Macerino Cos. designati sunt L. Papirius & L. Sempronius. Eorum designandi caussa fuit, quod Consules ob multitudinem omnia negocia exequi non poterant. Nam iura Censoribus attributa, ad id vsque tempus tenuerant. At principio bini fuerunt Censores patricii, qui initio & postremo ad quinquennium praefuerunt; interiecto vero tempore menses XVIII. ipsisque Consulibus quamuis parte dumtaxat potestatis eorum accepta, superiores euaserunt. Censores porro, quum magistri morum essent, à censendo, idest arbitrando dicti, quod illis summum arbitrium erat aliorum morum. Eos à censu agendo dictos scribit Liuius, quod quinto quoque anno populi Romani censum agerent. Varro libro IIII. de lingua Latina, Censor (inquit) ad cuius censionem, idest arbitrium censeretur populus. Sex. Pompeius: Censores dicti, quod quisque tanti sua aestimaret, quantum illi censuissent: quod non absurdum videtur, quia & rerum & morum Censores erant. Cicero III. de legibus: Censores, populi aeuitates, soboles, familias, pecuniasque, censendo, vrbis templa, vias, aquas, aerarium, vectigalia tuento. Censorum autem imperium primum quinquennale fuit, ea lege quae hoc anno lata est: qua simul illud sancitum, vt gente patricia crearentur. Sed eam legem decennio post Mam. Aimilius II. Dictator correxit ingenti consensu populi Romani lege lata, ne plus quam annua & semestris censura esset, seu nimiam potestatem ratus, seu non tam magnitudine honoris, quam diuturnitate offensus, grauis enim omnis diuturna potestas in libera ciuitate est. Quod postea obseruatũ fuit. Censores autem comitijs cẽturiatis quum & patricius, & maior is esset magistratus, crebantur, vt apud Gellium libro XIII. cap. XIIII. docet M. Messalla augur in libro de auspicijs. Vbi ita scribit: Patriciorum auspicia in duas sunt potestates diuisa, maxima sunt Consulum, Praetorum, Censorum; & paulo post: reliquorum magistratuum minora sunt auspicia. Ideo illi minores, hi maiores magistratus appellantur. Minoribus creandis magistratibus tributis comitiis magistratus, sed iustius curiata datur lege. Maiores centuriatis comitijs fiunt. Postquam autem populi suffragiis renuntiati, vbi noctu in templo censuram auspicati sunt, atque de coelo nuntium fuerit, alter censorum praeconi sic imperabat, ut viros vocaret: Quod bonum, fortunatum, felixque salutareque siet, populo Romano Quiritium, Reique publicae populi Romani Quiritium, mihique collegaeque meo, fidei, magistratuique nostro, omnes Quirites, pedites, armatos, priuatosque, curatores omnium tribuum, si quis pro se, siue altero dari rationem uolet, voca inlicium huc ad me. Praeco in templo primum vocabat, postea de moeris item vocabat. Vbi lucebat, Censor, scribae, magistratus, murrha vngenteis vngebantur. Vbi Praetores tribuniique plebei, quique in consilium vocati sunt venerunt, Censores inter se sortiebantur, vter lustrum faceret, vbi templum factum est. Post

autem

autem conuentionem habebat, qui lustrum conditurus erat: ita M. Varro libro V. de lingua Latina. & alibi: lustrum (inquit) nominatum tempus quinquennale à luendo, hoc est soluendo quod quinto quoque anno vectigalia & vltro tributa per Censores persoluebantur. Munus autem Censorum erat; Dato prius iusiurando se nec gratia, nec odio quicquam acturos, sed sincero animo, ea quae e republica sibi viderentur esse tractaturos; ciuitatem censere, publica vectigalia locare, vias, & publica aedificia curare, cuiusque facultates describere. Et quum regendis quoque moribus ciuitatis creati essent, mores ciuium obseruabant; in his laude dignos in tribus nobiliores, puta ex vrbanis in rusticas, in ordinem equestrem, in senatum pro cuiusque meritis, & dignitate referebant. Improbos uero ciues varie notabant. Nam quum qui semel in senatum lectus esset, perpetuo senator haberetur, si quid censoria nota dignum facinus commisisset, senatu eiiciebatur. Eques Romanus, equum publicum perdebat, plebeius in Caeritum tabulas referrebatur, & aerarius fiebat, atque ex albo centuriae suae expungebatur; hoc est ferendi suffragii, & capiendi muneris publici potestate omni priuabatur, sed ad hoc tantum esset ciuis vt aera pro suo censu tributi nomine penderet. Caerites enim (vt inquit Gellius) pro sacris bello Gallico receptis, custoditisque municipes siue suffragii iure facti, concessumque illis vt ciuitatis Romanae honorem quidem caperent, negociis tamen atque oneribus publicis vacarent. Hinc tabulae Caerites appellatae, in quas Censores referri iubebant, quos notae caussa suffragiis priuabant. Adimebant igitur Censores quod cuiq; ordini summum erat, senatori ne in senatu esset, equiti ne equitis insigne, publicum equum, & annulum aureum haberet, plebio ne suffragium ferret, nihil enim erat praeterea quod posset adimi; suffragii amisionem sequebatur amisio simul omnium munerum publicorum, sicuti suffragij iure concesso scimus honorum simul ac munerum omnium partem esse datam. Senatori quoque praeter ordinis amisionem, erant & aliae poenae. Nam interdum non modo aditu curiae prohibebatur, verum etiam tribu mouebatur, in aerariosque referebatur; hoc est: tribu nobiliori in ignobiliorem, ut è rustica in vrbanam transferebatur, si quidem legimus Mam. Aimilium, quod censurae tempus imminuisset, ab iratis censoribus & senatu eiectum, & tribu motum, aerariumque etiam censu octuplicato esse factum. Liuius libro XXIX & Valerius Maximus libro II. cap. IIII. scriptum reliquerunt, quadringentos ciueis Romanos ordinis equestris à censoribus M. Valerio & L. Sempronio equis publicis spoliatos & inter aerarios relatos. Censoriam autem animaduersionem, ij qui succedebant, atque etiam quod Censor vnus statuerat id alter saepe mutabat. Praeterea notatos à censoribus, pristinum in locum restituere, vel iudices re cognita, & suis sententiis iudicata, vel populus ipse suffragiis poterat, & solebat: quod si quis è senatu eiectus, neque à censoribus sequentibus, neque à Iudicibus, neque à populo in integrum restitutus esset, vnam habebat in senatum redeundi viam, si honores illos denuo populi suffragiis consequeretur, quos qui gesserant, ijs etiam si lecti in senatu à censoribus non essent, patere tamen curiam leges iubebant; Legimus autem aliquos ob varia crimina à censoribus notatos, & senatu motos, non solum in integrum restitutos, verum & censuram ipsam adeptos fuisse. Geta enim quum à L. Metello & Cn. Domitio censoribus senatu motus esset, postea Censor cum Q. Allobrogico factus est. M. item Messalla censoria nota perstrictus à censoribus Gellio & Lentulo, censoria postmodum potestate imperauit, quorum ignominia virtutem acuit; rubore enim eius excitati, omnibus uiribus incubuerunt, vt digni ciuibus viderentur, quibus dari potius quam abiici censura deberet. P. Clodius in seditiosissimo tribunatu suo quattuor leges tulit reip. perniciosissimas, inter quas una erat, ne quem Censores in senatu legendo praeterirent, neue qua ignominia afficerent, nisi qui apud eos accusatus, & vtriusque sententia damnatus esset. Caussae autem quibus ciues Romani à censoribus notarentur multae traduntur, vt si quis conceptis verbis peierasset, cuius rei exemplum est in Valerio Max, cap. I. libri IIII. P. Africanus (inquit) centurias recognoscens equitum, postquam C. Licinium Sacerdotem citatum processisse animaduertit, dixit illum se scire verbis conceptis peierasse, proinde si quis eum accusare vellet usurum testimonio suo, sed nullo ad id negocium accedente traduc equum (inquit) Sacerdos, ac lucrifac censoriam notam, ne ego in tua persona accusatoris & testis, Censoris & Iudicis partes egisse videar. Item si quum in prouincia esset socios diripuisset, si pecuniam accepisse ob rem iudicandam putaretur, si propter aeris alieni magnitudinem praedia emancipasset, & similia. Legimus Postumium & Camillum Censores, in aerarios detulisse eos, qui ad senectutem coelibes perneuenerant. Item M. Valerium & C. Iunium Censores L. Antonium senatu mouisse quod quam virginem in matrimonium duxerat, repudiasset, nullo amicorum in consilium adhibito, M. quoque Catonem & P. Flaccum eadem potestate praeditos L. Flaminino curia interdixisse, quia in prouincia cui praeerat quendam damnatum securi percusserat, tempore supplicij ad arbitrium, & spectaculũ adamatae mulierculae, electo. Fabricium

etiam

etiam Luscinum, & Aimilium Papum Censores Cornelium Rufinum bis consulatu, & dictatura functum senatu mouisse ob luxuriae notam, quod decem pondo argenti facti haberet, itemque M. Antonium & L. Flaccum eandem ob notam M. Duronium senatu eiecisse, quod Trib. Pl. legem de coërcendis conuiuiorum sumptibus latam abrogauerat. Notabantur etiam qui strigosiores equos haberent, quibus equus publicus adimebatur. Cum equi vero publici amisione, deperdebantur etiam mille asses qui ex publico ei pro equi substentatione tribuebantur. Omnium denique rerum nomine male audientes, vt furti, peculatus, captarum pecuniarum, quorum criminum turpia iudicia vocabantur, à censoribus notabantur, vt tamen ijdem illarum ipsarum rerum postea iudicijs absoluti, ius suum censorum animaduersione ademptum, saepe recuperauerint: neque vnquam ijs, in quos animaduertissent Censores, propterea vel magistratum capere, vel iudicem legi, vel alterum accusare non licuit. Censores autem per centurias primo, vt à Rege Ser. Tullio institutum erat, atque à consulibus qui censuram egerant, fuerat obseruatum, censum agebant. Post expletas vero XXXV. tribus, non in cẽturia sed in sua quemque tribu censum esse videtur significare Liuius. Senatores enim clarissimos viros summis honoribus functos, ipsos inquam Censores, M. Liuium Salinatorem, & C. Claudium Neronem, in suis vtrunque tribubus nulla facta classium mentione censos esse, ipse demonstrat his verbis libro XXIX. Equitum deinde census agi coeptus est, & ambo forte Censores equum publicum habebant. Quum ad tribum Polliam ventum est, in qua M. Liuij nomen erat, & praeco cunctaretur citare ipsum Censorem; cita inquit Nero M. Liuium, & siue ex residua & vetere simultate, siue ex intempestiua iactatione seueritatis inflatus, M. Liuium quia populi iudicio esset condemnatus equum vendere iussit. Item M. Liuius quum ad tribum Narniensem, & nomen collegae ventum est, vendere equum C. Claudium iussit, quod non sincera fide secum in gratiam redijsset. Pedianus tamen videtur significare etiam post explectas XXXV. tribus censos esse ciues Romanos in centurijs; ait enim cuiuscunque ciuis nomen in albo centuriae suae scriptum fuisse, indeque exemptos, quum à censoribus aerarii fierent. Et Sex. Pompeius: Niquisciuit (inquit) centuria est, quae dicitur à Ser. Tullio Rege constituta, in qua liceret ei suffragium ferre, qui non tulisset in sua, ne quis ciuis suffragii iure priuaretur, nam scisco significat, sententiam dicito, ac suffragium ferto, vnde scita plebis: sed in ea centuria neque censetur quisquam, neque centuriae praeficitur, neque centurialis potest esse, quia nemo certus est eius centuriae; est autem Niquisciuit; nisi quis sciuit. Quae tamen controuersia ex Valerio Maximo ita dirimi potest, vt nomina ciuium in sua cuiusque centuria scripta esse dicamus, atque in his censa, verum centurias per tribus esse diuisas quae quidem singulae in censu nominabantur. Ita enim scribit Valerius cap. IIII. libri II. de censoria nota, de iisdem censoribus Liuio & Salinatore loquens: Nam quum equitum centurias recognoscerent, & ipsi propter robur aetatis etiamnum eorum e numero essent, vt est ad Polliam uentum tribum, praeco lecto nomine Salinatoris, citandum necne sibi esset haesitauit. Vbi clare constat centurias per tribus distributas esse. Quod qua ratione factum fuerit, quum res maxime obscura, & omnium quae in Romana antiquitate sunt, difficillima sit, alio loco ex instituto disseram. Censoribus etiam toto sui magistratus tempore, quod vt dixi lege Aimilia XVIII. mensium erat, ius erat leges condere, aut abrogare, concionem habere, cognoscere de aliquot criminibus, neque cognita vel damnare, uel absoluere. Reliquorum maiorum magistratuum ornamenta habebant praeter lictores. Incensis autem poena grauissima fuit, bonorum & libertatis amisio. Bona enim à censoribus, ipsi à consulibus vendebantur. In magistratibus autem extraordinarijs primum locum obtinebat Dictator, secundum Censores, tertium magister equitum. Finito censu, omniumque facultatibus in publicas tabulas relatis, senatum & ordinem equestrem legebant. Et quoniam tria genera ciuium fuisse costat senatores, equites, populus uel de plebe, & plebi vel populo equites, equitibus senatores dignitate praestitisse constat, id ratio exigit, quod etiam veterum exempla testantur, vt tam in censu, quam in lectione primus ordinis senatorii locus, equitum secundus, plebis vero vel populi fuerit postremus. Primum igitur recitabantur omnium senatorum nomina, qui vel recens ab eis censoribus, vel ante ab alijs in senatum lecti fuerant, aut alias ob causas in senatum venerant. Et qui praeteriti erant senatu moti intelligebantur. Inter ipsos autem senatores primum recitari perhonorificum erat, isque princeps senatus vocabatur, qui dignitate non potentia ceteris praestabat. Id autem in arbitrio Censorum positum erat, vt quem vellent legerent; à quibus tamen neminem nisi de consularibus & censorijs principem senatus esse lectum constat, isque semel lectus eo honore dum viuebat potiebatur, neque enim unquam vidimus aliquem semel principem senatus lectum fuisse, & postea sequentibus lustris eo praeterito, si adhuc is viuus esset, alium lectum. Bene tamen legemus quempiam à tertijs, quartis, & aliquando sextis censoribus principem senatus dictum. Antiquus autem mos fuit, vt princeps senatus non

legeretur

legeretur nisi is qui vetustissimus esset censoriorum hominum qui viuerent;quem morem primos neglexisse prodit Liuius bello Punico secundo M. Cethegum & P. Tuditanum Censores, qui censorium quidem principem senatus legerunt, verum non censoriis hominibus qui viuebant vetustiorem. Is autem fuit Q. Fabius Maximus. Quam consuetudinem sequentes Censores sunt sequuti, vt Principem senatus, & si non vetustissimum censoriorum viuentium non nisi censorium tamen nunquam legerint, vt Fastos percurrenti manifestum erit. Porro si Censorius multo magis consularis etiam erat. Raro enim admodum antiquitus, post bellum vero Punicum secundum nullum Censorem creatum fuisse animaduerti qui consularis non esset. Eadem quoque ratione princeps equestris ordinis dicebatur is, quem Ceosores primo loco scripsissent in iis tabulis quae equitum nomina continebant. De censurae potestate Plutarchus in vita Paulli Aimilij ita scribit: censurae magistratus maxime omnium reuerentiae est, plurimaeque potestatis, quum in aliis rebus, tum ad morum emendationem. Nam & senatu mouere immeritos potest, principem legere, aufferre equos publicos, notare infamia, censum agere, lustrum condere. Item in Catonis vita: censoribus licebat e senatu eos eiicere, ac illis equum adimere, qui aliquo flagitio notati essent. Ipsi pretia quoque sacrificiorum curabant, descriptionum genera, & reip. officia distinguebant. Ceterum censu perfecto, is Censor cui sors condendi lustri contigerat, congregato in campum Martium populo Romano eum sacrificio de sue, oue tauroq; facto, quod Solitaurilia siue Suouetaurilia vocabant, lustrabat (ut superius dixi) idq; conditum lustrum dicebatur. In quo sacrificio quum P. Africanus Censor lustrum conderet, scribaque ex publicis tabulis solemni eius precationis carmine praeiret, quo Dij immortales ut populi Romani res meliores amplioresque facerent rogabantur, satis (inquit) bonae ac magnae sunt: Itaque precor, ut eas perpetuo incolumes seruent, ac protinus in publicis tabulis ad hunc modum carmen emendari iussit. Qua uotorum verecundia deinceps Censores in condendis lustris vsi sunt. Pedianus Act. III. in Verrem; quinque annorum spatio instaurari census solet apud Censores, quorum administratio per lustrum hoc est quinquennium traditur, sartorum tectorum cura censoribus datur. Censorum autem magistratus usque ad Reip. lapsum perdurauit. Post quem, ea quae prius à censoribus tractabantur, principum arbitrio permissa fuerunt. Et quamuis Augustus intermissam diu censuram semel tantum restituit priuatis censoribus creatis Paullo & Planco, ipse tamen sine censurae honore censum populi ter egit, primum & ultimũ quibus lustra quoq; LXXII. & LXXIII. condidit cũ collegiis Agrippa & TI. Caesare, medium solus. Claudius deinceps Imp. & Vespasianus Aug. censuram egore, & lustra LXXIIII. & LXXV. condidere: prior quidem cum L. Vitellio, sequens cum Tito Caesare filio. Postea Domitianus solus omnium Rom. Principum perpetuam censuram suscepit, in qua tamen lustrum nullũ condidit. Et qui eum immitaretur Imperatorem nullum habuit, qui omnes sine eo magistratu, iure tantum principatus censurae omnia munia exercuerunt. Nouissime Decio Imperatore censurae honos in priuatis ab Augusti, in Imperatoribus vero à Domitiani vsque temporibus praetermissus, restitutus est. Decius enim Imperator Censorem vnum tantum creari ex S. C. iussit Valerianum, qui postea Imp. & ipse appellatus est; vt in Valeriani vita tradit Trebellius Pollio: cuius uerba sunt haec: Duobus Decijs Consulibus VI. cal. Nouembris die, quum ob imperatorias litteras in aede Castorum senatus haberetur, ireturque per sententias singulorum, cui deberet censura deferri (id enim Decij posuerant in senatus amplissimi potestate) Vbi primum Praetor edixit; Quid vobis videtur Patres conscripti de Censore deligendo, atq; eum, qui erat princeps, quum senatus sententiam rogasset, absente Valeriano (nam ille in procinctu suo cũ Decio tunc agebat) omnes una uoce dixerunt, interrupto more dicendae sententiae, Valeriani vita censura est, ille de omnibus iudicet, qui omnibus est melior, ille de senatu iudicet qui nullum habet crimen, ille de uita nostra sententiam ferat, cui nihil potest obijci. Hunc Censorem omnes accipimus &c. Hunc S.C. vbi Decius accepit, aulicos conuocauit, ipsum etiam Valerianum praecepit rogari, atque in conuentu summorum uirorum, tanto S.C. felicem te (inquit) Valeriane senatus sententia, immo animis atque pectoribus totius orbis humani, suscipe censuram, quam tibi detulit Resp. quam solus mereris, iudicaturus de omnibus nostris; tu aestimabis qui manere in curia debeat, tu equestrem ordinem in antiquum statum rediges, tu censibus modum pones, tu uectigalia firmabis, diuides statum. Respublicas recensebis, tibi legum scribendarum auctoritas dabitur, tibique de ordinibus multum iudicandum est, tu arma respicies, tu de nostro palatio, tu de iudicibus, tu de praefectis eminentissimis iudicabis. Exceptis deniq; Praefecto vrbis Romae, Consulibus ordinariis, sacrorum Rege, ac maxima virgine Vestalium, si tamen incorrupta permanebit, de omnibus sententias feres. Laborabunt etiam illi vt tibi placeant de quibus non potes iudicare. Haec Decius. Sed Valeriano sententia huiusmodi fuit. Quaeso sanctissime Imperator, ne ad hanc necessitatem me alliges, ut ego iudicem de populo,

S de

de militibus, de senatu, de omni penitus orbe, iudicibus, tribunis, ac ducibus. Haec sunt propter quae Augustum nomen tenetis, apud vos censura desedit, non potest hoc implere priuatus. Veniam igitur eius honoris peto, cui vita impar est confidenda, cui tempora sic repugnant, vt censuram hominum natura non quaerat. Post Decium Romae cum nomine, censurae quoque honor sublatus est. Haec autem ex Cicerone, Varrone, Dionysio, Liuio, Pediano, Plutarcho, Trebellio, & Zonara descripsi

Annus CCCXII

LIVIVS in hunc annum edit Consules M. Fabium Vibulanum, Postumum Aebutium Cornicinem. Diodorus & Cassiodorus cognomina silent. Fasti Graeci habent Vibulanum & Heluã. Valerius in epitoma Postumi Aebutij Heluae meminit. M. Fabius filius est Q. Fabij. M. F. K. N. quater Consulis, qui cladi ad Cremeram superfuerat

Annus CCCXIII

C. Furius Pacilus, M. Papirius Crassus Consules eduntur à Liuio, & Cassiodoro. A. Diodoro uero Q. Furius Fusus, Manius Papirius Crassus. A Fastis autem Graecis Pacilus, & Crassus.

Annus CCCXIIII

LIVIVS & Cassiodorus Consules memorant Proculum Geganium Macerinum, L. Menenium Lanatum. Diodorus T. Menenium, & Proculum Geganium Macerinum. Lanato ideò II. addidi, quod eum esse existimarim, qui Consul primum fuit Anno CCCII. Fasti Graeci habent Macerinum & Lanatum

Annus CCCXV

LIVIVS & Cassiodorus hoc anno Consules edunt T. Quinctium Capitolinum VI. Agrippam Menenium Lanatum. Diodorus T. Quinctium & T. Menenium. Agrippa frater est L. Menenij superiore anno Consulis, descriptus ex eius tribunatu militari Capitolino Anno CCCXXXVII

De L. Quinctio Cincinnato Dictatore II. & Q. Seruilio Prisco Mag. Equitum

QVVM Sp. Maelius ex equestri ordine in summa annonae caritate, frumentum priuata pecunia emptum plebi erogasset, elatus supra modum hominis priuati, de regno agitare coepisse dicitur. Quae res ad Senatum delata, ex S. C. T. Quinctius Consul Dictatorem dixit. L. Quinctium Cincinnatum II. post octuagesimum aetatis annum. Is C. Seruilium Structum Ahalam Magistrum equitum sibi cooptauit. Seruilius iussu Dictatoris Maelium in ius vacatum, quia dicto non parebat, obtruncauit. Dictator iure factum pronuntiauit, etiam si regni crimine insons fuisset: ex Liuio. Huius Dictatoris meminit Cicero de senectute, cui aranti secundam quoque Dictaturam oblatam scribit, sub qua Sp. Maelius à magistro equitum occisus. Idem in Catilinam; pro Milone; secunda Philippica; in Oratore; pro Domo: Item is qui scripsit de viris illustribus; & Valerius Maximus libro V. cap. III. Ahalae Structi quoque cognomen adieci Seruiliorum gentilitium, ei in eius Consulatu Anno CCCXXVII. à Diodoro quoque adiunctum

Annus CCCXVI

TRIBVNI plebis peruicerunt, vt tribunorum militum potius quam Consulum comitia haberentur, non dubij, quin sex lectis (tot enim iam creari licebat) ex plebeis, aliqui profitendo se fore Maelianae necis vltores crearentur. Plebs tamen nec plures quàm tres tribunos consulari potestate creauit, & in ijs L. Quinctium Cincinnati filium. Praelatus suffragijs Quinctio Mam. Aimilius vir summae dignitatis, L. Iulium tertium creant: Liuius. Diodorus autem hos prodit M. Aimilium Mamercum, C. Iulium, L. Quinctium. Mam. Aimilium (sic enim non M. voco) patrem esse existimaui M. Aimilij Mam. F. M. N. Mamercini trib. mil. in tabulis Capitolinis anno CCCXLIX. L. vero Iulium patrem L. Iulij L. F. Vospisci N. Iuli Tribuni militum anno CCCLIII

Annus CCCXVII

AD curam summae rerum quieta plebe, nihil controuersiae fuit quin Consules crearentur M. Geganius Macerinus III & L. Sergius: Ita Liuius. Qui L. Sergium à bello Fidenati gesto Fidenatem vocatum fuisse in hoc honore scribit. Descriptus autem est ex eius tribunatu militari Capitolino, Anno CCCXXXV. Horum Consulum Diodorus, & Cassiodorus cognomina omittunt

De Mam. Aimilio Mamercino Dictatore

QVVM maior ex ciuibus bello Fidenati amissis L. Sergio Consule dolor, quam laetitia fusis hostibus esset, Senatus vt in trepidis rebus dictatorem dici Mam. Aimilium iussit: Is Magistrum equitum ex collegio prioris anni, quo simul tribuni militum consulari potestate fuerãt, L. Quinctium Cincinnatum dignum parente iuuenem dixit, Haec Liuius. Vtriusque etiam meminit

minit Orosius, & Eutropius. Qui autem scripsit de uiris illustribus Quinctium Cincinnatum dictatorem A. Cornelium Cossum mag.equitum prodit. Cossum etiam hoc anno tribunum militum fuisse, plerisque auctoribus placuisse tradit Liuius

Annus CCCXVIII

CONSVLES in hunc annum asserunt Liuius & Casiodorus M. Cornelium Maluginensem, & L. Papirium Crassum. Diodorus L. Papirium, & A Cornelium Macerinum mendose. Hunc M. Cornelium filium esse existimaui M. Cornelii X. viri, ideo addidi M. F. Ser. N. Cossum

Annus CCCXIX

C. Iulius II. L. Virginius Consules memorantur à Liuo, & Cassiodoro; apud Diodorum uero est C. Iulius, Proculus Virginius Tricostus. Iulius anno CCCVII. primum Consul fuit

De Q. Seruilio Prisco Dictatore

QVVM Fidenates Veientium exercitu accito Anienem transissent, atque haud procul porta Collina castra haberent, Virginius Cos. ex S.C. Dictatoré dixit Q. Seruilium, cui Prisco alij, alii Structo fuisse cognomen tradunt, Is sibi mag. equitum Postumum Aebutium Heluam cooptat: Ita Liuius. Seruilius in secunda Dictatura Capitolina descriptus est, altero Fidenatis cognomine addito, puto autem Fidenatem in hoc magistratu appellatum esse, in quo Fidenas cepir, vt ait Liuius. Cuius victoriae triumphum Liuius ipse siluit, vel caussam cur non egerit omisit. De hoc Dictatore Frontinus II. Stratag. Heluae alterum Corneinis cognomen gentis familiare adiunxi

De Censoribus & lustro XII

HIS Consulibus C. Furius Pacilus, & M. Geganius Macerinus censores Villam publicam in campo Martio probauerunt, ibique primum census populi est actus: Liuius. Hos censores idem Liuius in anno CCCXLIIII. violentos vocat. Lustrum ab his conditum ex sequentibus lustris elicitur, quae hoc praeterito uoo quadrarent

Annus CCCXX

EOSDEM consules in sequenti anno refectos Iulium III. Virginium II. apud Licinium Macrum inuenio, Valerius Antias, & Q. Tubero M. Manlium, & Q. Sulpicium Consules in hunc annum edunt: ceterum in tam discrepanti editione, & Tubero, & Macer libros linteos auctores profitentur, neuter tribunos militum eo anno fuisse traditum à scriptoribus antiquis dissimulat, Licinio libros haud dubie sequi linteos placet, & Tubero incertus veri est. Sed inter cetera vetustate incomperta hoc quoque in incerto positum: ita Liuius. Diodorus uero pro consulibus tres tribunos militum edit M. Manlium, Q. Sulpicium Praetextatum, Ser. Cornelium Cossum. Fasti Graeci Antiatem & Tuberonem sequuti Capitolinum & Camerinum attulere. Macrum ego sequutus sum, quod à Casiodoro quoque eos Consules edi animaduerterim

De Mam. Aimilio Dictatore. II

QVVM Falisci & Veientes captis ab Aimilio Dictatore Fidenis exterriti, totum nomen Etruscum contra Romanos incitasse nuntiarentur, velut magno tumultu imminente Senatus Mam. Aimilium Dictatorem II dici iussit, ab eo A. Postumius Tubertus mag. eq. est dictus. Non mouentibus autem Etruscis, Dictator ne frustra creatus esset, lege lata, censuram ex quinquennali annuam & semestrem fecit, dictaturaq; se abdicauit. Ex Liuio

Annus CCCXXI

TRIBVNI plebis asiduis concionibus prohibendo consularia comitia, quum res prope ad interregnum perducta esset, euicere tandem vt tribuni militum consulari potestate crearentur, omnes patricij creati M. Fabius Vibulanus, M. Foslius, L. Sergius Fidenas: ita Liuius. Diodorus mendose prodit M. Fabium, M. Flalinium, & L. Seruilium. M. Fabius idem est, qui Consul fuit anno CCCXII. L. Sergius qui fuit anno CCCXVII. Foslius Flaccinator alibi in tabulis Capitolinis notatus est, non Follius ut passim apud Liuium legitur

Annus CCCXXII

CONSVLARIVM comitiorum nulla mentione habita tribuni mil. cos. pot. creati sunt L. Pinarius Mamercus, L. Furius Medullinus, Sp. Postumius Albus: Liuius. Diodorus autem edit L. Furium Sp. :: :::, & Pinarium Mamercum. Ego Mamercinum reposui, ob eas quas superius caussas attuli, addidique gentile Pinariorum cognomen alterum Rufum, quem filium eius esse existimaui, qui Consul fuit Anno CCXXCII. L. Furium patrem esse arbitratus sum L. & Sp. Furiorum, qui in tabulis Capitolinis L. Filij Sp. Nepotes dicuntur; praesertim quum Sp. Furius quidam ante XXX. annos II. Consul notatus sit, qui huius pater esse potuit. Sp. Vero Postumium Sp. F. A. N. dixi quod eius patrem fuisse crediderim Sp. Postumum A. F. qui Consul fuit anno CCXXCVIII. quare etiam Regillensem alterum cognomen adiunxi;

S Annus

Annus CCCXXIII

S. C. Factum est vt comitia Consularia haberentur, tumultus caussa fuit, quem ab Aequis & Volscis Hernici nuntiabant, T. Quinctius L. F. Cincinnatus, eidem & Penno cognomen additur, & C. Iulius Mento Cos. facti:ita Liuius. Eosdem Consules edit & Cassiodorus. Fasti Graeci Pennum & Mentonem habent. Diodorus vero T. Quinctium, C. Iulium. T. Quinctius alter filius est senis Cincinnati, quos excepto Caesone à populo damnato, tres habuit, ut scribit Liuius; qui huius Consulatus etiam meminit anno CCCXXXI

De A. *Postumio Tuberto Dictatore*

Senatvi Dictatorem diei placuit, quia populi saepe uicti, maiore quam alias eonatu rebellabant, & aliquantum iuuentutis morbo absumptum erat. Sunt qui male pugnatum ab his Consulibus in Algido putent, eamque caussam Dictatoris creandi fuisse; dictus est Dictator A. Postumius Tubertus à genero T. Quinctio Cos. Is sibi magistrum equitum L. Iulium cooptauit: Haec Liuius. Horum & Diodorus meminit. Hic A. Postumius est qui paulo ante mag. eq. fuit Mam. Aimilio Dictatore II. Quem Dictatorem hoc anno saeuisse in filiũ, quod iniussu suo praesidio progressus hostes fuderat, plerique tradunt, ut Valerius libro II. cap. II. Diodorus libro XII Gellius libro XVI. qui cum Varrone hunc annum vocat Vrbis conditae CCCXXIII. Aulumque Postumium Torquatum mendose pro Tuberto appellat, historiae similitudine deceptus. Nam T. Manlius Torquatus post Consul id fecisse traditur. Hoc idem à multis probatum se probabare negat Liuius, quod imperia Manliana, non Postumiana dicta sint. Plutarchus in Camillo huius Dictatoris meminit. L. Iulius Tribunus militum fuit anno CCCXVI. Gellius autem ab hoc Dictatore cum Fidenatibus pugnatum fuisse scripsit, & fallitur, nam Fidenae ante captae fuerant. Verius Liuius & Plutarchus, qui eum eum Aequis & Volscis bellasse memorant

Annus CCCXXIV

Agitatvm in Vrbe à tribunis plebis, vt tribuni militum consulari potestate crearentur, nec obtineri potuit. Consules fiunt L. Papirius Crassus, & L. Iulius: sic Liuius, & Cassiodorus. At Diodorus mendose habet C. Papirium, L. Iunium. Fasti Graeci Crassum & Iulum. L. Papirius Crassus Primum Consul fuit anno CCCXIIX. L. uero Iulius Tribunus militum, & mag. eq. fuit

Annus CCCXXV

Consvles in hunc annum eduntur à Liuio L. Sergius Fidenas iterum, & Hostius Lucretius Tricipitinus, Cassiodorus cognomina silet. A Diodoro Opiter Lucretius L. Sergius Fidenas. Valerius libro X. in epitoma; Hostium praenomen habuit Lucretius Tricipitinus, collega L. Sergij. Qui ex priore consulatu, & sequenti tribunatu militum formatus est. Hostium Lucretium ego filium existimaui eius L. Lucretij qui Cos. fuit anno CCXCII

Annus CCCXXVI

Consules hoc anno memorantur à Liuio & Cassiodoro A. Cornelius Cossus, T. Quinctius Pennus II. At Diodorus (ut existimo) deprauate L. Quinctium A. Sempronium. Horum Consulum meminit Liuius supra anno CCCXVII. eosque nono anno post ait factos. A. Cornelius Cossus filius est (vt puto) M. Cornelij Decemuiri, frater M. Cornelii Consulis anno CCCXVIII Pater vero P. Cornelii A. F. M. N. Cossi trib. mil. Anno CCCXLVI

Annus CCCXXVII

Livivs & Cassiodorus Consules hoc anno scribunt C. Seruilium Ahalam, L. Papirium Mugillanum. Diodorus pro Ahala Structum edit. Hic est (ut existimo) qui Trib. mil. L. Quinctio Dictatore II. Sp. Maelium regnum affectantem occidit. L. Papirius ante Consul & Censor fuit

Annus CCCXXVIII

Plebs tenuit ne Consules in hunc annum crearentur; Tribuni mil. Cons. potest. quattuor creati sunt, T. Quinctius Pennus ex consulatu, C. Furius, M. Postumius, A. Cornelius Cossus: haec Liuius. Eosdem nominat Diodorus. Ego C. Furium Fusum Pacilum esse existimo, qui ante Consul & Censor fuit. A. Cornelium, qui Consul, M. uero Postumium A. Postumij Consulis anno CCXC. filium, Publii uero anno CCCXL. trib. militum fratrem; & idcirco ei cognomina gentilitia adiunxi

De Mam. Aimilio Dictatore III

A. Cornelius Cossus vrbi praefuit, tres reliqui tribuni in Veios profecti, plus ignominiae quam cladis acceperunt. Moesta ciuitas dictatorem poposcit, A. Cornelius dictatorem Mam. Aimilium dixit. Ipse ab eo magister equitum est dictus: ita Liuius. Diodorus eum M. Aimilium vocat, quem (parũ accurate) creatum dictatorem scribit propter legatos à Fidenatibus interfectos; nam legatorum caedem Aimilius vltus est in prima Dictatura. Huius tertiae Aimilij Dictaturae meminit etiam Orosius

Annus

Annus CCCXXIX.

HIC annus tribunos militum consulari potestate habuit (ut refert Liuius) L. Sempronium Atratinum, L. Quinctium Cincinnatum, L. Furium Medullinum, L. Horatium Barbatum. Diodorus omninm cognomina & L. Horatium omittit. A. Sempronius ex tertio suo tribunatu Capitolino descriptus est. L. Quinctius etiam antea trib. mil. fuit anno CCCXVI. L. Furius & ipse ante semel, & post tertium erit in tabulis Capitolinis Anno CCCXXXIV. L. Horatium filium esse existimaui eius Horatij qui exactis Decemuiris Cos. cum L. Valerio fuit anno CCCV

Annus CCCXXX

TRIBVNOS militum cons. pot. in hunc annum edit Liuius Ap. Claudium Crassum, Sp. Nautium Rutilum, L. Sergium Fidenatem, & Sex. Iulium. Eosdem prodit & Diodorus praeter cognomina, & Ap. Claudium quem T. vocat. Appius à Liuio Decemuiri filius dicitur, ideo ei alterũ Regillensis cognomen addidi. Sp. Nautium Sp. F. ideo uocaui, quod eum patrem esse existimauerim, Sp. Nautij Sp. F. Sp. N. Rutili, qui ter tribunus militum est paulo post in tabulis Capitolinis. Liuius autem errore haud dubie codicum duos Sp. Nautios Rutilos tribunos per haec tempora prodit, vnum qui nunc est primum, iterum vero anno CCCXXXVIII. alterum qui primum est anno CCCXXXV. iterum vero CCCL. Verum à tabulis (ut dixi) Capitolinis hic semel, alter uero ter tribunus militum refertur. L. Sergius Fidenas semel ante Trib. mil. fuit anno CCCXXI. tertium erit CCCXXXVI. in Capitolinis tabulis; ergo hic recte II

De Censoribus, & lustro XIII

POST annum CCCXIX. quo Censores fuerunt C. Furius, & M. Geganius quibus lustrum XII. annotaui, vsque ad annum CCCLI. quo Postumium Albinum, & Furium Camillum Censores lustrum XVI. fecisse tabulae referunt Capitolinae; nulli à Liuio Censores numerantur, & aliquos tamen fuisse necesse est, qui XIII. XIIII. & XV. lustra condiderint. Quare quum anno CCCXXXVI. in Capitolinae tabulae fragmento Censor L. Papirius incisus sit, à quo lustrum XIIII. conditum fuisse ex annorum internallo iudicaui, idcirco hoc anno videlicet quinquennio ante id tempus, lustrum XIII. collocaui; Cuius tamen vna cum censorum nominibus omnis memoria intercidit, vnde & eius certum annum reperire non potui

Annus CCCXXXI

CONSVLES hoc anno creati sunt auctoribus Liuio & Cassiodoro, C. Sempronius Atratinus, & Q. Fabius Vibulanus. Diodorus eos praeterit, quos Idibus Decembris inijsse tradit Liuius. De C. Sempronio Atratino Cos. mentionem facit Valerius, libro VI. cap. V. quem uocat L. libro vero III. cap. II. utriusque Consulis meminit. Sed mendose Q. Fabium vocat Q. Catulum. Eundem C. Sempronium patruelem fratrem fuisse A. Sempronij, qui in tabulis Capitolinis L. F. A. N. dicitur, refert Liuius, quare pater Caij Aulus fuit. Consul anno CCCX. quem Lucij fratrem esse Dionysius & Liuius prodiderunt. Q. Fabius Decemuiri filius fuit, Marci uiri consularis frater, qui post ter tribunus militum, dicitur in tabulis Capitolinis Q. F. M. N

Annus CCCXXXII

SENATVS quum odio Sempronii consulare nomen offenderet, tribunos militares consulari potestate creari iussit. Creati L. Manlius Capitolinus, Q. Antonius Merenda. L. Papirius Mugillanus; haec Liuius. Apud quem desideratur nomen quarti tribuni L. Seruilii Structi, qui anno CCCXXXVII. iterum tribunus militum in tabulis Capitolinis incisus est, neque quo loco primum fuerit apparet nisi hoc loco reponamus; vbi haud dubie librariorum vitio praeteritus est; Apud eum. n. multa tribunorum militum nomina intercidisse liquet, ut etiam perite demonstrauit in suis Liuianis annotationibus Sigonius. De his Diodorus nihil. L. Manlium Decemuiri filium ratus, ei gentilitium alterum Vulsonis cognomen addidi. Idem existimaui de T. Antonio. L. uero Papirium Lucii primi Censoris etiam filium reor; cuius cognomen adhuc extat in extremo fragmento tabulae Capitolinae

Annus CCCXXXIII

HIC annus Consules habuit N. Fabium Vibulanum, & T. Quinctium Capitolinum ut Liuius & Cassiodorus scribunt. Hic Fabius filius fuit Q. Fabii Decemuiri qui CCC. ad Cremeram Fabius interfectis superfuit, primusq; in gente Fabia Numerii praenomine usus est, ut Valerius libro decimo, & Sex. Pompeius referunt. Et idcirco in secundo Capitolino tribunatu Q. Filius M. Nepos Vibulanus nuncupatur. T. Quinctium eius Capitolini qui sexies Consul fuit filium fuisse scribit Liuius. In fragmento tabulae Capitolinae est TOLIN. BARBAT. N. FABIVS Barbati enim cognomen Quinctiorum quoque fuisse superius ex Zonara uidimus

Annus

Annus CCCXXXIIII

QVVM maior pars anni per nouos tribunos plebis, & aliquot interreges certaminibus extracta esset, prohibentibus tribunis patricios coire ad prodendum interregem, modo interregem interpellantibus, ne S.C. de comitiis consularibus faceret, postremo L. Papirius Mugillanus interrex castigando nunc patres, nunc tribunos plebis, obtinuit ut tribunicia comitia haberentur. Creati tribuni consulari potestate omnes patricij T. Quinctius Cincinnatus III. L. Furius Medullinus II. M. Manlius, L. Sempronius Atratinus: Liuius haec. Quum autem in Capitolinis fragmentis sit Cincinnatus II. Medullinus III. intelligendum est, numeri notas apud Liuium esse praepostero ordine; in eodem fragmento est etiam M. Manlius, quem Decemuiri filium, & L. Manlii biennio ante tribuni militum fratrem esse existimo. A. vero Sempronius qui & ipse in fragmento eodem notatus est, semel ante tribunus militum fuit, anno vrbis CCCXXIX Cincinnatus & Medullinus ante quoque suis locis exarati sunt

Annus CCCXXXV

TRIBVNI militum consulari potestate à Liuio hoc anno digeruntur Agrippa Menenius Lanatus, P. Lucretius Tricipitinus, Sp. Nautius. Desideratur autem librarii (ut reor culpa) nomen quarti tribuni, is fuit C. Seruilius Q.F.C.N. Axilla, qui anno sequenti in Capitolinis tabulis tribunus mil. numeratur cum nota II. ita vt hoc anno primum fuerit necesse est, quum nullus praeterea aptus locus relictus sit. Agrippa Menenius descriptus est ex secundo suo Capitolino tribunatu, addito huius anni fragmento. Sp. Nautius quoque & P. Lucretius ex eisdem tabulis formati sunt

Annus CCCXXXVI

LIVIVS hoc anno tribunos militum consul. potest. memorat L. Sergium Fidenatem, M. Papirium Mugillanum, & C. Seruilium Prisci filium, quo Dictatore Fidenae captae fuerant, qui C. Seruilius Axilla nuncupatur à Verrio Flacco. Quod etiam traditum non ignorare ostendit Liuius, quum ait, Q. Seruilium Dictatorem mag. eq. sibi cooptasse C. Seruilium filium, alios vero C. Seruilium Ahalam. Diodorus hos L. Sergium, M. Seruilium, & M. Papirium vocat. M. Papirius filius fuit L. Papirij Mugillani primi Censoris. Reliqui ex tabula Capitolina descripti sunt

De Q. Seruilio Prisco Dictatore. II

LAVICANIVS (Aequorum populi sunt) noua arma capientibus bellum indictum est. Re minus prospere à tribunis duobus gesta, ex S.C. C. Seruilius qui vrbi praeerat Q. Seruilium, quo Dictatore captae Fidenae fuerant Dictatorem dixit. Pater mag. eq. filium sibi cooptauit. Alij Ahalam Seruilium hoc anno magistrum eq. fuisse scribunt: Liuius haec. Quos annales sequutus est Verrius Flaccus. Qui Q. Seruilium P.F. Sp.N. Priscum Fidenatem Dictat. II. & C. Seruilium Q.F.C.N. Axillam mag. eq. edidit

De Censoribus, & Lustro XIIII

L. PAPIRIVS M. (vt ego interpretatus sum) F. Censor in hunc annum relatus est in fragmento Capitolino, vbi est M. Liuius mire negligens est, qui & hunc & multos praeterea Censores praeterijt. Huic ego Crassi cognomen adiunxi. Quum M. F. dicatur, ut eo genitus sit M. Papirio Crasso, qui Consul fuit anno CCCXIII. Collega eius adhuc mihi obscurus est. Lustrum autem XIIII. ab his Censoribus conditum, ratio temporum docet, lustrumque XVI. id exigit

Annus CCCXXXVII

Tribunos militum hoc anno memorat Liuius Agrippam Menenium Lanatum, L. Seruilium Structum, P. Lucretium Tricipitinum iterum omnes hos; & Sp. Veturium Crassum. Ex his L. Seruilius Structus primum fuit anno CCCXXXII. librariorum culpa in Liuio praeteritus, ne que enim quo alio in loco esse potuerit liquet. In tabula Capitolina P. Lucretius Hosti. F. & Agrippa Menenius T. F. Agrippae N. exarati sunt. Sp. Veturium Spurij X. uiri filium esse arbitratus sum. Diodorus habet eosdem tribunos militum praeter cognomina, & L. Seruilium quem Gaium appellat

Annus CCCXXXVIII

A. Sempronius Atratinus III. M. Papirius Mugillanus II. & Sp. Nautius Rutilus II. referuntur à Liuio: praeteritum esse à librariis Q. Fabium Q.F.M.N. Vibulanum quartum huius anni tribunum lapis Capitolinus, Diodorus, & ipse met Liuius ostendit. Qui Q. Fabium tribunum militum II. esse scribit anno CCCXL. neque quo anno primum fuerit apud eum liquet. Ceterum A. Sempronius L. F. A. N. dicitur à Verrio Flacco; Diodorus omnes quattuor enumerat, verum cognomina tacet

Annus CCCXXXIX

LIVIVS quattuor hoc anno edit tribunos militum consulari potestate P. Cornelium Cossum, C. Valerium Potitum, Quinctium Cincinnatum, N. Fabium Vibulanum. Diodorus P. Cornelium

nelium, C. :::: Fabium. Tabula Capitolina P. Cornelinm :::: F. P. N. C. Valerium L. F. Volusi N. N. Fabius ex secundo suo tribunatu descriptus est. Quinctij praenomen incognitum

Annus CCCXL

LIVIVS tribunos militum in hunc annum profitetur Cn. Cornelium Cossum, L. Valerium Potitum, Q. Fabium Vibulanum II. & P. Postuminm Relligellensem. At Diodorus T. I. Postumium, C. Cornelium, C. Valcrium, Caesonem Fabium. Q. Fabius is est qui altero ante anno primum trib. mil. fuit. P. Postumius A. F. A. N. dicitur a Verrio Flacco. Quem propter crudelitatem ab exercitu suo lapidibus obrutum scribit Linius. L. Valerius descriptus est ex secundo suo tribunatu Capitolino L. F. P. N. Potitus

Annus CCCXLI

PATRES deinde uicere ut Consules crearentur Q. Fabio Vibulano comitia habente; Consules creati sunt M. Cornelius Cossus, L. Furius Medullinus: eosdem Consules praeter cognomina scribunt Diodorus, & Cassiodorus. Fasti Graeci habent Cossus & Medullinus. L. Furius bis Consul erit & septies tribuuus militum. Qui iu secundo tribunatu Capitolino exaratus est L. F. Sp. N. Medullinus

De Censoribus, & lustro XV

HORVM Censorum nomina incognita sunt, eorundem & lnstri XV. sedes incerta, Liuii haud dubie negligentia, à quo haec & alia pleraque eiusmndi neglecta sunt. Ego quiuquennio à priore lustro exacto lustri ipsius descriptionem adposui

Annus CCCXLII

LIVIVS & Cassiodorus Consules edunt Q. Fabium Ambustum, & C. Fnrium Pacilum. Diodorus cognomina silet. Hunc Q. Fabium N. & K. Fabiorum Ambustorum fratrem fuisse existimo, qui ambo à Verrio Flacco. M. F. Q. N. appellantur. C. uero Furium C. F. qui aute Censor & Trib. militum fuit

Annus CCCXLIII

LIVIVS & Cassiodorus Consules hoc anno referunt M. Papirium, & C. Nautium Rutilum. Diodorus cognomen tacet. Liber Cuspiniani Mugillanum & Rutilum. M. Papirium L. Papirij primi Censoris filium esse reor, qui antea quoque tribunns militum fuit

Annus CCCXLIV

M. Aimilius & C. Valerius Consules appellantur à Liuio & Cassiodoro, Diodorus Manium pro M. habet. Hic Aimilius iu tabula capitolina in primo & tertio tribunatu dicitur M'. Aimilius Mam. F. M. N. Mamercinus. Valerius quoque in primo & tertio tribunatu Capitolino L. F. Volusi N. Potitus Volusus appellatur

Annus CCCXLV

LIVIVS hoc auno Consules prodit Cn. Cornelium Cossum, L. Furium Medullinum II. Cassiodorus cognomina & notam II. praeterit. Diodorus L. Furium, Cn. Pompeium: Cn. autem Cornelius descriptus est ex extremitate fragmenti Capitolini. L. Furius ex eius tribunatibus Capitolinis. Hoc auno Quaestores è plebe primum creati

Annus CCCXLVI

C. Iulius Iulns, P. Cornelius Cossus, & C. Seruilius Ahala trib. mil. fugeruntur à Liuio. Diodorus cognomina silet, quae tabulae Capitolinae subijciunr. C. Iulius frater fuit L. Iuli L. F. Vopisci N. Iuli tribuni mil. anno CCCLIII. ideo in fragmento Capitolino est Vopisci N. Cossus & Ahala ex eisdem tabulis formati

De P. Cornelio Cosso Dictatore

QVVM Volscorum Aequorumque motus, maiores etiam qnam res erat, Romam nuntiarentur, senatus extemplo quod in rebus trepidis consilium erat; Dictatorem dici iussit. C. Seruilius Ahala trib. mil. Dictatorem P. Cornelium dixit, Ipse ab eo magister eq. creatus est. haec Liuius. Reliqua ex Capitolino fragmento descripta

Annus CCCXLVII

LIVIVS quattuor tribunos omnes patricios, atq; eo honore fuuctos refert hoc anno factos fuisse L. Furium Medullinum, C. Valerium Potitum, N. Fabium Vibulanum, & C. Seruilium Ahalam; huncque refectum continuato honore, tum ob alias virtutes, tum ob recentem fauorem vnica moderatione partum. Diodorus C. Furium, C. Seruilium, C. Valerium, N. Fabium habet: iu tabulis Capitolinis Potitus Volusus II. & Medullinus, reliqui duo integre descripti: ex his apparet Liuium lapsum. Nam Medullinus non II. sed primum trib. militum hoc auno est; qui ante bis Consul fuit, & postea septies trib. mil. erit

Annus CCCXLIIX

Ex quattuor tribunis militum L. Valerius, & N. Fabius notati sunt in tabulis Capitolinis; reliqui

liqui duo ut ex earundem fragmento; Liuio, & Diodoro constat, fuerunt P. Cornelius A. F. M.N. Rutilus Cossus descriptus ex eius dictatura, & Cn. Cornelius Cossus, quem esse existimo qui Consul anno CCCXLV. fuit. Diodorus quartum tribunum enumerat Terentium Maximũ. Additum deinde (inquit Liuius) omnium maxime tempestiuo principum in multitudinem munere, ut ante mentionem vllam plebis tribunorumue decerneret senatus, ut stipendium miles de publico acciperet, quum ante id tempus de suo quisque functus eo munere esset

Annus CCCXLIX

Tribunos militum sex hoc anno creatos ait Diodorus, uerum non nisi T. Quinctium, C. Iulium, & A. Manlium nominat. Liuius omnes enumerat. T. Quinctium Capitolinum, Q. Quinctium Cincinnatum, C. Iulium iterum, A. Manlium, L. Furium Medullinum III. M'. Aimilium Mamercum. Lapis Capitolinus habet Iulum II. Capitolinum Barbatum, Cincinnatum, & reliquos tres, vt à me descripti sunt. T. Quinctium filium eius existimo, qui Consul fuit anno CCCXXXIII. De L. Furio in numeri nota à Liuio dissentit Verrius Flaccus. Hic annus primus sex tribunos militum habuit, quod lege cautum fuerat vt fierent, iam tum quum primum de tribunis creandis latum fuit. Quo anno ab his tribunis primum Veii circunsesi sunt, ut scribit Liuius

Annus CCCL

Livius hoc anno edit trib. mil. C. Valerium Potitum III. M'. Sergium Fidenatem, P. Cornelium Maluginensem, Cn. Cornelium Cossum, Q. Fabium Ambustum, Sp. Nautium Rutilum: eosdem Diodorus praeter cognomina, & Cn. Cornelium, quem mendose vocat Iunum Lucullum. In tabulis Capitolinis est Maluginensis, Cossus II. Ambustus, & reliqui tres integri. Ex his K. Fabius & M'. Sergius ex secundis tribunatibus suis Capitolinis descripti sunt. Cn. Cornelium Cossum qui à Verrio Flacco II. dicitur, eum esse credo qui primo trib. milit. fuit anno vrbis CCCXL. Quum enim duo sint Cnaei Cornelii Cossi utrique II. tribuni militum, conueniens uidetur, ut qui primum fuerit; etiam iterum priore loco ponatur. Nautium Rutilum II. Liuius, Verrius Flaccus III. nominat: de quà re supra dictum est

Annus CCCLI

Livius tribunorum militum numerum à Romanis hoc anno auctum, atque octo quod nunquam antea, creatos scribit. M'. Aimilium Mamercum II. L. Valerium Potitum III. Ap. Claudium Crassum, M. Quinctilium Varum, L. Iulium Iulum, M. Postumium, M. Furium Camillum, M. Postumium Albinum. Apud Diodorum autem haec nomina sunt Manius Claudius, M. Quinctilius, L. Iulius, M. Furius, L. Valerius; quamquam autem desint apud eum aliqui tribuni, ipsum tamen eos non octo, sed sex edidisse existimo. Quod etiam Verrius Flaccus in tabulis Capitolinis obseruauit. Ita enim in eius fragmento exarati sunt Mamercinus II. Regillens. Varus, & alii tres ut à me notati sunt. Albinum uero & Camillum non tribunos, sed sequenti anno Censores facit: Linea enim annos diuidens ante Censores posita est, perinde ac ego in meis Fastis feci. Vt autem existimem Camillum hoc anno adhuc tribunum non creatum fuisse, facit etiam Plutarchus, qui eum ante Censorem quam tribunum militum fuisse scribit. Inter sex autem tribunos pro M. Postumio, quem Liuius posuit in tabula Capitolina, est M. Furius Fusus. M'. Aimilius, & L. Valerius descripti sunt ex aliis tribunatibus Capitolinis. P. Claudium uocaui quod huius filius Consul anno CDV. Ap. Claudius P. F. Regillensis dicatur à Verrio Flacco. Est autem filius Ap. Claudii trib. mil. Anno CCCXXX. Decemuiri nepos, ut auctor est multis in locis Liuius. L. Iulium C. Iuli ter Consulis filium ratus sum

De Censoribus, & lustro XVI

M. Postumio Regillensi Albino Censori In tabulis Capitolinis notato collegam adiunxi M. Furium Camillum. Nam Valerius libro II. cap. III. Camilli & Postumij Censorum meminit. Plutarchus quoque Camillum censuram ante alios omnes maiores magistratus gessisse scribit. M. autem Postumium uocaui, quod eum Liuius in tribunatu primo, superiore anno Camillo coniunxerit censura praeterita. Hic autem frater fuit P. Postumii qui trib. mil. ab exercitu lapidatus est. Vterque enim à Verrio Flacco A. F. A. N. Albinus Regillensis dicitur. Eos autem lustrum XVI. condidisse nemo ex fragmento Capitolino non intelligit; quod nisi habuissemus incerta quoque huius lustri & censorum sedes, ut aliorum superiorum fuisset. Exarati autem sunt hi Censores non more in ceteris obseruato sub magistratus annui nominibus, sed supra eos, ut in meis Fastis ex tabulae Capitolinae exemplo concinnaui

Annus CCCLII

Tribuni militum consulari potestate apud Liuium sunt C. Seruilius Ahala III. Q. Seruilius, & L. Virginius, reliqui vt in tabulis Capitolinis praeter praenomina. Q. Seruilium Fidenatem vocat Liuius in aliis sequentibus sex euis tribunatibus, Quem ego Q. Seruilij Prisci Fidenatis

tis bis Dictatoris filium esse existimo. L. vero Virginio Tricostum gentilitium cognomen adiunxi. Ab horum serie non discedit Diodorus

Annus CCCLIII

LIVIVS hos omnes Tribunos quos ego ex ipso & tabulis Capitolinis concinnaui enumerat, nec Diodorus dissentit. Ex his Cn. Cornelium Cossum eum esse existimo, qui primo tribunus militum fuit anno vrbis CCCXLVIII. Consul vero CCCXLV. qui cum reliquis omnibus ex Fastis Capitolinis, & Liuio accurate formati sunt. Hi Kal. Octobris inire iussi, quum Idus Decembres ante solemnes essent

Annus CCCLIIII

A. Liuio tribuni militum hoc anno produntur, ut accurate in scholijs Liuianis Romanae antiquitatis peritissimus Sigonius demonstrauit P. Licinius Caluus, P. Maelius, L. Titinius, P. Maenius, L. Furius Medullinus, L. Publilius Vulscus. Diodorus vero tres tantum enumerat trib. mil. P. Maelium, Sp. Maenium, L. Furium, & alios tres inquit. P. Maelius, Sp. Furius, & L. Publilius descripti sunt ex tabula Capitolina. Ego autem Sp. Furium non L. legendum puto, nõ enim uerisimile est duos Lucios eodem tempore fuisse fratres, vel qui L. F. Sp. N. dicerentur. Rectius ergo alter L. hic vero Sp. dici debet, ut fratres sint. Quod ita fuisse adducor ut credam, ex interuallo fragmenti Capitolini, & accurata litterarum enumeratione, singularumque ad extremum fragmenti distantia. P. autem Licinio gentile Calui cognomen adiunxi, quem primum e plebe trib. militum tradit Liuius, vsurpandi iuris caussa creatum; ceteros autem patricios fuisse omnes. Quos tamen plebeios praeter Furium fuisse, ex plebeijs eorum magistratibus cognoui

Annus CCCLV

TRIBVNOS militum in hunc annum edit Diodorus Cn. Genucium, L. Atilium, M. Pomponium, C. Duilium, M. Veturium, Voleronem Publilium. Liuius autem M. Veturium unum patricium, reliquos plebeios M. Pomponium, C. Duilium, Voleronem Publilium, Cn. Genucium, L. Atilium. Ita enim ex antiquis codicibus se emendasse ait, cui facile credo Sigonius. Liber Cuspiniani, qui nisi duo tribunorum nomina quot annis prodit Augurinum habet & Lõgum, hoc Atilij, illud Genucij cognomina. Reliqua ex tabulis Capitolinis patent. De Lectisternio tum primum instituto, ita scribit Liuius: Tristem hyemem siue ex intemperie coeli raptim mutatione in contrarium facta, siue alia qua de caussa grauis pestilensq; omnibus animalibus aestas excepit, cuius insanabili pernicie, quando nec caussa, nec finis inueniebatur libri Sibyllini ex S. C. aditi sunt; duumuiri sacris faciundis lectisternio tunc primum in vrbe Romana facto, per dies octo Apollinem, Latonamque & Dianam, Herculem, Mercurium atque Neptunum, tribus quam amplissimis tum apparari poterat, stratis lectis placauere, priuatim quoq; id sacrum celebratum est tota vrbe patentibus ianuis, promiscuoque usu rerum omnium in propatulo posito, notos ignotosque passim aduenas in hospitium ductos ferunt, & cum inimicis quoque benigne ac comiter sermones habitos, iurgijs ac litibus temperatum, uinctis quoque dempta in eos dies vincula, religioni deinde fuisse, quibus eam opem dii tulissent, vinciri

Annus CCCLVI

IN hunc annum tribuni militum patricii omnes creati sunt, vt Liuius scribit, L. Valerius Potitus V. M. Valerius Maximus, M. Furius Camillus II. L. Furius Medullinus II. Q. Seruilius Fidenas II. Q. Sulpicius Camerinus II. nec dissendit Diodorus, quam uis duo nomina deprauata referat. Camilli II. Tribuni militum meminit etiam Plutarchus in eius vita: Medullini III. lapis Capitolinus. M. Valerium eius M. Valerii filium esse existimaui qui Consul fuit anno CCXCIIX. ceteri ex prioribus tribunatibus descripti sunt

Annus CCCLVII

TRIBVNI militum consulari potestate hoc anno referuntur à Liuio, L. Iulius Iulus, L. Furius Medullinus IIII. L. Sergius Fidenas, A. Postumius Regillensis, P. Cornelius Maluginensis, A. Manlius. Diodorus quamuis in duobus mendosus sit, in reliquis conuenit. L. Iulius & P. Cornelius II. scripti quia semel, A. Manlius III. quia bis antea fuerunt. A. Postumio Albini alterum gentilitium cognomen adiunxi, L. Sergium eius filium esse reor, qui Fidenas primus appellatus est, & Consul fuit anno CCCXVII. Hos autem uitio creatos, & propterea abdicasse scribit Liuius

Annus CCCLVIII

P. Licinius P. F. L. Titinius, P. Maenius, P. Maelius, Cn. Genucius, L. Atilius trib. mil. deinceps eduntur a Liuio. Ita enim ex vetustissimis codicibus a Sigonio recte emendatum. Diodorus autem prodit L. Titinium, P. Licinium, P. Maelium, Q. Maenium, Cn. Genucium, L. Atilium. Hi omnes vt ait Liuius praeter P. Licinium P. F. paulo ante tribunatum gesserunt, qui Genucium etiam in proelio cecidisse aduersus Faliscos scribit; idcirco omnibus notam II addidi, omnesque de plebe fuisse scripsi

De

De M.Furio Camillo Dictatore

QVVM Genucius Titiniusque tribuni milit. male aduersus Faliscos, & Capenates pugnassent, & ille in proelio cecidisset; idque Romae nuntiatum fuisset, M.Furius Camillus Dictator dictus Magistrum eq.P.Cornelium Scipionem creauit. Is Faliscis & Capenatibus fusis ac castris exutis Veios profectus, vrbem ipsam cuniculo in arcem hostium acto, decimo eius belli anno cepit, ac maxima praeda potitus cum Iunonis reginae signo in vrbem triumphans reuersus est, quod in Auentino structo templo locauit. Diodorus, Liuius, Val. Maximus lib.IIII.cap.I.Plutarchus, Eutropius, Orosius, Gellius, lib.XVII. cap.XXI. & qui illustrium virorum vitas scripsit

Annus CCCLIX

POST captos Veios annus tribunos militum cons.pot.habuit P.Cornelios Cossum & Scipionem, M.Valerium Maximum II.K.Fabium Ambustum III.L.Furium Medullioum V. & Q.Seruilium III. Diodorus P.& Ser.Cornelios Cossos vocat, in reliquis exceptis cognominibus (quae silet) conuenit. Hi ex prioribus tribunatibus descripti sunt

Annus CCCLX

LIVIVS hoc anno trib.mil.memorat M. Furium Camillum, L. Furium Medullinum VI. C. Aimilium, L. Valerium Poplicolam, Sp.Postumium, P.Cornelium II. Diodorus M.Furium, C.Aimilium, & alterum mendosum edit. Camillus hic est III. L.Valerium filium esse credo L.Valerii L.F.P.N.Potiti tribuni militum quinquies, qui altero anno post Consul creatus Potitus à Liuio appellatur, ita ut duo cognomina gentilicia tulerit, frater eius qui postea sexies tribunus militum & ipse erit. P. vero Cornelium, non Cossum, sed Scipionem esse existimaui, quod idem aote mag.eq.Camillo fuerit. Reliquis familiaria cogoomina adiunxi

Annus CCCLXI

LIVIVS post XV. Annum (inquit) creati Consules sunt L. Lucretius Flauus, Ser. Sulpicius Camerinus. Diodorus & Cassiodorus cognomina practereunt. Hunc Ser.Sulpicium Q. Cornuti II.trib.mil. fratrem existimaui

Annus CCCLXII

L. Valerius Potitus, M. Manlius cui postea Capitolino cognomen fuir Consules hoc anno referuntur à Liuio. Dionysius libro primo horum consulum meminit, & L.Valerium Potitum T.Manlium Capitolinum nominat. Cassiodorus L.Valerium M. Manlium; Diodorus. L. Valerium A.Manlium. Quum ego animaduerterim ante in gente Manlia Capitolini cognomen esse, huoc auctorem huius appellationis, nota scribendi formula non feci, quamquam à Liuio dicatur eum id cognomen à conseruato Capitolio postea adeptum fuisse. Hunc annum Dionysius vocat CXIX. ab exactis regibus. Huius M.Manlij meminit Plinius libro VI.cap. XXVIII

De Censoribus, & Lustro XVII

C.Iulius Censor (inquit Liuius) decessit, in eius locum M.Cornelius suffectus; quae res postea religioni fuit, quia eo lustro Roma est capta, nec deinde unquam in demortui locum Censor sufficitur. Et Anno CCCCXLIIII. Ita ait: Vrbs eo lustro capta est, quo mortuo C.Iulio Censore L.Papirius Cursor, ne abiret magistratu M.Cornelium Maluginensem collegam subrogauit. Hoc confirmat Dionysius qui libro primo, duobus annis ante vrbem à Gallis captam L.Valerio Potito T.Manlio Capitolino Cos.lustrum conditum à Censoribus scripsit anno post Reges exactos CXIX.Plinius libro XXXIII.cap.I.de hoc lustro loquens ait: quum iam CLIICIↃ DXXCIII. capitum liberorum censa essent. Et Plutarchus; qui in Camillo Censorem mense Iulio decessisse post Camilli exilium tradit. Nisi mendũ sit, atq; ex Iulio Censore meosis factus

Annus CCCLXIII

QVVM Consules morbo tenerentur placuit per interregnum renouari auspicia. Itaq; quum ex S.C. Consules abdicassent, ab interrege sex tribuni mil. cons. pot. creati sunt; qui Kal. Quinctilibus magistratum occepere. L. Lucretius, Ser. Sulpicius, M. Aimilius, L. Furius Medullinus VII. Agrippa Furius, C. Aimilius II. ita Liuius. Diodorus quattuor tantum edit L. Lucretium, Ser. Sulpicium, C. Aimilium, L. Furium. Ex his L. Lucretium P. Lucretij Hosti F. Tricipitini II. trib. mil. Agrippam vero Furium Agrippae anno CCCVIII. Consulis, filios esse credidi. Ser. autem Sulpicium, eum qui in tabula Capitolina Praetextatus, quaterque trib. militum editur. Primum enim eius tribunatum in quem locum conijcerem praeterea non habui. Anno enim CCCLXXXV. & CCCLXXXVI. in Capitolino fragmento erit III.& IIII. quod fieri non potest nisi hoc loco primum creatum fuisse dicamus, quum ceteri anni pleni sint. Hunc Sulpicium Rufum Zonarus appellat, quod ei etiam cognomen addidi. Reliquis gentilitia cognomina restituta sunt

De Anno CCCLXIIII; & Bello Gallico Senonico.

Q. Fabius M. F. Ambustus cum duobus fratribus, Q. Sulpicius Longus, Q. Seruilius IIII.

Ser.

Ser. Cornelius Maluginensis trib. mil. cons. pot. referuntur a Liuio. At Diodorus Q. K. & C. Fabios, & reliquos tres enumerat. Q. Sulpicij trib. militum Plutarchus in Camillo, Gellius ex Verrio Flacco lib. V. cap. XVII. & Macrobius primo Saturnalium libro meminerunt. Ser. Cornelium M.F. ideo dixi quod inferius extat mag. eq. ita notatus in tabulis capitolinis Ser. Cornelius M.N. Maluginensis, quem huius filium esse suspicatus sum. Hi Fabij sunt, qui priore anno legati ad Gallos Senones Clusium obsidentes de pace componenda missi, quum in acie Clusina aduersus eos stetissent, bellum eorum in se conuerterunt. Nam Galli irati Romanis, hoc anno exercitum relicto Clusio Romam adduxerunt; Romanoq; exercitu qui eis occurrerat ad Aliam fuso, fugatoque vrbem ingressi, eam incenderunt, ciuibus quotquot aderant necatis Florus lib. I. cap. XIII. bellum Gallicum, Gellius lib. XVII. cap. XXI. bellum Senonicũ vocant.

De Dictatore M. Furio Camillo II

Romano exercitu à Gallis caeso, antequam vrbem inuaderent, pars ciuitatis robustior, in Capitolinam arcem, quam munierant se receperunt, quae septem deinceps mensibus à Gallis obsessa est. Interea lege Curiata M. Furius Camillus qui Ardeae exulabat reuocatus, absens dictator dictus est. Is L. Valerium Mag. equitum sibi cooptauit. Liuius, Plutarchus, Diodorus latissime, breuius Eutropius, Orosius lib. II. cap. XIX. & alij. Ego autem hunc L. Valerium eum esse existimo, qui Consul & trib. mil. ante fuit Poplicola Potitus appellatus. Camillus igitur dictator absens dictus cõtracto ex ijs qui cladi superfuerãt exercitu, Gallos adortus Roma expulit, eosq; ad octauũ usq; lapidem Gabina via persequutus occidione occidit, deq; iis triumphans in vrbem reuersus est, Romulus à militibus, & parens patriae alterq; vrbis cõditor vocatus. Haec iidem scriptores referunt. Praeterea Iustinus, Eusebius, & Bedas, Polybius lib. I. Strabo, Polyaenus lib. VIII. Florus. Qui de uiris illustribus scripsit. Plutarchus autem: Certum (inquit) annum urbis captae inuenire difficile est, captam tamẽ esse post annos amplius CCLX, quam condita sit. Cicero primo de Diuinatione sexennio post Veios captos Roma à Gallis capta. Idem Tuscul. I. post CCCL fere annum bellum ciuile exortum scribit. Plinius libro XXXIII. cap. primo cum Varrone conuenit, uterque enim eam captam anno CCCLXIIII. scribunt. Liuius anno CCCLXV. Verrius Flaccus in tabulis Capitolinis. Gellius lib. xv. annalium, & Cassius Hemina historiarum libro II. CCCLXIII. Dionysius libro primo post reges exactos anno CXX. expleto. Quod autem scribitur à Liuio Romanos non passos Camillum Dictatura abdicare nisi anno circumacto, id de hoc anno, non sequenti intelligendum puto, cuius adhuc post Gallos exactos superarant menses plus minus quinque. Nam tribuni militum Fabii & collegae K. Quinctilibus inieret (ita enim tertio ab hinc anno fieri institutum fuerat) paulo post Idus Quinctiles Romani ad Aliam superati sunt, vt ait Plutarchus. Liuius quoque & Cornelius Tacitus diem illum XV. Cal. Sextilis vocant. Septem deinde menses Galli Capitolium obsederunt. Si quidem Plutarchus ait Gallos circa Idus quinctiles vel XVI. K. Aug. Romam ingressos, Idibus vero Februariis a Camillo expulsos esse, quo tempore triumphauit Camillus. Neq; post triumphum dictatura abiit senatu obsecrante, ne Remp. incerto statu relinqueret. Qui interea sacra restituit, vrbem reparauit, & ne cupidus populus Veios transmigraret effecit. Et subiicit Liuius: Neque eum abdicare se dictatura passi sunt nisi anno circumacto. In eandem sententiam loquitur Plutarchus. Si igitur Camillus circa idus Februarii Gallos eiecit, nec nisi anno circumacto abdicauit, ergo usque ad proximas Kal. Quinctiles dictaturam continuauit. Nam si eum etiam sequentem annum continuasse dicemus, ratio annorum Capitolinorum, nec Varronis, nec ipsiusmet Liuij constabit, quae addito hoc anno; cum altero qui in tabulis Capitolinis duorum Dictatorum paulo ante Consulem plebeium additur, à Liuio vero expresse non ponitur ad numerum sequentium tabularum non respondebunt. Est igitur hic annus omittendus, vt alter in tabulis Capitolinis aperte additus, interseri posit, qui autem ille sit, XXII. anno post demonstrabo. De M. Furio Camillo Dictatore Gellius libro XVII. cap. II. & XXI.

Annus CCCLXV

Anno post vrbem captam apud Liuium tribuni Militum creati sunt L. Valerius Poplicola II. L. Virginius, P. Cornelius, A. Manlius, L. Aimilius, L. Postumius. Apud Diodorum P. Cornelius, L. Virginius, Valerius, A. Manlius, L. Postumius. Macrobius horum tribunorum primo Saturnalium his verbis meminit. Anno ab vrbe condita CCCLXIII. à tribunis militum Virginio, Manlio, Coelio, Postumio, collegisque eorum tractatum in senatu, quid esset, quod toties inter paucos annos male affecta esset Reip. Vbi mendose pro Cornelio Coelium esse existimo, ex Liuio & Diodoro. A. Manlius descriptus est ex fratris P. Manlij nomenclatura, quae in tabulis extat Capitolinis. L. Aimilius is est qui Consul creatus est cum primo Consule plebeio Aimilij Priuernatis pater, qui L. F. L. N. dicitur: reliquis familiarum cognomina adiunxi

De

De M. Furio Camillo Dictatore. III

QVVM Volsci veteres hostes ad extinguendum Romanum nomen arma sumpsissent; Etruriae autem principes de bello coniurassent, Latini Hernicique defecissent, placuit eiusdem auspiciis defendi remp. cuius recuperata esset, Dictatoremque dici M. Furium Camillum. Is dictator C. Seruilium Ahalam mag. eq. dixit: Haec Liuius. Cuius etiam Dictatoris in Camilli vita Plutarchus, Eutropius, & Orosius meminerunt. Hunc Mag. equitum C. Seruilij Ahalae filium puto, qui ter tribunus militum fuit, de quo loqui existimo Plinium libro VI. cap. XXVIII

Annus CCCLXVI

LIVIVS hoc anno T. Quinctium Cincinnatum, Q. Seruilium Fidenatem V. L. Iulium Iulum, L. Aquillium Coruum, L. Lucretium Tricipitinum, Ser. Sulpicium Rufum tribunos militum cons. pot. edit: nec Diodorus dissentit. L. Lucretium esse existimo, qui semel antea tribunus militum, & postea IIII. erit

Annus CCCLXVII

L. Papirius, C. Sergius, L. Aimilius II. L. Menenius, L. Valerius Poplicola III. hoc anno trib. mil. cons. pot. referuntur à Liuio. At Diodorus L. Papirium, C. Cornelium, L. Menenium, C. Seruilium, A. Valerium, & Q. Fabium edit. Deest autem apud Liuium sexti tribuni nomen, quem ex Diodoro adposui C. Cornelium, qui pro Sergio Seruilium habet, & Aimilium pro Fabio. L. Papirium Cursorem esse arbitror qui priore lustro Censor fuit. Reliquis gentilitia cognomina adiunxi. Hoc anno antiquis à Ser. Tullio Rege, & Consulibus Anno CCLIX. tribubus factis, id est Suburanae, Esquilinae, Collinae, & Palatinae vrbanis, rusticisque Romiliae, Pupiniae, Lemoniae, Clustuminae, Veientinae, Ocriculanae, Aimiliae, Corneliae, Fabiae, Papiriae, Sergiae, Veturiae, Claudiae, Galeriae, Mentinae, Polliae, & Voltiniae, ex nouis ciuibus Etruscis quattuor tribus additae Stellatina, Tromentina, Sabatina, & Arnensis, quae XXV. numerum expleuere. Nam decem & nouem à Ser. Tullio factis Cos. Ap. Claudius & P. Seruilius anno vrbis CCLIX. duas alias addiderunt, inter quas altera fuit Ocriculana, de altera parum constat, atque ut ait Liuius ad XXI. numerum factae, Quae autem tribus à sequentibus Censoribus additae fuerint, suis locis exponam

De Censoribus, & lustro XVIII

DVABVS potissimum certissimis firmissimisque coniecturis persuasus, Censores hoc anno fuisse, lustrumque XVIII. condidisse existimo. Harum prima est quinquennij ratio quod inter prius lustrum & hoc intercedit. Altera quae primam confirmat est quattuor tribuum adiectio, quas hoc anno additas fuisse scribit Liuius propter nouos ciues additos. Ego enim accuratae obseruaui omnes quae deinceps additae fuerunt tribus, fuerunt autem decem, eas non nisi à Censoribus vel lustri tempore additas. Et recte, nam si propter nouos ciues tribus sunt additae, ut scilicet in eis censerentur, census autem à Censoribus tantum per haec tempora fieret, conueniens quoque est vt à Censoribus lustri tempore adderentur. Porro si hoc anno quattuor nouas tribus factas fuisse ex Liuio constat, profecto non nisi à Censoribus factae sunt; quare reliquum est, ut hoc anno Censores fuisse dicamus qui lustrum XVIII. condiderint, & tribus ipsas adiecerint. Postumius enim & Camillus, vt est in tabulis Capitolinis, lustrum XVI. condiderunt, superiores XVII. hi XVIII. Sequentes XIX. XX. autem post primum Consulem plebeium in tab. Capitolinis notatum est. Hac igitur ratione & si censorum nomina obscura sint, lustri tamen huius certa sedes est

Annus CCCLXIIX

RES ad Camillum trib. mil. cons. potestate rediit. Collegae additi quinque Ser. Cornelius Maluginensis, Q. Seruilius Fidenas VI. L. Quinctius Cincinnatus, L. Horatius Puluillus, P. Valerius: haec Liuius. Diodorus vero quattuor creatos scribit. M. Cornelium, Q. Seruilium, M. Furium, L. Quinctium. Ser. Cornelium (ut dixi) patrem esse existimo Ser. Cornelij :::: M. N. Maluginensis magistri eq. anno CCCXCII. & II. adiunxi quum semel antea fuerit, P. Valerio in alijs magistratibus addidit Liuius cognomina Potiti & Poplicolae, atque ita appellatur in lapide Capitolino, quem fratrem esse dixi L. Valerij Poplicolae Potiti, consularis & iam ter tribuni militum. De Q. Seruilio Fidenate VI. tribuno sic est apud Liuium in oratione Camilli; pro certo habeo te ita rem gesturum, ut patre, auo, teque ipso, ac sex tribunatibus dignum est

Annus CCCLXIX

LIVIVS hoc anno tribunos militum profitetur A. Manlium, P. Cornelium, T. & L. Quinctios Capitolinos, L. Papirium Cursorem II. Diodorus maneus, quattuor tantum prodit L. Papirium, Q. :::: T. & L. Quinctios. Ex his A. Manlius, quum primum trib. mil. fuerit Anno CCCLXV. deinde anno CCCLXXI. III. profecto hunc est iterum: Hoc anno excidisse apud Liuium uidetur nomen sexti tribuni C. Sergij, II. qui anno CCCLXVII. fuit primum, & anno

CCC

& Anno CCCLXXIII.erit III.& quo anno fuerit II. non conſtat, niſi hoc anno tradamus ,atq; eum apud Liuium librariorum culpa praeteritum dicamus

De A.Cornelio Coſſo Dictatore

BELLVM Volſcum graue per ſe oneratum Latinorum & Hernicorum defectione,in ſpeciem cauſſae iactatum , ut maior poteſtas quaereretur , ſed noua conſilia,& gliſcens M. Manlij ſeditio magis compulere ſenatum ad Dictatorem creandum. Creatus A.Cornelius Coſſus,magiſtrum eq. T.Quinctium Capitolinum dixit: ex Liuio. Plutarchus autem in Camillo T. Quinctium Dictatorem creatum ſcribit, non A.Cornelium, qui quum M.Manlium ſeditionis auctorem in carcerem coniecißet,minante plebe carcerem ſe effracturã,Manlius ex S.C.vinculis liberatus eſt

Annus CCCLXX

SER. Cornelius Maluginenſis III. P.Valerius Potitus II. M. Furius Camillus V. Ser. Sulpicius Rufus II. C.Papirius Craſſus,& T.Quinctius Cincinnatus trib.militum cons.poteſtate à Liuio memorantur. Diodorus tantum (ut eius conſuetudo eſt) quattuor edit Ser.Sulpicium, L. Papirium , M.Cornelium , T.Quinctium. Hoc anno M.Manlius crimine affectati regni damnatus e ſaxo deiectus eſt: Liuius, Plutarchus , & Valerius. Per haec tempora lectiſternium iterum factum fuiſſe exiſtimaui , quae inteſtinis ſeditionibus , peſtilentia , fame , & bello , quam maxime laborarunt, nam peſtilentiae cauſſa id ſacrum inſtitutum fuiſſe paulo ante vidimus, illudq; eiuſdem rei ego tertio factum fuiſſe paulo poſt cos.plebeium docet Liuius, quare quum hic annus eo morbo , addita M.Manlij ſeditione valde laborauerit , vero ſimile eſt iterum lectiſterniũ factum fuiſſe, quamuis nihil de eo quod ſciam tradat Liuius

Annus CCCLXXI

LIVIVS hoc anno tribunos militum conſulari poteſtate creatos fuiſſe ſcribit L.Valerium IIII. A.Manlium III. Ser.Sulpicium III. L.Lucretium, L.Aimilium III. M.Trebonium. Diodorus quattuor edit L.Valerium, Criſpum (quod Trebonij cognomen eſt) A.Manliũ,Ser.Sulpicium, Ex his L.Lucretius is eſt, qui iterum ante tribunus militum fuit. Criſpus autem ab alijs Flauus dicitur. Reliqua nota ex prioribus tribunatibus

Annus CCCLXXII

CREATI in hunc annum Trib.mil.cons.poteſtate auctore Liuio Sp.& L.Papirij,Ser.Cornelius Maluginenſis IIII. Q. Seruilius , C.Sulpicius , L. Aimilius IIII. Diodorus quattuor ſcribit Q.Seruilium , Sp.Papirium , Cornelium , & mendoſe Fabium Album. Ex his Sp.Papirium patrem eſſe arbitror L.Papirij Sp.F.C.N.Craſsi tribuni mil.anno CCCXXCV.quare & L.Papirio Craſsi cognomen addidi. Q.uero Seruilium filium eſſe haud dubie credo Q. Seruilij ſexies ante trib.militum.C.vero Sulpicium Peticum eſſe reor , qui Cenſor poſtea & quinquies Cõſul fuit

Annus CCCLXXIII

M. FVRIVS Camillus VI. hoc anno tribunus militum fuit, collegae additi A. & L. Poſtumij Regillenſes, ac L.Furius cum L.Lucretio, & M. Fabio Ambuſto: ita Liuius. Diodorus M. & L. Furios , A.Poſtumium , L. Lucretium , M Fabium , & L. Poſtumium nominat. Plutarchus quoque hoc anno tribunum militum Camillum VI. uocat. Duobus Poſtumijs Albini familiaria cognomina etiam adiunxi. L.Lucretium eſſe reor qui ter ante trib mil.fuit. L.Furium , eum eſſe credo qui luſtro XX. Cenſor fuit in tabulis Capitolinis; eius Sp. Furij filius, qui tribunus militum fuerat anno CCCLIIII. Iuuenis enim hoc anno à Liuio & Plutarcho dicitur. M.autem Fabius ex ſecundo ſuo tribunatu Capitolino formatus eſt

Annus CCCLXXIIII

L. ET P.Valerij V. & III.C.Sergius III. L.Menenius II.Sp.Papirius,Ser.Cornelius Maluginenſis tribuni militum hoc anno à Liuio memorantur; à Diodoro uero octo deſcripti ſunt. L.& P. Valerij, C.Terentius , L.Menenius , C.Sulpicius , T.Papirius , L.Aimilius , M.Fabius. Ex his Sp. Papirium L.Papirij Sp.F.L.N.Curſoris quinquies cos. patrem eſſe arbitror. Ser. vero Cornelium V. eſſe ſcribendum VI.& VII. tribunatus eius oſtendent

De T.Quinctio Cincinnato Dictatore

Hoc anno quum Praeneſtini ad portam Collinam ſigna intuliſſent, eius rei cauſſa dictatorem dici placuit. Is T.Quinctius Cincinnatus fuit, qui Magiſtrum eq. A. Sempronium Atratinum dixit: Ex Liuio. A quo Praeneſtini victi,& Praeneſte captum eſt. Huius dictatoris & victoriae, praeter Liuium , Euſebius , Eutropius , & Oroſius meminerunt

De Cenſoribus

CENSORIBVS quoque (inquit Liuius)eguit annus, maxime propter incertam famam aeris alieni; creati Cenſores C.Sulpicius Camerinus, Sp.Poſtumius Regillenſis. Coeptaque iam res morte Poſtumii,quia conlegam ſuffici Cenſori religio erat,interpellata eſt.Igitur cum Sulpicius abdicaſſet ſe magiſtratu , Cenſores alii vitio creati non geſſerunt magiſtratum, tertios creare ve-

T lut

lut dijs non accipientibus in eum annum censuram, religiosum fuit. L. Postumium esse existimo, qui paulo ante tribunus militum fuit. Secundorum censorum nomina, nec Liuius, nec alij quod sciam tradiderunt

Annus CCCLXXV

COMITIA inde habita tribunorum militum consulari potestate, quibus aequatus patriciorum plebeiorumque numerus. Ex patribus creati P. & C. Manlij cum L. Iulio; plebs C. Sextilium, M. Albinium, & L. Antistium dedit: ita Liuius. Diodorus vero octo enumerat iisque addidit C. Herenucium, & P. Trebonium; Sextilium quoque Sextium nominat. In his P. Manlius ex secundo suo Capitolino tribunatu descriptus est, ceteris duobus gentis cognomina indidi

Annus CCCLXXVI

Sp. Furius, Q. Seruilius, L. Menenius III. P. Cloelius, M. Horatius, L. Geganius tribuni militum cons. pot. referuntur hoc anno à Liuio. A Diodoro uero hi tantum quattuor Q. Seruilius, L. Furius, C. Licinius, P. Cloelius. Est autem legendum apud Liuium pro L. Menenio III. C. Licinius, ut in scholiis Liuianis recte demonstrauit Sigonius. Sp. Furius frater (ut credo fuit) L. Furij trib. mil. anno CCCLXXIII. Q. Seruilius II. est nam primum quadriennio ante fuit. Reliquis familiarum notissima cognomina indidi

De Censoribus, & lustro XIX

AERIS alieni noscendi gratia Sp. Seruilius Priscus, & Q. Cloelius Siculus Censores facti, ne rem agerent bello impediti sunt: Ita Liuius, Qui etsi lustri mentionem non faciat, factum tamen puto, tum quia quando factum sit aliud tempus non extat nisi hoc anno factum dicamus, tum vt XX. lustro, quod non longe post in tabulis Capitolinis exaratum est, respondeat. Magna autem in his temporibus Liuij negligentia satis exagitata est

Annus CCCLXXVII

TRIBVNI militares omnes patricij à plebe principum opibus coacta facti L. Aimilius, P. Valerius IIII. C. Veturius, Ser. Sulpicius, L. & C. Quinctij Cincinnati. Quos omnes excepto C. Quinctio edit Diodorus, qui eum C. Cornelium vocat. Ex his L. Aimilius est, qui quater antea trib. mil. fuit. Ser. Sulpicius Praetextatus qui diu antea semel, nam III. & IIII. in tabulis Capitolinis est. L. Quinctius Cincinnatus qui antea semel, quare his duobus notam II. adiunxi. Veturio vero familiae cognomina adposui

Annus CCCLXXVIII. *& de Tribunis plebis sine curulibus magistratibus eo anno creatis, & in quattuor sequentes annos eadem ratione refectis*

HOC anno quartum mutata est Resp. Romana, Nam à tribunis militum consulari potestate, ad tribunos plebis Reip. summa delata est. Huius mutationis auctores C. Licinius Stolo, & L. Sextius tribuni plebis à Liuio traditi sunt. Qui quum anno superiore leges tres aduersus patriciorum opes pro plebis commodis promulgassent, vnam de aere alieno minuendo, alteram ne cui ciui plus quam quingenta agri iugera habere liceret; tertiam ne amplius tribunorum militum comitia fierent, sed Consulum; vtique alter ex consulibus è plebe creari liceret, neque eas ferre per collegarum intercessiones, quos de industria patres comparauerant, potuissent; tum irati, comitia praeter Aedilium, Tribunorumque plebis, nullos curules magistratus creari passi sunt. Eaque magistratuum solitudo, & plebe reficiente duos tribunos; & his perpetua & inuicta intercessione tribunorum militum comitia tollentibus, per quinquennium vrbem tenuit: ita Liuius. Hanc magistratuum solitudinem Diodorus Anarchiam appellat, eiusque primum tempus, in annum priorem reiicit. Sex. autem Rufus, Eutropius, Cassiodorus & Zonaras nō quinquennio, sed quadriennio rempublicam obtinuisse scribunt. Ego Liuium sequutus sum, cuius sententiam M. Varro & Verrius Flaccus quoque sequuti videntur. Hi tribuni ex eorum cōsulatibus Capitolinis descripti sunt. Plinius lib. XVI. cap. XLIIII. meminit anni CCCLXXIX. ab vrbe condita, qui fuit sine curulibus magistratibus, quo anno Romae Loton fuisse ait, in Lucinae area aede condita. In Fragmentis enim Capitolinis haec verba sunt

ACTVS. EST
T. DEDICAVIT

Quae quid significare velint, adhuc assequi non potui, neque enim Liuius aut alii quicquā tradiderunt, quo veritatem eruere possem. Aliquando enim diuinando ea, ad dedicationem signi Iouis Imperatoris Praeneste deuecti, & in Capitolio à T. Quinctio dedicati, pertinere existimaui, atque ita restitui

Signum Iouis Imperatoris, qui Praeneste Romam ACTVS EST
In Capitolio T. Quinctius Cincinnatus ImperaT. DEDICAVIT

Aliquando ea ad dedicationem Aedium Concordiae, vel Iunonis Monetae quae in Capitolio circa haec tempora dedicatae fuerunt atinere ratus, multa commentus sum, sed nunquam mihi ipsi satisfeci

Annus

Annus CCCXXCIII

IN hunc annum, Tribunis plebis C. Licinio, & L. Sextio intercesſionem remittentibus, comitiisq; ab interrege habitis tribuni militum auctore Liuio creati sunt L. Furius, A. Mâlius, Ser. Sulpicius, Ser. Cornelius, P. & C. Valerii. Hos Diodorus ita uocat L. Papirium, L. Menenium, Ser. Cornelium, Ser. Sulpicium. Et post hos iterum magistratuum solitudinem fuisse scribit, qua sublata deinceps creatos A. Manlium, L. Furium, Ser. Sulpicium, Ser. Cornelium. Est enim in eo tũ eius uitio, tum librariorum negligentia annuorum magistratuum perturbatio. L. Furius antea semel tribunus mil. fuit, ideo hic II. addidi. A. Manlius frater est P. Manlii paulo post Dictatoris, & II tribuni militum, qui ter antea fuit, nunc est IIII. C. Valerio Potiti Volusi notā cognomina adiunxi. Ex tabulis autem Capitolinis cognoscimus P. Valerium Potitum Poplicolam V. Ser. Sulpicium Prætextatum III. & Ser. Cornelium Maluginensem VI. esse scribendum.

Annus CCCXXCIIII

ET hic annus auctore Liuio Tribunos mil. consulari potestate habuit Q. Seruilium, C. Veturium II. A. & M. Cornelios, Q. Quintium, & M. Fabium. Diodorus uero Q. Seruilium, C. Vesurium, A. Cornelium, M. Cornelium, & M. Fabium edit. Ex his Q. Seruilius bis ante tribunus mil. fuit, C. Veturius semel. A. Cornelio Cosſi, Marco uero Maluginensis cognomina dat Fragmentum Capitolinum. M. Cornelium fratrem esse reor Ser. Cornelii VII. tribuni militum. Q. Quinctio gentilitia cognomina addidi. M. Fabius integer ex tabula Capitolina est descriptus. Is est qui filias duas in matrimonium collocauerat unam C. Licinio Stoloni, alteram Ser. Sulpicio Praetextato, ut tradit Liuius

Annus CCCXXCV

LIVIVS hoc anno tribunos militum prodit L. Quinctiũ, Ser. Cornelium, Ser. Sulpicium, Sp. Seruilium, L. Papirium, L. Veturium. Tres tantum refert Diodorus T. Quinctium, Ser Cornelium, Ser. Sulpicium. Hi omnes quibus cognominibus ac multiplicati honoris nota signandi sint docent tabulae capitolinae, ex quibus omnes descripti sunt

Annus CCCXCVI. *In quo sine curulibus magistratibus duo Dictatores fuerunt*

Principio statim anni ad ultimam dimicationem de legibus a Licinio & Sextio promulgatis uentum est, & quũ tribus uocarentur, nec intercesſio collegarum latoribus obstaret, trepidi patres ad duo ultima auxilia summum imperium, summumq; ciuem decurrunt. Dictatorem dici placet; Dicitur M. Furius Camillus, qui magistrum equitum. L. Aimilium cooptat: Haec Liuius. Quem etiam Dictatura abdicasse, paulo post idem refert quũ ait: Quum plebis duces acrius contra Camillum de legibus ferendis agerent, tum percitus ira Camillus lictores qui de medio plebem emouerent, misit; & addidit minas si pergerent, sacramento omnes iuniores adacturum, exercitum extemplo ex urbe deducturum. Sed re neutro inclinata magistratu se abdicauit, seu quia uitio creatus erat, ut tradidere quidam; seu quia tribuni plebis sulerunt ad plebem, idq; plebs sciuit, ut si M. Furius pro dictatore quid egisset, quingentum millium aeris ei mulcta esset; sed auspiciis magis quam noui exempli rogatione deterritum, ut potius credam, quum ipsius uiri facit ingenium, tum quod ei suffectus extemplo est P. Manlius Dictator, quem quid creari adtinebat ad id certamen quo M. Furius uictus esset? & quod M. Furium Dictatorem insequens annus habuit haud sine pudore fractum certe priore anno imperium repetiturũ, simulq; quod eo tempore quod promulgatum de eius mulcta traditur, aut & huic rogationi qua se in ordinem cogi uidebat, obsistere potuit, aut ne illas quidem, propter quas haec lata erat impedire, & quod usque ad memoriam nostram quoties tribuniciis, consularibusq; certatum uiribus est dictaturae semper altius fastigium fuit. &c. Plutarchus autem causam quam Liuius refutare conatur affirmat, quae eadem caussa incisa fuisse uidetur in tabulis capitolinis, ut interpretatus sum OB. EDICTVM. IN. MILITES. EX. S. C. ABDICARVNT. IN. EORVM. LOCVM. FACTI SVNT. &c. Verba Plutarchi sunt haec: Quum Licinius Stolo Tribun. plebis seditionem excitaret, lege promulgata, ut ex duobus consulibus alter ex plebe fieret, isque una cum collegis comitia consularia haberi prohiberet, Respub. autem sine magistratibus esset, Camillus plebe inuicta dictator quartum a Senatu creatus. Qui quum diem perfensisset, quo de lege agendum ad populum esset, delectum se habiturum esse professus, ex foro populum in campum euocauit, in eos se, qui dicto audientes non fuissent, animaduersurum minatus. Quum autem tribuni repugnarent, ac quinque eum argenti myriadibus mulctaturum esse iurarent, nisi edictum & legem in plebem antiquaret, Camillus siue quod exilium, & damnationem secundam senex timeret, siue quod plebem superaturum se esse diffideret domum se contulit, ac simulata ualetudine Dictatura abdicauit. Magister autem equitum L. Aimilius Mamercinus uocatur in Fastis Capitolinis, quem puto eum esse, qui quinquies ante tribunus militum fuit

De P. Manlio Capitolino Dictatore

In locum Camilli abdicantis dictatorem alterum suffectum fuisse Liuius & Plutarchus scribunt. Liuius P.Manlium nominat, Plutarchus nomen tacet. Magistrum vero equitum C.Licinium fuisse uterque scribit; verum non eundem uterque intelligit. Liuius enim eum esse dicit qui tribunus militum consulari potestate fuerat, & recte, Plutarchus seditionis, nouarumque legum auctorem, & male; nam seditionis dux, hoc anno nonum tribunus plebis refectus, eodem tempore tribunus plebis, & magister equitum esse non poterat. Qua re ego eum filium esse existimaui P. Licinij Calui tribuni militum. Nepotem vero eius P. Licinij qui primus e plebe trib. militaris fuerit, quum hic alter trib. plebis in tabulis Capitolinis C.F. P.N. dicatur, ut huius patruelis frater sit, ambo nepotes primi tribuni militum è plebe P.Calui. Quos ut distingueret Liuius ita locutus est: P.Manlius dictator rem in caussam plebis inclinauit magistro equitum de plebe dicto. Id aegre passos patres accipio. Dictatorem propinqua cognatione Licinij se apud patres excusare solitum, simul negantem magistri equitum maius, quam tribuni consularis imperium esse. Haec vbi dixit, tum deinde de C.Licinio plebis tribuno addit: Licinius Sextius, ita se gerere, vt negando iam sibi velle continuari honorem acerrime accenderent ad id quod dissimulando petebant, plebem. Vterque autem Licinius ab aliis scriptoribus Stolo, à Verrio Flacco Caluus vocatur. Itaque Liuius in anno CCCCLV. ait: C.Licinius Stolo primus mag. equitum de plebe factus est. Is autem Dictator is est, qui anno sequenti iterum tribunus militum in tabulis Capitolinis descriptus est. Ceterum hos duos Dictatores integrum hunc annum explesse, multis rationibus probatur, atque ea praecipua est, quod in tabulis Capitolinis à Verrio Flacco duabus uirgulis à superioribus & inferioribus tribunis militum separati sunt, atque non paulo interius ut Dictatores exarari consueuerunt, sed extremo margine cum tribunis militum notati, ut clare cognoui quũ ego marmora ipsa paulo accuratius intuerer, litterarumque spatia omnia metirer; hoc autem agere non solet nisi in his magistratibus qui praecipui annuo imperio Remp. gubernarunt, vt clarius ostendam, quum inferius de tribus dictatoribus annuis sine consulibus verba faciam. Deinde hic annus adijci necesse fuit, ut ratio Fastorum eorundem Capitolinorum constaret, qui omisso hoc anno ad numerum sequentium tabularum non respondebunt. Liuius quoque hunc annum requirit, qui L. Genucio Q. Seruilio Cos. Camillum mortuum esse ait, anno XXV. post Romam captam, qui numerus non constaret nisi hunc duarum Dictaturarum annum interfererem. Accedit, quod hoc ipso anno Liuius ita loquentes tribunos plebis refert: Nonum se annum iam velut in aciem aduersus optimates, maximo priuato periculo, nullo publico emolumento stare, consenuisse iam secum & rogationes promulgatas, & vim omnem tribuniciae potestatis. Nam nisi hunc annum à superiore distinxerimus, non nonus, sed octauus tantum initi inter patres plebemque certaminis erit. Sunt enim quinque anni trib. plebis sine curulibus magistratibus, & tres tribunorum militum, ita ut hic iam nonus sit, ut recte dixit Liuius. Postremo si annum secundae Camilli dictaturae non adiunxerimus, ut tota temporum ratio constet, hic omittendus nulla ratione est

Annus CCCXXCVII

Livivs hoc anno trib. mil. prodit A.& M.Cornelios iterũ, M.Geganium, P.Manlium, L.Veturiũ, P.Valeriũ VI. Quos praeterit Diodorus; oẽs praeterea descripti sunt ex tabulis Capitolinis

De M.Furio Camillo Dictatore V.

Fama repens Gallici Belli perpulit ciuitatem nt M.Furius Dictator V. diceretur. Is T.Quinctium Pennum Magistrum equitum dixit; ita Liuius. Et Plutarchus: Metu Gallici belli Camillum prope octogenarium V. dictatorem creatum fuisse scribit. Magistrum equitum, non Pennum, sed Cincinnatum Capitolinum appellatum fuisse docent tabulae Capitolinae. Ego eundem esse existimo cum eo qui trib. mil. fuit anno CCCXXCV. fratrem vero Q.Quinctij superioris anni tribuni militaris. Ab eo cum Gallis ad Albam prospere pugnatum fuisse tradunt Polybius, Liuius, Plutarchus, Polyaenus & Appianus. In his Polyenus & Plutarchus eum XIII. post vrbem captam anno, ad Albam cum Gallis dimicasse scribunt. Quum tamen XXIII. sit annus ex quo vrbs ipsa à Gallis capta fuerit, ideo pro XIII. XXIII. debere reponi existimo

Annus CCCXCVIII. *In quo Consules e plebe primum creari coepti*

Qvvm L.Sextius & C.Licinius tribuni plebis decimum refecti, acrius de legibus ferendis pugnarent, Dictatoris tandem & Senatus auctoritas ui tribunicia uicta est, ac omni aduersante nobilitate, ut comitia Consulum fierent, atque alter ex plebe Consul crearetur legibus latis obtinuerunt; Quibus L.Sextius primus de plebe Consul factus est. Quum autem patricij se huius rei auctores futuros omnino negarent, ac res ad secessionem plebis spectaret, per Dictatorem sedatae discordiae sunt. Concessusque à nobilitate plebi Consul plebeius. A plebe vero nobilitati praetor vnus, qui ius in vrbe diceret ex patribus creandus. Ijdem etiam Aediles curules

duos

duos ex patricijs vt fierent obtinuerunt. Plebs consulatum L.Sextio, cuius lege partus erat dedit, ei collega ex patribus datus L.Aimilius Mamercus: Haec Liuius, & Plutarchus, qui cum Casiodoro Consules prodit, ex patrieiis L.Aimilium, ex Plebe L.Sextium. Eos autem Diodorus L. Aimilium Mamercum, & L. Lateranum nominat. Lateranus enim & Sextinus sunt L.Sextii cognomina ut liquet ex tabulis Capitolinis, in quibus exaratus est eum collega cognomine Mamercino. Is qui de viris illustribus scripsit, non L.Sextium sed C.Licinium Stolonem primum de plebe Consulem edit. Fabius Pictor aqud Gellium libro V.cap.IIII. altero & vicesimo anno postquam vrbs à Gallis capta fuerat, primum è plebe Consulem creatum scripsit. Item libro XVII.cap.XXI. Hunc Mamercinum eundem esse puto, qui quinquies trib. mil. & magister equitum ante fuit

De Praetore primum creato, & reliquis Praetoribus

ANNVS hie (inquit Liuius) fuit insignis noui hominis consulatu, insignis nouis duobus magistratibus, praetura & euruli aedilitate. Hos sibi patricij quaesiuere honores pro concesso plebi altero consulatu; patres praeturam Sp.Furio M.F.Camillo, Aedilitatem Cn.Quinctio Capitolino & P.Cornelio Scipioni suarum gentium viris dederunt: Ita Liuius. Et Suidas in voce Praetor: Furium Camillum Camilli Dictatoris filium primum Praetorem fuisse scribit. Praetor autem ut scribit Varro dictus est, qui praeiret iure & exercitu, à quo Lucilius: Ergo praetorum est ante praeire. Liuius eum à praeessendo dictum innuit, quod praeesset. Ceterum superius ostensum est Consules ante praetores dictos fuisse. Qui quum ut (inquit Pomponius) auocarentur bellis finitimis, neque esset qui in ciuitate ius reddere posset magistratus ereatus est, Praetor vrbanus appellatus, quod in vrbe ius dieebat. Cui alterum ex Consulum nominibus inditum est. Quare praetores Consulum quoque collegae dicti, ijsdemque auspieijs ereabantur. Quod Liuius initio libri VII. docet quum ita scribit: Quum de industria omnia ne quid per plebeium Consulem ageretur, perferrentur, silentium omnium rerum ac iustitio simile otium fuit, nisi quod non patientibus tacitum tribunis quod pro uno Consule plebeio tres patricios magistratus, curulibus sellis praetextos tanquam Consules sedentes, nobilitas sibi sumpsisset; praetorem quidem etiam iura reddentem, & collegam consulum atque iisdem auspiciis creatum. Quare praetores centuriatis comitiis ereari solitos constat: quod ex M. Messalla apud Gellium libro XIII.cap.XIIII. & ex Cicerone in oratione pro lege Manilia confirmatur, vbi ait: Nam quum propter dilationem comitiorum ter praetor primus centuriatis comitiis renuntiatus sum. Penes Praetorem autem qui ius in vrbe diceret, omnis publici priuatique iuris erat potestas, ut & nouum ius condere & uetera abrogare faculras esset; idque ob magistratus honorem, ius honorarium appellatum est, quum tamen regia illi essent Insignia, ut apparatu consulibus pene par uideretur. Praetori sella curulis, toga praetexta, & sex lictores permissi. Vnde Polybius ac Plutarchus praeturam sex securium magistratum vocant. Porro quum praetorem nõ nisi è patribus primo creari mos esset; hie deinde honos plebi etiam communicatus est Anno vrbis CCCCXVII. & Q.Publilius Philo ut auctor est Liuius, Praetor Primus è plebe factus est, aduersante Sulpicio Cos. qui negabat rationem eius se habiturum, senatu quum in summis imperijs id non obtinuisset minus in praetura intendente. Postea non sufficiente eo praetore, quod multa turba etiam peregrinorum in eiuitatem ueniret, circa annum vrbis DX. creatus est & alius praetor iisdem auspiciis, qui peregrinus appellatus est, quod plerunque inter ciues & peregrinos ius reddebat, quum alter Praetor vrbanus dieeretur, vt prodit Florus in epitoma libri XIX. Porro eirca annum DXX. Sicilia atque Sardinia in prouinciarum formam redactis, praetores alij duo additi sunt, qui in eas prouincias quotannis mitterentur. Epitom. Libro XX. Solinus cap.XXI. & Pomponius. Victis postea duabus Hispanijs Praetores alii duo creati sunt qui in Hispanias mitterentur Anno DLVII. Hispanias autem ulteriorem & eiteriorem terminatas primi Praetores sortiti sunt M.Heluius & C.Sempronius Tuditanus, auctor Liuius, & Pomponius. Atque per multa tempora hoe obseruatum est, ne plures quam duo praetores vrbanus & peregrinus in vrbe manerent, reliqui quattuor in praeturae ipso magistratu in prouincias sortitas irent, atque in eis annum praeturae explerent. Donec postremo Sulla Dictator latis nouis questionibus publicis, veluti de falso, de parrieidio, de sicarijs de iniurijs, praetores ueteribus duo adiecit atque ad octo praetorum numerum auxit. (tot enim Ciceronis tempore erant, quod ex eius orationibus intelligitur) Eorum autem iurisdictionis forma paulo ante mutata fuerat, nam usque ad annum vrbis DCV. obseruatum est, ne plures quam duo Praetores vrbanus scilicet & peregrinus in urbe manerent, reliqui quattuor in praetura in prouinciam unusquisque quam sors obtulerat irent, in quibus annum praeturae explerent. Verum post constitutas quaestiones perpetuas (quod Cieero in Bruto ait factum fuisse L.Marcio Censorino, & M.Manilio Cos. anno (ut dixi) vrbis DCV.) praetorum iurisdictionis forma mutata. Nam om-

nes deinceps ſex Praetores toto magiſtratus ſui tempore in vrbe retenti. Et ex ijs duo more veteri ius dicebant, ideſt vrbanus & peregrinus, reliqni quattuor publica iudicia exercebant de quibus non videbatur extra ordinem quaerendum eſſe, ut repetundarum, ambitus, maieſtatis, & peculatus. Quae ut facilius intelligantur uniuerſa iudiciorum ratio eſt paulo altius repetenda. Praeter ea iudicia quae à triumuiris capitalibus in ſeruos, & reliquos extremae ſortis homines, & ab aedilibus de ratione annonae, de vrbis viarum, aedificiorumque curatione, & de rerum uenditionibus exercebantur, reliqua in vrbe iuriſdictio (nam militaris tantum ad imperatores pertinebat) erat ſere tota penes duos Praetores. Iudicia autem aut priuata erant aut publica, priuatis iudicijs duo Praetores praeerāt vrbanus & peregrinus. Publicis iudicijs ante conſtitutas quaeſtiones perpetuas, ſolebant hi praeeſſe quos populus creaſſet quaeſitores, vel ut Pomponius uocat quæſtores parricidij, qui creari ſolebant, quotiescunq; aliquod crimē publica animaduerſione dignum incidiſſet, aut is qui accuſatus erat ab aliquo magiſtratu ad populū prouocaſſet. Verū poſt coostitutas queſtiones perpetuas ea ſeruari coepta ſunt, quæ ſuperius de reliquis quattuor praetoribus dixi. Quaeſtiones autē perpetuae dicebantur iudicia quae de capitalibus criminibus, de quibus Praetores quaerebant fiebant, tum quod lege praeſcripta erat quaedàm forma iudicij de his crimioibus quaerendi, ut noua ſemper lege opus non eſſet, tum vero quod annuam prouinciam in his quaeſtionibus exercendis illi praetores peragerent, & non quemadmodum antea fieri ſolebat, quum ita caſus tuliſſet ut quaerendum uideretur, tum crearetur qui quaereret, ſtatimq; eo abſoluto iudicio poteſtatem de eadem re quaerendi amplius non haberet. Quod ſi tum quoque aliquid nouum accidiſſet, de quo extra ordinem quaerendum uideretur, alius quaeſitor uel quaeſtor parricidii à populo creandus eſſet. Hi vero omnes praetores finito annuae in vrbe praeturae ſpatio, prouiocias demum in ſequentem annum ſortiebantur, in quas pro praetoribus irent. Poſtremo L. Cornelius Sulla Dictator, aucto perpetuarū quaeſtionum numero, ut de falſo, de periurio, de ſicariis, de iniurijs, & quattuot tantū Praetores publicis iudicijs praeeſſent adiecit duos alios praetores, ut manifeſte ex Cicerone colligitur, vel quattuor ut ſcribit Pomponius, totidem enim nouas quaeſtiones perpetuas ueteribus adiunxit, atque ita coeperunt octo praetores, uel ut Pompnnius ait decem Romae eſſe, quorum duo vrbanus & peregrinus priuatis potiſsimum iudicijs, reliqni publicis quaeſtionibus praeerant. Praetores autem non de omnibus capitalibus iudicijs quaerebant, ſed tantum de maieſtate, de ui, de repetundis, de crimine inter ſicarios, de ambitu, de ueneficio, uel de falſo, & de peculatu ut Cicero ſcribit. De inceſtu vero, & perduellione populus quaerebat. Praetores autem, quae cuiusque futura eſſet quaeſtio ante ſortiebantur ut deinde ſingulis de criminibus ſinguli prout ſors tuliſſet cum cōſilio quaererent. Et ſi de crimine inter ſicarios, quum in iudicium quodque ita multi vocarentur, ut praetor unus minime ſufficeret, non unus ſed duo praetores cognoſcebant ut ex oratione pro Cluentio didiei. Idemque ob eandem cauſſam in alijs criminibus interdum eſſe factum conijcere licet. Nonnunquā etiam diem dicente aliquo tribuno plebis, qui cogendi ad iudicium populi ius haberet, non Praetor, ſed populus ipſe de maieſtate & aliis criminibus quorum quaeſtiones perpetuae erant, quaeſtionem exercebat. Ex his autem Praetoribus ſex de criminibus publicis haud dubie quaerebant, Praetor vrbanus, de nullo crimine publico iudicabat, itaque nec quaeſitor dicebatur; tantum ciuilibus controuerſiis ad eum delatis, ius dicebat, hoc eſt, iudices & iudicii formulam quam ſequerentur dabat, nec enim Praetor ipſe iudicare ſolitus erat; ſed cum iudices ab ipſo dati, de controuerſia cognouiſſent, ac iudicaſſent, exequebatur, ideo in omnibus ferme edictis Praetorum legitur: Iudicium dabo. Praetor autem peregrinus unus omnino de toto Praetorum collegio, & iuris dicendi & quaerendi poteſtatem habebat. Nam in reliqnis, cuius Praetoris erat iuriſdictio eius non erat quaeſtio publica, neque cuius quaeſtio publica eius iuriſdictio. Praetorem autem peregrinum & ius inter ciues & peregrinos dixiſſe, ſatis conſtat. Et quaeſiiſſe de repetundis ſociorum hoc eſt peregrinorum cauſſa Pedianus demonſtrat in commentario orationis aduerſus competitores. In eo autem quod Pomponius à Sulla quattuor Praetores additos ſcribit, ipſum lapſum fuiſſe exiſtimo, idque multis rationibus adducor ut credam. Nam ante Caeſaris Dictaturam ex Cicerone maniſeſte liquet non plures quam octo Praetores in vrbe fuiſſe, vrbanus & peregrinus, & ſex alij qui quaeſtionibus publicis praeerant. Ita ut neceſſe ſit dicere contra Pomponium non niſi duos à Sulla praetores adiectos. Nam etiam in tradendo praetorum numero ſub Auguſto haud dubie errauit. Sed haec omnia ueterum ſcriptorum atque in primis ipſius Ciceronis teſtimonijs demonſtremus. Ait Cicero in oratione pro Milone: ſeptem Praetores de reditu eius ut lex ferretur conſenſiſſe. In Piſonem vero, & pro Sextio: omnes praetores praeter vnum, videlicet Ap. Claudium legem illam promulgaſſe ſcribit; unde ſequitur omnes praetores tantum octo fuiſſe. Et ſane in oratione poſt reditum in ſenatu, in appellandis Praetoribus qui de ſuo reditu promulgauerant ſeptem tantum & eos

quidem

quidem sigillatim nominat, vnde numerũ in oratione pro Milone corruptũ esse dici non potest. Illud adde. Prætores gesto magistratu in prouincias exiisse manifestissimũ est ex omni historia, conueniens autem est, prouinciarum numerum, cum prætorum numero congruere. Hac porro in S.C. quod M. Coelius ad Ciceronem misit octo tantum nominantur. Ita enim scriptum est. Senatui placere in Ciliciam prouinciam, inq; octo reliquas prouincias praetorias, quas praetores pro praetoribus obtinerent. Cornelius quoque Tacitus libro historiae Augustae primo de Tiberio loquens sic scribit: Candidatos praeturae duodecim nominauit, numerum ab Augusto traditum, & hortante Senatu ut augeret, iureiurando obstrinxit se non excessurum. Ex quo loco aperte constat XII. tantum ab Augusto praetores constitutos non XVI. ut Pomponius scribit: Nam de Caesaris candidatis ea Taciti uerba non posse intelligi, sequentia paulo post uerba indicant: Moderante Tiberio ne plures quam quattuor candidatos commendaret, sine repulsa & ambitu designandos. Et quoniam ab Augusto ex Suetonio constat auctum fuisse praetorum numerum à Caesare Dictatore relictum, itemq; Caesarem numerum praetorum auxisse, relinquitur ergo ut decem tantum à Caesare, à Sulla uero octo facti sint. Quod etiam Dio libro XLII. testatur, qui Caesarem post proelium Pharsalicum praeter patriae morem decem praetores, & plures quã antea fuerant sacerdotes creasse ait, ut ijs plures remunerari posset, quibus in bellis ciuilibus usus fuerat: hinc igitur nimirũ constat praetores non antea decẽ fuisse, sed octo. Sed arguet quis. Praetores publicis quaestionibus praeerant, publicae quaestiones erant septem, & quaestioni inter sicarios duo praetores praeerant, quod patet ex oratione pro Cluentio, reliquis autem singuli praetores, ergo octo fuisse praetores qui quaestionibus praeessent, necesse erat. Quibus si Vrbanus & peregrinus addantur, decem omnino praetores erunt. Huic argumento satisfieri potest: Non tot fuisse praetores quot publicae quaestiones, erant enim praeter eas quas diximus, quaestio de incestu, de parricidio, de ueneficio, de iniurijs, quare necesse fuit unum praetorem aliquando pluribus quaestionibus praeesse, sicuti non unus praetor sed duo, uni de sicariis quaestioni praeerant. Ex Pediano enim clare cognoscitur Praetorem peregrinum de repetundis aliquando quaesiisse. Itemq; constat Praetorem urbanum non ita occupatum in ius dicendo, aliquoties decreto Senatus ad quaestiones exercendas nouis exorientibus, traductum, quum reliqui septem praetores crebritate iudiciorum distinerentur, quod anno quo Cicero Praetor fuit factum est. Nam Q. Naso pr. urbanus de ueneficiis cognouit ut ex Cicerone elicitur, & plerosq; urbanos Praetores id fecisse constat. Quare hoc argumento non tollitur quin ante oppressam Remp. octo tantum Praetores fuerint. Anno enim quo Cicero Praetor fuit in quo ex oratione pro Cluentio decem Praetores fuisse uidentur ex multiplicibus quaestionibus citatis, octo tantum Praetores fuerunt, duo qui de sicariis, alius qui peculatus, alius qui de repetundis, qui etiam peregrinus Praetor erat, alius qui de ambitu, alius qui de falso, & hic erat urbanus, alius qui de ui, octauus demum qui de maiestate quaererent; atque ita octo Praetores tantum erant. Postea C. Caesar Dictator, duos Praetores alios adiecit, ut Dio & Pomponius scribunt; subiicit Dio libro XLIII. Caesarem qui decem antea fecerat Praetores, post sexdecim creasse, totq; fuisse Praetores scribit eo anno, quo Caesar V. cum M. Antonio Consul fuit, qui tamen numerus post non est retentus, atque decem iterum facti. Diuus deinde Augustus non sexdecim ut Pomponius, sed duobus tantum adiectis duodecim Praetores fecit, ut scribit Cor. Tacitus: Postea Claudius Imperator duos alios Praetores adiecit, qui de fidei commisso ius dicerent. Ex quibus unum à Tito Caesare Augusto detractum, restituit Nerua Imperator, qui inter fiscum & priuatos ius diceret. Atque ita XIIII. Praetores facti ut ex historia uidimus. Nam si XVIII. fuerunt, ut scribit Pomponius profecto post Augustum à ceteris sequentibus Imperatoribus adiecti fuerunt. Praetoris magistratus in occidente usque ad Magni Constantini tempora, in oriente uero usque ad Iustinianum Imp. permansisse legi

De Aedilibus Curulibus

De Aedilibus autem Curulibus, quos hoc anno cum primo Praetore à patriciis primum creatos fuisse docet Liuius, satis disputaui superius quum de Aedilibus plebis uerba feci.

De Censoribus

Censores hoc anno fuisse intelligitur ex lapide capitolino. Hoc confirmat Liuius, qui anno sequenti Censorem ex pestilentia obiisse tradit, & ideirco ab iis lustrum non est conditum. Ex iis Albinus Regillensis, is est qui periit, cuius praenomen incertum, nam de C. Sulpicio Petico conlega post multa mentio fit

Annus CCCXXCIX

Diodorus, Liuius, & Cassiodorus Consules edunt L. Genucium & Q. Seruilium. Quorum Orosius quoque & Eutropius mentionem faciunt. Ambo ex tabulis capitolinis descripti sunt. Hoc anno Camillus mortuus est XXV. anno post vrbem captam: Liuius

Annus

Annus CCCXC

C.Sulpicius Peticus,& C.Licinius Stolo Consules memorantur à Liuio,& Casiodoro. Diodorus cognomiua silet. Horum meminit Val. Max.lib.II.cap.I. Plutarchus in problematibus, & Frontinus. Quem autem omnes Stolonem, Verrius Flaccus in tabulis Capitolinis vocat Caluum; Vbi ambo formati sunt. Eodem anno pestilentia fuit, eò nihil dignum memoria actum,nisi quod pacis deum exposcendæ caussa tertio tum post conditam vrbem Lectisternium fuir. Et quum vis morbi nec consilijs, nec ope diuina leuaretur, victis superstitione animis,ludi scaenici primum inter alia coelestis irae placamina instituti dicuntur. Dequibus multa scripsi in iis libris quos de ludis Romanorum edidi

Annus CCCXCI

Livivs & Casiodorus Consules edunt C. Genucium & L. Aimilium Mamercum II. Cn. Genucium Diodorus vocat libro XVI. Reliqua ex tabulis Capitolinis

De L. Manlio Capitolino Imperiosso Dictatore

Qvvm piaculorum magis conquisitio animos, quam corpora morbi afficerent, repetitum ex seniorum memoria dicitur pestilentiam quondam clauo a dictatore fixo sedatam. Ea religione adductus senatus Dictatorem claui figendi caussa dici iussit. Dictus L.Manlius Imperiossus, L.Pinarium magistrum eq.dixit: Haec Liuius. Huius Dictatoris meminit Cicero lib. III. de offic.eumque A.F.vocat. Ex tabulis Capitolinis cognoscitur Manlium Imperiosi & Pinarium Nattae cognomina tulisse. Hunc L. Manlium P.Manlij tribuni militum. II. fratrem existimaui,ideo A.F.A.N.Capitolinum dixi.Quem à seueritate delectus in dictatura habiti,& quod filium rus ablegasset Imperiossum dictum scribit Liuius, qui non longe post ob supplicium de filio sumptum, huius filium T.Manlium primum eiusmodi cognomen inuenisse ait. Ceterum in patre cognomen coeptum,in filio confirmatum est. Pinarios Nattae cognomine usos docet Cicero II.de diuinat. Et Tacitus libro IIII. Cuiusdam Pinarij Nattae meminit. De solemni claui figendi ritu latius hoc loco scribit Liuius

De Censoribus, & lustro XX

Censores hoc anno fuisse in fragmento Capitolino liquet. Hi fuerunt Ambustus & L.Furius Medullinus, qui & lustrum XX.condiderunt: De quibus Liuius nihil scribit. Ambustum eum esse credo qui cum hoc ipso L.Furio Tribunus militum Anno CCCLXXIII.fuit

Annus CCCXCII

Livivs & Casiodorus Consules profitentur Q.Seruilium Ahalam & L. Genucium. Diodorus Ahalae cognomen praeterit. Reliqua ex tabulis Capitolinis

De Ap. Claudio Crassino Dictatore

L. Genucio Consule, qui primus è plebe bellum suis auspicijs gessit ab Hernicis caeso,tunc patriciorum consensu Dictator à Seruilio Consule dictus est Ap.Claudius:Haec tantum Liuius. Ceterum in tabulis Capitolinis ex eius consulatu P. F. esse dicitur; (ergo & Ap.nepos) adduntur que cognomina Crassinus Regillensis. Magistrum eq.nullum nominat Liuius, aliquem tamen fuisse eedem tabulae declarant, in quibus est Scipio Corneliorum cognomen. Ego L. Cornelium Scipionem feci, qui postea Consul anno CDIIII.erit

Annus CCCXCIII

Livivs hoc anno Consules refert C. Sulpicium, & C.Licinium Caluum. Casiodorus C. Sulpicium II. & C.Licinium. Diodorus notam numeri omittit. Eos ego esse puto qui triennio ante collegae fuerunt. Idcirco Licinio quoque notam II. adiunxi. Ambo descripti sunt ex tabulis Capitolinis

De T. Quinctio Dictatore

Dictatorem T.Quinctium Pennum hoc anno fuisse satis constat, & mag.eq.Ser.Cornelium Maluginensem. Macer Licinius comitiorum habedorum caussa,& ab Licinio Cos.dictum scribit. Quum mentionem huius rei in vetustioribus annalibus nullam inueniam,magis vt belli Gallici caussa Dictatorem creatum arbitrer inclinat animus: Ita Liuius;cuius sententiam confirmant Appianus, Eutropius, & tab.Capitolinae. Ex quibus Dictatori post ::: VS.idest Pennus duo alia cognomina adieci Capitolini Crispini. Ser. Cornelius mag.eq. qui M.N. dicitur eius Ser.Cornelij Maluginensis filium esse existimo, qui VII. tribunus militum fuit

Annus CCCXCIIII

C. Poetelius Balbus,M.Fabius Ambustus Consules hoc anno scribuntur à Liuio & Casiodoro. Diodorus vero cognomina silet. Ex his consulibus M.Fabius ex triumpho, alter ex tabulis Capitoliuis descripti sunt

De Q. Seruilio Ahala Dictatore

Qvvm aduersus Tiburtes hostem ducere C. Poetelio Cos.contenta esset Resp. Gallicus tumultus

multus Dictatorem creari coegit, creatus Q. Seruilius Ahala; T. Quinctium mag. eq. dixit. Dictator Ahala bis ante Consul fuit. T. Quinctio quem superioris anni Dictatoris filium esse reor, cognomina addunt Fasti Capitolini

Annus CCCXCV

M. Popillius Laenas, & Cn. Manlius Consules memorantur à Liuio, & Cassiodoro. Diodorus. Cn. Manlio cognomen Imperiossum adiungit. Cn. Manlius ex tabula, Laenas vero ex trium pho; descripti sunt. Huius (vt puto) M. Popillij Cos. qui quum flamen Carmentalis esset, & eo tempore sacrificaret, cum laena in concionem venit, & populum tumultuantem sedauit, meminit Cicero in Bruto. Hinc Laenatis tractum cognomen. Liuius vero gliscentem seditionem hoc anno compressam ait: ex qua re intelligi potest hoc anno Popillium cum laena exijsse in concionem, Laenatemq; vocatum

Annus CCCXCVI

Livius & Cassiodorus Consules hoc anno habent C. Fabium, & C. Plautium. Diodorus M. Fabium & C. Plotium. Fabij cognomen, & alter Consul ex tab. Cap. formatus. C. Fabij Consularis interregis meminit Anno CCCXCIX. Liuius. Qui etiam hoc anno legem de ambitu à C. Poetelio Trib. Plebis auctoribus patribus tum primum ad populum latam fuisse scribit, qua rogatione nouorum maxime hominum ambitionem, qui nundinas & conciliabula obire soliti erant, compressam credebant

De C. Sulpicio Petico Dictatore

Qvvm Gallos Praeneste vsque venisse auditum esset, Dictatorem dici placuit, Consul Plautius C. Sulpicium dixit; magister eq. additus M. Valerius: ex Liuio. C. Sulpicius Peticus ex tabulis Cap. iam formatus est. M. Valerius paulo post in Consulatu Poplicola ab eodem Liuio vocatur

De Censoribus, & Lustro XXI

Quinquennij post prius lustrum tempus, tribuumq; duarum Pomptinae & Publiliae XXV. antiquis tribubus adiectio, quam Liuius hoc anno factam scribit me mouerūt, vt hoc anno Censores fuisse scriberem, qui lustrum XXI. condiderint. Nam omnes sequentes octo tribus, à censoribus deinde additas fuisse aperte Liuius profitetur. Sicut igitur certum est hoc anno Censores fuisse, ita qui nam fuerint incertum; nihil enim Liuius, aut alij de eis scribunt. Ego autem alterum ex his M. Fabium Ambustum qui biennio ante Consul fuit, ac paulo post Cos. tertium & Dictator erit, fuisse mihi persuadeo: quod qua ratione fecerim aperiam. Hunc M. Fabium Ambustum ex Plinio libro VII. Cap. XLI. Principem Senatus fuisse constat: ita enim scribit. Vna Fabiorum familia in qua tres continui principes Senatus fuerunt M. Fabius Ambustus, Fabius Rullianus filius, & Q. Fabius Gurges nepos. Si igitur M. Fabius Princeps Senatus fuit, ergo & Censorius. Non nisi enim ex Censorijs & Consularibus Principes Senatus creatos fuisse percurrenti totos Fastos manifestum erit, immo ante secundùm bellum Punicum, non nisi ex vetustissimis Censorijs qui viuerent Principem Senatus lectum fuisse constat. Haec autem Liuius aperte libro XXVII. docet his verbis: Creati Censores ambo qui nondum Consules fuerant. M. Cornelius Cethegus, P. Sempronius Tuditanus. Senatus lectionem contentio inter Censores de Principe legendo tenuit; Sempronij lectio erat. Ceterùm Cornelius morem traditum à patribus sequendum aiebat, vt qui primus Censor ex ijs qui viuerent fuisset, eum Principem legerent, is T. Manlius Torquatus erat. Sempronius cui dij sortem legendi dedissent, ei ius liberum eosdem dedisse Deos, se id suo arbitrio facturum, lecturumq; Q. Fabium Maximum, quem tum Principem Romanae ciuitatis esse, vel Hannibale iudice victurus esset; quum diu certatum esset verbis concedente collega lectus à Sempronio Princeps in Senatu Q. Fabius Maximus Cos. Quibus verbis aperte constat si M. Fabius Princeps Senatus fuit, eum quoque Censorem aliquãdo fuisse, quod si Censor fuit, quo nam loco melius collocari potest quam hoc anno post Consulatum primum? Mirarer Liuium huius rei non memi nisse, nisi alia multa similia his primis libris omisisset & maxime cognitu necessaria. Alterius Censoris, qui & ipse patricius fuit, ne diuinando quidem nomen assequi potui

Annus CCCXCVII

Diodorvs, Liuius, & Cassiodorus Consules hoc anno produnt C. Marcium & Cn. Manlium. Cn. Manlius biennio ante primum Consul fuit. C. Marcius ex Capitolino triumpho descriptus est. Liber Cuspiniani, & Fasti Graeci Rutilum & Capitolinum habent

Annus CCCXCVIII

M. Fabius Ambustus II. & M. Popillius Laenas II. Consules memorantur à Liuio & Cassiodoro. Diodorus cognomina & numeros praeterijt. liber Cuspiniani, & Fasti Graeci Ambustum II. & Laenatem edunt

De

De C. Marcio Rutilo primo e plebe Dictatore

Hoc anno aduersus terrorem Etrusci belli C. Marcius Rutilus primus de plebe à M. Popillio Cos. Dictator dictus, Magistrum equitum item de plebe sibi cooptauit C. Plaucium: Ex Liuio. C. Marcius idem est qui priore anno Cos. fuit. C. Plaucius qui biennio ante

Annus CCCXCIX

Quadringentesimo anno quam vrbs condita erat, quinto & tricesimo, quam à Galleis recepta, ablato post XI annum à plebe consulatu, Patricij Consules ambo ex interregno magistratũ inierunt C. Sulpicius Peticus III. M. Valerius Poplicola: Liuius. Eosdem Consules referunt Diodorus, & Cassiodorus. Cur in annis vrbis conditae dissentiat à reliquis Liuius superius caussa exposita est

Annus CD

Hoc etiam anno Consules ambo ex Liuio patricij fuerunt M. Fabius Ambustus III. T. Quinctius, quamuis in quibusdam annalibus pro T. Quinctio M. Popillium Cos. se inuenisse scribat. Liuio assentiuntur Diodorus & Cassiodorus: Itemque Solinus qui cap. XLI. ex Cornelio Nepote Magni Alexandri natalem M. Fabio Ambusto. T. Quinctio Capitolino Cos. fuisse scribit, Anno vrbis CCCXCV. nisi in numero mendum sit. Liber Cuspiniani Ambustum & Capitolinum edit. Hic T. Quinctius is est qui ante magister equitum fuit; de M Fabio Ambusto ter Consule Val. Max. lib. II. cap. II. mentionem facit

Annus CDI

Consules ambo patricij hoc anno creati C. Sulpicius Peticus IIII. M. Valerius Poplicola II. auctoribus Liuio & Cassiodoro. Diodorus cognomina & numeros omittit

De T. Manlio Torquato Dictatore

Senatus in Etrusci belli curam intentus Valerium Cos. Volscis oppositum reuocatum Dictatorem dicere iussit, T. Manlium L. F. dixit: Is sibi mag. eq. A. Cornelium Cossum cooptauit: ita Liuius. Hic Manlius à torque qua Gallum singulari certamine victum spoliauerat, seque induerat, Torquati cognomen inuenit. Describtusque est eum mag. equitum ex triumphis Capitolinis. Huius dictatoris Cicero III. offic. & II. de finibus, & Gellius libro IX. cap. XIII. meminerunt

Annus CDII

P. Valerius Poplicola conlegam ex plebe habuit C. Marcium Rutilum hoc anno in consulatu: Ex Liuio. Cassiodorus Marcio addit notam II. Diodorus M. Fabium & P. Valerium vocat. Hic P. Valerius eius ut existimo P. Valerij Potiti Poplicolae filius est, qui sexies tribunus militum fuit, ideo in Fastis Graecis pro duobus consulibus duo eius cognomina Potitus & Poplicola notata sunt, C. enim Marcius eius collega praeteritus est. De V. Viris mensarijs primis, Liuius ita: Inclinatis semel in concordiam animis noui Cos. foenebrem quoque rem quae distinere unanimes videbatur leuare aggressi, solutionem aeris alieni in publicam curam uerterunt, quinqueuiris creatis quos mensarios ab dispensatione pecuniae appellarunt. Meriti aequitate curaque ut per omnium annalium monumenta celebres nominibus essent: fuere autem C. Duilius, P. Decius Mus, M. Papirius, Q. Publilius, & Ti. Aimilius

De C. Iulio Dictatore

Ob vanum Etrusci belli terrorem, quum coniurasse XII. populos fama esset Dictator in castris (eò enim ad Cos. missum est S. C.) dictus C. Iulius, cui magister eq. adiectus L. Aimilius: ita Liuius. Iulio familiae cognomen addidi Iulum. L. vero Aimilium esse existimaui, qui postea Priuernas appellatus est; ex tabulis Capitolinis formatus

Annus CDIII

C. Sulpicius Peticus, T. Quinctius Pennus creati sunt in hunc annum Cos. Quidam Kaesonem, alij Gaium praenomen Quinctio adijciunt: haec Liuius. Cassiodorus cum Liuio sentit. Diodorus C. Sulpicium, & C. Quinctium prodit. T. Quinctio alterum gentis cognomen addidi Cincinnatum. C. Sulpicium V. notaui quia quater ante fuit

De Censoribus, & Lustro XXII

Quum Censoribus creandis comitia indicta essent, professus se petere censuram C. Marcius Rutilus, qui primus Dictator de plebe fuerat, concordiam ordinum turbauit. Post autem non variatum comitijs est, quin quum Manlio Cnaeo Censor Marcius crearetur. Ita per eundem qui ad Dictaturam aperuit viam, censurae quoque in partem vocata plebs est. Huius census meminit & Eutropius. Lustrum autem XXII. ab ijs censoribus conditum ex sequentibus apparebit. Huius Marcij primi è plebe Censoris Liuius etiam anno CCCLV. meminit, Cn. Manlius bis ante Consul fuit

De M. Fabio Ambusto Dictatore

Dictatorem hic annus habuit M. Fabium nullo terrore belli, sed nex lex Licinia comitijs consu-

consularibus obseruaretur, Mag.eq.additus Q.Seruilius: haec Liuius: Qui anno CDXXIX. huius dictatoris meminit, quem ait ter Cos. & Dictatorem fuisse. Idem scribit Valerius lib.II. cap.II. Q.Seruilius si ille sit qui antea bis Consul fuit, siue eius filius quod magis probo, omnino Q.F.Q.N. recte scriptus est

Annus CDIV

M.Popillium Laenatem à plebe Consulem hoc anno, à patribus L.Cornelium Scipionem datos scribit Liuius, Casiodorus notam III. Popillio addit. Diodorus C. Cornelium, M. Popillium vocat

De L.Furio Camillo Dictatore

Aegris Consulibus Dictatorem comitijs habendis dici placuit. Is fuit L.Furius Camillus, cui mag.eq.P.Cornelius Scipio additus est: Ex Liuio; qui hunc Dictatorem Camilli vrbis liberatoris filium scribit: quod & Appianus confirmat. Hic magister equitum iterum, vt existimo fuit, nam duodecimo anno ante primum notatus est. Quem hoc anno fuisse indicant vestigia Capitolina

Annus CDV

Dictator L.Furius Camillus reddidit patribus pristinam possesionem consulatus, ipse ob id meritum ingenti patrum studio creatus Consul, conlegam habuit Ap. Claudium Crassum: ita Liuius. Eosdem Consules edit Casiodorus. Diodorus M.Aimilium, T.Quinctium prodit. Horum Consulum meminit Cicero in Catone, quo anno Platonem Tarentum venisse scribit Et Gellius lib. IX.cap.XI. L.Furio, Ap.Claudio Cos. Anno vrbis DV. (Varronis annorum summam sequutus) M Valerius cum Gallo pugnauit, & à Coruo auxiliante Coruus appellatus. De obitu Ap.Claudij Consulis meminerunt Liuius, & Verrius Flaccus in fragmento Capitolino huius anni, in quo quum P.F. dicatur, ego Ap.N. addidi. Reliqua cognomina ex Liuio & tab. Capitol. De hoc praeterea anno scribunt Valerius Maximus, Qui de viris illustribus scripsit, Florus, Orosius, & Eutropius

De T.Manlio Torquato Dictat.II.

Dictatorem comitiorum caussa T.Manlium Torquatum ex senatus auctoritate Consul Camillus dixit. Dictator mag.eq.A. Cornelio Cosso dicto comitia consularia habuit: Liuius. His notam II. ideo addidi quod eosdem esse arbitratus sum qui antea primum una fuerant. Dictatorem autem hoc anno comitiorum habendorũ caussa fuisse factum Capitolina fragmeta docent

Annus CDVI

Dictator absentem M.Valerium Coruum (id enim illi deinde cognomen fuit) summo fauore populi tres & viginti annos natum Consulem renuntiauit. Collega Coruo de plebe M. Popillius Laenas IIII. Consul datus est, ita Liuius; nec dissentit Casiodorus. Diodorus hos triennio post edit. Huius consulatus, Valerij aetatis, & cognominis meminerunt Val. Max. libro VIII.cap.XVI. Cicero Philippica V. Eutropius lib.II. & Gellius libro IX.cap.XI. Se ex Poplicolarum familia, & à P.Valerio qui reges eiecit hic Coruus ortum apud Liuium (eiusdem proculdubio errore) profitetur. Nam ex Maximorum familia descendisse, pater & auus Marci in tabulis Capitolinis appellati satis ostendunt. Quod etiam non sine veterum scriptorum auctoritate confirmat Zonaras, qui M.Valerium Valerio Maximo oriundum scribit. Hoc anno (ut inquit Liuius) pestilentia ciuitatem adorta coegit senatum imperare decemuiris, vt libros Sibyllinos inspicerent, eorumque monitu lectisternium fuit. Eodem anno & cum Carthaginensibus legatis Romae foedus ictum, quum amicitiam ac societatem petentes venissent

De C.Claudio Dictatore

Dictatorem hoc anno cum mag. eq. comitiorum habendorum caussa creatos ex fragmento Capitolino apparet, qui fuerint nullus quod sciam prodit. Ego diuinando C. Claudium, qui non longe post iterum Dictator erit, hic Dictatorem & C. Liuium, Dentrem auum M. Liuij anno CDLII. Consulis mag. equitum ex Tranquilli auctoritate adposui. Qui in Tiberij vita quinque gentis Claudiae dictaturas, & magisteria equitum duo familiae Liuiae enumerat; quae nisi hoc loco apponantur, non video vbi nam describi posint. Sed forte dicet quis me vaticinari, qui certiora habet ea sequatur. Ego ne coniecturas quidem meas historiae Romanae elucidende caussa omittendas duxi

Annus CDVII

Livivs & Casiodorus Consules hoc anno edunt T.Manlium Torquatum, & C.Plautium. Plautium Consulem filium esse existimaui C. Plautij qui anno CCCXCVI. Cos. fuit. Ex cognominibus alterum ex tabul. Cap. alterum ex antiquo argenteo nummo adieci, ut differam in eius secundo consulatu. Liber Cuspiniani, & Fasti Graeci hoc anno habent Vennonem & Torquatum

Annus

Annus CDVIII

M.Valerius Coruus II. & C.Poetelius Cos. memorantur à Liuio & Cassiodoro. Censorinus horum Consulum meminit, quibus ex XV.virorum S.F.sententia, ludos saeculares iterum factos scribit, de quibus latius in eorundem libro verba faciam. C.Poetelius ex dictatura Capitolina descriptus est. Hoc anno in fragmento extat tantum cognomen Visulus. Fasti Graeci, & liber Cusp.Coruinum & Libonem edunt

Annus CDIX

M.Fabius Dorso, Ser.Sulpicius Camerinus Cos. hoc anno eduntur à Liuio & Cassiodo. Diodorus cognomina silet. Hi ambo Cos. patricij fuerunt, quod omisit Liuius, qui supra C.Fabii Dorsonis meminit Anno CCCLXIV

De L.Furio Camillo Dictat. II

Auruncum bellum ab repentina populatione coeptum, Dictatorem velut aduersum armatum iam Latium L.Furium creatum, mag.eq. Cn.Manlium dixisse auctor est Liuius. Hic idem dictaturam ante gessit. Cn. vero Manlium eius filium esse existimo, qui ante iterum Cos. & Censor fuit

Annus CDX

Livivs & Cassiodorus Consules hoc anno profitentur C.Marcium Rutilum III. & T.Manlium Torquatum II. Diodorus cognomina & numeros omittit. Frõtinus primo stratag. A.Manlium & C.Marcium Rutilum edit

De P.Valerio Poplicola Dictatore, & Ferijs Latinis

Qvvm lapidibus pluisset, & nox interdiu visa esset intendi, libris inspectis quum plena religione ciuitas esset, senatui placuit Dictatorem Feriarum constituendarum caussa dici. Dictus P.Valerius Poplicola: Mag.eq.ei Q.Fabius Ambustus datus est: ita Liuius. Hic Poplicola ante anno CDII. Consul fuerat. Feriae autem intelliguntur, quae Latinae dicebantur, quod solemne etiam Latiar appellatum est, quas ferias Superbus Rex instituit. De quibus libro IIII. mẽtionem facit Dionysius: Tarquinius enim Superbus Turno Latinorum principe interfecto, quum ipse dux gentis factus fuisset, quo eorum sibi animos magis obnoxios redderet, ferias Latinas & nundinas, sacrificiaque Latinis Romanisque comunia primus instituit. Locus erat in monte Albano cum vetustae religionis templo, in quem populus Romanus & Latini foederati (ij fuisse fere L. populi traduntur) conueniebant, atque Ioui Latiali vno consensu omnes pro communi totius Latij salute sacrificabant, quumque eorum alii agnos, alii caseum, alii lac, alii alia domo secum ex instituto attulissent post solemnes epulas, tauro immolato suam quisque carnis partem accipiebant ex praescripto vetusti foederis inter Romanos & Latinos icti. Has autem ferias conceptiuas fuisse ait Macrobius, quod à magistratibus quot annis in certos uel incertos dies conciperentur. Indicebantur autem vel à consulibus, uel si ij non essent à Dictatore eius rei caussa creato. His ferijs unus dies primum dicatus fuit à Superbo, exactis regibus biduum, post secessionem in montem sacrum triduum. Postremo composita de Consule plebeio seditione quatriduum. Ex Dionysio, Liuio, & Plutarcho in Camillo. Iterum quoque harum feriarum constituendarum Dictator creatus est anno CDXCVII Q. Ogulnius Gallus, vt est in tabulis Capitolinis

De Anno CDXI. *& bello Samnitico*

Qvvm animaduerterim in tabulis Capitolinis magnum quodque bellum exarari, hoc anno Samniticum omnium maximum notari placuit, quod his consulibus primum gestum fuisse, scribunt Liuius, Orosius, Eutropius, Frontinus, & Florus qui illud XXIIII. triumphorum materiam vocat, atque per annos quinquaginta gestum edit. Liuius libro XXXI. in oratione legati Romani in concilio Aetolorum per annos LXX. continuatum ait. Ego anno CDXXCII. bello finem impositum existimo, quo anno postremo L.Papirius de Samnitibus triumphauit. Susceptum autem est Campanorum caussa, qui à Samnitibus oppressi se suaq; omnia populo Romano per legatos tradiderunt. Hoc autem anno Consules creatos fuisse M.Valerium Coruum III. & A.Cornelium Cossum Liuius & Cassiodorus referunt, Diodorus, Cicero de Diuinatione & Frontinus primo Strateg. cognomina & numerum omittunt. Is qui scripsit de viris illustribus Valerium Maximum, & Cornelium Cossum recte (ut existimo) vocat. Ambo ex triumphis Capitolinis descripti sunt

Annus CDXII

Livivs & Cassiodorus Consules hoc anno edunt C.Marcium & Q.Seruilium. Diodorus Q.Seruilium, Marcium Rutilum. Hunc Marcium iam quartum Consulem esse, Dictatoremque ac Censorem fuisse refert Liuius. Q.Seruilius Ahala is est, qui mag.eq. fuit anno CDIII

De M. Valerio Coruo Dictatore

QVVM in castris C. Marcij consulis milites seditionem excitassent, quod eorum consilia quae de adimenda Campanis, Capua inierant Consul labefactasset, atq; T. Quinctio patricio viro quamquam claudo Imp. appellato, eum arma inferre patriae cocgissent, Dictator M. Valerius Coruus cum mag. eq. L. Aimilio Mamerco dictus est, qui cum exercitu cōtra eos profectus, oratione ne contra patriam irent effecit: atq; ita militari seditione compressa, Dictator Romam redijt: Haec Liuius, & auctor de viris illustribus. In alijs annalibus Liuius se inuenisse ait: Non Valerium Dictatorem dictum, sed per Consulem rem omnem actam, atque non T. Quinctium sed C. Manlium ducem milites elegisse. L. Aimilius ante etiam fuit mag. eq. An. CDII

Annus CDXIII

C. Plautius II. & L. Aimilius Mamercus consulatum inde inierunt, Liuio & Casiodoro auctoribus. Diodorus tacet cognomina. L. Aimilius ex secunda dictatura Capitolina descriptus est. Quum autem Liuius hoc anno a C. Plautio Cos. Priuernum captum fuisse scribat, atque in antiquo argenteo nummo haec verba legantur C. VPSAEVS. COS. PRIV. CEPIT. idcirco huic C. Plautio post Vennonem Vpsaei cognomen alterum adiunxi, quod etiam Plautiorum fuisse liquet. Fasti Graeci & liber Cusp. edunt in hunc annum Vennonem II. & Mamercinum. De Plautio consule ad Priuernum meminit Valerius libro VI. cap. II

De Anno CDXIIII. & Bello Latino

T. Manlius Torquatus III. P. Decius Mus hoc anno Consules fuerunt ut Liuius & Casiodorus tradiderunt. Diodorus Decij cognomen tacet. Horum Consulum Plinius libro XXII. cap. V. Val. libro primo cap. VII. lib. V. cap. VIII. & libro II. cap. II. Cicero III. de offic. II. de finib. Philipp. V. Auctor de viris illust. Florus, Plutarchus in parallelis, & Zonaras meminerunt. Hic P. Decius Q. F. vocatur; à Cicerone primo de diuinatione. Quod Verrius Flaccus confirmat, qui eius filium P. F. Q. N. vocat, Eumque primum in domum suam consulatum intulisse eodem in loco scribit Cicero, à Valerio autem princeps eius familiae appellatur. Hoc anno Latini qui post pugnā ad lacum Regillum in fide Romanorum manserant, assumptis Campanis ac Sidicinis quum Samnitibus foederatis pop. Rom. bellum intulissent, atque à senatu admoniti quiescere nollent, bellum in se conuerterunt. In quo P. Decium alterum Consulem Dijs ita monentibus quo populo Romano victoriam pareret, se deuouisse scribunt Cicero, Liuius, Valerius, Plinius, Plutarchus, Florus, Orosius, & alij. Hoc bello T. Manlius Consul de filio qui iniussu suo pugnauerat supplicium sumpsit

De L. Papirio Crasso Dictatore

Antiatibus in agros Ostiensem, Ardeatem, & Solonium incursiones facientibus, Manlius Consul quia ipse per valetudinem id bellum exequi nequierat, L. Papirium Crassum qui tum forte Praetor erat Dictatorem dixit, ab eo magister eq. L. Papirius Cursor dictus: Haec Liuius. Cicero autem ad Paetum sic; post L. Papiriū Mugillanum XIII. fuerunt sella curuli ante L. Papirium Crassum, qui primus Papisius est vocari desitus. Is Dictator cum L. Papirio Cursore mag. eq. factus est, annis post Romam conditam CDXV. Crassus ex Capitolina censura descriptus est, Cursor ex triumphis & consulatibus

De Censoribus, & Lustro XXIII

Quinquennii ratio me admonet, vt Censores, & Lustrum XXIII. hoc loco describam, de quibus quod sciam nullibi mentio est. Ego alterum ex his censoribus fuisse M. Valerium Coruum, quum ob multas rationes, tum ob eam praecipue quod à Plinio libro VII. Cap. XLVIII. semel & vicies (quoties nemo alius) sella curuli sedisse dicitur, profecto si XXI. in magistratu curuli fuit, eum quoque Censorem fuisse omnino est necesse. Quod si fuit, vt credendum est, non nisi hoc Lustro fuit, quum iam ter Consul factus esset. Alterum Censorem vero ex plebe esse existimaui M. Popillium Laenatem quater Consulem, quod cui hoc tempore ex plebeijs censura daretur neminem eo praestantiorem inuenerim, praesertim quum vir consularis, & triumphalis fuerit. Quum autem hic annus CX. Olympiadis primus fuerit, atque eadem Olympiade descriptionem Romae factam referat Eusebius, qua inuenta sunt ciuium CCLXꝏ capita, proculdubio de eo sensu, qui hoc Lustro factum fuit, loquitur

Annus CDXV

Consules hoc anno Ti. Aimilius Mamercus Q. Publilius Philo à Liuio, & Casiodoro memorantur. Diodorus praeterit cognomina. Fasti Graeci Mamercinum, & Philonem edunt. Philo ex tabulis Capitolinis descriptus est

De Q. Publilio Philone Dictatore

QVVM Senatus aduersus rebellantes Latinos Dictatorem dici iussisset, Aimilius cuius tum

fasces erant, collegam dictatorem dixit, ab eo mag.eq. Iunius Brutus dictus: ita Liuius. Magister autem eq. est D. Iunius Brutus Saeua, qui post cos. fuit

Annus CDXVI

L.Furius Camillus & C.Mainius Consules hoc anno referuntur à Liuio, & Cassiodoro. Diodorus Camilli cognomen silet. Ambo Cos. descripti sunt ex triumphis Capitolinis. C.Maenii Cos. Anno CDXVI. meminit Plinius libro XXXIIII. Cap.V. Hic L.Furius Sp. Furii primi Praetoris filius est, magni Camilli nepos, cuius patris frater fuit L.Furius, qui paulo ante consul & dictator fuit

Annus CDXVII

C.Sulpicius Longus P.Aelius Paetus Consules subiiciuntur à Liuio & Cassiodoro. Diodorus C.Sulpicium & L.Papirium edit. C.Sulpicius ex tertio Capitolino consulatu formatus est

De C.Claudio Regillensi Dictatore II.

QVVM Sidicini Suessam Auruncam euertissent Senatus infensus consulibus, quorum cunctatione socii Aurunci deleti fuerant, Dictatorem dici iussit C.Claudium Regillensem, qui magistrũ eq. C.Claudium Hortatorem dixit. Quum autem augures Dictatorem vitio creatum videri dixissent, ambo magistratu se abdicarunt: Liuius, Hunc C.Claudium iterum Dictatorem feci quum antea eum fuisse dixerim, quem eius Ap.Claudii filium esse existimo, qui anno CDV, Cos. in magistratu obiit, patrem Ap.Caeci, qui C.F.Ap.N. dicitur in tab.Capitolina

Annus CDXIIX

L.Papirum Crassum, & K. Duilium Consules edunt hoc anno Liuius, Cassiodorus, & exempto cognomine Crassi Diodorus. L.Papirius is est qui quadriennio ante consul fuit. vnde Cicero ad Paetum. L. Papirius Crassus quadriennio postquam dictator fuit, cos. factus est cum K. Duilio

Annus CDXIX

Hoc anno quum Ausones qui Cales vrbem incolebant Sidicinis arma iunxissent M. Valerius Coruus maximus Imp. Cos. IIII. factus est, cui collega additus M.Atilius Regulus: ex Liuio. Eos Consules quoque Cassiodorus, & praeter cognomina Diodorus edunt. M.Atilium patrem esse reor M.Atilii M.F.M.N. Reguli, qui Cos. triumphauit anno CDLX. ex tab.Capit

De L.Aimilio Mamercino Dictatore

NE M.Atilius expers gloriae esset iussi ambo Cos. aduersus Sidicinos ducere exercitum, qui Dictatorem antea ex S.C. Comitiorum habendorum caussa dixerunt L. Aimilium Mamercum is magister eq. Q. Publilium Philonem dixit: Liuius. L.Aimilius antea Consul & magister eq. fuit, itemque Q. Philo

Annus CDXX

Dictatore comitia habente creati sunt Cos. T. Veturius & Sp.Postumius, ut Liuius scribit, eosdem consules edunt Diodorus & Cassiodorus. Zonaras non T. sed TI. familiari Veturiorum praenomine vocat. Liuius in anno CDXXXIII. Veturium Caluinum, & Plutarchus in Parallelis Postumium Albinum produnt; Ego Postumio alterum familiae cognomen Regillensis adieci; Fasti, Graeci & liber Cuspiniani Albinum & Caluinum edunt

De P.Cornelio Rufino Dictatore

QVVM in Samnium fama esset parari bellum, Dictator à consulibus ex auctoritate senatus dictus P. Cornelius Rufinus. Mag.eq. M.Antonius. Religio deinde incessit vitio creatos esse, quare magistratu se abdicarunt: Ita Liuius

De Anno CDXI. sine consulibus

Hoc anno ex summa annorũ Capitolina annum interponere cogor sine consulibus, quamuis huius rei neque apud Liuium, neque apud alium quemquam mentionem extare viderim, hoc autem fieri necesse est, ut rationem habeam summae annorum Varronis. Hoc autem potissimum tempore eum annum interponi debere docent tabulae Capitolinae. Nam quum in iis M.Valerius Coruus Cos. IIII. exaratus sit anno vrbis CDXIIX. L.autem Aimilius & C.Plautius anno CDXXIIII. ut haec inter se consentiant annũ interserere oportet. Eo enim praetermisso & L.Aimilius Consul in annum CDXXIII. incederet, & tota annorum summa, quae apud M.Varronem; & in tabulis Capitolinis est labefactaretur. Quod autem hoc potissimum anno, annus hic sit interiiciendus diu ante, & non sine alicuius vetustissimi libri auxilio uidit Gregorius Haloander, qui chronologiam consulum scriptam reliquit, nam hunc omnino annum sine consulibus notatum praeteriit. Extant apud Plinium libro XIX. cap.VIII. duo Consulum nomina hi sunt Cornelius Cethegus & Q.Flaminius, quibus quum certam sedem adhuc inuenire non potuerim, eos aliquando hoc loco collocandos existimaui, quum presertim, ex eius verbis eos antiquos consules fuisse constet, ita enim ait: Hic & femini miscetur, vt careat erucis. Auctoritas

ctoritas & peculiaris apud antiquos ei fuit, inuenio mustum rutatum populo datum à Cornelio Cethego in consulatu collega Q. Flaminii comitiis peractis. Sed eos non adieci Liuii verbis adductus, qui hoc anno magistratuum solitudinem, & sine consulibus Remp. fuisse pestilentiae caussa innuere videtur. Ita enim scribit: Dictator & magister eq. magistratu se abdicarunt, & quia pestilentia insequuta est, uelut omnibus eo vitio cōtactis auspiciis res ad interregnū rediit

Annus CDXXII

A. Cornelius II. Cn. Domitius Consules referuntur à Liuio & Casiodoro, Diodorus A. Cornelium & C. Domitium edit. Ego Cn. Domitium malim, ut is sit pater eius C. Domitij Cn. F. Caluini Aedilis curulis cuius meminit Liuius Anno CDLVI. & Plin. libro XXXIII. cap. primo, quum ait: Cn. Flauium Aedilem curulem factum, cum Q. Anicio Praenestino praeteritis C. Poetelio & C. Domitio quorum patres Consules fuerant. Fasti Graeci Caluinū & Cossum habent

De M. Papirio Crasso Dictatore

Ob famam Gallici belli Dictatorem dici placuit: Dictus M. Papirius Crassus. & mag. eq. P. Valerius Poplicola: ita Liuius. M. Papirium fratrem esse existimo L. Papirii Dictatoris anno CDXIV. P. vero Valerium, eius qui Dictator fuit anno CDX. filium

De Censoribus, & lustro XXIIII

Censum hoc anno à Censoribus Publilio Philone & Sp. Postumio factum scribit Liuius. Horum Censorum meminit Velleius. Hi consulares uiri fuere, ab his Censoribus lustrum condi tum fuisse, lustrum XXV. quod in tab. Capitolinis notatum est, demōstrat. Ab eis quoq; propter nouos ciues additos duas tribus Maeciam & Scaptiam veteribus XXVII. adiunctas fuisse prodit Liuius his verbis. Eodem anno census actus, nouiq; ciues censi (fuerant autem ex Latinis) tribus propter eos additae Maecia & Scaptia, Censores addiderunt Publilius Philo, Sp. Postumius

Annus CCCCXXIII

M. Claudius Marcellus & C. Valerius Cos. memorantur à Diodoro, Liuio, & Casiodoro. Liuius se Flaccum Potitumq; varie in annalibus cognomen Valerij reperire ait. Orosius Flaccum, Fasti Graeci Potitum vocant. Ego vtrumque cognomen retinui, alterum gentis antiquum, alterum nouum, quod & Cuspiniani liber facit

De Cn. Quinctilio Varo Dictatore

Dictator claui figendi caussa creatus Cn. Quinctilius, mag. eq. L. Valerium dixit, qui clauo fixo magistratu se abdicauit. Liuius. Varum & Potitum Flaccum gentilitia harum familiarum cognomina iis adiunxi

Annus CCCCXXIIII

L. Papirius Crassus II. L. Plautius Venno Consules referuntur à Liuio & Casiodoro. Diodorus cognomina silet. L. Plautius pater est ut reor L. Plautij L. F. L. N. Vennonis Consulis Anno CDXXXV

Annus CCCCXXV

Consules deinde auctore Liuio & Casiodoro creati L. Aimilius Mamercus, & C. Plautius. Diodorus cum L. Plotio L. Papirium edit. Ambo ex triumphis eorum Capitolinis descripti sunt. Nam hoc anno de Priuerno (vt ait Liuius) capto, utrumque triumphasse ex eisdem tabulis constat, ob quam victoriam verisimile est L. Aimilium tum primum Priuernatis cognomen inuenisse. Hi Consules Kal. Quinctilibus magistratum inierunt

Annus CCCCXXVI

Livius & Casiodorus Consules suggerunt P. Plautium Proculum, & P. Cornelium Scapulam, P. Cornelium A. Postumium Diodorus. Fasti Graeci Venocem & Scipionem, quare hunc non P. Sed C. Plautium esse arbitratus sum qui postea in censura quam cum Ap. Caeco gessit, ob inquisitas (ut Frontinus scribit) aquae venas venox appellatus est. Eum enim virum consularem fuisse vero simile est, nam ullum praeterea annum inuenimus quo Cos. esse potuerit. Viscerationem primum populo hoc anno datam à M. Flauio in matris funere prodit Liuius. Erat autem visceratio crudae carnis distributio, quae fieri solebat vel in solemni festo, vel in funere alicuius excellentis personae

Annus CDXXVII

Livius & Casiodorus Consules hoc anno edunt L. Cornelium Lentulum, Q. Publilium Philonem. Diodorus cognomina omittit. Philo autem hic est iterum consul

De M. Claudio Marcello Dictatore

Consulibus bello implicitis Dictatorem comitiorum habendorum caussa dici placuit. Dictus à L. Cornelio Cos. M. Claudius Marcellus, & ab eo mag. eq. Sp. Postumius cooptatus. Nec ab Dictatore comitia habita sunt, quia augures vitio eum creatum pronuntiauerunt, res ad interregnum rediit: Ex Liuio. Vterque horum ante Consul fuit

Annus CDXXVIII

C. Poetelius, & L.Papirius Cos. hoc anno memorantur à Liuio. C.Poetelius III. & L. Papirius Mugillanus à Casiodoro. Horum Consulum meminit Solinus cap.XXXV.L.(inquit)Papirio Sp.F.& C.Poetelio C.F.Cos.Alexandria condita est. Papirium Liuius quidem hic Mugillanum vocat,sed in aliis annalibus Cursorem se inuenire ait. In Fastis enim Graecis est Libo & Cursor. Quare ego eum Cursorem tantum nominare volui. Est enim is,qui postea quinquies Consul fuit, atque deinceps ab ipso Liuio Cursor appellatur. C.Poetelius II. non III. scribendum est,semel enim tantum antea Consul fuit. Eodem anno (inquit Liuius) lectisternium Romae quincto post conditam vrbem ijsdem quibus ante placandis habitum est, Dijs

De primo Proconsule, & Proconsulatu

QVVM comitiorum superioris anni instaret dies, & Publilium imminentem Palaepolitanorum muris auocari à spe capiendae vrbis haud è republica esset, actum cum tribunis est, ut ad populum ferrent, vt quum Publilius Philo consulatu abijsset, proconsule rem gereret, quoad debellatum cum Graecis esset. Palaepoli autem capta eidem triumphum esse decretum scribit Liuius. Qui addit duo haec singularia ei viro contigisse, prorogationem imperij non ante in vllo factam,& acto honore triumphum. Hic autem non alienum erit ab hoc instituto si de proconsulatu quoq; attente,& accurate verba faciam,quaenam dignitas ea fuerit? nam magistratum eã esse quibusdam non placet; Quae ut facilius intelligi posint, paulo altius omnem administrandarũ prouinciarũ ratio repetenda est. Vetus administrandarum prouinciarum forma ante tempora secundi belli Punici fuit,vt Consules Praetoresque statim inito magistratu sortirentur, aut inter se compararent prouincias,quas senatus nominasset,in quas proficiscerentur. Annuo autem sui magistratus imperio finito,sequẽtis anni magistratus succedebant, qua ratione fiebat ut prouincialibus magistratibus creandis nõ opus esset comitijs si ista ordinaria ratio obseruari semper potuisset,verũ bellis undiq; vrgentibus,saepius id nõ obseruatum est. Vnde factum est,ut extra ordinem mandare prouincias oporteret, ob idque ad populum ferri, vt cum designaret quem vellet in prouinciam mitti. Quod multis modis euenire poterat, vt extra ordinem aliquis magistratus mandaretur. Vno modo quum annuo finito imperio consulibus, & praetoribus, si Reip. tempora poscerent prorogabatur imperium, ijque proconsulibus & propraetoribus rem gererent. Atque ob hanc caussam Q.Publilio Philoni hoc anno ex consulatu imperium prorogatum est, qui idem hostibus victis primus procos. triumphauit, vt libro VIII. refert Liuius. Q. autem Valerius Falto propraetore primus ex Sicilia triumphauit, ut in triumphis Capitolinis edit Verrius Flaccus.Eundem.n.Praetorem rem prospere in Sicilia egisse scribit Valerius Maximus de iure triũphandi.Alia ratione fieri poterat vt ex praetura procos.mitteretur,idest cũ imperio consulari & cũ XII.fascibus ut Cos. nõ VI.vt Praetor;ut L.Aimilius ex Plutarcho,& L.Gellius ex Cicerone primo de leg. Quod imperiũ etiam priuatis extra ordinem mandatũ est,quibus autem mandatum erat, ij pariter procos. & propraetore rem gesserunt. Primus cui mandatum est hoc modo fuit T. Quinctius, de quo libro III. Liuius ita scribit: visum est proconsulẽ T. Quinctium subsidio castris cum sociali exercitu mitti. Pariter P.Scipio, qui postea Africanus fuit,ex priuato in Hispaniam cum imperio missus est; atque alij quidam post eum, donec eò Praetores cum imperio mitti coepti sunt. Item C.Octauius, de quo Cicero in XI.Philippica sic scribit, imperium Caesari extraordinarium mea sententia dedi, nam propr. ut esset decreuerat. Alio praeterea modo, extra ordinem fieri aliquid dicebatur, si extra sortem prouincia aliqua cuipiam decerneretur; tum enim si collega pati nollet beneficio sortis se excludi, populus rogari solebat, ut designaret quem uellet eam prouinciam obtinere. Sic scribit Liuius libro X.Q.Fabio extra ordinem prouinciam Etruriam à populo decretam. Quod si concedente collega quis prouinciam extra ordinem obtineret, tunc opus non erat consulere populum. Hic illud est animaduersione dignum,omnes quidem magistratus cum potestate fuisse,cum imperio vero non nisi eos quibus nominatim mandatum esset imperium; Ita enim scribit Festus: Cum potestate esse dicebatur ille, qui alicui negocio praefectus esset, cum imperio cui nominatim delatum imperium esset. Mandabatur autem imperium quum Reip. vsus postulabat Dictatori, Consuli, Praetori, & aliquando ut vidimus priuatis. Erat autem imperium rei militaris administrandae facultas. Quare Cicero Philippica V.dixit: Demus imperium C.Caesari, sine quo res militaris administrari non potest. Neque vero eodem tempore mandabatur magistratus, & imperium, neque ijsdem comitijs; nam magistratus primo deinde prouincia cum imperio deferebatur, & magistratus quidem ut consulatus, ac praetura nonnisi Centuriatis comitijs, imperium vero aliquando curiatis, aliquando tributis, aliquando etiam centuriatis. De curiatis Liuius libro V. comitia curiata quae rem militarem continent,centuriata quibus Cos. tribunosque militares creatis; & libro IX.ei legem curiatam de imperio ferenti triste omen diem diffidit,quod Fauciae cu-

riac

riae fuit principium duabus insignis cladibus. Et Cicero ad Appium: Appius dixit se se si licitum esset legem curiatam ferre, sortiturum esse cum collega prouinciam, si lex curiata non esset se comparaturum cum collega, sibique successurum, legem curiatam consuli ferre opus esse, necesse non esse, se quoniam ex S.C. prouinciam haberet, lege Cornelia imperium habiturum, quoad in vrbem introijsset. De tributis: Liuius libro XXIX. ita scribit: de Hispaniae imperio, quod in eam prouinciam duos proconsules mitti placeret latum ad populum est, omnes tribus eosdem L. Cornelium Lentulum, & L. Manlium Acidinum proconsules sicut priore anno tenuissent, obtinere eas prouincias iusserunt; & libro XXX. Consules iussi cum tribunis plebis agere, ut si ijs videretur populum rogarent, quem uellent in Africa bellum gerere, omnes tribus P. Scipionem iusserunt. De centuriatis: Liuius libro XXVI. ait. Iussi deinde inire suffragium ad unum omnes non centuriae modo sed etiam homines P. Scipioni imperium esse in Hispaniam iusserunt. Illud quoque considerandum proconsules, aut propraetores, vel si cum prorogato ex magistratu, vel si cum extraordinario essent imperio, sine magistratu fuisse, quod item ex Cicerone libro II. de diuinatione confirmatur. Bellicam rem administrari maiores nostri nisi auspicato uoluerunt, quum multi anni sunt, quum bella à propraetoribus, & proconsulibus administrantur, qui auspicia non habent. Neque enim nisi magistratus habebant auspicia, uel maiora si maiores, vel minora si minores essent. Quia uero hactenus triumphus non erat decretus iis qui priuati extra ordinem rem gessissent, propterea P. Scipioni ex Hispania non est decretus. Primus L. Lentulus ex ijs ut ouans vrbem iniret obtinuit, post Pompeius etiam ex Africa triumphauit. De L. Lentulo sic scribit libro quadragesimo primo Liuius: Res triumpho dignas esse censebat senatus, sed exemplum à maioribus non accepisse, vt qui neque dictator, neque consul, neque praetor res gessisset, triumpharet. Proconsule illum Hispaniam non Consulem, aut Praetorem obtinuisse, decurrebatur tamen eò vt ouans vrbem iniret. Intercedente TI. Sempronio Longo Trib. plebis, qui nihilo magis id more maiorum, aut ullo exemplo futurum dicebat; postremo victus consensu patrum tribunus cessit. Et ex S.C. L. Lentulus ouans Vrbem ingressus est. Quum autem nullus praeter magistratus in vrbe imperium habere posset, atque ij qui triumphabāt cum imperio triumphare mos esset, si is procos. aut propraetore esset triumphi tempore necesse erat ab aliquo tribuno populum rogari de imperio eius proconsulis, vel propraetoris, die triumphi intra vrbem habendo. Nam qui in magistratu triumphabant eiusmodi lege non tenebantur omne enim cuiusuis ducis imperium ubi is vrbem ingressus esset finiebatur. Hinc legimus multoties antiquis procos. vel propraetoribus negatum triumphum, idest eam legem ferri non permissam, qua de imperio eius intra vrbem ageretur. Et Caesar coactus est, triumphum amittere ne consulatu excluderetur, quum eius absentis ratio habita non esset, auctor Tranquillus. Non solum autem propraetoribus & procos. extra ordinem imperium datum fuisse, sed eadem ratione etiam quaestori aliquando imperium datum est, ut ait Sallustius in Catilina. Postea Piso in citeriorem Hispaniam quaestor propraetore missus est adnitente Crasso. De quo antiqua haec adhuc in vrbe extat inscriptio.

CN. CALPVRNIVS
CN. F. PISO
QVAESTOR. PRO. PR. EX. S. C
PROVINCIAM. HISPANIAM
CITERIOREM. OBTINVIT

Postremo quum antea Consules & Praetores in ipsomet magistratu prouincias sortirentur, quas eorundem magistratus annuo tempore administrarent, post quaestiones perpetuas constitutas, annumque vrbis DCV. institutum est, ut Consules & Praetores (nisi bellis vrbe auocarentur) in vrbe manerent sui magistratus anno, atque quot annis consulares quaedam, quaedam praetoriae prouinciae decernerentur, in quas consules aut praetores post magistratum annuum accepto imperio mitterentur, quemadmodum in oratione de prouincijs consularibus intelligi potest: ijdemque pariter procos. & propraetores dicerentur. Et quamquam summum esset vtrorumque imperium in prouinciis quibus praeerant, maior tamen erat proconsulum dignitas quam propraetorum, quod hinc apparet, quod non modo maiorem exercitum, plures fasces haberent proconsules, sed alia omnia ornamenta consularia, propraetores vero tantum insignia praetorum habebant. Ex his autem quidam procos. aut propraetores, aut proxime post quam magistratu abiissent, aut aliquot annis interpositis in prouincias mittebantur. Si subito ibant, vt P. Lentulus in Ciliciam, tum ordinario imperio iri dicebantur. Si uel annorum spacio interposito, ut in eandem Cicero, uel praeter eos qui magistratus gerebant, Respub. aliquo excellenti imperatore opus haberet, ut quum Cn. Pompeius aduersus piratas procos. creatus est, extraodinario. Nam Cicero ad Atticum libro IX. imperium suum proconsulare in Ciliciam extraordinarium vocat. Idem de propraetoribus iudicari debet. Quod Coelius ad Ciceronem his verbis docet: Senatui placere in Ciliciam prouinciam, inque reliquas octo prouincias, quas praetorij propraetoribus obtinuerunt eos, qui Prae-

tores fuerunt, neque in prouincia cum imperio fuerunt, quos eorum ex S.C. cum imperio in prouincias mitti oporteret, eos sortito in prouincias mitti oportere. Saepe autem haec omnia nomina, (ne quis mendum esse existimaret) à scriptoribus confunduntur. Nam saepe praetor, pro propraetore poni solet; vt C. Verres Siciliæ praetor, idest cum praetorio imperio, postquam praetor vrbanus fuerat, item praetor pro proconsule, vt C. Caesar Galliae praetor, Rupilius Siciliae, in quas tamen prouincias ex consulatu missi fuerant. Item Cos. pro procos. vt quum ait Liuius: P. Scipionem Cos. in Africa bellum gessisse. Postremo pro cos. pro propraetore, vt Q. Cicero Asiam proconsul obtinuit, ita Tranquillus, quum tamen eam ex praetura sortitus sit. Illud autem diligenter animaduerti debet, consulares prouincias non fuisse certas quasdam ex Romanis prouinciis, quae non possent nisi consulares esse, sed pro Senatus arbitrio consulares fiebant, in quas cum imperio consulari mittebantur, praetoriae in quas cum imperio praetorio, ita vt vicissim quae consulares fuerant, praetoriae fierent, & quae praetoriae ante fuerant consulares. Adeo autem in arbitrio Senatus hoc erat, vt interdum ignobiles admodum prouinciae consulares fierent, vt ait in Caesare Tranquillus: Eandem ob caussam opera optimatibus data est, vt prouinciae futuris consulibus minimi negocii, id est siluae callesq; decernerentur. Porro autem solebant postremis illis temporibus consules fere totum annum sui consulatus in vrbe consumere, nec fere in prouincias proficiscebantur, nisi ad finem anni praesertim si nullum esset in prouincia bellum, quod ad properandum vrgeret, qua ratione fiebat, vt cum anno consulatus continuarent saltim, & alterum annum proconsulatus. Nec sicut prioribus temporibus terminato anno consulatus, rogandus erat populus de prorogando imperio, sed absque vlla rogatione ex S. C. habebant in prouincia imperium finito etiam anno sui consulatus. Erat autem hoc commune omnibus prouinciarum magistratibus, vt tandiu obtinerent in prouinciis imperium, quamdiu successor non mittebatur, si quidem ipsi in prouincia esse vellent peracto tempore S. C. nec singulis annis ferendum erat ad populum de prorogando imperio sicut prioribus temporibus fieri solebat, sed semel obtentum imperium eò vsque detinebatur, dum successor mitteretur. Quod (vt dixi) post constitutas quaestiones perpetuas factum fuisse existimo, circa annum vrbis DCV. Cicero in epistola nona libri primi ad Lentulum addit lege Cornelia cautum fuisse, vt quam primum vrbe egressus esset is, cui prouincia decreta esset imperium haberet, quoad in vrbem repedasset. Ex quibus perspicuum est lege Cornelia decretum esse, vt quod superioribus temporibus extraordinarium erat, ob idque populi auctoritatem interuenire necesse erat, ordinarium fieret, vt iam rogatione de prorogando imperio opus non esset, si successor non mitteretur, nec ijs rogatio Trebonia repugnat, qua latum est ad populum, vt Caesari imperium in Gallia in aliud quinquennium prorogaretur, hac enim lege volebat Trebonius Pompeio & Crasso auctoribus Senatui potestatem de ea prouincia decernendi tollere, vt ne liceret ante quinquennium successorem mittere. Nam si successorem misisset Senatus omnino ei decedendum fuisset, lege enim Cornelia XXX. tantum dies concedebantur magistratui ad decedendum, postquàm successorem in prouinciam ingressum sciebat, vt Cicero in Ep. ad Appium VI. libri III. docet. Atque in his prouincijs hac ratione decernendis, populi suffragijs opus non erat, sicut nec prius, quum nihil extra ordinem fieri contigisset. At si prouinciae extra ordinem decernerentur, vt Ciceroni Cilicia, Bibulo Suria, L. Domitio Gallia, quae consulares; vel Cn. Pisoni Hispania, & Catoni Cyprus, quae praetoriae extra ordinem datae sunt (quod multis de caussis fieri solebat), tum populi suffragiis ad eos procos. vel propraetores creandos opus erat praesertim post legem Corneliam à C. Cornelio tribuno plebis perlatam, qua vt scribit Diò Libro XXXVI. cauebatur, vt esset quidem in Senatus potestate imperia extra ordinem dare, omninoq; legibus soluere, sed ita, vt post rogatio ad populum veteri more de ea re ferretur, quam rogationem à populo omnino iuberi necesse esset. de qua lege mentionem facit & Pedianus, haec autem lata fuit Anno vrbis DCXXCVII. C. Pisone & M. Glabrione Cos. Qua ratione autem prouinciae Romanae postea à Diuo Augusto in prouincias Caesaris & populi diuisae fuerint, atque ex populi prouincijs quasdam fecerit consulares, quasdam verò praetorias, latius disputabo in eo libro quem de imperii Romani forma scribere institui

Annus CDXXIX

Livivs & Cassiodorus Consules in hunc annum referunt L. Furium Camillum II. Iunium Brutum Saeuam. Diodorus L. Furium D. Iunium

De L. Papirio Cursore Dictatore, & Anno CDXXX. in quo ipse Dictator sine Cos. fuit

L. Furium cui Samnium Prouincia euenerat morbo implicitum fortuna bello subtraxit, iussusque dictatorem dicere rei gerendae caussa, dixit L. Papirium Cursorem longe clarissimum bello ea tempestate, à quo Q. Fabius Maximus Rullianus mag. eq. dictus est. Cui postea dicta-

tor

tor quia iniussu suo, se Romam ad auspicia repetenda profecto, cum Samnitibus quamuis prospere pugnauerat, magisterium equitum abrogauit, & in eius locum L. Papirium Crassum fecit: Ex Liuio, Valerio libro II. Eutropio, & Plinio iuniore de viris illustribus. L autem Papirium Crassum eum esse existimo, cuius antea Dictatoris hic Cursor mag. eq. fuit. Q. vero Fabius ex sequentibus magistratibus in tabulis Capitolinis descriptus est, M. Ambusti qui ter Cos. & Dictator fuerat filius, testibus Liuio, & Plinio lib. VII. cap. XLI. Liuius autem de eo ita loquitur, ac si tantum superiore anno Dictator fuerit. Verum ex triumphis Capitolinis eum in hunc annum magistratum sine consulibus continuasse constat. Quod ei necessario faciendum fuerat, si Capitolinam & Varronis annorum summam tueri quis velit. Hunc etiam Dictatoris sine consulibus annum ne Glareanus quidem, & Haloander veterum librorum copia adiuti omiserunt

Annus CCCCXXXI

L. Papirius Dictator antequam magistratu abiret Consules creauit C. Sulpicium Longum II. Q. Aimilium Cerretanum, Aulium quidam annales habent: ita Liuius. Sane in tabulis Capitolinis Q. Aulij Q. F. AI. N. Cerretani mentio est. Diodorus mendose pro Aulio Aelium habet

Annus CCCCXXXII

Q. Fabius & L. Fuluius Consules in hunc annum referuntur à Liuio, & Casiodoro, quos Q. Fabium Maximum Rullianum, & L. Fuluium Curuum nominant Capitolini triumphi

De A. Cornelio Cosso Aruina Dictatore

A. Cornelius Aruina Dictator, & M. Fabius Ambustus mag. eq. exercitum aduersus Samnites duxerunt, reque bene gesta Dictator ex S. C. triumphauit. Hoc bellum à Cos. bellatum quidam auctores sunt, eosque de Samnitibus triumphasse: nec discrepat quin dictator eo anno A. Cornelius fuerit; id ambigitur belli ne gerendi caussa creatus sit, an ut esset qui ludis Romanis, quia L. Plautius Praetor graui morbo forte implicitus erat, signum mittendis quadrigis daret, functusque eò haud sane memorandi imperij ministerio, se dictatura abdicaret. Nec facile est aut rem rei, aut auctorem auctori praeferre: haec Liuius. Alios annales sequutus Verrius Flaccus, qui ad Consules, non ad Dictatorem triumphos contulerunt. Quare ego hoc anno Dictatorem & ludorum Romanorum, & rei gerundae caussa creatum fuisse scripsi. De ludis Romanis, & ijs quorum munus mittendis quadrigis signum dare esset, apertius disputaui in ijs libris quos de Romanorum ludis conscripsi. Ceterum Dictator bis antea Cos. fuit, M. vero Fabium fratrem esse existimaui Q. Fabii Maximi Rulliani, nam & alterum fratrem habet ex tabulis Capitolinis C. Fabium Ambustum

Annus CCCCXXXIII

Hoc anno T. Veturium Caluinum, & Sp. Postumium consules edunt Liuius, & Casiodorus. Cicero III. de offic. eos II. Consules esse scribit. Zonaras alterum TI. Caluinum vocat familiari gentis Veturiae praenomine. Fasti Graeci Caluinum & Albinum produnt. Horum Consulum & Caudinae pacis, deque legionibus sub iugum à Samnitibus missis meminerunt Cicero II. de senectute, Liuius, Valerius, Iuuenalis, Plinius de viris illustribus, Gellius libro XVII. cap. XXI. Florus lib I. cap. XVI. Eutropius, & Orosius libro III. cap. XV

De Q. Fabio Ambusto, & M. Aimilio Barbula Dictatoribus

Consules domum reuersi post quam sub iugum à Samnitibus Duce C. Pontio, missi fuerunt, & turpe foedus fecerunt, in priuato abditi nihil pro magistratu agere, nisi quod expressum S. C est, vt Dictatorem comitiorum caussa dicerent, Q. Fabium Ambustum dixerunt. Is P. Aelium Paetum mag. eq. dixit. Iis autem uitio creatis suffectus est M. Aimilius Papus Dictator, L. Valerius Flaccus mag. eq. nec per eos comitia habita, res ad interregnum redijt. Primum mag. eq. filium esse existimaui P. Aelij Cos. Anno CDXVII. M. Aimilium Dictatorem non Papum sed Barbulum esse existimaui quod Romae in domo Caesia antiquissima sit haec inscriptio

M. AIMILIVS. M. F. L. N
BARBVLA. DICTATOR

neque quo praeterea anno esse posit inuenerim. At per haec tempora in Fastis aliquot Barbularum consularium mentio est. Is autem frater patruelis esse potuit Q. Aimilij Q. F. L. N. Barbulae qui quarto anno post consul erit. L. Valerio alterum quoque Potiti cognomen adiunxi, quod eum esse existimarim, qui antea semel mag. eq. fuit

Annus CCCCXXXIV

Livivs & Casiodorus Consules in hunc annum produnt Q. Publilium Philonem, & L. Papirium Cursorem II. Philonem autem nunc III. Cos. esse superiores consulatus demonstrant

De tribus Dictatoribus qui hoc anno fuerunt

Ex fragmentis tab. Capitol. apparet tres hoc anno Dictatores cum tribus mag. eq. creatos, verum cur facti aut suffecti fuerint parum constat. Non est autem dubium quin primi fint C. Mainius

Mainius & M.Foslius,quod eos II. fuisse in tab.Cap.scriptum sit anno CDXL. quo anno à Liuio quaestionum exercendarum, à Verrio autem Flacco rei gerundae caussa creati dicuntur. Ita enim eo anno scribit Liuius: Eodem anno quũ omnia infida Romanis essent,Capuae quoq; occultae principum coniurationes patefactae, de quibus quum ad senatum relatum esset haud quaquam neglecta res est,quaestiones decretae, Dictatoremq; quaestionibus exercendis dici placuit; C.Maenius dictus, Is M.Foslium mag. eq. dixit. Qui autem eo anno rei ger. caussa creati traduntur in tab.Cap.à Verrio Flacco, hoc ipso anno, ego eos quaestionum exercendarum caussa creatos scripsi. Qui eos sequuntur sunt L.Cornelius Lentulus vir consularis, & L. Papirius Cursor, non ille qui hoc anno II. Cos.est sed eius filius. Eos rei ger.caussa creatos dixi, quod Liuius ambiguum esse dicat L.ne Cornelius Dictator, cum L. Papirio Cursore magistro eq.res ad Caudium & Luceriam gesserit, an Consulis Papirij id praecipuum decus fuerit. Postremos T.Manlium Torquatum qui bis antea Dictator fuerat,& L.Papirium Crassum L.Papirij Crassi consularis & Dictatorij viri filium mag.eq.fuisse existimo,comitiorum habendorum caussa creatos. De eis enim nihil scribit Liuius; in fragmento autem ita est

C.MA-	L.CORN-	T.MANLI-
M.FOS-	L.PAPIRCV-	L.PAPIRCV-

Annus CDXXXV

Livivs dubitari ait Cursor ne Papirius hoc anno cum Q. Aimilio Cerretano, iterum ob rem bene gestam Luceriae continuato magistratu Consul III. creatus sit,an L.Papirius Mugillanus & in cognomine erratum sit. Casiodorus L. Papirium Q. Aulium Cerretanum prodit. Cursorem probat Capitolinus eius triumphus. Auctor libri Cuspiniani alios annales sequutus Mugillanum edit. Vterque autem Consul ex tabulis Capitolinis descriptus est

De Censoribus

Censores hoc anno fuisse; & ex his alterum eorum tantum docent fragmenta Capitolina, Is fuit C.Sulpicius longus,qui bis antea & postea III.Cos.erit.alterum exaesis omnino litteris eruere non potui. Lustrum autem non condiderunt, ob eius cuius nomen intercidit mortem: reliqua parum comperta

Annus CDXXXVI

Qvvm duodecim sequentibus annis integras habeamus tabulas Capitolinas non erit multũ laborandum in magistratuum nominibus restituendis. Liuius & Casiodorus eosdem quos Verrius Flaccus Cos.edunt M.Foslium Flaccinatorem, L.Plautium Vennonem. Diodorus L. Plotium & Manium Fuluium profitetur

De Censoribus, & lustro XXXV

Horvm Censorum simul nullus quod sciam praeter tabulas Capitolinas meminit. Sex.Pompeius: Moeniana (inquit) appellata sunt à Moenio Censore. Liuius Censores hoc anno fuisse innuens, duas tribus additas scribit Oufentinam & Falerinam, adiicitque huius aetatis lustris ducena quinquagena millia ciuium censeri solita. Ita ut manifeste iam constet, quoties additae sunt nouae tribus eodem etiam tempore Censores qui eas adderent extitisse

Annus CDXXXVII

Liuius Consules edit C.Iunium Bubulcum, Q.Aimilium Barbulam. Diodorus & Casiodorus cognomina tacẽt, reliqua produnt tabulae Capitolinae

Annus CDXXXVIII

Sp.Nautius M.Popillius Cos.digeruntur à Liuio & Casiodoro, reliqua ex tab.Capitolinis

De L.Aimilio Mamercin. Priuernate II. Dictatore

Livivs Dictatori L.Aimilio à consulibus legiones traditas scribit, eumque cum L.Fuluio mag.eq. Saticulam oppugnare adortũ rebellãdi caussam Samnitibus dedisse. Reliqua ex tab.Cap.

Annus CDXXXIX

Nomina consulum huius anni librariorum culpa exciderunt apud Liuium, ceterum à tabulis Capitol. Casiodoro,& libro Cuspiniani, L.Papirius IIII.& Q.Publilius Philo IIII. referuntur

De Q.Fabio Maximo Dictatore

Hoc anno Dictatorem Q.Fabium. Mag.eq.Q.Aemilium Cerretanum cum Samnitibus pugnasse auctor est Liuius, qui in alijs annalibus pro Aemilio Aulium se reperire ait, & mag. eq. Aulio in proelio occiso suffectum C.Fabium. Quae omnia diligenter in tabulis Capitolinis notata sunt, in quibus Q.Aufius Q.F.Al.nepos dicitur. Quid autem Al. praenomine intelligatur, nisi Aulum interpretemur, obscurum

Annus CCCCXL

C.Sulpicius M.Poetelius Cos.memorãtur à Diodoro, Liuio, & Casiodoro, reliqua ex tabulis Capitolinis

De

De C. Mainio Dictatore II

Qvos tabulae Capitolinae rei ger. caussa creatos scribũt Dictatorem & mag. eq. eos quaestionum exercendarum prodit Liuius, quod ego in superiori utriusque magistratu animaduerti

Annus CCCCXLI

De his consulibus praeter tabulas Capitolinas mentionem faciunt Diodorus, Liuius. Sex. Pompeius libro XVIII. & Casiodorus

De C. Poetelio Libone Dictatore

C. Poetelius Dictator cum M. Foslio mag. eq. à consulibus exercitum accepit. Nola siue à Poetelio Dictatore, siue ab Iunio Cos. capta est. Alij Poetelium pestilentia orta claui figendi caussa Dictatorem dictum scribunt: ex Liuio. A quibus Capitolinae tabulae in eo dissentiunt, quod pro M. Foslio mag. eq. M. Poetelium Libonem, neque claui figendi, sed rei gerundae caussa Dictatorem creatum produnt

Annus CCCCXLII

Livivs M. Valerium Maximum & P. Decium Murem Cos. profitetur, cognomina silet Cassiodorus. Frontinus de aqueductibus horum Consulum meminit. Quos XXX. annis post initium belli Samnitici fuisse scribit. Reliqua ex Verrio Flacco. De hoc P. Decio extat in antiquae vrbis epigrammatum libro hoc elogium

De C. Sulpicio Longo Dictatore

Altero Cos. in Samnio reliquias belli persequente P. Decius qui grauiter aeger Romae restiterat, auctore senatu ad belli Etrusci famam Dictatorem C. Iunium Bubulcum dixit ita Liuius. At Verrius Flaccus C. Sulpicium Longum, mag. eq. C. Iunium Bubulcum scribit. Ex quo intelligi potest graue apud Liuium mendum esse, & librarium praeterito uersu in quo C. Sulpicius Dictator erat ad Iunium transcendisse, praesertim quum Liuius nullius magistri eq. meminerit. Itaque apud eum ita reponendum P. Decius Dictatorem C. Sulpiciũ, is mag. eq. C. Iunium Bubulcum dixit

P . DECIVS . DECI . F
PRIMVM . COS
DE . SAMNITIBVS
TRIVMPHANS
SPOLIA . EX . IEIS
CERERI . CONSECRAVIT
ITERVM . ET . TERTIVM
CONSVL : : : : : : : : :

De Censoribus, & lustro XXVI

Censores hoc anno refert Liuius Appium Claudium Crassum, cui postea cognomen Caecus fuit, & C. Plautium. Verrius Flaccus Ap. Claudium Caecum, & C. Plautium Venocem. Huius Censurae meminerunt Cicero V. Tuscul. de senectute, de haruspicum resp. pro Milone, pro M. Coelio. Diodorus libro XX. Val. Max. lib. I. & VIII. cap. II. & XIIII. Plutarchus, vterque Plinius, L. Florus, Frontinus in libro de aquaeductibus, Sex. Pompeius, Vlpianus III. I. I. Pomponius I. II. II. Eusebius, Eutropius, Orosius, Proenpius, Cassiodorus, & Beda. Ap. Claudius in censura aquam Appiam in vrbem adduxit, & viam Appiã strauit. Cur Caecus appellatus fuerit Liuius & Diodorus scribũt. Cur C. Plautius in hoc honore Venox appellatus fuerit refert Frõtinus

Annus CDXLIII

Iidem Consules hoc anno sunt apud Liuium, Cassiodorum, & Diodorum, qui sunt in tabulis Capitolinis. Quibus cum Etruscis & Samnitibus bellatum, deque eis triumphatum ab vtrisque consulibus scribit Liuius, & tabulae referunt Capitolinae

Annus CDXLIV

Eosdem etiam Consules in hunc annum edit Verrius Flaccus, quos Diodorus, Liuius, & Cassiodorus. C. vero Marcius in secunda censura Censorinus appellatus est anno CDXCIX. Eius filius qui primus de plebe dictator fuit dicitur à Liuio in anno CDLX

De Anno CDXLV. & L. Papirio Cursore Dictatore II. sine consulibus

Hvnc quoque sine consulibus annum, nescio cur, interponit Verrius Flaccus, in quo L. Papirium Cursorem II. Dictatorem cum C. Iunio Bubulco Bruto II. mag. eq. fuisse tradit. Eum annum Diodorus, Liuius, Fasti Graeci, liber Cuspiniani, & Cassiodorus transcendunt. Nam Liuius scribit L. Papirium Cursorem cum C. Iunio Bubulco mag. eq. Q. Fabio & C. Marcio Cos. dictum, quod res non satis prospere à C. Marcio Cos. in Samnitibus essent gestae. Ego quoque hanc huius anni interpositionem probare coactus sum ut annorum Varronis summa, quae tabulis Capitolinis annum addit, constet. Eam enim sequi in his Fastorum libris institui. Ceterum Fabium Pictorem hos quinque sine consulibus annos nequaquam admisisse crediderim, qui in annalibus tabularum Capitolinarum summae quinque annos detraxit

Annus CDXLV

Fabio continuatum consulatum ob egregie domitam Etruriam, eidemque Decium collegam datum prodit Liuius. Quos hoc anno Consules fuisse Diodorus, Verrius Flaccus, & Cassiodorus confirmant

Annus

Annus CDXLVII

Diodorus, Liuius, & Cassiodorus consules suggerunt Ap. Claudium & L. Volumnium. Reliqua ex tabulis Capitolinis adiunxi. Violens ne an Violensis in alterius Consulis cognomine dicendum sit, animaduertendum; lapis enim Capitolinus semper Violens scribit, at Fasti Graeci Appium & Βιολέντος edunt, quasi Violensem.

De Censoribus, & lustro XXVII

Non hoc anno sed sequenti Censores referuntur à Liuio C. Iunius Bubulcus, & M. Valerius Maximus, quos hoc anno lustrum XXVII condidisse prodit Verrius Flaccus. Horum censorum meminit Valerius Maximus libro II. cap. IIII. de censoria nota

Annus CDXLVIII

Livius & Cassiodorus Consules hoc anno profitentur P. Cornelium Aruinam, Q. Marciũ Tremulum. Diodorus cognomina tacet. Q. Marcius in triumpho huius anni descriptus est à Verrio Flacco. P. Cornelius ex censura Capitolina anni CDLX. Quorum vestigia in tabulis Capitolinis adhuc apparent; deinceps enim fractae & exaesae sunt usque ad annum CDXC. Eodem anno (inquit Liuius) cum Carthaginiensibus foedus tertio renouatum, legatisq; eorum qui ad id venerant, comiter munera missa.

De P. Cornelio Scipione Barbato Dictatore

Dictatorem hic annus habuit P. Cornelium Scipionem cum mag. eq. P. Decio Mure comitiorum habendorum caussa, quae neuter Cos. habere potuerat bello impeditus: Ex Liuio. Scipio Barbatus, Cornelij; Mus Decij cognomina extant adhuc in fragmentis Capitolinis.

Annus CDXLIX

L. Postumius Ti. Minucius Consules referuntur à Diodoro, Liuio, & Cassiodoro: liber Cuspiniani Megellum edit & Augurinum. Hos Consules L. Piso Q. Fabio, & P. Decio suggerit biennio exempto quo Claudium Volumniumque, & Cornelium cum Marcio Cos. factos esse tradidimus, memoria ne fugerit in annalibus digerendis, an consulto omiserit, duos Consules falsos ratus transcenderit incertum est: ita Liuius. Et subiicit: Minucium Consulem in Samnites profectum cum vulnere relatum in castra mortuum, quidam auctores sunt. Et M. Fuluium Consulem in eius locum suffectum: hos annales sequutus est Verrius Flaccus. In hoc collegio Ti. Minucius Augurinus locum obtinet consulis plebeii, argumento est quod in eius demortui locum alter plebeius M. Fuluius suffectus est. Nam quum Minucii Augurini patricii essent, auctore L. Minucio ad plebem se contulerunt anno CCCXV. Liuio & Plinio auctoribus. L. Postumius ex secundi consulatus, M. vero Fuluius, ex huius anni triumphis Capitolinis descripti sunt. Hoc etiam anno Megellum Postumii cognomen, Tiberium Minucii, & Marcum Fuluij praenomina edunt fragmenta Capitolina

Annus CDL

Consules hoc anno facti sunt Liuio & Cassiodoro auctoribus P. Sulpicius Sauerrio, & P. Sempronius Sophus. Diodorus cognomina praeterijt. Eorundem meminit Plinius lib. XXXIII. Cap. I. Sed Sempronium Longum vocat. Ambo ex eorum triumphis Capitolinis descripti sunt, in consulatu enim tantùm extat Sophus & Publius, reliqua exaesa

De Censoribus, & Lustro XXVIII

Censores in hunc annum vna cum Verrio Flacco coniecit Liuius P. Decium, & Q. Fabium, quorum etiam meminit Valerius libro II. Cap. I. qui Q. Fabium in hoc magistratu Maximum appellatum fuisse tradunt, quod Plutarchus in Pompeio, & Auctor de uiris illustribus confirmant: quum autem Maximus in hoc honore dictus sit: miror cur in prioribus magistratibus hoc cognomine à Liuio, & Verrio Flacco affectus sit. Porrò ab his censoribus lustrum conditum fuisse sequentia Capitolina lustra indicabunt

Annus CDLI

Diodorus, Liuius, & Cassiodorus Consules hoc anno memorant L. Genucium & Ser. Cornelium. Cornelio cognomen patris, auique praenomina addunt tabulae Capitolinae, Genucium autem filiũ esse existimaui eius L. Genucii Auentinensis, qui quinquaginta annis ante II. Consul fuit. Fasti Graeci habent Lentulum Auentinensem

Annus CDLII

Consules hoc anno prodit Diodorus M. Liuium M. Aimilium. Liuius C. Aimilium, Cassiodorus L. Aimilium. De Aimilii praenomine Diodoro potius credo, praesertim quum anno sequenti apud Liuium mentio fit M. Aimilii Paulli mag. eq. quem eundem cum hoc consule esse duxi. M. Liuius C. Nepos Denter scribitur in Fastis Capitolinis. Fasti Graeci, & Cuspinianj liber Dentrem & Aimilium Paullum horum consulum cognomina referunt. M. vero Aimilii Paulli pater & auus descripti sunt ex eius magisterio eq. Capitolino anno sequenti

De

De C. Iunio Bubulco Bruto Dictatore

C. Iunium Bubulcum Dictatorem cum mag. eq. M. Titinio rei gerundae caussa in hunc annum creatum prodit Liuius, Dictatoris cognomina, & patris auique magistri eq. praenomina extant in tabulis Capitolinis

De duobus Dictatoribus Anni CDLIII

Et hunc annum quoque duorum Dictatorum sine Consulibus meis Fastis ex Capitolinorũ tamen fragmentorum auctoritate cogor interponere, vt Varronis annorum summa omnino conueniat, quae hoc praeterito tota laberetur; quamuis Diodorus, Liuius, & Cassiodorus dissentiant, annumque hunc omnino praetereant. Ita enim scribit Liuius, quum de priore anno loquitur; Multiplex deinde exortus terror; Etruriam rebellare nuntiabatur. Itaque propter eum tumultum dictus M. Valerius Maximus Dictator, magistrum eq. sibi legit M. Aimilium Paullum. Id magis credo quam Fabium Maximum ea aetate atque eis honoribus Valerio subiectum. Ceterum ex Maximi communi cognomine ortum errorem haud abnuerim: & paulo infra: Proelio ab Dictatore cõmisso, fractae iterum Etruscorum opes, Dictator triumphans in vrbem rediit, Consul ex dictatura factus M. Valerius; Non petentem, atque adeo absentem etiam creatum credidere quidam, & per interregem comitia facta. Id vnum non ambigitur, consulatum cum Appuleio Pansa gessisse: ita Liuius. Vbi primum est animaduersione dignum Liuium aperte non distinguere an hic M. Valerius Dictator eodem anno fuerit, quo C. Iunius Bubulcus, an alio. Quos non eodem anno fuisse omnino necesse est, vt annorum Capitolinorum summa constet, quod & Verrius Flaccus aperte demonstrat. Verum annus hic sine Cos. prorsus interponendus est. Deinde Liuius non nisi vnum dictatorem edit M. Valerium Maximum, quum duo ab ipso Flacco referantur, quorum primus est Q. Fabius Maximus Rullianus, quod ex huius fragmenti praenominibus liquet M.F.N.N. MAX. Cuius mag. eq. fuit M. Aimilius Paullus, vt ex eisdem fragmentis apparet, in quibus est ILIVS. L.F.L. Alterum vero Dictatorem fuisse, ex eisdem tabulis in quibus ita scriptum superest M.F.M.N. M. Valerium Coruum elicitur; quod ex eius huius anni triumpho confirmatur, in quo II. Dictator IIII. triumphare traditur, quae Maximo nulli conueniunt. Cuius Mag. equitum ex verbo ONIVS. Sempronium quendam fuisse necesse est; quem ego P. Sempronium Sophum virum consularem esse suspicatus sum. Liuius itaque Dictatorem Q. Fabium Maximum, & alterius Dictatoris mag. eq. P. Sempronium Sophum praeteriit, atque alterius Dictatoris Q. Fabij magistrum eq. M. Paullum, altero Dictatori M. Valerio, quem Maximum appellat, adiecit, errore haud dubie eorum annalium quos sequutus est, ex communi Maximi cognomine orto, ut idem scribit. Eos autem hoc anno sine consulibus fuisse, & annorum summa requirit, & tabulae fragmentum aperte indicat, in quo est NO. DICTAT. idest: Hoc AnNo. DICTAT. & mag. eq. sine Cos. fuerunt, noto dicendi modo. Quae autem de duobus dictatoribus Fabio Maximo & Coruo dixi, ea libri Cuspiniani auctoritate confirmantur, in quo est ita

Dentre & Paullo. Coruo II. & Rulliano .Coruo V. & Pansa

Nam Denter & Paullus consules sunt, Coruus II. & Rullianus in unum annum duo dictatores sunt. Deinde in tertium annum sequuntur Consules Coruus V. & Pansa, neque vero Coruus II. Consul esse potest cum Rulliano, quia neque id ab vllo traditur, neque II. sed V. esset scribendus, neque eum legitur nisi sexies Consulem fuisse, habenturque omnium sex consulatuum collegae, ita ut VII. Consul postea contra omnes historicos dicendum esset. Fragmentum autem hoc est

M. F. N. N. MAX
ILIVS. L.F.L.
NO. DICTAT.
M. F. M. N.
ONIVS
F. C. N

Annus CDLIIII

M. Liuio & M. Aimilio duorum Dictatorum sine consulibus anno praeterito, Liuius & Cassiodorus suggerunt consules M. Valerium, & Q. Appuleium Pansam. Fasti Graeci Coruinum & Pansam. M. autem Valerium Maximum uidetur intelligere Liuius, quod eum ex dictatura Cos. factum ait, Dictatorem autem M. Valeriũ Maximum superiori anno aperte scribit. In quo quum ex Verrio Flacco pro Maximo dictatorem Coruum scripserim, sic hoc etiam loco Coruũ consulem non Maximum facio. Primum ut Coruus nunc sit Cos. V. apud Liuium, quum anno sequenti certum sit eum VI. esse. Deinde quia Fasti Graeci, in quibus est Coruinus & Pansa; & liber Cuspiniani in quo est Coruus V. & Pansa, hoc aperte demonstrant. Auus Q. Appulei Cos. in tabulis Capitolinis est Gaius. Hoc anno antiquis quattuor auguribus & totidem pontificibus patricijs, quinque augures, & quattuor pontifices omnes de plebe primum additos fuisse scribit Liuius, atque octo pontifices, & nouem augures factos, quorum utrorumque numerum Sulla Dictator postea ad XV. auxit. Quo anno etiam tertio post vrbem conditam lex de prouocatione lata est à M. Valerio Maximo ut idem Liuius auctor est

Annus

Annus CDLV

Livius & Cassiodorus Consules hoc anno edunt M. Fuluium Paetum, T. Manlium Torquatum. Fasti Graeci Paetinum & Torquatum. M.Fuluius ex consulatu Capitolino formatus. T.Manlium filium esse existimo eius T. Manlij, quem pater Torquatus, quod iniussu suo pugnauerat occidit. Ceterum T.Manlius aduersus Etruscos rebellantes missus, quum inter equites exerceretur, ab rapido cursu circumagendo equo effusus, extemplo prope expirauit, tertio die post casum obijt. M.Valerium Consulem omnes centuriae dixere, quem senatus dictatorem iussurus erat: Haec Liuius. M.autem Valerium Coruum intelligit quem Cicero de senectute, Val.Max.lib.VIII.cap.XIIII. Plinius libro VII.cap.XLVIII. Plutarchus in C.Mario, VI. Consulem fuisse scribunt; cuius inter primum & sextum consulatum XLVI. annos fuisse, sella curuli cum semel ac vicies sedisse, quoties nemo alius, centumque annos vixisse tradunt. Omnes tamen Coruinum non Coruum appellant

De Censoribus, & lustro XXIX

Eo anno (inquit Liuius) & lustrum conditum à P.Sempronio Sopho & P.Sulpicio Sauerrione, tribusque additae duae Aniensis & Terentina. Hoc lustrum XXIX. ex, XXX. quod proxime sequitur intelligi potest. Hi censores ex suis consulatibus descripti sunt

Annus CDLVI

Cn. Fuluius & L.Cornelius Scipio Consules memorantur à Liuio, & Cassiodoro, Scipio & Centumalus à libro Cuspiniani, Scipio & Maximus à Fasteis Graeceis. L.Cornelium patrem esse existimaui L.Cornelij L.F.Cn.N.Scipionis Cos.anno CDXCV.Cn. Fuluius ex triumpho Capitolino formatus

Annus CDLVII

Livius & Cassiodorus Consules in hunc annum profitentur Q.Fabium Maximum IIII. & P.Decium Murem III. eosdem referunt liber Cuspiniani, & Fasti Graeci. P. Decij ter consulis meminit auctor de uiris illustribus, & Frontinus in libro Stratagematum

Annus CDLVIII

L.Volumnius de plebe & Ap.Claudius ex patribus qui una ambo Consules fuerant, II. hoc anno consulatum sunt adepti Liuio & Cassiodoro auctoribus; inter quos consulatus Cicero in Catone decem annos interfuisse ait

Annus CDLIX

Consules deinde subsequuti Q.Fabius V. P. Decius IIII. qui iam in duobus consulatibus & censura collegae fuerant, Liuio & Cassiodoro testibus. Horum praeterea Consulum meminerunt Cicero saepissime, Val. Maximus, Paterculus, Plutarchus, Frontinus primo Stratag. Auctor de viris illustribus, Eutropius, Orosius, & alij, qui omnes referunt P. Decium Cos. bello quod populus Romanus cum Samnitibus Gallis, Tuscis, & Vmbris gerebat, patris exemplum sequutum, se pro legionibus deuouisse, atque morte sua victoriam egregiam populo Romano attulisse. Hoc anno in fragmento tab.Capitolinae ita notatum est Se DEVOVIT. idest, qui se deuouit. Plutarchus Q.Fabium Q.Maximi cunctatoris πρόπαππον vocat. Liuius à M. Valerio & A. Cornelio Cos. hunc esse annum XLVI. scribit

Annus CDLX

Livius & Cassiodorus consules hoc anno memorant L.Postumium Megellum, M.Atilium Regulum; qui ex triumphis eorum Capitolinis descripiti sunt

De Censoribus, & lustro XXX

Censores hoc anno lustrum XXX. condidisse scriptum est in tab. Capitol. De quibus anno sequenti ita scribit Liuius: Lustrum conditum est eo anno a P.Cornelio Aruina, & C.Marcio Rutilo censoribus: quos tamen hoc etiam anno fuisse aperte idem Liuius demonstrat quum de C.Marcio loquitur, quem patrē censoris Marcij fuisse prodit: qui etiam hos censores XXVI. à primis, & lustrum hoc undeuicesimum errore haud dubie suo, uel librariorum culpa numerat. Ex quo liquet aliquot nos cēsores eius incuria amisisse. Vt autem C.Marcius postea Censorinus appellatus fuerit in secunda eius censura ostendam, ex qua eum sic, ut P.Cornelium ex ista formaui. Vtraeque enim sunt in fragmentis Capitolinis

Annus CDLXI

Livius & Cassiodorus Consules in hunc annum profitentur L. Papirium Cursorem & Sp. Caruilium, quos ex tabulis Capitolinorum triumphorum descripsi. In tabula quoque consulari Cap. extat adhuc L.Papirij integra nomenclatura: quem Liuius Papirij V. Cos. filium scribit. Horum consulum meminerunt Plinius Veronensis libro VII.cap.LX. & Valerius Max. libro VII.cap.I. Velleius libro II. & idem Liuius in anno CDLVI

Annus

Annus CDLXII

Sequenti anno Consules auctore Liuio, & Cassiodoro fuerunt Q. Fabius Maximi Rulliani F. Gurges, D. Iunius Brutus Saeua. Hic Brutus filius (vt puto) fuit D. Iunii Bruti Saeue Cos. anno CDXXIX. Q. Gurges ex secundo eius Capitolino triumpho descriptus est, de quo libro VII. Cap. XLI. Plinius mentionem facit. Fasti Graeci Maximum & Brutum, liber Cuspiniani Maximum & Saeuam profitentur

Annus CDLXIII

Qvvm hoc loco decem libri historiae Liuianae desiderentur, quo praecipuo auctore per haec tempora, in quibus tabulae desunt Capitolinae hos Fastos concinnaueram, atque ceterorum scriptorum praesidiis destitutus sim, solusque cum Fastis Graecis, & libro Cuspiniani superfit Cassiodorus, iis in primis auctoribus utar in Consulibus digerendis, & si quid aliunde interim adiumenti inuenero id in medium afferam. In hunc igitur annum Consules edit Cassiodorus L. Postumiũ & C. Iunium; Fasti Graeci & liber Cuspiniani Megellum III. & Brutum, quorum etiam libro XXVII. meminit Liuius, quum ait: L. Postumius Megellus interrex iis comitiis, quae ipse habuit, cum C. Bubulco Cos. creatus est. L. Postumius ex duobus ante consulatibus descriptus est. C. Iunius filius est, vt reor C. Iunii Bruti Bubulci, qui Cos. fuit anno CDXLI

Annus CDLXIIII

Consules hoc anno digeruntur à Cassiodoro P. Cornelius Rufinus & M'. Curius Dentatus. Horum Consulum Cicero in Catone, Paterculus libro primo, Val. Max. lib. VI. Cap. III. Plinius lib. VII. Cap. L. Florus, Eutropius, & Orosius meminerunt. P. Cornelium filium fuisse existimo P. Cornelii Rufini Dictatoris anno CDXX. A quo Sulla Felix Dictator sextus fuit, vt scribit in eius vita Plutarchus. M'. vero Curius ex quarto triũpho Capitolino ornatus est, quẽ Dentatum appellatum tradit lib. VI. Cap. XVI. Plinius quod cum dentibus natus esset, De Bello Sabino à Curio confecto Florus, Frontinus, & Orosius meminerunt

Annus CDLXV

M. Valerius Q. Caedicius posteà Consules fuerunt auctore Cassiodoro. Liber Cuspiniani antiquus cognomina addit Coruini & Noctuae. Est autem Coruinus Corui sexies Cos. filius. Caedicium autem Noctuam patrem esse existimo Q. Caedicii Q. F. Q. N. qui Cos. fuit anno CDXCVIII. Fasti Graeci Maximum & Murem legunt, Nam Valeriorum Coruinorum Maximus quoque cognomen est

Annus CDLXVI

Cassiodorus Consules hoc anno edit Q. Marcium. P. Cornelium. Liber Cuspiniani, & Fasti Graeci cognomina addunt Tremulum II. & Aruinam II. qui vna Consules antea fuerunt. Hoc anno III. Viros capitales primum creatos fuisse opinor, vt scribit Florus in Epitoma libri XI. De quibus ego ante verba feci

De Censoribus, & Lustro XXXI

Hoc anno Censores creatos existimandum est, vel propter spatium quinquennale, vel propter verba epitome libri XI. In qua post M'. Curii triumphum est ita; Census actus est, Lustrum conditum. Censa sunt ciuium capita CCXXIII ∞. Censores autem eos esse existimo, de quibus Frontinus primo de aquaeductibus ita scribit: M'. Curius Dentatus, qui censuram cum L. Papirio Cursore gessit Anienis veteris aquam in vrbem perduxit, Sp. Caruilio L. Papirio Cos. ex manubijs de Pyrrho rege captis. Ex quibus verbis nolim intelliges M'. Curium in censura, sed diu post, aquam ipsam in vrbe perduxisse, scilicet secundo eius L. Papirii Consulatu qui eius collega in censura quam diu antea gesserat fuit; alioqui eodem anno simul Consul & Censor, quod absurdum est fuisset L. Papirius Cursor: tempus deinde mirifice quadrat, & alia lustra suos Censores habent; Non autem superiore anno exacto scilicet post prius Lustrum quinquennio Censores notaui, tũ quod non ita accurate lustrorum omnia spatia hoc tempore seruata fuisse animaduerterim, tum etiam ne in Consulatu. M'. Curius Censor designatus sit, sed post Consulatum quod magis rationi consentaneum est

Annus CDLXVII

Cassiodorus Consules in hunc annum profitetur M. Marcellum, C. Nautium. Fasti Graeci, & Liber Cuspiniani Marcellum & Rutilum. Marcellum autem filium esse arbitror M. Claudij Consulis Anno CDXXIII. Et C. Nautium Sp. Nautij Sp. F. Sp. N. Rutili Consulis Anno CDXXXVII

De Ap. Claudio Caeco Dictatore

Ap. Claudium Caecum Dictatorem per hos annos fuisse necesse est, vt in antiquo lapide in quo eius elogium incisum est, continetur; verum quo potissimum anno, vel quibus consulibus fuerit incertum. Ego autem diuinare malui, eumque hoc anno subiicere (praesertim quum

X si

si hoc anno non fuit, haud longe esse potuit) quam eius dictaturae memoriam praeterire. Est autem eiusmodi inscriptio, quam ego ipse Florentiae ex antiquissimo marmore in domo ornatissimi & doctissimi viri Petrij Victorij exscripsi Anno Domini ∞DLI. quum Roma Veronam reuertens illac me iter facere contigisset

APPIVS. CLAVDIVS
C. F. CAECVS
CENSOR. COS. BIS. DICT. INTERREX. III
PR. II. AED. CVR. II. Q. TR. MIL. III. COMPLVRA. OPPIDA. DE. SAMNITIBVS. CEPIT
SABINORVM. ET. TVSCORVM. EXERCITVM. FVDIT. PACEM. FIERI. CVM. PYRRHO
REGE. PROHIBVIT. IN. CENSVRA. VIAM
APPIAM. STRAVIT. ET. AQVAM. IN
VRBEM. ADDVXIT. AEDEM. BELLONAE
FECIT

Eum autem Rei gerundae caussa dictatorem factum dixi, eis verbis persuasus; complura oppida de Samnitibus cepit, Sabinorum & Tuscorum exercitum fudit &c

Annus CDLXVIIII

M. Valerius, C Aelius Cos. digeruntur hoc anno à Cassiodoro, Maximum & Paetum edit liber Cuspiniani, Fasti vero Graeci Potitum & Paetum. Est autem tam Maximus quam Potitus Valeriorum cognomina, Ego utrunque adposui

De Q. Hortensio Dictatore, & tertia plebis in Ianiculum secessione

Multi Q. Hortensium Dictatorem seditionis sedandae caussa per hos annos creatũ fuisse scribunt; quibus autem potissimum Cos. fuerit obscurum est. Ego in hunc annum conieci. Post lustrum enim de quo ante dixi haec verba in epitoma libri XI. subijcit Florus: Plebs propter aes alienum, post graues & longas seditiones ad vltimum secessit in Ianiculum, vnde à Q. Hortensio Dictatore deducta est. Isque in ipso magistratu decessit, Plinius libro XVI. cap. X. Q. Hortensius dictator quum plebs secessisset in Ianiculum legem in Esculeto tulit, ut quod ea iussisset, omnes Quirites teneret. Huius Dictatoris meminerunt ex Laelio Felice Gellius libro XV. cap. XXVII. & D. Augustinus libro de ciuitate dei III. Magistrum eq. M. Liuium virum consularem addidi propter Tranquilli verba in Tiberio, qui familiam Liuiam duobus magisterijs eq. potitam scribit, neque quo anno praeterea id factum fuerit appareat

Annus CDLXIX

Cassiodorus Cos. edit C. Claudium M. Aimilium. Fasti Graeci & liber Cusp. Caninam & Lepidum. Canina ex eius triumpho Capitolino in reliquis formatus

Annus CDLXX

C. Seruilius L. Caecilius Metellus consules suggeruntur à Cassiodoro. Nam quod in quibusdam vulgatis Cassiodori codicibus pro L. Caecilio sit C. Coelius id mendum est. Cicero enim pro Muraena, nouã gentem Coeliam vocat, & paucis ante se annis consulatũ adeptam. Eumq; patrem esse existimo L. Caecilij L. F. C. N. Metelli Cos. anno DIII. Eum autem hoc anno à Gallis Senonibus in proelio caesum, & in eius locum suffectum M. Curium Dentatum Polybius libro II. scribit. Seruilio altero consuli ego familiae cognomen Geminũ, Fasti Graeci alterum cognomen Tuccam adijciunt, quem cum Dentone Cos. edunt, pro Dentrice, ut existimo. Est enim Denter etiam cognomen Caeciliorum ut ex Liuio apparet

Annus CDLXXI

P. Cornelius Dolabella, & Cn. Domitius Cos. memorantur à Cassiodoro, Fasti Graeci Dolabellae Maximi cognomen addunt. Liber Cusp. Dolabellam & Caluinum edit Cn. vero Domitius Cn. F. Caluinus est, cuius Aedilis curulis meminit Liuius in anno CDLVI. Dolabellae Cos. L. Florus, & Eutropius meminerunt

Annus CDLXXII

Cassiodorus C. Fabriciũ & Q. Aimilium Cos. hoc anno edit. Liber Cuspiniani & Fasti Graeci Luscinum & Papum. Fabricius ex triumpho eius secundo Capitolino descriptus est. Q. Aimilius vero pater est L. Aimilii Q. F. Cn. N. Papi Consulis anno DXXIX. De his consulibus ita scribit Cicero in Laelio: Videmus Papum Aimilium C. Luscino familiarem fuisse, sic à patribus accepimus, bis vnà consules, & collegas in censura. De eis praeterea Val. Max. lib. I. cap. VIII. & libro IIII. cap. III. & libro IIII. cap. IIII. mentionem facit

De Censoribus

Ratio temporis exigit ut hoc anno censores conferantur, de quibus nihil certi quod habeam affero. Qui si fuerunt lustrum certe non fecerunt, nam id sequentium lustrorum ratio non patitur. Ego autem alterum ex his censoribus fuisse Sp. Caruilium Maximum, ex his Vellei verbis decerpsi. Nam illi antiqui ante primum bellum Punicum TI. Coruncanium hominem nouum quum alijs omnibus honoribus, tum pontificatu maximo ad principale extulere fastigium, & equestri loco natum Sp. Caruilium, & mox M. Catonem etiam Tusculo vrbis inquilinum

linum, Mummiumque Achaicum in consulatus, censuras, triumphosque prouexere. Igitur si pro comperto habemus Catonem & Mummium fuisse consulares, cēsorios, & triumphales, TI. vero Coruncanium & Sp. Caruilium consulares, & triumphales, cur eos etiam censorios fuisse non dicemus, ex ijs Vellei verbis; in consulatus, censuras, triumphosque prouexere? Hic autem locus Sp. Caruilij concinnandae censurae aptisimus videtur post primum scilicet eius consulatum ante secundum, neque enim in aliud tempus differri potest, quum omnia deinceps lustra uel certos, uel probabiliores censores habeant. Eum autem hoc anno fuisse, atque quod eius collega (patricius is quidam fuit) in magistratu mortuus esset, abdicasse, credendum

Annus CDLXXIII. *in quo Bellum Tarentinum inchoatum est*

Consules sequuti sunt auctore Casiodoro L. Aimilius & Q. Marcius, quibus liber Cuspiniani, & Fasti Graeci addunt cognomina Barbulam & Philippum. Ambo ex eorum triumphis Capitolinis formati sunt. Bellum autem Tarentinum inter Romana bella nobilisimum hoc anno initium ut ex Barbulae triumpho, & Zonara constat, habuit: quum Orosio auctore anno priore Fabricio Aimilioque consulibus excitatum fuisset. De hoc bello, & caussis, uel anno scripserunt Florus in Epitoma, Plinius lib. XVI. capite X. Gellius lib. XVII. cap. XXI. Eutropius libro II. cap. IIII. & Orosius libro IIII. cap. I

Annus CDLXXIIII

P. Valerius & TI. Coruncanius Cos. hoc anno digeruntur à Casiodoro; Valerio, Fasti Graeci, liber Cuspiniani, Florus, Orosius, Eutropius, & Plinius iunior Laeuini cognomen addunt. TI. Coruncanius ex triumpho Capitolino formatus est. De vtrisque etiam Zonaras meminit

De Censoribus, & lustro XXXII

Quinquennale spatium quod ad sequentes censores est, in hunc annum censores poscit. De quibus in Epitoma libri XII. sic scriptum est, post pacis quam cum Pyrrho Ap. Claudius disuasit mentionem. Cn. Domitius Censor primus e plebe lustrum condidit, censa sunt ciuium capita CCLXXVIIIↀ CCXXII. Ego uero Cn. Domitium Caluinum esse arbitror, qui Cos. fuit anno CDLXXI consularem enim quaerimus, qui censor factus sit. Vt autem C. Marcius primus de plebe Censor fuit, sic hic primus è plebe Censor lustrum condidit. Qui fuerit Domitij collega nullus quod sciam prodidit. Quam apte & commode Cn. Domitio plebeio censori adijciemus Q. Gurgitem patricium, atque iam iterum consulem. Qui quum princeps senatus à Plinio fuisse dicatur, eum quoque censorem fuisse necesse est ex Liuio, ut superius quum de eius aui M. Ambusti censura loquerer demonstraui. Hanc autem firmisimam coniecturam ualde confirmat, quod pater quoque censor in tabulis Capitolinis, & à Liuio descriptus fuerit

Annus CCCCLXXV

P. Sulpicius cum P. Decio Cos. hoc anno memorantur à Casiodoro. His Fasti Graeci Sauerrionis & Muris cognomina gentilitia adiungunt. P. Sulpicius eius filius est qui Cos. anno CDL fuit. P. vero Decium P. Decij qui se Samnitico bello deuouit filium, in proelio contra Pyrrhum cecidisse auctor est Cicero libro II. de finibus, & in Tuscul. Quaestionibus, & Zonaras. Horum consulum meminit etiam Eutropius.

Annus CDLXXVI

C. Fabricium & Q. Aimilium consules suggerit Casiodorus. Quos liber Cusp. & Fasti Graeci Luscinum II. & Papum vocant. Eos autem vna ante in consulatu collegas fuisse scribit in Laelio Cicero. Eorundem meminerunt saepe Cicero, Plutarchus in Pyrrho, Val. Max. Gellius libro III. cap. VIII. ex Valerio Antiate & Quadrigario, Florus, Eutropius & Zonaras. De foedere IIII. cum Poeneis hoc anno facto mentionem facit Polybius

Annus CCCCLXXVII

P. Cornelius & C. Iunius consules hoc anno memorantur à Casiodoro. Liber Cuspiniani Rufinum II. & Brutum, Fasti Graeci Rufinum & Bubulcum, Zonaras Rufinum & Iunium edūt Horum vterque iterum consul fuit, P. Rufini II. consulis meminerunt Cicero II. de Oratore, Val. Max. lib. II. cap. IIII. Gellius libris IIII. & XVII. cap. VIII. & XXI. & Frontinus in lib. Stratag

Annus CCCCLXXVIII

Insequens annus vt prodit Casiodorus Cos. habuit Q. Fabium Gurgitem II. & C. Genuciū liber Cuspiniani, & Fasti Graeci Gurgitem & Clepsinam edunt. De his consulibus ita mentionem libro II. cap. IIII. Eutropius, & libro IIII. cap. II. Orosius faciunt; Fabio Gurgite II. C. Genucio Clepsina Cos. Pestilentia grauis vrbem & fines eius inuasit

De P. Cornelio Rufino Dictatore

P. Cornelium Rufinum bis consulatu, & dictatura functum, notatum à censoribus Fabricio & Aimilio scribunt Valerius Max. libro II. cap. IIII. & Gellius libro IIII. cap. VIII. & libro XVII. cap. XXI. quibus testimonijs adductus eius dictaturam, cuius ut annus ita incerta caussa est, ante

Fabricij & Aimilij censuram collocaui. Quoniam autem hoc anno grauis pestilentia (ut scribit D.Augustinus) Vrbem inuasit, videndum putaui ne claui figendi caussa, vt alij ante alias dictus esset. Verum & haec res cum reliquis obscuris, in incomperto quoque sit, si quis certiora tradet ipse sequar

Annus CDLXXIX

M.Curius & L. Lentulus Cos. hoc anno referuntur ab Eutropio & Cassiodoro: a libro vero Cuspiniani Dentatus II. & Lentulus. Hic est tertius Dentati consulatus, Lentulus ex triumpho Capitolino descriptus

De censoribus, & lustro XXXIII

Hoc anno lustrum à censoribus conditum fuisse, quinquennij tempus exigit, & Flori verba in Epitoma libri XIIII. demonstrant. Nam proxime post M.Curij uictoriam Fabricius censor P.Cornelium Rufinum consularem senatu mouit, quod decem argenti pondo facti haberet. Lustro à censoribus condito censa sunt ciuium capita CCLXXIↀ CCXXIIII. collegam Fabricij Q.Aimilium Papum nominant Cicero in Lelio, Gellius libro XVII. Valerius Maximus libro IIII. cap. IIII. & Plutarchus. Zonaras eos superiore anno creatos scribit, quod fieri potest, videlicet circa anni finem, verum lustrum non nisi hoc anno condidisse existimo

Annus CDXXC

Ser. Cornelium & M.Curium consules hoc anno Cassiodorus profitetur. Merendam & Dentatum III. liber Cuspiniani & fasti Graeci. M.Curius nunc IIII. Cos. est ter enim ante fuit. De Ser.Cornelio Merenda Plinius mentionem facit

Annus CCCCXXCI

Cassiodorus consules in hunc annum edit C.Fabium & C.Claudium, quos Velleius libro primo Fabium Dorsonem, & Claudium Caninam uocat. Fasti Graeci & liber Cuspiniani Luscinum & Caninam, Eutropij uulgatus codex C.Fabricium Luscinum C.Claudiū Cinnam. Is vero qui apud me est antiquissimus in membranis manuscriptus Fabium Licinium & C.Claudiū Caninam edit. Quare C.Fabium in magistratu mortuum fuisse existimaui, eique C.Fabricium suffectum. Nam à Cassiodoro ordinarij tantum consules digeruntur. Canina autem semel antea consul fuit. His Cos. legatos Alexandrinos Romam venisse à Ptolomaeo, & societatem cum Romanis iunxisse tradit Eutropius

Annus CDXXCII

Sp.Caruilius & L.Papirius Cursor Cos. memorantur à Cassiodoro. Cursor II. & Maximus à libro Cuspiniani, & Fastis Graecis. Horum uterque hoc anno iterum Consul fuit, quod ex eorū triumphis Capitolinis constat. De his Frontinus meminit libro primo de Aquaeductibus

Annus CDXXCIII

C.Quinctium, & L.Genucium Cos. prodit Cassiodorus, liber Cuspiniani & Fasti Graeci cognomina addunt Claudum & Clepsinam. Liuius libro VII. T. Quinctij meminit altero pede claudi, à quo hoc forte cognomen tractum

Annus CDXXCIIII

Cassiodorus consules hoc anno tradit C. Genucium Cn. Cornelium. Quorum cognomina Clepsina & Blasio, ut est in libro Cusp. C.Genucius idem est qui antea Consul fuit, Cn.Blasio ex Capitolina Censura descriptus est. Hos praetereunt Fasti Graeci

De Censoribus, & Lustro XXXIIII

Quinquennium quod inter superiores, sequentesque censores est, lustrumq; sequens XXXV in tabulis Capitolinis notatum, requirere videntur, ut in hunc annum censores lustrumque XXXIIII. coniiciam. Qui autem fuerint nullus omnino quod sciam docet. Ego ex Tranquillo in Tiberij uita C.Claudium Caninam iterum Consulem ex patribus, & ex Velleij verbis superius quum de Sp. Caruilij censura loquerer citatis, TI. Coruncanium ex plebe Censores hoc anno creatos fuisse suspicatus. Locus adeo aptus, ut si censores fuerunt, eos nō nisi hoc lustro fuisse necesse sit. C.autem hic Claudius quintam censuram omnino supplet, ex his quas Suetonius gentem Claudiam patriciam obtinuisse scribit

Annus CDXXCV

Cassiodorus hunc annum praeterijt, liber vero Cuspiniani, & Fasti Graeci Gallum & Pictorem, Zonaras uero Q. Gallum & C. Fabium edunt. Eutropius quoque horum Cos. meminit quum ait Quinctio Gulone, & C Fabio Pictore Cos. Picentes bellum commouere, & ab insequētibus Cos. P.Sempronio Ap.Claudio uicti sint. In alio Eutropij exemplari est Quincto Gulone & Fabio Pictore Cos. Est apud me vetustissimus Eutropij codex litteris fere maiusculis in membranis manuscriptus, in quo ita scriptum est: Quincto Gulnio C.Fabio Pictore Cos. quapropter quum Q.Ogulnium aliquot annis post Dictatorem exarari in Fastis Capitolinis animaduer-

maduerterim, eiusque cognomen esse Gallum, quod à Fastis Graecis, libro Cuspiniani,& Zonara refertur, non L.Quinctium Gulonem (Gulonis enim nullibi praeterea mentio est) sed Q. Ogulnium L.F.A.N. Gallum reponendum duxi, itemque Fabio Pictori pro Quinto Caium restitui, ut is frater natu grandior sit N.Fabij C.F.M.N. Pictoris in tabulis Capitolinis descripti. Nam quod in Plinio dicitur libro XXXIII. cap.III. Q.Fabio Cos. argentum signatum est annis quinq; ante Punicum bellum primum pro Q.Caius restituendum est, facili inter similes litteras calami lapsu errore exorto

Annus CDXXCVI

P.Sempronium Ap.Claudium Consules Cassiodorus, & Eutropius referunt: quos Velleius libro primo Sempronium Sophum, & Appium Caeci filium uocat. P. Sempronius ex censora Capitolina anni DI. descriptus est. Fasti Graeci Sempronium & Rufum, liber uero Cuspin. Sophum & Rufum edunt, quare Ap.Claudio praeter gentilitium Crassini cognomen Rufum quoque adiunxi

Annus CDXXCVII

M.Atilius Regulus, L.Iulius Libo Consules hoc anno memorantur ab Eutropio, Cassiodorus cognomina tacet. Vterque autem ex triumphis Capitolinis formatus est

Annus CDXXCVIII

D.Iunium & N.Fabium Consules edit hoc anno Cassiodorus. Reliqua ex utrorumque triumphis Capitolinis. Vnde hi Fabij Pictoris cognomen tulerint refert Plinius lib. XXXV cap. IIII. Fabium Gurgitem, & N.Fabium Pictorem eodem tempore uixisse innuit Valerius Maximus libro IIII. capite III

Annus CDXXCIX

Cassiodorus & hunc quoque annum praeterit. Fasti Graeci Maximum, & Vitulum; Zonaras Q.Fabium & Aimilium, haud dubie codicum errore pro Mamilio. Cuspinianus ex antiquis codicibus Q.Fabium Maximum, & L.Mamilium Vitulum Cos. edit. Ego Q.Fabium Maximum Gurgitem III. esse existimo. Nam Florus scribit Vulsinios hoc tempore à Fabio Gurgite esse uictos. Bellatum autem per haec tempora fuisse cum Vulsiniensibus probat triumphus quē anno proximo egit M.Fulvius Cos. Collegam uero L.Mamilium Vitulum adposui fratrem eius Q.Mamilij qui ex tabulis Capitolinis biennio post Consul fuit. Est autem alter patricius alter plebeius quales fere etiam hoc tempore inter se comparabantur: suggerit Zonaras Q.Fabium cum Vulsinijs bellum gessisse, & in magistratu ex uulnere occubuisse. Deinde de eo tanquam vi uo paulo post loquitur. Ita ut credam, uel codicem librariorum culpa mendosum esse, uel Zonaram de alio suffecto Cos. loqui, qui Fabio mortuo bellum Vulsiniense persequutus sit, quem facile mihi persuasissem Decium quendam Murem fuisse nisi plebeius esset, nam auctor de viris illustribus à Decio Mure Vulsinienses victos fuisse scribit. Sed quum duos Cos. plebeios simul fuisse longo tempore post acciderit, constetque Fabium Gurgitem post haec tempora uixisse, Zonaram uel mendosum, uel deceptum fuisse existimaui

De Censoribus, & lustro XXXV

Censores & lustrum in tabula Capitolina notati sunt, quae per annos XL proximos integra magno mihi hos Fastos concinnanti auxilio fuit. Horum praeterea censorum meminerunt Florus in Epitoma, Eutropius, & Orosius, qui hoc lustro ciuiū capita CCXCII∞ CCCXXXIII censa fuisse scribunt. De C.Marcio II. Censore Valerius libro IIII. cap.I. ita scribit: Marcius Rutilus Censorinus iterum censor creatus, ad concionem populum vocatum quam potuit grauissima concione corripuit, quod eam potestatem bis sibi detulisset: quare legem tulit ne amplius alicui eum magistratum amplius inire liceret. De eo mentionem facit & Plutarchus in Coriolano. Hic ergo ex censura bis nouo exemplo capta Censorinus in hoc honore appellatus est

De Bello Punico primo

Bellum Punicum primum anno sequenti inchoatum fuisse in tab. Cap. scriptum est. De cuius origine, caussis, anno, & tempore scripserunt Polybius libro primo, quod CXXIX. olympiade inchoatum prodit. Dionysius libro primo, Cicero Philipp. XI. Liuius libro XXXI. quod Anno vrbis CDXXCVIII. excitatum fuisse scribit. Solinus uero cap.II. Anno CDXXCIX. Gellius lib.XVII. cap.XXI. Anno CDXC. Eutropius etiam anno CDXC. in quo cum Gellio, & Varrone consentit. Et Florus qui anno prope D. edit

Annus CDXC

Horum consulum praeter tabulas Capitolinas meminerunt Polybius lib.I. Gellius qui Ap. Claudium Caeci fratrem Caudicem & M.Fuluium Flaccum uocat. Itemq; Liuius, Paterculus, Plinius de viris illustribus, Appianus, Florus, Frontinus primo libro Stratag. Eutropius, Orosius & Cassiodorus. Hoc anno Romae munus gladiatorium à M.& D.Brutis in patris defuncti funebrem memoriam primum editum scribunt Val.Maximus & Florus

Annus CDXCI

De his consulibus mentionem faciunt Verrius Flaccus, Polybius, Cassiodorus, Eutropius, & ex Varrone Macrobius, qui etiam caussam reddit cur M. Valerius in hoc honore Messalla appellatus sit. Item Plinius libro VI. & XXXV. cap. LX. & IIII

De Cn. Fuluio Centumalo Dictatore

Huius Dictatoris & mag. eq. claui figendi caussa creatorum nullus praeter Verrium Flaccum meminit in tab. Capitolinis

Annus CDXCII

Polybius, Cassiodorus, & Frontinus libro II. Stratag. horum consulum cum tabula Capitolina meminerunt

Annus CDXCIII

Verrius Flaccus & ijdem scriptores qui superiore anno relati sunt huius consulatus mentionem etiam faciunt

Annus CDXCIV

Verrius, Polybius, Cicero, Valerius, Florus, Frontinus, Eutropius, Orosius & Plinius de viris illustribus huius anni consulum meminerunt. De Asina alterius consulis Cn. Cornelij cognomine scribit primo Saturnalium Macrobius

Annus CDXCV

Eutropius, Orosius, Cassiodorus, cum Verrio Flacco huius anni consules edunt. Polybius eos tacet, De L. Cornelio Valerius & Florus

Annus CDXCVI

Ex lapide Capitolino & hi consules descripti sunt, de quibus Polybius, Cicero, Valerius, Florus, Frontinus in Stratag. Plinius Iunior, Gellius, Eutropius & Cassiodorus mentionem faciunt

De censoribus, & lustro XXXVI

Alter ex his censoribus in tab. Cap. aperte descriptus est C. Duilius, in cuius fragmento è regione eius est S C I P. quod ego pro Cn. Cornelio Scipione Asina qui bis Cos. fuit interpretatus sum; lustrum autem ab his Censoribus conditum fuisse sequens indicabit

Annus CDXCVII

Polybius, & Verrius Flaccus alterum tantum consulem C. Atilium Regulum habent. Cassiodorus vero Cn. Cornelium, C. Atilium Serranum: Liber Cuspiniani Regulum & Blasionem II. Hic Atilius primus fuisse uidetur, qui Serrani cognomen tulerit, de quo Cicero pro Roscio, Valerius libro IIII. & Plinius libro XIIX

De Q. Ogulnio Dictatore

Q. Ogulnium Gallum Dict. cum M. Laetorio Planciano mag. eq. hoc anno Latinarum feriarum caussa creatos nullus praeter Verrium Flaccum prodidit

Annus CDXCIIX

Horum consulum praeter tabulas Capitolinas meminerunt Polybius, Cicero, Liuius, Florus, Paterculus, Valerius, Plinius iunior, Gellius ex Tuberone, Iustinus, Frontinus de Stratag. Orosius, & Cassiodorus

Annus CDXCIX

Polybius, Liuius, Eutropius, Cassiodorus, & Orosius cum Lapide Capitolino hos consules memorant

Annus D

Polybius, Cassiodorus, & Verrius Flaccus hos consules edunt. De Cn. Cornelio Asina Cos. II. sic Valerius libro VI. cap. II. Cn. Cornelius Scipio Asina qui Cos. à Poenis apud Liparas captus fuit, quum belli iure omnia perdidisset, cuncta recuperauit, Cos. iterum creatus, Ita ex consule Captiuus, ex Captiuo iterum Cos. factus

Annus DI

Praeter tab. Cap. horum Cos. meminerunt Polybius, Cicero libro III. de nat. deorum Solinus cap. XXX. Eutropius, Orosius, & Cassiodorus

De Censoribus

Censores in hunc annum edit Verrius Flaccus D. Iunium Peram, L. Postumium Megellum, qui idem praetor erat, atque Postumij morte D. Iunium abdicasse prodit

Annus DII

Verrius Flaccus, Cicero in Lucullo, Eutropius, Orosius, & Cassiodorus consules in hunc annum referunt C. Aurelium Cottam, & P. Seruilium Geminum

De Censoribus, & lustro XXXVII

De his censoribus à quibus lustrum conditum fuisse XXXVII. produnt tab. Capitolinae, mentionem

tionem quoque faciunt Valerius Maximus libro II.cap.IIII.& Florus in Epitoma libri XVIII. à quibus censa fuisse ciuium capita CCXCVII∞ DCCXCVII. proditum est

Annus DIII

Fasti Capitolini, Polybius, Eutropius, Orosius, & Casiodorus hos Cos. suggerunt, De L.Metello bis Cos.& Pontifice Maximo Cicero in Catone,& Plinius lib. VII. Cap.XLIII

Annus DIIII

Polybius, Eutropius, Orosius, Casiodorus cum Verrio Flacco hos ipsos Cos.edunt

Annus DV

Praeter tabulas Capitolinas horum Consulum Cicero saepe,Polybius,Valerius,vterque Plinius, Tranquillus, Florus, Censorinus ex Liuio & Antiate, Frontinus, Gellius, Eutropius, Orosius,& Casiodorus meminerunt

De M.Claudio Glicia Dict. abd. & A.Atilio Calatino Dict. suffecto

Hoc anno M.Claudio Gliciae Dictatori sine mag.eq.creato, eoque abdicare coacto,A.Atilium Calatinum Dictatorem cum L.Caecilio Metello mag.eq.suffectum non solum tabulae indicant Capitolinae, sed ex Liuio Florus, & Tranquillus in Tiberio. Plinius quoque libro VII.Cap.XLIII.L.Metelli mag.eq.meminit;A.Atilium Dictatorem primum extra Italiam exercitum duxisse hoc anno tradit Florus

Annus DVI

Hos Cos. bis fuisse praeter Verrium Flaccum Cicero in Lucullo tradit,de eis praeterea meminit Casiodorus

Annus DVII

Tabulae Capitolinae & Casiodorus hos Cos.hoc anno fuisse tradunt. De N. Buteone Cos. Florus; de L.Metello II. Cos.Cicero & Plinius meminerunt

De Censoribus, & Lustro XXXVIII

Ab his censoribus Lustrum conditum fuisse praeter Verrium Flaccum docet ex Liuio Florus libro XIX. à quibus ciuium Capita CCLI∞ CCXX. censa fuisse scribit. De his praeterea nemo quicquam (quod sciam) tradit

Annus DVIII

Et hi Consules ex tabulis Capitolinis formati sunt, de quibus ex Ateio Capitone Gellius libro X. Cap.VI. & ex Liuio Florus, ac Casiodorus mentionem fecerunt

De Ti. Coruncanio Dictatore

Nullus quod sciam praeter tabulas Capitolinas hanc dictaturam tradit. Is est Ti. Coruncanius qui Cos.fuit & triumphauit, ac primus de plebe Pont.Max.factus est,auctore Liuio

Annus DIX

Tabulae Capitolinae, & Casiodorus hos tantum Cos.prodidere. De N. Fabij Cos. naufragio tradit Florus ex Liuio libro XIX

Annus DX

Horum Consulum praeter Verrium Flaccum Casiodorus quoque ac Velleius libro primo meminerunt

Annus DXI

Tabulae Capitolinae, & Casiodorus cum Fastis Graecis, hos tantum Consules (quod sciam) prodidere

Annus DXII

Polybius, Lapides Capitolini,Liuius libro XXIII. & XXXVII. Plutarchus in Marcello,Valerius Max. Florus, Valerius Probus in vita Hamilcaris, Appianus in Lybico,Gellius libro V. Cap.VI. Eutropius, Orosius, & Casiodorus horum Consulum meminerunt, quibus facto inter Romanos & Carthaginienses foedere, bellum Punicum primum finitum esse omnes tradunt. De Postumio Albino Flamine Martiali Cos. sic scribunt Florus ex Liuio, & Valerius Max. lib.I. Cap.I. Caecilius Metellus Pont. Max. A.Postumium Cos.quoniam & idem Flamen Martialis erat, quum ille ad bellum gerendum proficisci vellet in vrbe tenuit, nec passus est à sacris recedere. C.Lutatio Cos.Sicilia obuenit Q. Valerius Falto praetor adiutor Lutatio Cos. datus. Hoc enim anno primum praetores duos creatos fuisse existimo (quod ex epitoma etiam ipsa cognosci potest) vnum qui in vrbe ius diceret, alterum qui Lutatium Cos. bello iuuaret

Annus DXIII

Ex Lapidibus Capitolinis, Casiodoro, Eutropio, & Orosio hi Consules, vt superiores descripti sunt. De quodam C.Lutatio Cercone legato meminit Liuius lib. XLII. Hunc C.Lutatij Catuli superioris anni Cos.fratrem putaui.Hoc anno pacem cum Poeneis factam fuisse lib. XXX. Liuius, Polybius, & Eutropius tradidere

De

De Censoribus, & Lustro XXXIX

Censores hoc anno creatos fuisse docent tab. Capitolinae, censum verò actū Eusebius in chronico, in quo CCLX∞ ciuiū capita censa fuisse tradit. Porro alter ex censoribus C. Aurelius Cotta qui bis Cos. fuit superest, alterius nomen in tabula exaesum est, quem N. Fabiū Buteonem esse arbitratus sum. Scribit enim Liuius libro XXIII. Dictatorem creatum esse anno DXXXVIII. N. Fabium Buteonem, qui Censor fuisset, & ex ijs qui viuerent censorijs vetustissimus esset, & certe nisi hoc anno eum edas, quo alio anno fuerit non inuenies. Lustrum ab his censoribus conditum fuisse ex sequenti XL. apparet, atque ab his duas tribus additas fuisse Velinam & Quirinam quae XXXV. numerum expleuerunt, docet ex Liuio Florus

Annus DXIIII

Horum consulum praeter Capitolinum scriptorem meminerunt etiam Cicero in Catone, in Bruto, vbi hunc annum ex Attici sententia uocat DXIIII. vrbis conditae cum Varrone. Et in Tusculana prima. Gellius libro XVII. cap. XXI. & Cassiodorus. Ceterum hunc C. Claudium Caeci filium iidem produnt scriptores

Annus DXV

Horum consulum praeter Verrium Flaccum & Cassiodorum, meminit Gellius ex M. Varrone libro XVII. cap. XXI. Ciceroque in Bruto, & Tuscul. quaestion. quo anno Ennium poetam natum fuisse tradunt

Annus DXVI

Hos consules lapides Capitolini, Eutropius, Orosius, & Cassiodorus edunt

Annus DXVII

Eosdem Eutropius & Cassiodorus, cum Verrio Flacco consules in hunc annum comparant. His consulibus Liguribus primū arma à populo Rom. illata fuisse Florus, & Eutropius scribūt

Annus DXVIII

Fasti Capitolini, Cassiodorus, & Censorinus hos consules hoc anno suggerunt, quem DXIIX Censorinus uocat, in quo ex XV. virorum sententia, quam ego cum tabulis Capitolinis sequutus sum, tertios ludos saeculares factos fuisse scribit. Hi e regione horum consulum in tabula Capitolina adhuc descripti sunt, ut latius suo libro demonstrabo

De Censoribus

Censores hoc anno fuisse, alteroque mortuo, alterum abdicasse soli (quod sciam) referunt Fasti Capitolini *Annus* DXIX

T. Manlio Torquato, C. Atilio Bulbo II. vt Verrius Flaccus, Eutropius, Orosius & Cassiodorus scribunt, Pace toto imperio parta templum Iani iterum clusum fuisse docent Plutarchus in Numa, Liuius, Velleius, Eutropius, & Orosius

Annus DXX

Verrius Flaccus, & Cassiodorus tantum horum quod sciam consulum meminerunt

De Censoribus, & lustro XL

Hos Censores & lustrum tantum edunt tabulae Capitolinae, praeterea quod sciam nemo

Annus DXXI

Hos Consules suggerunt Verrius Flaccus & Cassiodorus. Maximi cognomen Fabius ab auo Rullo accepit, Verrucossus à uerruca in labris dictus: Plutarchus & Plinius iunior auctores

Annus DXXII

Eosdem consules soli (vt existimo) referunt Verrius Flaccus & Cassiodorus

Annus DXXIII

Horum consulum praeter tabulas Capitolinas meminerunt Dionysius lib. II. & Cassiodorus, quibus primum Romae diuortium factum fuisse scribit idem Dionysius, De C. Papirio C. F. Masone pontifice Liuius in anno DXL

De C. Duilio Dictatore

Hunc cum C. Aurelio magistro. eq. Dictatorem comitiorum caussa creatum nemo praeter tabulas Capitolinas (quod sciam) prodit. Ex quibus quantum in his Fastis digerendis sublevatus sim omnes uidere possunt

De Censoribus abdicatis

De his quoque censoribus, qui quod vitio creati essent abdicarunt tantum tabulae Capitolinae mentionem faciunt; Nam Liuius libro XXIII. & XXV. T. Manlium non nisi censorium vocat, & alibi censoriorum viuentium uetustissimum, & libro XXIII. Fuluium Flaccum Consulem, & Censorem fuisse tradit, verum cetera omittit

Annus DXXIIII

Praeter Verrum Flaccum & Cassiodorum nullus hos Cos. refert

Annus

De Censoribus, & lustro XLI

Et hos una censores qui lustrum XLI. condiderunt nemo prodit exceptis tabulis Capitolinis. Sed Q. Fabij Maximi censoris tantum mentio est in vetustißimo lapideo epigrammate, in quo breuiarium eius gestorum continetur, ipse uidi, & excripsi Florentiae in domo omnium disciplinarum peritißimi Petri Victorij Anno ∞DLI. est autem hoc

Q. F. MAXIMVS
DICTATOR. BIS. COS. V. CENSOR. INTERREX. II. AED. CVR Q. II. TR. M. II. PONTIFEX. AVGVR PRIMO. CONSVLATV. LIGVRES. SVBEGIT. EX. IIS. TRIVMPHAVIT. TERTIO. ET QVARTO. HANNIBALEM. COMPLVRIBVS. VICTORIS. FEROCEM. SVBSEQVENDO. COERCVIT. DICTATOR. MAGISTRO. EQVITVM. MINVCIO. QVOIVS. POPVLVS. IMPERIVM. CVM. DICTATORIS IMPERIO. AEQVAVERAT. ET EXERCITVI PROFLIGATO. SVBVENIT. ET. EO. NOMINE. AB. EXERCITV. MINVCIANO. PATER. APPELLATVS. EST. CONSVL. QVINTVM. TARENTVM. CEPIT. TRIVMPHAVIT. DVX. AETATIS. SVAE. CAVTISSIMVS ET. REI. MILITARIS. PERITISSIMVS HABITVS. EST. PRINCEPS. IN. SENATVM DVOBVS. LVSTRIS. LECTVS. EST

Annus DXXV

Tabulae Capitolinae, Polybius, Eutropius, Orosius & Caßiodorus hos Consules tradunt, quibus primum cum Illyrijs bellatum fuisse Florus, & reliqui prodiderunt

Annus DXXVI

Praeter Verrium Flaccum & Caßiodorum, horum consulum quoque meminit Cicero in Catone

Annus DXXVII

De his etiã consulibus exceptis Flacco & Caßiodoro, mentionem facit Gellius lib. IIII. cap. III. M. Atilius Regulus huius anni Cos. est is, qui postea Censor & II. Cos. fuit auctore Liuio. Hoc anno praetores duos additos fuisse existimo. Id enim factum esse inter Illyricum, & Gallicum bellum testis est in epitoma libri XX. L. Florus. Factos autem, vt in Siciliam Sardiniamque nouas prouincias mitterentur tradit Pomponius de origine iuris. Hos autem fuisse C. Flaminium, & M. Valerium refert Solinus capite de Sicilia. Sardiniae porrò & Corsicae administrationem iunctam tradit Sex. Rufus

Annus DXXVIII

De his consulibus nullus praeter Verrium Flaccum & Caßiodorum (vt reor) scribit

Annus DXXIX. *In quo bellum Gallicum cisalpinum initium fuit*

Verrivs Flaccus, Polybius, Plinius libro III. Cap. XX. Eutropius, Orosius, & Caßiodorus horum consulum meminerunt, quibus bellum Gallicum cisalpinum initium habuisse omnes cum L. Floro produnt. Polybius addit C. Atilium occisum fuisse, quod à tab. Cap. praeteritum est

De Censoribus, & Lustro XLIII

Nec horum censorum, nec lustri XLIII. vllus quod sciam excepto Verrio Flacco meminit

Annus DXXX.

Verrivs Flaccus, Polybius, Orosius, & Caßiodorus hos Cos. tradunt

De L. Caecilio Metello Dictatore

L. Metelli, quem hoc anno cum N. Fabio Buteone mag. eq. comitiorum caussa Dictatorem edit Verrius Flaccus, nullus meminit excepto Plinio libro VII. Cap. XLIII. Et hoc epigramma, quod in libro inscriptionũ antiquae vrbis ex Plinio descritum est

L. CAECILIVS. L. F. METELLVS
PONT. MAX. COS. II. DICTATOR. MAG. EQ. XV. VIR. AGRIS. DANDIS. QVI. PRIMVS ELEPHANTOS. PRIMO. PVNICO. BELLO. DVXIT IN. TRIVMPHO. PRIMARIVS. BELLATOR OPTVMVS. ORATOR. FORTISSIMVS. IMPERATOR AVSPICIO. SVO. MAXIMAS. RES. GESSIT MAXIMO. VSVS. HONORE. SVMMA. SAPIENTIA MAXIMVS. SENATOR. PARTAM. EX. AEQVO PECVNIAM MAGNAM. SINGVLIS. LIBERIS. RELIQVIT CLARISSIMVS. IN. CIVITATE. FVIT. TRIBVTVM EI. VT. QVOTIES. IN. SENATVM. IRET. CVRRV VEHERETVR. AD. CVRIAM. QVOD. A. CONDITO AEVO. NVLLI. ALII. CONTIGIT

Annus DXXXI

Tabvlae Capitolinae, Polybius, Plutarchus in Marcello, & Caßiodorus hos Consules in hunc annum cõparant. De L. Flaminio Cicero in Lucullo scribit

Annus

Annus DXXXII

Cvm Verrio Flacco Polybius, Florus, Eutropius & Cassiodorus hos consules memorant. Hic est Marcellus qui post quinquies Cos. fuit. Hos consules primos iniisse magistratum Idibus Martijs existimo, qui deinde solemnis dies ineundo consulatui fuit, vsque ad annum vrbis DC. Eius rei rationem in hoc accurate reddit Carolus Sigonius, quam quod ueritati maxime quadrare uisa est, ego quoque facile credo

Annus DXXXIII

Eutropius P. Cornelium, & M. Minucium Rufum Consules hoc anno prodit, Cassiodorus & Zonaras cognomen Minucij tacent, Liber Cuspiniani Asinam & Rufum, Fasti Graeci Scipionem & Rufum edunt. Ego P. Cornelium Scipionem Asinam eius filium esse existimo, qui bis Cos. bello Punico primo fuit. Sane Liuius in anno DXLIII. P. Cornelij Asinae consularis senatoris meminit. Hoc loco Fastos, & triumphos Capitolinos, & Liuii historiam omnino desideramus, quibus facile huius pene deplorati triennij magistratus restitui potuissent

De Q. Fabio Maximo Dictatore

Q. Fabium Maximum Dictatorem, cum C. Flaminio mag. equitum creatum fuisse auctor est Valerius libro primo vbi ita scribit: Occentus soricis auditus Fabio Maximo dictaturam C. Flaminio magisterium eq. deponendi caussam praebuit. Ceterum Plutarchus in Marcello non Fabium sed Minucium dictatorem vocat. Ego autem magis Valerio assentior quod apud Liuium, & in antiquo epigrammate Q. Fabium bis dictatorem inuenerim. Quibus autem potissimum Cos. ex his qui hoc triennio fuere, vel quam ob caussam creatus fuerit parum constat, ego eum in hunc annum conieci, forte comitiorum caussa creatum, quum Cos. ambo bello Istrico occupati abessent. Quo vitio creato, comitia postea per interregem sunt habita

Annus DXXXIIII

L. Veturius & C. Lutatius Consules hoc anno memorantur à Cassiodoro, & Zonara. Liber Cuspiniani Philonem & Sceuolam, Fasti Graeci Catulum & Philonem edunt. Hunc L. Veturium Philonem esse credo in censura mortuum, patremque L. Veturij L. F. L. N. Philonis Cos. anno DXLVII. C Lutatium Catulum eius C. Lutatij filium esse existimo, qui Cos. fuit anno DXII. Polybius C. Lutatij consularis per haec tempora meminit libro tertio. Vt autem hos consules vitio factos abdicasse, & alios in eorum locum subrogatos esse opiner, facit Liuius qui libro XXVII. M. Lepidum, & libro XXVIIII. & XXX. M. Laeuinum ambos bis consules fuisse scribit. Neque vero quo anno primum, aut iterum fuerint apparet. Non enim superiore anno, quum Cornelius & Minucius Istros subegisse tradantur, non sequenti, quod ab his consulibus Illyriorum fractas esse opes traditum sit, multo minus alijs annis, qui uel ex tabulis Capitolinis, uel ex Liuio descripti sunt. Ergo Veturio & Lutatio non ita claris consulibus suffecti uidentur. Cassiodorus enim Cos. tantum ordinarios edit; reliquos omnino praeterit. M. Lepidus priorem consulatum gessit anno DXXII. M. Valerius Laeuinus (quem eius Laeuini qui bello Tarentino clarus fuit nepotem, eius vero C. Valerij M. F. P. N. Laeuini qui Cos. fuit anno DLXXIIX patrem existimo) posteriorem anno DXLIIII. Ambo autem patricij fuerunt, vt etiam anno DLII. TI. Nero, & M. Seruilius Geminus

De Censoribus, & lustro XLIII

In hunc annum propter quinquennale spatium censores lustrumque XLIII. conieci, quod etiam Liuius & Cassiodorus subsignificant. Fuerunt autem L. Aimilius Papus & C. Flaminius ambo consulares, quorum meminit saepe Liuius, atque ab his senatum lectum prodit quinquennio ante pugnam Cannensem. Et Cassiodorus hoc anno Viam Flaminiam, & circum Flaminiū factum scribit; Facta autem sunt ab hoc C. Flaminio Censore. Quare in Epitoma libri XX. hoc scriptum est: Lustrum à censoribus conditum in quo censa sunt ciuium capita CCLXXoo CCXIII. C. Flaminius Censor viam Flaminiam muniuit, & circum Flaminium extruxit. De eadem re mentionem facit & Festus. Plinius quoque libro XXXV. cap. XVII. horum censorum meminit

Annus DXXXV

Consules subsequuti sunt M. Liuius, L. Aimilius Cassiodoro teste. Liber Cuspiniani, & Fasti Graeci Salinatorem & Paullum edunt. Zonaras M. Liuium & Aimilium Paullum. Horum consulum meminit Plinius libro XXIX. cap. I. Quos anno vrbis conditae DXXXV. fuisse ait: Item Polybius, Liuius, Valerius, & is qui de viris illustribus scripsit. M. Licinius ex censura & secundo consulatu Capitolino descriptus est. L. Aimilius Paullus, qui ut tradit Plutarchus pater fuit L. Aimilij L. F. M. N. Paulli, qui Persen vicit, filius fuisse videtur M. Aimilij M. F. L. N. Paulli Cos. anno CDXCIX

Annus DXXXVI. In quo secundum bellum Punicum inchoatum est

Bellum Punicum secundum excitatum fuisse anno primo CXL. olympiadis Polybius libro III.

III, ait, in quo Hannibal ad Saguntũ profectus est, is fuit annus superior, ita ut recte cum Varrone in annorum olympicorum summa conueniat. Liuius libro XXX. anno à pace cum Carthaginiensibus facta XXIII. Solinus Anno DXXXV. Appianus circa CXL. olympiadem. Orosius & Eutropius Anno vrbis DXXXIV. In Fastis Capitolinis notatũ est anno DXXXV. in quo P. Cornelius Scipio, & TI. Sempronius Longus Consules fuerunt. De quibus Liuius libris XXI. & XXX. Polybius, Plutarchus, Plinius Iunior, Tacitus, Pedianus, Appianus, Probus, Eutropius, Orosius, & Cassiodorus, P. Scipio pater fuit P. Scipionis Africani P.F.L.N. consulis anno DLX. ita ut filius sit L. Cornelij L.F. Cn.N. Scipionis Cos. anno CDXCV. TI. Sempronius pater fuit TI. Sempronij TI.F.C.N. Longi Cos. anno DLX. ut auctor est Liuius

Annus DXXXVII

Polybius, Liuius, & Cassiodorus consules subijciunt in hunc annum Cn. Seruilium Geminum, & C. Flaminium. C. Flaminius II. Cos. eadem qua ante superbia vsus magistratum Idibus Martijs Arimini inijt. Qui neglectis auspicijs cum se Hannibali in Italiam venienti ad lacum Trasimenum obtulisset, collatis signis exercitu amisso occisus est. In cuius locum M. Atilius Regulus, qui antea Cos. fuerat subrogatus est: Ex Liuio & Polybio: Horum praeterea cons. meminerunt saepe Cicero, Valerius Maximus, Plutarchus in Fabio, Probus, Plinius Iunior, Eutropius, & Orosius *De Q. Fabio Maximo Dictatore* II

Clade ad Trasimenum accepta Romae nuntiata, in magno terrore ciuitas ad dicendum dictatorem confugit: & quia Cos. aberat à quo uno dici posse uidebatur, nec dictatorem populus creare poterat, quod nunquam ante eam diem factum erat, prodictatore populus creauit Q. Fabium Maximum, & Mag. eq. M. Minucium Rufum. Q. Fabius II. dictator creatus Hannibalem pluribus uictorijs ferocem cunctando coercuit, vnde de eo praeclare Ennius scripsit

Vnus homo nobis cunctando restituit rem
Non ponebat enim rumores ante salutem
Ergo postque magisque viri nunc gloria claret

Cuius saluberrima Romano imperio cunctatione tanquam infami indignatus populus Romanus, M. Minucij criminatione, & Metilij trib. plebis concionibus actum est, ut Dictatoris & magistri equitum ius aequaretur. Minucius solito ferocior exercitus parte à Fabio accepta, cũ Hannibale signa contulit, quunq; iam Romana acies inclinaret, à Fabio cum exercitu suo accurrente seruatus patrem eum appellauit, ac potestatem statim deposuit. Omnium pene annales Fabium Dictatorem aduersus Hannibalem res gessisse tradunt; Coelius etiam eum primum à populo creatum dictatorem scribit. Sed omnes (inquit Liuius) fugit, uni consuli Cn. Seruilio ius fuisse dicendi dictatoris, qui tunc procul in Gallia prouincia aberat, quam moram quia expectare territa iam clade ciuitas non poterat, eò decursum esse ut à populo crearetur qui prodictatore esset. Res inde gestas gloriamque insignem ducis, & augendae titulum imaginis posteris, ut dictator pro prodictator diceretur facile obtinuisse: Haec Liuius. Polybius tamen eum Dictatorem creatum fuisse scribit, idemq; in ejus antiquo epigrammate superius relato scriptũ est. De hoc praeterea Dictatore mentionem faciunt Cicero, Virgilius, Valerius, vterque Plinius, Plutarchus, Frontinus in Stratag. Eutropius, Orosius, & plerique alij

De L. Veturio Philone Dictatore

Extremo anni quum Cos. bellis distinerentur, patribus uisum est dictatorem à Consule dici comitiorũ habendorum caussa, dictus L. Veturius Philo, is M. Pomponium mag. eq. dixit. His vitio creatis iussisque die quartodecimo se magistratu abdicare, ad interregnum res redijt: Ex Liuio. L. Veturium esse arbitror qui Cos. fuit anno DXXXIIII. M. Pomponium Anno DXXI

Annus DXXXVIII

Consules hoc anno Polybius, Liuius, Plutarchus in Paullo, Cassiodorus & alij memorant C. Terentiũ Varronem & L. Aimilium Paullum. L. Paullus is est qui ante cum M. Liuio Cos. fuit, ut tradit Liuius. Horum consulum praeterea, & insignis illius cladis ad Cannas Varronis Cos. temeritate ab Hannibale acceptae, in qua alter Cos. Paullus occisus est, meminerunt Gellius ex Claudio Quadrigario, multis locis Cicero, Valerius, Frontinus, Macrobius, Florus, uterque Plinius Eutropius, Orosius, Probus & omnes postremo quotquot historias Romanas scripserunt

De M. Iunio Pera Dictatore

Qvvm ad Cannensem cladem nuntiatum esset regnum Hieronis in Sicilia classe Punica uastari, dictaror ex auctoritate patrum dictus M. Iunius, & TI. Sempronius mag. eq. ita Liuius. Hic est M. Iunius Pera qui ante Cos. & censor fuit, & TI. Sempronius Gracchus sequenti anno Cos. creatus, quem Liuius in Aedilitate magistrum eq. factum tradit, eius TI. Sempronij filius ut existimo, qui Cos. fuit anno DXVI. De hoc dictatore Valerius quoque libro VII. cap. VI. Plutarchus, Frontinus, Eutropius, & Orosius mentionem faciunt

De

De N. Fabio Buteone Dictatore

QVVM patres se, & solitudinem curiae, paucitatemque conuenientium ad publicum consilium respexissent, neque enim post L. Aimilium, & C. Flaminium Censores senatus lectus fuerat, quum tantum senatorum aduersae pugnae, ad hoc sui quemque casus per quinquennium absumsissent, ac ea de re relatum absente M. Iunio dictatore à praetore esset; dictatorem qui censor antea fuisset, vetustissimusque ex his qui viuerent censorijs esset creari placuit, qui senatum legeret, accirique C. Terentium Cos. ad Dictatorem dicendum iusserunt. Is N. Fabium Buteonem ex S.C. sine mag. eq. dictatorem in sex menses dixit: Haec Liuius. Tunc primum autem duo simul dictatores fuerunt. Verum N. Iunius quam primum lecto senatu, extemplo magistratu se abdicauit. Plutarchus in Fabio de hoc dictatore scribit

Annus DXXXIX

Liuius Cos. in hunc annum designatos fuisse M. Iunio dictatore comitia habente, L. Postumium Albinum III. qui tum prouinciam Galliam obtinebat, & TI. Sempronium Gracchum, qui magister eq. erat. Postumiumque antequam iniret in Gallia Hannibalis insidiis circumuentum occisum tradit, in cuius locum M. Marcellus II. subrogatus est, qui quum eum augures vitio creatum pronuntiassent, abdicauit, vulgoque patres ita ferebant, quod tum primum duo plebeij Cos. facti essent, id deis cordi non esse. In locum Marcelli suffectus Q. Fabius Maximus III. ita Liuius, & Plutarchus scribunt. Atque ob hanc caussam Cassiodorus, Orosius, & Eutropius TI. Sempronium & Q. Fabium Maximum Consules in hunc annum edunt

Annus DXL

Liuius, Plutarchus, & Cassiodorus Consules hoc anno suggerunt Q. Fabium Maximum IIII. & M. Claudiũ Marcellũ III. Horum Cos. praeterea Cicero saepe, & Frõtinus II. Stratag. meminerunt

De Censoribus abdicatis

Eodem anno M. Atilius Regulus & P. Furius Philus censores creati fuerunt. Qui ne lustrum facerent mors P. Furij prohibuit, nam eò mortuo Atilius magistratu abdicauit. Is filius fuit M. Reguli à Poenis primo Punico bello capti ut ait Valerius libro II. cap. IIII. De his censoribus praeter Valerium Liuius quoque mentionem facit. Vterque autem illorum consularis fuit.

Annus DXLI

Consules hoc anno ambo absentes creati Q. Fabius Maximus Verrucosi filius, & TI. Sempronius Gracchus II. Liuio, & Cassiodoro testibus. Hos consules A. Gellius ex Quadrigario, libro II. cap. II. Cicero, Valerius, & alij memorant

De C. Claudio Centhone Dictatore

Comitiorum consularium tempore proximo, quũ Cos. bellis intentos auocare nõ placeret, Ti. Sempronius Cos. comitiorum caussa Dictatorem dixit C. Claudium Centhonem, ab eo mag. eq. dictus est Q. Fuluius Flaccus. Dictator primo comitiali die Consules creauit: ita Liuius. C. Claudius ex consulatu descriptus est quem gessit anno DXIII. Q. vero Fuluius ex consulatu anni DXVII. & DXXX

Annus DXLII

Consules à Dictatore creati Q. Fuluius Flaccus III. qui tum erat mag. eq. & Ap. Claudius Pulcher Liuio, Plutarcho in Fabio, Cassiodoro, Floro, & Festo libro XVII. auctoribus. Ap. Claudius filius est P. Pulchri Cos. anno DIII

Annus DXLIII

Consules hoc anno à Claudio Cos. creati Cn. Fuluius Centumalus, & P. Sulpicius Ser. F. Galba qui nullum antea curulem magistratum gesserat: ita Liuius. Eosdem consules edunt Plutarchus, Festus libro XVII. Eutropius, Orosius, & Cassiodorus in Fabio. Cn. Fuluius filius est Cn. Fuluii in tabulis Capitolinis descripti, qui fuit Cos. anno DXXV. Ser. Galba ex secundo consulatu Capitolino formatus est. Hoc anno à Q. Fuluio Flacco proconsule Capua recepta est, vt tradit Liuius

Annus DXLIIII

LIVIVS, Sex. Pompeius, Valerius Maximus, Plutarchus, Florus, Eutropius, & Orosius, M. Claudium Marcellum & M. Valerium Laeuinum consules in hunc annum profitentur. Est autem Marcellus IIII. vt Plutarchus & Liuius tradunt. Cassiodorus III. vocat & M. Valerium Laeuinum, omisso consulatu quem vitio creatus non gessit, qui vnus ex quinque est quos ipse gessisse fertur. Liuius libro XXIX. & XXX. M. Valerium Laeuinum bis fuisse Cos. scribit; Itemque hoc anno liber Cusp. Marcellum IIII. & Laeuinum II. edit; quare ego suspicatus sum eum primum Cos. fuisse anno DXXXIIII. nunc II. Eius autẽ Polybius & Cicero meminerunt

De Q. Fuluio Flacco Dictatore

POPVLI iussu à M. Claudio Cos. Q. Fuluius Flaccus comitiorum caussa Dictator dictus, & ex eodem plebiscito à Q. Fuluio Dictatore P. Licinius Crassus Pont. Max. mag. eq. creatus est.

Mag-

Magistratibus in annum creatis Q. Fuluius dictatura se abdicauit: Ex Liuio, & Plutarcho in Marcello. P. Licinius mag. eq. ex consulatu Capitolino anni DXLIX. formatus est. Idem etiam Diuitis cognomine afficitur à Liuio in praetura anno sequenti. Apud Plutarchum mendose est Q. Fabius Dictator pro Q. Fuluio *De Censoribus abdicatis*

ET hic annus censores habuit L. Veturium Philonem, & P. Licinium Crassum Pont. Max. Crassus nec cos. nec praetor ante fuerat, quam censor factus est, ex aedilitate gradum ad censuram fecit. Hi censores nihil egerunt, mors diremit L. Veturii, & inde Licinius censura abdicauit: ex Liuio. L. Veturium esse existimo qui Cos. fuit anno DXXXIII. Neque enim, vt rem nouam in Crassum Liuius notasset censorem non consularem fuisse, si ne collega quidem eius consulatum cepisset

Annus DXLV

Q. Fuluio Dictatore comitia habente Cos. creati sunt Q. Fabius $\overline{V}$. & Q. Fuluius Flaccus $\overline{IIII}$. qui Dictator comitia habebat, Cicerone, Liuio, & Cassiodoro auctoribus. Horum consulum praeterea meminerunt Valerius, Plutarchus, Eutropius, Orosiusque

De censoribus, & lustro XLIIII

HOC etiam anno M. Cornelius Cethegus, P. Sempronius Tuditanus censores creati ambo qui nondum Cos. fuerant, hi censu acto, senatuque lecto, lustrum condiderunt, quo censa sunt ciuium capita CXXVII ∞ CVII: haec Liuius. Vterque ex consulatu Capitolino quem vna gesserunt anno DL. descriptus est: De his etiam sic Ennius apud Ciceronem in Bruto scribit

Additur orator Cornelius suauiloquenti
Ore, Cethegus Marcus Tuditano collega
Marci filius

Annus DXLVI

Vndecimo anno belli Punici consulatum inierunt M. Marcellus $\overline{V}$. (vt numeretur consulatus, quem vitio creatus non gessit) & T. Quinctius Crispinus: ita Liuius. Plutarchus quoque Marcellum $\overline{V}$. & Crispinum, Cassiodorus vero Marcellum $\overline{IIII}$. & Crispinum edit, praeterito vitioso consulatu. Hos praeterea consules memorant Cicero, Valerius, Plinius Iunior, Probus, Eutropius, & Orosius, à quibus etiam proditur ambos ex insidijs ab Hannibale circumuentos, ita ut Marcellus statim occisus sit, Quinctius saucius fugerit. Huius anni aestate olympiae ludicrum fuisse testatur Liuius, ad quod legatum missum. L. Manlium scribit. Fuit autem ea olympias, vt ego recte scripsi CXLIII

De T. Manlio Torquato Dictatore

Exitu anni T. Quinctius Cos. dictatore comitiorum ludorumque faciendorum caussa creato T. Manlio Torquato, in magistratu ex vulnere moritur. Dictator mag. eq. C. Seruilium, qui tum aedilis curulis erat dixit: Haec Liuius. T. Manlius antea Cos. fuit anno vrbis DXIX. C. Seruilius ex consulatu Capitolino Anno DLI. formatus est. De ludis, quorum caussa hic dictator creatus fuit mentionem facit Liuius libro XXII. & ego multa scripsi in libris quos de ludis Romanorum conscripsi

Annus DXLVII

Horum consulum praeter tabulas Capitolinas, quae per LX. fere proximos annos integrè sunt, meminerũt Liuius, Florus, Valerius, Frontinus, Plinius, Eutropius, Orosius, & Cassiodorus

De M. Liuio Salinatore Dictatore

Quum comitiorũ tempus appeteret, & per dictatorem comitia haberi placuisset C. Claudius Cos. M. Liuium collegam dictatorem dixit; Is Q. Cecilium Mag. eq. Liuius. Reliqua ex tab. Cap.

Annus DXLVIII

Verrius Flaccus, Liuius, & Cassiodorus eosdem consules suggerunt, de quibus praeterea saepe Cicero, Valerius, Plutarchus in Africano, Appianus in Iberico, Eutropius, & Plinius libro VII. cap. XLIII. mentionem faciunt

Annus DXLIX

Habitis à L. Veturio Philone comitijs consules creati P. Cornelius Scipio qui postea Africanus appellatus est, & P. Licinius Crassus Diues pont. Max. Ex Liuio, Verrio Flacco, Cicerone, Valerio, Plutarcho, Eutropio, Orosio, & Cassiodoro

De Q. Caecilio Metello Dictatore

Exitu anni Q. Caecilius Metellus à Cos. dictator comitiorum caussa dictus, mag. eq. sibi cooptauit L. Veturium Philonem: ita ex Liuio. Reliqua ex Verrio Flacco in tabulis Capitolinis

Annus DL

HI consules sunt qui ante simul censuram gesserunt, de quibus Verrius Flaccus, Cicero saepe, Liuius, Plutarchus, Eutropius & Cassiodorus mentionem faciunt. Hoc anno P. Scipio Nasica uir optimus à senatu iudicatus matrem Idaeam suscepit

De Censoribus, & lustro XLV

Censores interim Romae M. Liuius, & C. Claudius senatum recitarunt. Vectigal nouum ex sa-

Annus DLXIII. *in quo bellum Antiochinum coeptum est*

P. Scipio Nasica uir optimus, M. Acilius Glabrio Cos. hoc anno suggerũtur a Cicerone, Verrio Flacco, Liuio, Plutarcho, Iustino libro XXXI. Frontino II. Stratag. Appiano, utroque Plinio, Eutropio, Orosio, & Cassiodoro. Quibus Cos. Bellum Antiocho Syriae regi & Aetolis indictum fuisse à populo Romano ijdem auctores sunt, quod Antiochinum in tabulis Capitolinis, à Paterculo & Macrobio; Syriacum uero à Floro, Plinio iuniore in Catone, & Eutropio appellatur. Hunc annum ab urbe condita fuisse DLXII. refert primo Saturnalium Macrobius

Annus DLXIIII

Polybius, Verrius Flaccus, Cicero, Liuius, Valerius, Iustinus, Plutarchus, Iulius Obsequens Eutropius, Appianus in Illyrio, Gellius libro XVI. cap. IIII. Cassiodorus & alij plerique horum consulum meminerunt. Hic L. Scipio Asiaticus frater Africani fuit

Annus DLXV

Et hos etiam consules edunt cum tabulis Capitolinis Liuius, Paterculus, & Cassiodorus

De Censoribus, & Lustro XLVIII

Horum censorum praeter tabulas Capitolinas meminerunt Liuius, Plutarchus, & Cicero. Marcellus Marcelli V. Cos. filius fuit. Lustrum ab ijs censoribus conditum, quo censa sunt ciuiũ capita CCLVIII∞ CCCXXVIII

Annus DLXVI

Tabulae Capitol. Cicero, Liuius, Iulius Obsequens, & Cassiodorus hos consules memorant

Annus DLXVII

M. Aimilius Lepidus & C. Flaminius Cos. digeruntur hoc anno à Cicerone, Verrio Flacco, Liuio, Strabone libro V. Valerio libro VI. & Cassiodoro. Hic est. M. Lepidus pont. max. bis cos. censor, princeps senatus sextis censoribus lectus. C. uero Flaminius senatu à Catone censore postea motus

Annus DLXVIII

Tabulae Capitolinae, Cicero, Liuius, Valerius libro VI. Plinius libro XXXIII. Eutropius, & Cassiodorus de his consulibus mentionem faciunt

Annus DLXIX

Verrius Flaccus, Cicero, Liuius, & Cassiodorus hos consules edunt

Annus DLXX

Et ii consules à Cicerone in Bruto, & ceteris ijsdem auctoribus memorantur

De censoribus, & lustro XLIX

M. Cato & L. Flaccus censores hoc anno referuntur à Verrio Flacco, à quo & lustrum conditum proditur, item Cicerone, Liuio, Valerio, Plutarcho, Gellio, utroque Plinio, Probo, Pediano in Cornelianam, & alijs plerisque

Annus DLXXI

Hi consules memorantur à Verrio Flacco, Liuio, Iustino, Probo in Hannibale, Obsequente, Eutropio, Orosio, & Cassiodoro

Annus DLXXII

L. Aimilius Paullus eius qui ad Cannas obijt filius, & Cn. Baebius Tamphilus consules hoc anno memorantur à Verrio Flacco, Liuio, Velleio, Plutarcho, Obsequente, Probo, & Cassiodoro

Annus DLXXIII

Horum consulum praeter Fastos Capitolinos meminerunt Liuius, Valerius, Plutarchus in Numa, Plinius, Probus, & Cassiodorus. M. Baebius Cnaei superiore anno Consulis frater dicitur à Liuio

Annus DLXXIIII

Liuius cum Verrio Flacco, & Cassiodorus hos Consules edunt. Ceterum in C. Pisonis Cos. Quartae Hostiliae vxoris insidijs, uel ex pestilẽtia sublati suffectum eius uictricum Q. Flaccum idem Liuius auctor est

Annus DLXXV

De his consulibus quos fratres germanos fuisse ex Verrio Flacco, & Velleio constat, Cicero quoque secundo de Oratore, Liuius, Iulius Obsequens, Plinius, & Cassiodorus meminerunt

De Censoribus, & Lustro L

Comitijs censorijs creati M. Aimilius Lepidus Pontifex Maximus, & M. Fuluius Nobilior auctoribus Liuio, & Verrio Flacco. Eorundem censorum meminit Cicero de prouincijs consularibus, & alibi, Valerius libro IIII. cap. II. Gellius libro XII. cap. VIII. & Festus. Ab his censoribus lustrum conditum, & ciuium capita (ut ex epitoma constat, nam apud Liuium excidit) CCLXXIII∞ CCXLIIII. censa

Annus DLXXVI

Liuius, Obsequens, Valerius, Cassiodorus consules memorant M. Iunium Brutum, & A. Manlium Vulsonem. Qui ex tabulis Capitolinis descripti sunt

Annus DLXXVII

C.Claudius Pulcher, Ti.Sempronius Gracchus Cos. in hunc annum comparantur à Verrio Flacco, Liuio, & Cassiodoro. De TI.Graccho Cicero primo de diuinatione,& Frontinus primo Strategematum mentionem fecere. Hoc anno cum Istris bellatū à Claudio,ut scribit Liuius

Annus DLXXVIII

Cn.Cornelius Scipio Hispallus Q.Petillius Spurrinus Cos.hoc anno digerūtur à Verrio Flacco, Liuio, & Cassiodoro. Horum consulum meminit & Valerius, Frontinus,& Obsequens C.vero Laeuini consulis suffecti tabulae Capitolinae,& Liuius

Annus DLXXIX

Lapides Capitolini, Cassiodorus, Obsequens, Orosius, & Eutropius hos consules edunt, de quibus praeterea Cicero, Valerius,& Pomponius. Horum consulum nomina apud Liuium interciderunt *Annus* DLXXX

Fasti Capitolini, Cassiodorus cum Plinio libro II. cap. XXXI. hos consules memorant, qui apud Liuium desunt

De Censoribus, & lustro LI

Liuius cum tabulis Capitolinis Censores edunt Q.Fuluium Flaccum A.Postumium Albinū; hic lustrum condidit, quo censa sunt ciuium capita CCLXIXↀ & XV. Horum praeterea censorum Cicero in Verrem,Valerius, Velleius,Plinius libro VI. cap. XLVIII. Frontinus libro IIII.Lactantius Firmianus, & plerique alij meminerunt

Annus DLXXXI

Verrius Flaccus, Liuius, & Cassiodorus hos Cos.profitentur; quibus Floralia instituta esse libro V.Fastorum docet Ouidius bis uersibus

Annuimus uotis consul cum consule ludos
Postumio Laenas persoluere mihi. De eis praeterea Valerius Maximus

Annus DXXCII

Verrius Flaccus, Liuius, & Cassiodorus hos consules memorant. Hucusque autem duo plebeij consules nulli in eundem annum creati sunt. Hoc enim anno primum duo e plebe simul consules facti, quemadmodū notatum est in Capitolinis tabulis.Sicut itaq; ante primum consulem plebeium ambo cos.semper patricij fuerunt,deinde patricius & plebeius, aliquando ambo patricii, ita post haec patricij consules ambo nunqnam erunt,(ante C.Caesaris dictatoris tempora loquor) plebeius vterq; saepe, plebeius & patricius saepissime. Lex autem qua iubebatur, vti liceret ambos cos.plebeios creare lata est auctore Liuio Anno CDXII. neq; unquam nisi hoc primum anno seruata est. Fuerunt autem hi cos.C.Popillius Laenas & P. Ailius Ligus

Annus DXXCIII. *in quo Bellum Persicum inchoatum est*

Hoc anno, quo,Verrio Flacco, Liuio, Plinio, Gellio, Eutropio, Orosio & Cassiodoro auctoribus consules fuerunt P.Licinius Crassus & C.Cassius Longinus, bellum à populo Romano cum Perse Macedonum rege Philippi filio susceptum est, quod Florus, & Eutropius cum Orosio Macedonicum secundum vocant; de quo plura Liuius & Plutarchus scribunt

Annus DXXCIIII

Tabulae Capitolinae & Cassiodorus hos consules edunt,quorum nomina & res gestae apud Liuium interciderunt *Annus* DXXCV

Hos consules Cicero in Bruto,& in Catone, Liuius, Verrius Flaccus, & Cassiodorus memorant. Quibus Ennium mortuum fuisse Cicero scribit

De Censoribus, & lustro LII

Hos Censores in hunc annum tabulae Capitolinae & Liuius edunt, à quibus lustrum LII. conditum esse, & ciuium capita CCXIIↀ DCCCV. censa fuisse refert Florus, Lustrum enim apud Liuium temporis iniuria deest. De his praeterea censoribus saepe Cicero, Valerius, Plutarchus, Plinius, Gelliusque mentionem fecerunt

Annus DXXCVI

Horum consulum praeter tabulas Capitolinas meminerunt Cicero, Liuius, Valerius, Velleius, Plutarchus, Florus, Iustinus, vterque Plinius, Eutropius, Orosius, & Cassiodorus

Annus DXXCVII

Et hi consules ex Fastis Capitolinis, Cicerone in Bruto, Liuio, Valerio, Obsequente, Plinioque formati sunt. Post haec tempora nobis deest Liuiana historia; maximo praesidio in his Fastis concinnandis destitutus

Annus DXXCIIX

Liuius, Verrius Flaccus, Obsequens, & Cassiodorus hos consules edunt. De eis praeterea Titulus Andriae Terentij,Iustinus, Plinius libro II.& plerique alij meminere

Annus

Annus DXXCIX

Tabulae Capitolinae, Titulus Hecyrae Terentianae, Cicero, Obsequens, Valerius, & aliquot praeterea veteres scriptores horum consulum meminerunt

Annus DXC

A.Manlius Torquatus Q.Cassius Longinus, quem in magistratu mortuum esse Fasti docent Capitolini, consules digeruntur à Cassiodoro. De A.Manlio Plinius mentionem facit

De Censoribus, & Lustro LIII

Censores qui in hunc annum à Verrio Flacco comparantur, lustrum condidisse, censumque fecisse refertur à L. Floro in epitoma, quo censa sunt ciuium capita CCCXXVIIIↀ XXII. alias CCCXXXVIIↀ. De eis praeterea Cicero pro domo, Valerius, Plutarchus in Paullo, Plinius libro VII.& XXVI.& Censorinus mentionem fecerunt

Annus DXCI

Tabulae Capitolinae, Iulius Obsequens, & Cassiodorus hos consules edunt. De Ti.Graccho II. Consule Cicero, Valerius, & Plutarchus meminerunt. M.vero Iuuentium in Magistratu mortuum fuisse scribunt Plinius libro VII. & Valerius

Annus DXCII

Cicero primo secundoque de natura Deorum, Verrius Flaccus, Obsequens, & Cassiodorus P.Cornelium Scipionem Nasicam, & C.Marcium Figulum Cos. memorant. Qui quum vitio creati abdicassent, ijsdem, Valerio, Plutarcho, & Plinio auctoribus, in eorum locum facti sunt P.Cornelius Lentulus, & Cn.Domitius Ahenobarbus

Annus DXCIII

Cicero in Bruto, Tituli Terentij in Eunuco, & Phormione, Plinius libro X.cap.L.Gellius libro II. & XV. Macrobius, Cassiodorus cum tabulis Capitolinis hos consules in hunc annum comparant

Annus DXCIIII

Et hi consules ex Verrio Flacco, Titulo Adelphorum Terentij, & Cassiodoro formati sunt Horum praerea consulum Cicero in Bruto, & Florus meminerunt, quibus L.Paullum qui Persen vicerat mortuum constat

Annus DXCV

Ex Fastis Capitolis, Cassiodoro, & auctore vitae Terentij hi consules descripti sunt

De Censoribus, & lustro LIV

P.Cornelius Scipio Nasica, & M.Popillius Laenas censores comparãtur à Fastis Capitolinis, ex quibus lustrum LIIII. eos condidisse apparet, quo ut ait Florus in Epitoma XLVII. libri, censa sunt ciuium capita CCCXXIIX ↀ CCCXIIII. Horum censorum & lustri praeterea meminerunt Cicero II. de Oratore, in Bruto .I.Tusculan. Vterque Plinius, Velleius, Gellius & Censorinus

Annus DXCVI

De his consulibus praeter tab.Cap. mentionem faciunt Plinius libro XXXIIII.cap.VI.ex VII. Pisonis Annalium libro, item Censorinus, & Cassiodorus

Annus DXCVII

Verrius Flaccus, Plinius libro XXXIII.& Cassiodorus hos consules referunt

Annus DXCVIII

Tabulae Capitolinae, Cicero in Bruto, Obsequens, Valerius libro IX.cap.II. Florus, & Cassiodorus hos consules in hunc annum profitentur

Annus DXCIX

Verrius Flaccus, & Cassiodorus hoc anno hos consules comparant. Hunc Marcellum ter consulem fuisse Pedianus, P. vero Scipionem Nasicam Corculum appellatum, bis Consulem Censoremque fuisse scribit in Bruto Cicero

Annus DC

Hoc anno tabulae Capitolinae & Cassiodorus consules edunt Q.Opimium & L.Postumium Albinum. Hunc in magistratu mortuum fuisse praeter Verrium Flaccum docet etiam Obsequens. In cuius locum M.Acilius Glabrio factus est

De Censoribus, & lustro LV

Censorum M.Messallae & C.Cassij lustro ciuium capita censa esse CCCXXIIIIↀ ex Liuio prodit Florus. De eis praeter tab.Capitolinas, Cicero pro domo, Valerius Maximus lib.II.cap. IIII. Velleius, Plinius lib.VI.cap.XII. Appianus, Diuus Augustinus libro I.de ciuitate Dei, Eutropius, & Orosius meminerunt

Annus DCI

Cassiodorus cõsules in hunc annum comparat Q.Fuluium & T.Annium. In lapide Capitolino, qui deinceps totus exaesus est, verba NOBILIOR. T. ANNIVS. T.F. adhuc supersunt. Cicero

in Bruto Q. Nobiliorem M.F.& T.Annium Luſcum Cos. memorat. Liuius quoque in anno DXXCII. T.Annij Luſci meminit. Faſti Graeci,& liber Cuſpiniani Nobiliorem & Luſcū edunt, Hunc Q.Fuluium eius M.Fuluij filium exiſtimo, qui conſul fuit anno DLXV. Hoc anno conſules Kal. Ianuarijs primum magiſtratum inire coeperunt, quum ab anno DXXXII. ad hunc uſq; annum Idibus Martijs inijſſent, qui dies ineundo conſulatui poſtea ſemper ſolemnis fuit. Hanc rem Florus & Caſsiodorus ita tradunt: Q. Fuluius T. Annius cos. primi Kal. Ianuariis propter ſubitum Celtiberiae bellum inierunt

Annus DCII

M.Claudius Marcellus L.Valerius conſules hoc anno memorantur ab Obſequente,& Caſsiodoro, Marcellus & Flaccus à Faſtis Graecis, & libro Cuſpiniani. Hic Marcellus ter cos. fuit Cicerone de Diuinatione,& de Fato,& Pediano in Orat. pro Scauro, Valerio,& Plutarcho in Marcello teſtibus; nepos M. Marcelli qui Syracuſas uicit. L.Valerius L.F.P.N. in tabulis Capitolinis notatus eſt, ex quibus apparet etiam eum in magiſtratu mortuum fuiſſe. In eis quoque eſt MARCELLVS. III

Annus DCIII

Epitoma L.Flori ex Liuio XLVIII. Eutropius, Oroſius,& Caſsiodorus conſules in hunc annum profitentur L.Licinium Lucullum, A.Poſtumium Albinum. Is ex tab. Capitolina concinnatus eſt. Horum conſulum Cicero II. Acad. in Bruto, & Lucullo meminit, L.q; Lucullum auū eius Luculli ſcribit, qui Mithradatem vicit, quod etiam tradit Plutarchus in Lucullo. De his praeterea Cos. Gellius libro XI.& Macrobius primo Saturnalium mentionem faciunt

Annus DCIIII

Hos conſules Cicero in Catone,& Epiſtolarum ad Atticum libro XII. T,Flamininum,& M'. Acilium, Plinius libro VII. cap. XXXVI. C.Quinctium & M'.Acilium. Caſsiodorus L.Quinctiū M'.Acilium vocant. Hunc T.Quinctium eius T.Quinctij Flaminini qui Philippum vicit filiū eſſe arbitror. M'.vero Acilius ex tabula Capitolina formatus eſt

Annus DCV. *In quo bellum Punicum tertium inchoatum eſt*

Hoc anno tertium inter populum Romanum & Carthaginienſes bellum exortum fuiſſe, praeter Verrium Flaccum, Florus ex Liuio Epitoma XLIX. Solinus, qui anno DCIIII. cum Verrio Flacco, Cicero Philippica XI. Eutropius, & Oroſius memorant. Quo anno teſte Caſsiodoro conſules fuerunt L.Marcius, cui ex tabula Capitolina Cenſorini cognomen addidi, & M'.Manilius, qui ex eadem tabula formatus eſt. Horum praeterea conſulum ſaepe Cicero, Paterculus, Appianus, Florus, Eutropius, Oroſius, & alij plerique meminerunt. Cenſorinus vero ita ſcribit cap. XIIII. L.Marcio Cenſorino M'.Manilio Cos. Anno DCV. Ludi ſaeculares quarti ex Liuio, Antiate,& Varrone. Ceterum L.Marcius Cenſorinus ex cenſura quam proxime geſsit deſcriptus eſt. Extat Romae antiqua fiſtula plumbea cum hac inſcriptione

M.AVRELI.MARCIANI.M'.MANILIO.L.MARCIO.CENSORINO.COS

Annus DCVI

Conſules in hunc annum comparant Obſequens & Caſsiodorus Sp. Poſtumium & L. Piſonem. Sp.Poſtumio, quem filium eſſe puto Sp.Poſtumij A.F. Albini Paulluli Cos. anno DXXC. tabulae Capitolinae fragmentum addit cognomina Albinus Magnus. L. Piſo ex eadem formatus eſt. Hoc anno cum Andriſco qui & pſeudo Philippus dictus eſt, bellum populus Romanus ſuſcepit, quod Macedonicum tertium vocant, vt auctores ſunt Florus, & Eutropius

Annus DCVII

Obſequens & Caſsiodorus conſules in hunc annum edunt P.Africanum & C.Liuium. Hic P.Cornelius Paulli qui Perſen Macedonum Regem vicerat filius fuit, datus in adoptionem P. Cornelio Scipionis Africani filio. Quare P.Cornelius P.F.P.N. Scipio Africanus Aimilianus dictus eſt, eius enim duo extrema cognomina ſunt in tabulis Capitolinis. Ex quibus integra M.Liuii Druſi collegæ nomenclatura formata eſt. De his conſulibus ſaepe Cicero, Valerius, Paterculus, Appianus, Plutarchus, Florus, vterque Plinius, Eutropius, & Oroſius; extat in area Capitolina haec antiquiſsima huius Scipionis inſcriptio in Tiburtina baſi

P.CORNELIVS.PAVLLI.F.SCIPIO
AFRICANVS.COS.II. CENS
AVGVR.TRIVMPHAVIT.II

Hoc anno bellum cum Achaeis excitatum eſſe docet Florus in epitoma, Eutropius, Cicero Philippica XI.& Iuſtinus

De Cenſoribus, & luſtro LVI

Ex fragmentis Capitolinis hoc anno cenſores fuiſſe, luſtrumque LVI condidiſſe intelligitur. Horum alter fuit L.Cornelius Lentulus Lupus vir conſularis, vt ex eodem fragmento liquet, & L. Marcius Cenſorinus qui biennio ante conſul fuerat. Hoc luſtro CCCXXII ∞ ciuium capita cenſa fuiſſe tradit Euſebius. De his cenſoribus Valerius libro VI. Cap. XI

Annus DCVIII

CICERO libro XIII. episto. ad Atticum, Velleius, Censorinus, Orosius, & Cassiodorus Cos. in hunc annum edunt Cn. Cornelium Lentulum, L.Mummium Achaicum. Hunc annum vocat Censorinus DCVIII. ex Pisonis censorii Cn. Gellii, & Cassii Heminae qui tum venebant annalibus, Cn.Lentulus eius filius est qui Cos.fuit anno DLIII. frater vero Lentuli Lupi censoris. L.Mummius ex tabula Cap.formatus est, qui in hoc magistratu ex Achaica victoria Achaici cognomen inuenit, Plutarchus in Mario, & Velleius auctores. De bello Viriatino hoc anno inchoato scribit Cicero II. officiorum, Florus, Orosius, & Eutropius

Annus DCIX

Cassiodorus hoc anno consules edit Q.Fabium Maximum, cum L.Hostilio, Q. Maximum Scipionis fratrem L.Mancinum Cicero in Laelio & Plinius libro XXXV. Cap. IIII. De Q. Fabio Maximo Aimiliano Valerius libro II. Cap. I. Hic Q. Fabius Paulli Aimilii filius fuit adoptatus à Q. Fabio Maximo Verrucosi filio, auctor Appianus in Hispaniensi: & idcirco in tabulae Capitolinae fragmento est alterum cognomen AIMILIANVS. Plinius lapsus lib. XXXI. Cap. XI. fratrem Scipionis Q. Allobrogicum vocat, qui fuit huius Fabii filius. L.Mancinus filius fuit A. Hostilij L. F. qui Cos. fuit anno DXXCIIII. est enim in fragmento Capitolino, ita exaratus L.Hostilius : : : L. N. Mancinus

Annus DCX

Valerius libro VI. Frontinus primo Aquaeduct. & Cassiodorus consules edunt Ser.Sulpicium Galbam, L.Aurelium Cottam. Tabulae Capitolinae Galbam, & L. Aurelium Cottam. Hunc Galbam eius Seruii filium esse existimo, qui praetor à Liuio refertur anno DLXVII. P.vero Galbae Maximi II. Cos. nepos. Horum consulum mentio est in testamento Galli Fanonii Secundi, qui Bello Viriatino cecidit ita

ACTVM. VI. KAL. QVINCTILEIS, SER. GALBA. L. AVRELIO. COS

Hoc autem in Hispania propè Coimbriam in agro repertum est. De his consulibus saepe Cicero mentionem facit

Annus DCXI

Frontinus de Aquaeduct. Eutropius, Orosius, & Cassiodorus consules hos Ap. Claudum, & Q.Caecilium Metellum vocant. Fasti Capitolini Pulchrum & Q.Caecilium Macedonicum. Ap. Claudius Appi Claudij, vt existimo, filius est, qui Cos.fuit anno DLXIX. Q. Caecilius Q. F. L. N. dicitur à Plinio libro VII. qui quod in praetura Macedonas vicerit Macedonicus vocatus est

Annus DCXII

Consules in hunc annum comparant Obsequens, Eutropius, Orosius & Cassiodorus L.Caecilium Metellum, Q. Fabium Maximum Seruilianum: in fragmentis Capitolinis est Caluus L.Metelli alterum cognomen, & Q. Fabius Seruilianus. L. Metellus Caluus frater est Macedonici ut Valerius in capite de testibus tradit. Hic vero Seruilianus frater fuit Q. Seruilij Caepionis biennio post Consulis, auctore Appiano, frater adoptiuus Q.Fabij Aimiliani; Ambo enim à Q. Maximo Verrucosi filio adoptati sunt. Quorum alter ex gente Aimilia, alter ex Seruilia fuit. Horum praeterea consulum meminit Cicero ad Atticum libro XVI. Epistolarum

De Censoribus, & lustro LVII

Ex tabulis Capitolinis censores hoc anno fuisse, lustrumque LVII. condidisse intelligi potest. Hi autem fuerunt P.Cornelius Scipio Africanus Aimilianus & L.Mummius Achaicus. Quo lustro censa fuisse à L.Floro traduntur ciuium capita CCCCXXIIX ∞ CCCXLII. Celebratissima apud omnes ueteres scriptores est haec censura. De ea enim saepissime Cicero, Gellius libro IIII. ex Lucilio, Valerius libro IIII. & VI. Plutarchus, & alij mentionem fecerunt

Annus DCXIII

Cn.Caepio & Q.Pompeius Cos. referuntur à Cassiodoro. Velleius libro II. Seu duae seu tres Pompeiorum familiae fuerunt, primus e Pompeijs cum Cn.Seruilio Cos fuit. De hoc Q.Pompeio saepe Cicero meminit, quem humili atque obscuro loco natum scribit. Hunc Valerius capite de testibus Aufidum vocat librariorum uitio, pro Auli filium. Eadem ratione Appianus in Hispaniensi eum Q.Pompeium Aulum uocat, pro A.Filium, Rufus Pompeiorum notum cognomen est, ex nummis, & Pediano. Cn. & Q.Seruilios Caepiones fratres fuisse docet Cicero in Verrinis, & in Fonteiana, ac Valerius capite de testibus, quos natos opinor Cn.Caepione Consule anno DXXCV

Annus DCXIIII

Cicero in Bruto, Frontinus de Aqueductibus, Obsequens, Plutarchus, & Cassiodorus Consules huius anni memorant C.Laelium & Q.Seruilium Caepionem. Hic Laelius (ut Cicero in Philippica XI. & Velleius tradunt) filius fuit eius Laelij qui Cos.fuit anno DLXIIII. qui Sapien

tis

tis cognomen primus tulit, ex Cicerone libro II. offic. atque in Laelio, cuius rationem affert Plutarchus in Gracchis. Hoc anno bellum cum Numantinis susceptum fuisse docent Appianus & Florus

Annus DCXV

Cassiodorus in hunc annum consules edit Cn. Pisonem cum M. Popillio; M. Popillium Laenatem Appianus & Florus. M. Popillium Laenatem, & L. Calpurnium Valerius libro primo. Hic Laenas eo genitus est ut puto, qui Cos. fuit anno DXXCI

Annus DCXVI

P. Scipio D. Brutus Consules memorantur hoc anno à Cassiodoro: Florus Epitoma LV. P. Cornelio Nasica (cui cognomen Serapionis fuit ab irridente C. Curiatio trib. plebis impositum) & D. Iunio Bruto Cos. delectum habentibus. Hic Scipio filius fuit eius Nasicae qui Corculum appellatus est, atque bis Cos. & Censor fuit, eius qui vir optimus à senatu iudicatus est nepos, pater vero eius, qui Iugurthae bellum intulit, ut ait Velleius. D. Brutum Cicero in Bruto M. F vocat, qui consulatum gessit anno DXXCVII. atque in tabulis Capitolinis Pennus appellatur. De his consulibus praeterea Cicero saepissimae, Valerius libro III. cap. VII. & libro V. cap. III. & libro IX. cap. XV. Plinius libro XXI. & Frontinus mentionem faciunt. Hic Nasica Pont. Max. fuit, TI. Gracchum occidit, in exilio obiit. D. vero Brutus, quum postea Callaecos uicisset, Calaici cognomen inuenit. Velleius

De Censoribus

Censoriorum virorum copia, quam per haec tempora esse inueni, coegit me binos in hunc annum censores conijcere, quos tamen aliqua de caussa (ut saepe vsu venisse superius vidimus) abdicasse arbitror, nec lustrum condidisse, nam biennio post lustrum conditum ex tab. cap. intelligitur. Qui autem fuerint parum constat. Ego autem, quum per haec tempora non nisi ex consularibus ad censurae honorem efferrerentur, vbi incerta censorũ sedes fuerit, vetustissimos consulares priotibus locis adponam, recentiores vero, sequentibus. Hos autem fuisse existimaui P. Cornelium Lentulum, & Ap. Claudiũ Pulchrum; quorum prior Anno DXCII. sequens DCXI cõsules fuerunt. P. autem Lentulum ideo Censorem dixi, quod saepissime à Cicerone, & Valerio princeps senatus appellatur. Superius autem ostendi principem senatum non nisi ex censoriis legi solitum; idcirco antequam princeps lectus esset, (lectus autem fuit lustro LIX. ut ostendam) eum Censorem hoc anno fixi, quod alium praeterea locum in quem eum conijcerem non habui. Eadem ratione feci de Ap. Claudio, quem consularem, censorium, & principem senatus fuisse Plutarchus in Gracchis tradit, atque superiore lustro censurae honore ab Africano deiectus est; & nisi eum hoc anno censorem statuas, quo anno fuerit non reperies, est enim mortuus auctore Appiano libro primo, ante C. Sempronium Tuditanum consulem

Annus DCXVII

Consules in hunc annum profitentur Cicero in Bruto, & alibi, Appianus, Obsequens, Eutropius, Orosius, & Cassiodorus M. Aimilium Lepidum, & C. Hostilium Mancinum, M. Aimilium, quem eo genitum Lepido existimo, qui bis cos. censor, Pont. Max. & princeps senatus fuit, Cicero in Bruto Lepidum Porcinam vocat. Horum praeterea consulum Valerius saepe, Florus, Paterculus, & Plinius de viris illustribus meminerunt. De priore seruili bello Siculo multa Florus, Eutropius, & Orosius scripserunt

Annus DCXVIII

Cassiodorus hos consules P. Furium & Sex. Atilium Serranum, Cicero uero lib. III. de officijs L. Furium Sex. Atilium uocant. Obsequens Serrani cognomen addit. Hunc cõsulem Cicero alibi, Pedianus in diuinationem, Valerius Maximus libro III. cap. VII. P. Furium Philum vocant. Extat antiqua inscriptio Leonici in agro Veiceti no in qua alterius ut puto cos. haec mentio est

SEX. ATILIVS. M. F. SERRANVS
PRO. COS. EX. S. C
INTER. ATESTINOS. ET
VEICETINOS. TERMINOS
STATVIT

De Censoribus, & Lustro LVIII

In Fragmento tabulae Capitolinae hae littere SERRANO Consuli suggeruntur OR. L. F. LVIII. Quibus censores hoc anno lustrum LVIII. fecisse cognoscimus. Qui autem hi fuerint incertum est. Quoniam vero non nisi consulares (ut dixi) censores creari solebant, alterum ex his fuisse suspicatus sum Q. Fuluium Nobiliorem qui anno DCI. consulatum gessit. Cui ex plebe, collegam patricium adiunxi Q. Fabium Maximum Seruilianum, ambo enim de plebe Censores nondum facti fuerant. Q. autem Fabium censorem fuisse Valerius libro VI. cap. I. de pudicitia ostendit his verbis: Q. Fabius Maximus Seruilianus honoribus quos splendidissimae gesserat, censurae grauitate consumatis, exegit poenas à filio dubiae castitatis. Hoc autem lustro censa sunt (ut in Epitoma scribit Florus) ciuium capita CCCXXIIIↀ

Annus DCXIX

Eutropius, & Orosius consules in hunc annum profitētur Ser. Fuluium Flaccum Q. Calpurnium Pisonem, Cassiodorus cum Obsequente Ser. Fuluium Q. Calpurnium. In fragmentis Capitolinis est Piso. Fuluij Flacci cos. Appianus in Hispaniensi & Florus in epitoma meminerunt. Pisonem autem C. potius quam Q. praenomen mihi suspectum vocarem, nisi antiqua inscriptio me mouisset, in qua ita scriptum est

SER. FVLVIO. FLACCO. Q. CALPVRNIO. PISONE. COS. A. P. V. C. DCXX. REMP. BELLO. SERVILI. TVRBANTE

Annus DCXX

Eutropius, Orosius, Cassiodorus & Obsequens hoc anno P. Africanum, & C. Fuluium Flaccum cos. habent. Africanus II. consul est, ut Valerius libro VIII. tradit. Horum consulum Florus in epitoma, Appianus in Hispaniensi, Cicero VI. de republica, & in Laelio, Gellius libro XVI. cap. VIII. Paterculus, & alij meminerunt

Annus DCXXI

Hic annus, quo TI. Gracchus occisus est, consules habuit Cicerone multis locis, Valerio, Plinio, Plutarcho, Velleio, Pediano in Verrinas, & Cassiodoro testibus P. Mucium Scaeuulam, L. Calpurnium Pisonem. P. Scaeuula iuris peritus filius est P. Scaeuulae cos. anno DLXXVIII. Cicero auctor in Bruto, Frater P. Crassi biennio post consulis, ut idem in Lucullo tradit. In fragmento Capitolino est MVCIVS. L. CALPVRNIVS. FRVGI, & recte. Cicero enim scribit primum hunc e Pisonibus esse Frugi vocatum. Is tribunus plebis Marcio & Manilio cos. legem de repetundis tulit, annales Romanos scripsit ut Cicero in Bruto, censorius fuit ut Dionysius saepe scribit. Extat antiquus argēteus nummus, quem hoc consule cusum esse existimo, in quo scriptum est L. PISO. FRVGI

Annus DCXXII

Cicero saepe, Velleius libro II. & Cassiodorus consules in hunc annum comparant P. Popillium Laenatem & P. Rupilium; P. Popillius C. F. dicitur à Verrio Flacco, ut eo genitus sit qui cos. fuit anno DXCV. P. Rupilij pater & auus ex eodem Verrio descripti: de his consulibus meminerunt praeterea Val. Maximus, Eutropius, Orosius & alij

Annus DCXXIII

Cicero Philippica XI. L. Valerium Flaccum Flam. Martialem, & P. Licinium Crassum pont. max. cos. hoc anno edit. Paterculus Crassum Mucianum vocat, qui in tabulis Capitolinis P. F. P. N. exaratus est. L. Valerium eo Valerio genitum existimo qui consul fuit anno DCII. Hi consules memorantur à Valerio Maximo saepe, Orosio, Eutropio & alijs. Hoc anno bellum cum Aristonico quod Asiaticum dictum est à populo Romano susceptum, biennio post confectum fuit. Florus, Valerius, & Gellius auctores

De Censoribus, & lustro LIX

Ex fragmento tabulae Capitolinae censores hoc anno, & ex his Q. Caecilium fuisse intelligitur. Is fuit Q. Caecilius Metellus Macedonicus, cui collega additus Q. Pompeius. Ita enim scriptum est à L. Floro in epitoma LIX. Q. Pompeius & Q. Metellus tunc primum vterque ex plebe censores facti: à quibus lustrum conditum, quo censa sunt ciuium capita CCCLXVIIIↀ DCCCXXXIII. praeter pupillos & viduas. Hūc vero fuisse Q. Metellum Macedonicum docet Plinius libro VII. cap. XLIIII. Q. Pompeii censoris meminit Cicero in Bruto

Annus DCXXIIII

Ap. Claudius, M. Perperna cos. in hunc annum comparantur ab Obsequente & Cassiodoro. Liber Cuspiniani, & Fasti Graeci Lentulum & Perpernam edunt; forte hic Claudius in familiā Corneliam adoptatus fuit, nam adoptionem aliquam in Claudia familia patricia factam fuisse negat apud Tacitum & Tranquillum Claudius Imperator. Ceterū Cicero libro III. de legibus, & pro Planeio hunc C. Claudium vocat. Ciceronem, & antiquam inscriptionem sequutus, C. nō Ap. nominaui, ea est eiusmodi D. XIIII. KAL. IVN. C. CLAVDIO. M. PERPERNA. COS De M. Perperna mentionem fecerunt omnes qui bellum Aristonici conscripserunt, in his fuere Valerius libro III. cap. IIII. Velleius, Strabo, Orosius, & Eutropius. Eius quoque antiquus adhuc extat denarius cum his verbis. M. PERPERNA. COS

Annus DCXXV

Cicero de natura deorum, & ad Q. Fratrem, Paterculus libro II. Strabo libro XIIII. Appianus libro primo, Eutropius, Orosius, & Cassiodorus consules huius anni edunt C. Sempronium Tuditanum, M. Aquillium. Horum uterque ex triumphis eorum Capitolinis descriptus est

Annus DCXXVI

Cassiodorus consules in hunc annum comparat Cn. Octauium & T. Annium. Fasti Graeci & Liber Cusp. Octauium & Rufum. Cn. Octauius eius filius est, qui cos. fuit DXXCIX. T. vero Annius eius qui DCI. quare eum etiam pro Rufo, quod mendosum esse existimo, Luscū uocaui

Annus

Allobrogum victoria appellatus est. Sane extat Romae apud Antonium Maximum patricij generis hominem, virum ut optimum, ita vere pium & cordatum, bonis quoque litteris satis imbutum, & de me optime meritum in antiquissimo pario marmore haec inscriptio

Q. FABIO . ALLOBROGICINO . MAXIMO

Ceterum an is fuerit de quo inscriptio meminit an eius filius, incertum. Extat quoque alterius consulis nummus cum hac stelographia L. OPEIMI. Q. F

Annus DCXXXIIII

P. Manlius C. Papirius cos. hoc anno digeruntur à Casiodoro, A Fastis vero Graecis Manilius & Carbo. Quare hunc P. Manilium dixi eius filium qui cos. fuit anno DCV. De eius collega C. Papirio Carbone saepe Cicero meminit, quem fratrem esse existimo Cn. Papirij C.F. qui cos. septimo anno post erit

De Censoribus, & lustro LXI

Quinquennale spatium postulat ut in hunc annum tam censores quam lustrum conijciamus. Qui autem hi fuerint in tanta rerum obscuritate vix diuinare possum. Ex coniectura tamen alterum eorum patricium fuisse existimo Q. Seruilium Caepionem consularem virum, Cn. Caepionis superiore lustro censoris fratrem. Eum enim censorium fuisse ex Valerij his verbis intelligo libro VIII. cap. V. de testibus: Sequitur (inquit) ut ad testes pertinentia exempla commemorem Cn. & Q. Seruilijs Caepionibus, ijsdem parentibus natis, & per omnes honorum gradus ad summam amplitudinem prouectis. Est quoque Veronae eiusmodi inscriptio

Q. SERVILIO . CN . F
CAEPIONI
COS . CENS . TRIVMPH
PATRIAE . LIBERATORI
DECVRIONES . VERONENS
OB . IVDICIA . RESTITVTA
M . S

Alterum autem placet esse plebeium Q. Metellum Balearicum Macedonici F. quia Cicero V. de finibus, Velleius libro II. & Plinius libro VII. tradunt Macedonicum à quattuor filijs elatum esse tribus consularibus, duobus triumphalibus, altero etiam censorio, quarto praetore & consulatus candidato, quem magistratum adeptus est. Si autem quaeratur, qui nam e duobus consularibus censuram gesserit, an Balearicus, an Dalmaticus, certe Balearicus fuit; tum quod natu grandior, tum etiam quod hoc anno solus consularis erat, postremo quia Cicero post redditum ad Quirites ait de his Metellis loquens: Non L. Dalmaticus consularis, non C. Metellus Censorius, non praetermissurus certe etiam in ipso Dalmatico censuram, si eam gessisset. Si autem Q. Metellus censor fuit aote patris obitum, Macedonicus autem M. Metello filio & M. Scauro cos. mortuus est, nec nisi postquam consul fuit censuram cepit, profecto hoc tantum lustro eam gesserit, necesse est. Hos autem simul fuisse uidetur significare Valerius libro IX. cap. primo, ubi ita scribit; Aeque flagitiosum illud conuiuium, quod Gemellus tribunicius viator ingenui sanguinis, sed offici intra seruilem habitum deformis, Metello & Scipioni Cos. ac tribunis plebis magno cum rubore ciuitatis comparauit: lupanari .n. domi suae instituto Muciam & Fuluiam tum à patre, tum à viro utranque inclytam, & nobilem puerum Saturninum in eo prostituit pro brosa prosapiae corpora ludibrio tumulentae libidinis futura, epulas consulibus & tribunis non celebrandas, sed uindicandas. Vbi omitto quod consulum non erat in eiusmodi flagitijs animaduersionis ius, sed censorum, nunquam hi duo simul consules inueniri possunt totos Fastos percurrenti, quare ex cens. facile uitio librarii factum est cons. quum eos simul censores fuisse quã maxime quadret. Caepionis autem in Scipionem frequens in vetustis exemplaribus transmutatio inuenitur. Ego igitur ita reponendum censeo Metello, & Caepioni cens. nam hoc consulum collegium non extat, censores autem simul nihil prohibet fuisse. Ab his autem lustrum LXI factum fuisse praeterita & sequentia lustra demonstrabunt

Annus DCXXXV

Obsequens & Casiodorus consules in hunc annum suggerunt L. Caecilium & L. Aurelium; Plutarchus in Mario, Fasti Graeci, & Liber Cuspiniani Metellum & Cottam. L. Metellus Calui Macedonici fratris filius fuit, & idcirco eum etiam Caluum cognominaui, L. uero Cotta eius filius qui consulatum gessit anno DCX

Annus DCXXXVI

Hoc anno Valerio libro V. cap. X. Paterculo, Plinio libro II. cap. XXXI. Iulio Obsequente, Eutropio, Orosio & Casiodoro testibus consules fuerunt M. Porcius Cato, & Q. Marcius Rex. Gellius libro XIII. cap. XIX. hunc M. Porcium M.F.M.N. uocat, atque in magistratu mortuum fuisse scribit

Annus DCXXXVII

Eutropius & Orosius consules suggerunt L. Caecilium Metellum, & Q. Mucium Scaeuulã. Casiodorus cognomina praeterit. Hic Metellus Macedonici secundus filius fuit, qui Dalmaris in hoc honore victis Dalmaticus appellatus est ut tradit Pedianus actione III. in Verrem. Quem

Plu

Plutarchus in Coriolano Diadematum uocat, quod ulceris caussa diademate, idest fascia alba diu frontem obligarit. Hinc Pompeio candida fascia crus alligatum habenti, Fauonius non refert (inquit) qua in parte corporis sit diadema, exigui panni appellatione regias eius opes exprobrans. Hic L. Dalmaticus saepe à Cicerone consularis uir memoratur. Q. Mucius Scaeuula augur est de quo Cicero in Laelio, & lib. primo de Oratore, filius Q. Scaeuulae cos. anno DXXC. Extat Genuae antiquissimum in tabula aenea decretum in Genuensium finibus inuentum ubi saepe hi consules ita nominantur

L. CAICILIVS. Q. F. Q. MVCIVS. Q. F

Annus DCXXXVIII

Casiodorus consules in hunc annum comparat C. Licinium & Q. Maximum. Fasti Graeci Getam & Maximum, liber Cuspiniani Getam & Eburnum. De C. Geta dicam post in eius censura. De hoc Q. Maximo loquitur Cicero pro Muraena. Fuisse autem hunc e Fabijs Eburni cognomen indicat: de quo Festus: Pullus Iouis dicebatur Q. Fabius cui Eburno cognomẽ erat propter candorem quod eius natis fulmine icta esset. Hunc Q. Maximi Seruiliani filium fuisse existimo

Annus DCXXXIX

Consules subsequuti sunt auctore Casiodoro M. Metellus, M. Scaurus. Metellus tertius est ex filiis Macedonici. De quo hic denarius reperitur M. METELLVS. Q. F. De M. Scauro, quem auctor libri de uiris illustribus M. Aimilium Scaurum uocat, ita scribit Pedianus: M. Scaurus ita fuit patricius ut tribus supra eum aetatibus iacuerit domus eius fortuna, nam neque pater, neq; auus, neque proauus propter tenues opes & nullam uitae industriam honores adepti sunt. De eo praeterea saepe Cicero, pro Muraena, & in Bruto, Valerius libro V. cap. VIII. & Plinius libro II. cap. XXXVI. & libro VIII

De Censoribus, & lustro LXII

Florus in epitoma libri LXII. ita scribit: L. Caecilius Metellus Cn. Domitius Ahenobarbus censores duo & triginta senatu mouerunt. Eos autem hoc anno fuisse edit Casiodorus: à quibus ut idem Florus subiicit: censu acto lustrum conditum est, quo censa sunt ciuium capita CCCXCIIII∞ CCCXXVI. Eorundem censorum mentio est apud Ciceronem in Verrem, & pro Cluentio, & apud Valerium libro II. cap. IIII

Annus DCXL

Plutarchus in Mario, Plinius libro II. cap. XXIX. & LVIII. Obsequens, Eutropius, & Casiodorus consules in hunc annum comparant M'. Acilium Balbum, C. Porcium Catonem. M'. Acilius filius M'. Acilij est, qui cos. fuit anno DCIIII. C. uero Cato, M. Catonis quadriennio ante consulis frater ut Cicero in Verrem, & in Bruto, Velleius, & Gellius tradunt: M. Catonis censorij nepos & sororis Africani filius. Hoc anno Bellum Thracicum initium habuisse apud omnes constat, qui de eo bello scripserunt

Annus* DCXLI. *In quo bellum Cimbricum, & Teutonicum inchoatum est

Plinius libro II. cap. XXXIII. Obsequens, Eutropius, & Casiodorus consules in hunc annũ comparant C. Caecilium Metellum & Cn. Papirium Carbonem. Eosdem anno DCXL. consulatum gessisse tradit Tacitus de moribus Germanorum, quo anno populum Romanum primum cum Cimbris & Teutonibus bellare coepisse, ipse cum Obsequente scribunt. Cn. Carbo pater est Cn. Carbonis ter consulis. C. uero Metellus quartus Macedonici filius fuit, quem pater moriens praetorium & candidatum consulatus reliquit. Quem cognomen ex contumelia traxisse auctor est Cicero libro II. de Oratore. Cognomen autem ut tradit Plutarchus de fortuna Romanorum fuit Caprarius. Extat Romae in Aedibus Rusticorum antiqua eiusmodi inscriptio

C. CAECILIVS. Q. F

METELLVS. IMP

Triumphauit enim in consulatu ex Macedonia

Annus DCXLII

M. Liuius Drusus, L. Piso Caesoninus consules in hunc annnum comparantur à Casiodoro. L. Piso cõsularis occisus postea est à Tigurinis C. Casio cos. auctore Orosio. Auus L. Pisonis soceri C. Caesaris Dictatoris, ut ipse scribit libro primo, de bello Gallico; filius L. Pisonis Caesonini cos. anno DCVI. M. Drusus C. Drusi filius dicitur à Cicerone in Bruto, cius qui cos. fuit anno DCVII

Annus* DCXLIII. *In quo bellum Iugurthinum initium habuit

Ex inani interuallo in extremo fragmenti Capitolini marmore, cognoscimus bellum quod populus Romanus cũ Iugurtha Numidiae Rege gessit, hoc anno in eisdem tabulis notatũ fuisse, quod Sallustius, Paterculus, Obsequens, & ceteri qui id bellum scripserunt confirmant. Porro in hunc annum Sallustius, Obsequens, Eutropius, Orosius, & Casiodorus consules edunt P.

Corne-

Cornelium Scipionem Nasicam, & L. Calpurnium Bestiam. Horum consulum meminit Valerius libro primo, cap. VIII. & Cicero, qui in Bruto. P. Nasicam Serapionis filium, & L. Bestiaè collegam in consulatu mortuum esse scripsit. Et pro Plancio eum repulsam in aedilitate passum, postea cos. esse factum edit. In fragmeno Capitoliuto est Bestiae cognomen

Annus DCXLIIII

Sallustius Sp. Albinum Q. Minucium Rufum, Cassiodorus vero Sp. Postumium M. Minucium consules suggerunt. In fragmento Capitolino est Albini cognomen, quem filium puto Sp. Postumij cos. anno DCVI. M. Minucij meminit Velleius. Alter autem est ex duobus fratribus de quibus mentio est in tabula quadam aenea uetustissima de Genuensium finibus, ita

Q. M. MINVCIES. Q. F. RVFES. DE. CONTROVORSIESS
INTER. GENVATESS. ET. VEITVRSOS. IN. RE. PRAESENTE
COGNOVERVNT. L. CASCILEO. Q. F. Q. MVCIO. Q. F. COS

Annus DCXLV

Cicero in Bruto, Sallustius, Florus in epitoma, Pedianus, Eutropius, & Cassiodorus consules huius anni edunt Q. Caecilium Metellum Numidicum, M. Iunium Silanum. In fragmento Capitolino Silani mentio fit. Is Metellus ut auctor est Velleius à Numidia victa Numidicus vocatus est. Quem L.F. vocat Cicero in epistola ad P. Lentulum, pro Sextio, & pro Cornello. Ita vt eum L. Calui secundum filiũ esse existimauerim, qui Macedouici frater fuit, alterius L. Calui consularis & censorij frater

De Censoribus

Censores hoc anno fuisse ex his fragmẽti Capitoliui litteris intelligi potest IN. MAG. MORT. EST. quae ad Censorem mortuum referuntur. Hi autem teste Plutarcho in problematibus fuerunt M. Aimilius Scaurus, & M Liuius Drusus uterque consularis. Qui etiam Druso mortuo Scaurum tribunorum iussu abdicasse scribit. Auctor libri de uiris illustribus M. Scaurum censorem Aimiliam viam strauisse, & pontem Miluium fecisse tradit

Annus DCXLVI

Obsequens & Cassiodorus consules in hunc annum edunt Ser. Galbam & M. Scaurum. Fasti Graeci Sulpicium & Scaurum. Ser. Galbam, quem eius filium puto qui cos. fuit anno DCX. consularem fuisse Mario VI. cos. scribit Cicero pro Rabirio. M. Aureli Scauri consulis meminerunt Velleius & Tacitus. Hic est M. Aurelius Scaurus qui ut tradit Florus postea legatus à Cimbris occisus est. M. quoque Cicero in Bruto, & in Verrem hunc M. Aurelium Scaurum vocat. Horum consulum mentio extat iu veteri epigrammate exarato in libro inscriptionum vrbis Romae. Scaurum autem consulem in locum alterius, qui cos. designatus ante initum magistratum damnatus fuit, indicare uidetur Capitolinum fragmentum, in quo ita superest MN. ES T. IN E. L. F. E. Quae ego sic iuterpretatus sum. Antequam iniret damnatus est, in eius locum factus est. Porro autem quum haec omnia verba vno tantum uersu exarata fuerint, necesse est, ut is breuissimae esset nomenclaturae, atque cognomen omnino, & forte etiam aui praenomen non haberet. Quare ego L. Hortensium Q. Hortensij oratoris patrem suspicatus sum. Quod in libro Cuspiniani hoc anno cõsules memorentur Sulpicius & Hortensius. Tantus est hos Fastos explendi ardor, ut ne leuibus coniecturis quidem mihi abstinendum esse duxi, donec qui meliora habent ea afferant

De Censoribus, & Lustro LXIII

Ex eisdem fragmentis in quibus lustrum LXIII. notatum est, manifeste constat Censores hoc anno fuisse, qui autem fuerint non ita certum. Optima tamen firmioreque coniectura ductus, eos Q. Fabium Maximum Allobrogicum, & C. Licinium Getam fuisse existimo, ambo enim consulares sunt, & censorij. De Q. Fabio Pedianus in Verrem: Fornix Fabianus est arcus iuxta regiam in sacra uia, à Fabio censore constructus, qui à deuictis Allobrogibus Allobrogicus cognominatus est; ibique statua eius praeterea posita est. De C. Geta, sic Cicero pro Cluentio: Ponam illud unum C. Getam, cum à L. Metello & Cn. Domitio censoribus ex senatu eiectus esset, censorem ipsum postea esse factum: Idem confirmat Valerius Maximus libro II. cap. IIII. Neque uero uisi hoc lustro censor esse potuit, quod aliorum lustrorum certa censorum nomina extent. Frontinus quoque libro primo Aquaeductuum quamuis mendosus locus sit, hos simul censores fuisse ostendere videtur his uerbis: Aquarum cura aliquando aedilibus, aliquando censoribus fuit, ut apparet ex eo quod factum est C. Licinio Cesula, & M. Fabio censoribus. Cesula enim pro Geta, & pro Q. Marcus errore haud dubie librariorum scripta sunt, neque enim inuenitur aliquis C. Licinius Cesula qui cum M. Fabio Censor fuerit

Annus DCXLVII

Plinius libro X. cap. XIII. & Cassiodorus consules in hunc annum profitentur L. Cassium & C. Marium. Liber Cuspiniani & Fasti Graeci Longinum & Marium. Hunc L. Cassium L. Ra

uillae filium puto, qui ut C.Caesar libro primo belli Gallici, ex Liuio Florus in epitoma, & Orosius tradunt in magistratu à Gallis Heluetijs,& Tigurinis caesus est. In cuius locum Cn.Dolabellam suffectum fuisse ex verbis Pediani actione IIII. in Verrem, & pro M. Scauro, scripsi; ita enim ait:eodem tempore duo Cn.Cornelij Dolabellae fuerunt quorum alterum Caesar accusauit nec damnauit, alterum Scaurus accusauit & damnauit. Et alibi in diuinatione: Significare potest hunc etiam Scaurum, qui alterum Dolabellam consularem, neque triumphalem accusauit, Caesar enim Dolabellam illum triumphalem accusauit, ut tradit Tranquillus, qui cos. fuit anno DCLXXIII. Quum igitur ex Pediani verbis duo Cn.Cornelij Dolabellae ambo consulares per haec tempora fuerint, alteriusque certa sedes sit, idest eius qui triumphauit, alterius uero incerta qui tantum consul fuit, eum in hunc annum cos. suffectum reieci, neq; enim quo anno eum ederem praeterea habui. De C.Mario consule saepe mentionem facit Cicero, Plutarchus in eius uita, Sallustius, Valerius, Velleius, Eutropius, & praeterea plerique alij. Extat adhuc Romae in Quirinali in aedibus quae olim Pomponij Laeti fuerũt marmorei frusti haec inscriptio, quae gesta C.Marij continebat

AVGVR . TR . MIL . EXTRA
VGVRTHA . REGE . NVMID
TRIVMPHANS . IN
ANTE . CVRRVM . SVVM
NSVL . APSENS . CREATVS
ONORVM . EXERCITVM
CIMBROS.FVGAVIT.EX.IEIS
HAVIT.REM.P.TVRBATAM

Quae in libro epigrammatum antiquae vrbis ita restituta est

C. MARIVS. C. F. COS. VII

PR. TR. PL. Q. AVGVR. TR. MIL. EXTRA
SORTEM. BELLVM. CVM. IVGVRTHA. REGE. NVMID
GESSIT. EVM. CEPIT. ET. TRIVMPHANS. IN
SECVNDO. CONSVLATV. ANTE. CVRRVM. SVVM
DVCI. IVSSIT. III. CONSVL. APSENS. CREATVS
EST. IIII. CONSVL. TEVTONORVM. EXERCITVM
DELEVIT. V. CONSVL. CIMBROS. FVGAVIT. EX. IEIS
ET.TEVTONEIS.ITERVM.TRIVMPHAVIT.REMP.TVRBATAM
SEDITIONIBVS. TR. PL. ET. PRAETOR. VI. QVI. ARMATI
CAPITOLIVM. OCCVPAVERANT. VI. CONSVL. VIN
DICAVIT. POST. LXX. ANNVM. PATRIA. PER. ARMA
CIVILIA.PVLSVS.ARMIS.RESTITVTVS.COS. VII.FACTVS.EST
DE. MANVBIEIS. CIMBRICEIS.ET. TEVTONICEIS. AEDEM
HONORI.ET.VIRTVTI.VICTOR.FECIT.VESTE.TRIVMPHALI
CALCEIS. PVNICEIS

Annus DCXLVIII

Obsequens, & Casiodorus consules in hunc annum comparant Q. Seruilium Caepionem, & C.Atilium Serranum. Q.Caepio filius est Q.Seruilij consularis & censorij. Hoc anno III, Nonas Ianuarii natum esse M.Tullium Ciceronem Gellius libro XV.cap.XXVIII.scriptum reliquit. Horum consulum, multa apud Ciceronem, & alios ueteres scriptores mentio est

Annus DCXLIX

P.Rutilius Rufus, & C. Manilius consules in hunc annum suggeruntur ab Obsequente, & Casiodoro. P.Rutilium M.F.uocat Cicero in Bruto. In altero consule uariant annales, alii enim Caium, alii Cnaeum, alii Marcum Manlium, Mallium, uel Manilium uocant. Ceterũ totam hanc controuersiam dirimit antiquus lapis Puteolanus, ubi haec uerba scripta sunt

AB. COLONIA. DEDVCTA. ANNO. XC
N. FVFIDIO. N. F. M. PVLLIO. DVO. VIR
P. RVTILIO. CN. MALLIO. COS
LEX.PARIETI.FACIENDO.IN.AREA.QVAE
EST.ANTE.AEDEM.SERAPIS.TRANS.VIAM

Quare in Fastis Cn.Mallius restituendus est, quem ego hoc loco non animaduerso C. Maniliũ uocaui. Eius Cicero pro Plancio, & pro Muraena, Valerius, Sallustins, Tacitus, Florus, Eutropius, & Orosius meminerunt. Atq; eum non solum ignobilem uerum sine uirtute, sine ingenio, uita etiam contempta fuisse pro Plancio scribit Cicero

Annus DCL

Consules in hunc annum edunt Casiodorus, Pedianus in Cornelianam, & Obsequens C. Marium II. C.Flauium Fimbriam. Horum praeterea consulum saepe Cicero, Velleius, Valerius, Plutarchus, & alij mentionem faciunt

Annus DCLI

Casiodorus consules in hunc annū comparat C.Marium IIII. & L.Aurelium Orestem. Quem eius filium puto, qui cos. fuit anno DCXXVIII. Eumque in magistratu mortuum fuisse in Mario tradit Plutarchus. De his praeterea consulibus multa ex Liuio Florus in epitoma, Velleius, Plinius, & Eutropius scribunt.

Annus DCLII

Plutarchus, Eutropius, Obsequens, cum Casiodoro consules edunt C.Marium IIII. Q.Lutatium Catulum. Q.Catulus Q.F. scribitur in antiquis monumentis, ut in eius filio ostendam. De his praeterea Cicero saepe, & Plinius mentionem faciunt.

De Censoribus, & Lustro LXIIII

Quinquennii ratio, & sequentia lustra quae certa sunt, censores in hunc annum requirunt. Horum alter certus est Q. Metellus Numidicus de quo Cicero pro Sextio, Valerius libro IX. Auctor libri de viris illustribus, Gellius libro primo cap. VI. Eutropius, & Orosius mentionem fecerunt. Appianus autem libro primo; Mario IIII. cos. Q. Numidicum censorem creatum fuisse scribit, & Valerius adiicit, Mario V. consule adhuc eum in censura fuisse. Ex quibus auctoribus intelligi potest, Numidicum hoc anno censorem factum, sequenti uero lustrū condidisse. Eius porro collegam fuisse existimaui C.Metellum Caprarium fratrem eius patruelem. Scribit enim Velleius singulari exemplo, fratres duos Metellos uno die triumphasse, duos Fuluios germanos collegas in consulatu, duos Metellos patrueles in censura fuisse. Eius verba sunt haec libro II. Circa eadem tempora M.C. Metelli fratres uno die triumphauerunt. Non minus clarum exemplum, & adhuc unicum Fuluij Flacci eius qui Capuam ceperat filiorum, sed alterius in adoptionem dati in collegio consulatus. Fuit adoptiuus in Acidini Manlii familiam datus. Nam census Metellorum patruelium, non germanorum fratrum fuit, quod solis contigerat Scipionibus. Africanus enim & Asiaticus tradente Polybio collegae fuerunt in curuli aedilitate. Hos igitur collegas in censura fuisse puto, nam de C. Metello Censorio scribit Cicero in oratione post reditum ad Quirites, quum ait: Pro reditu Q. Metelli Numidici triennio post supplicasse L. Metellum Dalmaticum consularem, & C. Metellum censorium; & in senatu; L. & C. Metellos consulares. Quamquam in priore oratione legitur uulgo Q. Metellus censorius, ut reor, mendose, quod ex sequenti cognosci potest. Nam si Q. Metellum legimus Balearicum, & ipsum censorium intelligemus, quem tamen eo tempore mortuum puto; neque enim eum maximum natu censorium & consularē Cicero bis postposuisset L. Dalmatico fratri natu minori, & consulari tantum.

Annus DCLIII

Consules deinde fuerunt Casiodoro teste C.Marius V. & M'. Aquillius. De C.Mario V. cos. Plutarchus & Florus. Cicero uero II. de oratore C.Marii V. cos conlegam uocat M'. Aquillium, de quo Plutarchus qui eum Manium uocat, & Florus in epitoma LXIX. M'. Aquillius procos. in Sicilia bellum ciuile concitatum confecit. Atque idcirco huius M'. Aquillii hunc denarium fuisse existimo, in quo ita scriptum est. M'. AQVIL. M'. F. M'. N. a tergo. SICIL. III. VIR

Annus DCLIIII

Obsequens & Casiodorus consules suggerunt C.Marium VI. & L.Valerium Flaccum. Hic L.Flaccus postea censor, princeps senatus, & mag. eq. Sullae dictatoris fuit, ex fragmento tab. Cap. descriptus. Horum consulum Cicero saepisime, Plinius libro II. Velleius, Pedianus in Pisonianum, Plutarchus & plerique alii meminerunt. Hoc anno bellum in Sicilia seruile excitatum à M'. Aquillio superioris anni cos. confectum est: Florus. De Appuleiana seditione Plutarchus & Appianus consulendi sunt. Eodem anno IIII. Idus Quinctiles C. Caesar postea Dictator natus est, auctore Macrobio.

Annus DCLV

Cicero in oratione post reditū ad Quirites, Plinius lib. VIII. cap. VII. Vbi hunc annum DCLV. uocat, Obsequens, Gellius libro quarto cap. VI. Et Casiodorus consules in hunc annum comparant M.Antonium A.Postumium Albinum. Liber Cuspiniani, & Fasti Graeci Antonium & Albinum. Is Albinus A.Postumii filius fuit, ut puto, qui consulatum gessit anno DCIII. In fragmento Capitolino superest A. POST-

Annus DCLVI

Obsequens & Casiodorus cos. in hunc annum edunt Q.Metellum & T.Didium. In fragmento Capitolino est METELLVS. NEPOS. T. DIDIVS. Is ex triumpho Capitolino descriptus est. De Q. Metello ita scribit Pedianus in Cornelianam: Q.Metellum Nepotem Balearici filium Macedonici nepotem qui cos. fuit cum T.Didio Curio accusauit. Extat antiquus nummus argenteus sic inscriptus T.DIDI

Annus DCLVII

Cn.Cornelius Lentulus P.Licinius Crassus cos. in hūc annum a Plinio libris X. & XXX. cap. I. & cap. II Obsequēte, & Casiodoro memorantur. In fragmento Capitolino est LENTVLVS

P. LICINIVS. Hic P. Crassus pater est M. Crasi qui bello contra Parthos periit, descriptus ex eius triumpho Capitolino. Extat etiam eius denarius P. CRASSVS. M. F

De Censoribus, & lustro LXV

Censores in hunc annum coniiciunt tab. Capitolinae Flaccum & M. Antonium. De his ita scribit Valerius libro II. cap. IIII. M. Antonius, L. Flaccus censores Duronium senatu mouerunt. De M. Antonio oratore censorio saepe loquitur Cicero, & Quinctilianus libro III. L. Flaccus est collega C. Marii VI. consulis, qui post princeps senatus fuit, & magister equitum Sullae Felicis dictatoris. Lustrum hoc est si ad superiora spectes LXV

Annus DCLVIII

Obsequens & Cassiodorus Cn. Domitium, & C. Cassium cos. in hunc annum profitentur; Liber Cuspiniani & Fasti Graeci Ahenobarbum & Longinum, Verrii Flacci fragmentum Ahenobarbum & C. Cassium L. F. Is frater est L. Cassii qui consul cum C. Mario primum fuit. Cn. Domitius filius est Cn. Domitii cos. Anno DCXXXII. descriptus ex eius censura Capitolina. De eo Tranquillus in Nerone

Annus DCLIX

L. Crassum & Q. Scaeuulam consules in hunc annum comparant Obsequens, & Cassiodorus. In fragmento Capitolino est CRASSVS. Q. MVCIVS. P. F. Hic L. Crassus in tabula Capitolina in eius censura L. F. dicitur, quare in Fastis P. F. P. N. tollenda sunt. Et L. F. reponendum tam in consulatu, quã in censura. Quem omnes magistratus gessisse cum Q. Sceauula pont. max. praeter tribunatum plebis, & censuram scribit Cicero in Bruto. P. Mucius filius est P. Scaeuulae cos. anno DCXXI. De his praeterea Cicero alibi, & Pedianus in Cornelianam scribunt

Annus DCLX

Pedianus in Cornelianam, Obsequens, & Cassiodorus cos. in hunc annum coniiciunt C. Goelium L. Domitium; in fragmento Capit. est CALDVS. L. DOMITIVS CN. F. Is frater est Cn. Domitii biennio ante consulis. Caldus autem cognomen est Coelii quod ex antiquo denario apparet C. COEL. CALDVS. quem nouum hominem fuisse Cicero, qui saepe de eo meminit, pro Muraena scribit. Hoc anno L. Sullam cum Parthis primum foedus iniisse scriptũ est in epitoma, apud Plutarchum, & Sex. Rufum

Annus DCLXI

Plinius libro XXIX. cap. III. Obsequens & Cassiodorus consules in hunc annum edunt C. Valerium Flaccum, M. Herennium. Tab. Cap. Flaccum M. Herenninm. M. Herennii saepe meminit Cicero pro Muraena, & in Bruto. Eius adhuc extat argenteus nummus sic, M. HERENNIVS. PIETAS

Annus DCLXII

Hoc anno ut Obsequens & Cassiodorus auctores sunt, Cos. fuerunt C. Claudius Pulcher, & M. Perperna, In tab. Cap. est. . . C. N. PVLCHER. M. PERPERNA. Horum consulum patres ut existimo una cos. fuerunt anno DCXXIIII

De Censoribus, & lustro LXVI

Censores hoc anno fuisse Cn. Domitium Cn. F. Cn. N. Ahenobarbum, & L. Licinium L. F. Crassum ex tabulis Capitolinis, eos vero lustrum LXVI. condidisse ex sequentibus lustris intelligitur. Hic Cn. Domitius pont. maximus fuit, & consulatum cum C. Longino gessit. Horum censorum saepe Cicero, Valerius Maximus libro IX. cap. primo. Plinius libro XVII. cap. primo, & libro XXXVI. cap. III. Qui hunc annũ cum M. Varrone vrbis DCLXII. uocat, Gellius libro XV. cap. II. & Macrobius libro III. Saturnalium meminerunt

Annus DCLXIII

Plinius libro II. cap. VIII. & libro XXXIII. cap. III. Florus, Obsequens, Eutropius, Orosius, & Cassiodorus cos. suggerunt L. Marcium Philippum, & Sex. Iulium Caesarem. Quorum uterque ex Verrio Flacco formatus est. Horum consulum saepe Cicero, Valeriusq; meminerunt. De seditione M. Liuii Drusi trib. plebis Cicero III. de legibus, Pedianus, Florus, & Appianus mentionem fecere. Extat Romae antiqua eiusmodi inscriptio

SILVANO. SANCTO
C. AVSTVRNIVS. MEDICVS. LVD. GALLIC
PORTIC. ET. EXEDR
ET. SIGN. AEN
VOTO. SVSCEP
L. M
DEDIC. KAL. MAI
L. MARCIO. ET
SEX. IVLIO. COS

Annus DCLXIIII. *& de bello Marsico*

Bellum Marsicum in hunc annum edit Verrius Flaccus, de cuius origine, causis, & incrementoFlorus ex Liuio, Appianus, Plutarchus, Strabo, Velleius, Pedianus & alii ueteres auctores scripserunt. Hoc bellum sociale, quod à sociis populi Romani, Italicum quod ab Italicis populis, & Marsicum quod à Marsis primum commotum fuerit, appellatum est. In quem annum tabulae Capitolinae, Cicero, Pedianus, Velleius, Florus, Obsequens & Cassiodorus cos. referunt L. Iulium. L. F. Sex. N. Caesarem, & P. Rutilium L. F. L. N. Lupum. Ex his P. Lupus in proelio contra socios occisus est IIII. Idus Iunii, ut in Fastis docet Ouidius. L. Iulium C. Strabonis oratoris frattem

fratrem uocat Pedianus, de quo eiusmodi antiquũ & elegantissimũ Romæ adhuc extat epigrãma

Annus DCLXV

C. IVLIVS. L. F. CAESAR STRABO

AED. CVR. Q. TR. MIL. BIS. X. VIR AGR. DAND. ADTR. IVD. PONTIF

Velleius, Pedianus in Cornelianam, Plinius libro III. cap. VI. Eutropius, Orosius & Cassiodorus consules huius anni edũt Cn. Pompeium Strabonem Pompeii Magni patrẽ, & L. Porcium Catonem, quem bello Marsico in proelio cecidisse etiam scribunt. In fragmento Capitolino est STRABO. & L. PORCIVS. M. F. L. N. Horum consulum meminerunt praeterea Florus, Appianus, & alii qui bellũ sociale litteris prodiderunt. Cn. Strabo ex triumpho Capitolino descriptus est

De Censoribus

Diu multumque me horum censorum quos hoc anno edunt tabulae Capitolinae tempus torsit. Quum enim uiderem biennio ante censores & legitimo quidem anno fuisse, idest post quinquennium à superioribus censoribus exactum, atque etiam lustrum condidisse, non potui non uehementer praeproperam sequentium censorum creationem, vix biennio à lustro condito factam mirari, donec non sine auxilio Caroli Sigonij totius antiquitatis peritissimi caussam tandem huius ante tempus censorum creationis inueni, quam breuissime quãtum rei ratio patitur, exponam. Quum Latinos & ceteros Italicos populos in cupiditatem ciuitatis Romanae adipiscendae M. Fuluius Flaccus cos. primo, mox M. Liuius Drusus trib. plebis erexissent, atque omnino aduersante senatu multum frustra laborassent, Italici tanta spe bis deiecti, facta inter populos coitione aduersus populum Romanum conspirarunt, atque postremo ab eo defecerunt. Hi fuerunt Picentes, Vestini, Marsi, Peligni, Matrucini, Lucani, & Samnites, belli initio à Marsis orto. Quo facto populus Romanus saga sumpsit, ac bellum aduersus Italicos iussit. Hoc autem anno superiore factum est. In quo (ut inquit Appianus) quum post multas acceptas ab Italicis clades, alterumque consulem Lupum occisum, Etrusci & Vmbri, qui adhuc in fide permanserant, eandem ob caussam defectionem molirentur, veritus senatus, ne hostibus undique ingruentibus, vrbem tueri non posset, lege à L. Caesare consule lata, quae Iulia dicta est, omnibus Italicis populis, qui uel arma contra populum Romanum non sumpserant, vel assumpta dimisissent, ciuitatem dedit, qua Etrusci Vmbri & multae praeterea Italiae nationes ciuitatem Romanam, quam tantopere efflagitauerant sunt consequutae. Quare hoc anno XXXV. antiquis additis octo tribubus, in eas nouos ciues coniecerunt, tribuumque numerus XLIII. factus est. Quum autem superius accurate obseruauerim, omnes tribus à censoribus addi solitas, ut in eis noui ciues censerentur, & distribuerentur (munus enim censorum erat ciuitate à populo donatos lustri tempore, in tribum referre, quod supremum erat ciuitatis adeptae signum,) idcirco quum superiore anno lege Iulia ciuitas Italicorum parti data fuisset, censores accelerandi fuerunt, qui eos ciues factos additis tribubus in eas distribuerent. Hanc igitur ob caussam hoc anno censores ante statum tempus creati, & in his legislator L. Iulius L. F. Sex. N. Caesar cuius collega in tabulis Capitolinis est P. Licinius M. F. P. N. Crassus, M. Crassi Diuitis pater. Horum censorum meminerunt Plinius libro XIII. cap. II. qui eos anno vrbis DCLXV. fuisse refert. Solinus cap. XLVIII. & Plutarchus in Crasso. Ab his censoribus lustrum nullum conditum est. Nam Cicero pro pro Archia scripsit Iulio & Crasso censoribus nullam populi partem esse censam, neque enim nisi censu perfecto lustrum fiebat, quod censendi finis erat. Non enim ut censum agerent facti sunt, quum biennio ante censores censu facto lustrum condidissent, sed ut propter nouos ciues tribus adderent, & eos in illas referrent. Festus tamen scribit: Referri diem proditum idest ante ferri, religiosum est ut ait Verranius in eo quod est auspiciorum de comitiis, idque exemplo comprobat L. Iulij & P. Licinii censorum, qui id fecerint sine ullo decreto augurum, & ob id lustrum parum felix fuerit. Lustrum tamen ab his non conditum fuisse sequentia lustra quae tantum ad LXXV. numerum aucta sunt, demonstrant

Annus DCLXVI

Cicero saepe, Velleius, Appianus, Plutarchus, Obsequens, Eutropius, Orosius, & Cassiodorus consules huius anni memorant L. Cornelium Sullam, & Q. Pompeium. Quibus nihil per haec tempora illustrius est. Sulla ex tabulis Capitolinis in dictatura formatus est. Qui post victoriam Felicem se appellari uoluit, ut Plutarchus, Pedianusque tradunt, & in tabulis Capitolinis notatum est. Sane extat antiquus nummus argenteus in quo ab una parte ita est Q. POMPEIVS. Q. F. RVFVS. COS. ab altera vero SVLLA. COS. Q. POMPEIVS. Q. F. hoc anno Q. Pompeium cos. insidijs Cn. Pompeii Strabonis pro cos. cui successerat à militibus occisum, Bellum cum Mithradate ponti Rege populi Romani iussu duce L. Sulla cos. susceptum, & ex eius occasione bellum ciuile inter Marium & Sullam exortum fuisse, Appianus, Florus ex epitoma, Plutarchus, & omnes alii tradiderunt

Annus DCLXVII

Caſsiodorus, Appianus, Velleius, & cæteri qui huius temporis hiſtorias conſcripſerunt conſules in hunc annum ſuggerunt L. Cornelium Cinnam, & Cn. Octauium. Cn. Octauius Cn. F. Cn. N. eſt. L. Cinna deſcriptus ex tabula Capitolina in ſequentibus conſulatibus. Qui quum perniciosas leges per vim ferret, et vrbe à Cn. Octauio collega expulſo, magiſtratus ex S. C. abrogatus eſt, atque in eius locum factus L. Cornelius Merula Flamen Dialis. Cinna quum in Campaniam ueniſſet corruptum Ap. Claudij exercitum in poteſtatem ſuam redegit, ac conſularia adhuc retinens inſignia, accerſito cum alijs exulibus ex Africa C. Mario, (qui à ſenatu Sulla cos. auctore proſcriptus fuerat) arma patriae intulit, vrbemque haud multo poſt cepit. Octauium conſulem occidit; L. Merula, quum conſulatu abdicaſſet, inciſis venis ſponte vitam finiuit; plures ſenatores interfecti ſunt. Haec ex Appiano, Plutarcho, Velleio & Floro in epitomis Liuianis

Annus DCLXVIII

Inde citra ulla comitia Cinna II. & C. Marius VII. ſe conſules renuntiarunt Caſsiodoro, & ijs qui haec bella ſcripſerunt auctoribus. Cinnae huius conſulatus ex marmore Capitolino formatus eſt. Plutarchus tradit Marium fuiſſe primũ qui Romae cos. VII. fuerit. Eumq; Idibus Ianuarijs in magiſtratu hoc anno mortuum tradunt Appianus & Florus. In cuius locum L. Valerius Flaccus ſuffectus eſt, qui ut idem Florus in epitoma libri LXXXII. ſcribit miſſus ut Sullae ſuccederet, propter auaritiam inuiſus exercitui ſuo factus, à C. Fimbria legato ipſius occiſus eſt

De Cenſoribus, & Luſtro LXVII

Quum ſuperiores cenſores neq; cenſum feciſſent, neq; luſtrum condidiſſent, ſexennio à ſuperiore luſtro exacto, cenſores hoc anno facti ſunt, tum ob eam quam dixi cauſſam, tum ut Italicos populos paulo ante, & quaſdã gentes poſtea ciuitate donatas, ex octo nouis tribubus exemptos in veteres quinq; & triginta diſtribuerent, quod in epitoma Florus bis indicat, primo quum ait: Cinna & Carbone cos. nouis ciuibus ex S. C. ſuffragium datum eſt. Et poſtea: Libertini in quinq; & triginta tribus diſtributi ſunt. Huiuſce ergo rei cauſſa cenſores hoc anno creati L. Marcius Q. F. Q. N. Philippus & M. Perperna ut eſt in tabulis Capitolinis; quorum cenſorum Cicero in Verrem, pro domo, Plinius lib. VII. cap. XLIII. Diò libro XLI. & Valerius libro VIII. cap. XIIII. meminerunt. Luſtrum vero LXVII. ab his conditum fuiſſe, & ij auctores ſubindicant, & ſequentium luſtrorum numerus requirit

Annus DCLXIX

L. Florus in epitoma libri LXXXIII. L. Cinnam, & Cn. Papirium Carbonem conſules ſemet per biennium creaſſe ſcribit. Caſsiodorus L. Cinnam III. & Cn. Carbonem edit. Vterque ex tabula Capitolina formatus eſt, de his praeterea Auctor libri de viris illuſtribus, Plutarchus, & Appianus mentionem faciunt

Annus DCLXX

L. Florus in epitoma, & Caſsiodorus cum Faſtis Capitolinis conſules deinceps ſuggerunt L. Cinnam IIII. & Cn. Papirium II. Hoc anno Cinna ſeditione orta quum magiſtratu abdicaſſet, ab exercitu cui praeerat interemptus eſt. Carbo nullo ſuffecto collega toto anno conſul fuit, ut auctores ſunt Verrius Flaccus, Auctor de viris illuſtribus, Florus, Plutarchus, Appianus & alij

Annus DCLXXI

L. Cornelius L. F. L. N. Scipio Aſiaticus & C. Norbanus Cos. in hunc annum comparantur à Verrio Flacco. Eoſdem Tacitus, Obſequens, Appianus, Florus, Eutropius, & Caſsiodorus edunt. C. Norbano Flacci cognomen gentilitium addidi. His cos. ſeditione ciuili Capitolium conflagrauit, De L. Aſiatico extat eiuſmodi argenteus nummus L. SCIPIO. ASIATIC

Annus DCLXXII

Velleius, Appianus, Caſsiodorus & alij C. Marium, & Cn. Carbonem III. cos. in hunc annum comparant. Hunc C. Marium Marij VII. cos. filium Velleius, Plutarchus, Eutropius, & plerique alij prodiderunt. In tab. Capitolinis eſt C. MARIVS. C. F. C. N. Appianus vero eum fratris C. Marij filium dicit. Qui ante annos XX. ut Florus in epitoma, vel XXV. ut auctor libri de viris illuſtribus, aut XXVI. ut Velleius, uel XXVII. ut Appianus tradunt conſulatum cum Cn. Carbone III. inuaſit. Quibus etiam auctoribus in mag. occiſus eſt, quum a Sulla victus, & Praeneſte cooclusus fuiſſet. Qui caſus etiam altero conſuli Cn. Carbooi in Sicilia accidit ut Valerius libro VI. cap. II. & alii referunt. Horum praeterea conſulum ſaepe Cicero, Plinius, & hi qui bella ciuilia Sullana ſcripſerunt, meminere

De L. Sulla Felice Dictatore

Quum Cn. Carbo conſul in Sicilia, C. Marius Praeneſte caeſi fuiſſent, Senatus interregem comitiorum cauſſa creari iuſsit. Creatus L. Valerius Flaccus, qui tum princeps ſenatus erat. Hic quum comitia creandis conſulibus habiturus eſſe putaretur, L. Sullae uictoris ſententia legem ad po-

ad populum tulit, Sullae e Rep. esse uideri dictatorem dici, qui perturbatam Remp. constitueret, eumque non ad quodam tempus ut ante creari, verum quousque ciuitas, ac vniuersa Italia, & tota Resp. ordinata, ac constituta esset, Igitur L. ipse Sulla Dictator creatus est. L. Valerius Flaccus interrex mag. eq ab eo dictus. Sulla autem XXIIII. praelatis fascibus, ac custodibus corpori suo adpositis, primus dictatoria potestate abusus est. Haec ex Appiano, & Floro: Velleius & Plutarchus addunt dictaturam per annos CXX. intermissam hoc anno à Sulla reuocatam. Dictator & mag. eq. in tabulis Capitolinis descripti sunt. Creandi uero dictatoris caussam ex Appiano adposui Reipublicae constituendae. Hoc etiam anno L. Sulla uicto & occiso C. Mario iuuene Felicem se appellari uoluit Appiano & Velleio auctoribus. Nam Plutarchus id cognomen a senatu petiisse scribit, quum & triumphum postularet. De octo praetoribus à Sulla Dictatore factis latius superius disputaui. Extat Caietae de L. Sulla Dictatore eiusmodi inscriptio

Annus DCLXXIII

L. CORNELIO . L. F.
SVLLAE . FELICI
DICTATORI
LEIBERTINI

Hic annus auctore Cassiodoro consules habuit M. Tullium, & Cn. Dolabellam. Sulla enim Dictator, ut tradit Appianus, ut speciem quandam antiquae dignitatis Resp. retineret, consules creari permisit M. Tullium & Cornelium Dolabellam, atque more regio supra eos sedebat. M. Tullius ex tab. Cap. concinnatus. Horum praeterea consulum meminerunt Cicero contra Rullum, & Gellius libro XV. cap. XXXIII

Annus DCLXXIIII

Appianus suggerit, Sullam quanquam dictator esset tamen ut aliquam speciem Resp. habere uideretur se cum Q. Metello Pio Numidici filio consulem renuntiari uoluisse. Horum consulum Cicero in Verrem, & alibi, Gellius libro XV. cap. XXVIII. & Cassiodorus meminerunt. Sulla in tab. Cap. adhuc superest. Bellum ciuile (ut inquit Florus) Q. Sertorius à Sulla proscriptus in Hispanijs excitauit, quod Sertorianum uocatum est. De quo plura Plutarchus, & alii qui horum temporum gesta litterarum monumentis tradiderunt, scripsere

Annus DCLXXV

P. Seruilius & Appius Claudius cos. suggeruntur à Cassiodoro, de quibus ita scribit Appianus: populus Romanus ut Sullae Dictatori obsequeretur, ab eo ut consulatum continuaret petiit, cui aduersatus Sulla Seruilium Isauricum & Claudium Pulchrum cos. renuntiandos curauit. P. Seruilius ex tabula Capitolina concinnatus est, qui uictis Isauris Isauricus postea appellatus est, ut Cicero in Verrem, Strabo libro XIIII. Valerius, Pedianus, Eutropius, Orosius & alii tradiderunt. Ap. Claudius C. Pulchri anno DCLXII. consulis filium puto, quem in aedilitate praeteritum, & quidem patre uiuo, sine repulsa consulem factum ait Cicero pro Plancio. Hoc anno L. Sulla Felix dictatura quam in perpetuum ceperat Orosio auctore, abdicauit

Annus DCLXXVI

Plutarchus scribit; quum L. Sulla dictatura abdicasset, & comitiorum consularium potestatem populo Romano reddidisset M. Lepidum Sullae inimicum, hominem audacem ante Catulum Cn. Pompeio annitente esse renuntiatum. Ambo consules excepto praenominae aui Q. Catuli in tabulis Capitolinis exarati sunt. Ceterum ex hac antiqua inscriptione quae Romae in Capitolio adhuc extat, id praenomen restitui potest; quae est

Q. LVTATIVS . Q. F . Q. N . CATVLVS . COS . SVBSTRVCTIONEM
ET . TABVLARIVM . EX . S . C . FACIVNDVM . CVRAVIT

Hic autem Catulus filius fuit Q. Catuli qui cum C. Mario de Cimbris triumphauit. Ergo ille recte Q. filius dictus. Hos consules Plinius libro XXXVI. anno vrbis DCLXXVI. fuisse scribit. Eorundem Cicero pro Cornelio, Florus ex Liuio, Valerius libro II. cap. III. Eutropius, & Cassiodurus meminere

Annus DCLXXVII

Hic annus consules habuit Cicerone in Bruto, Verrio Flacco, Pediano in Cornelianam, Obsequente, Sallustio, & Cassiodoro auctoribus D. Iunium D. F. M. N. Brutum, & Mam. Aimiliũ Lepidum Liuianum. Is Mam. Aimilius ex familia Liuiorum fuit à Mam. Lepido adoptatus ergo recte Mam. filius, quod si is Mam. Aimilius fuit ille qui cos. fuit anno DCXXIIX. recte dictum erit M. Nepos. Hic cos. Mamercus Aimilius à Macro tribuno plebis apud Sallustium, Cicerone in Bruto, Valerio libro VII. cap. VII. & Tranquillo in Caesare dicitur, non Aimilius Mamercus. Mamercus enim praenomen in eo est non cognomen. Lepidus enim & Liuianus cognomina sunt

Annus DCLXXVIII

Verrius Flaccus cos. edit Cn. Octauium M. F. Cn. N. C. Scribonium Curionem. Eosdem etiã Cicero in Bruto, Sallustius, Obsequens, Lactantius, Plinius libro II. cap. XXXV. & Cassiodorus

rus memorant. Cicero in Bruto, & Plinius libro VII.cap. XLI.tres C.Curiones oratores produnt patrem, filium, & nepotem. Hic est filius, pater C.Curionis tribuni plebis Caesariano ciuili bello interfecti. Cn.Octauium M.F.idem Cicero uocat, M.uero Octauium Cn.F

Annus DCLXXIX

L.Octauius Cn.F.Cn.N. & C.Aurelius M.F.Cotta consules suggeruntur in tabulis Capitolinis. Eosdem memorant Cicero in Bruto, Sallustius, Plinius libro II.cap.XXXV.Obsequens & Cassiodorus. Pedianus tres Cottas fratres consulares hoc tempore fuisse scribit Caium, Marcum, & Lucium

Annus DCXXC

L.Licinius L.F.L.N.Lucullus & M.Aurelius M.F. Cotta consules in hunc annum digerūtur à Verrio Flacco, Plutarcho in Lucullo, Appiano in Mithradatico, Eutropio, & Cassiodoro Huius Luculli auus fuit L.Lucullus, auctoribus Cicerone, & Plutarcho, qui cos. cum A.Albino fuit anno DCIII

Annus DCXXCI

M. Lucullum C. Cassium consules auctore Cassiodoro hic annus habuit. Quos Cicero in Verrem M.Terentium & C.Cassium uocat, legemque ab ijs latam Terentiam Cassiam scribit, de qua & Pedianus mentionem facit. M. & L. Lucullos, Cicero in Lucullo, & Plutarchus fratres uocant, Eutropius, consobrinos. Quantum autem ex fragmentis Capitolinis conijci potuit, hic M.Licinius Lucullus a quodā M.Terētio Varrone adoptatus fuit, & propterea M.Terentius Varro Lucullus appellatus. Est enim ita in tab.Cap.notatus M. . . . IVS M.F. . . . . K.LVCVLL. C. CASSIVS.L.F. Hunc Cassium Vari cognomen tulisse ex antiquo tubulo plumbeo apparet, in quo ita scriptum est

M.VLPI.SVLPIC.C.CASSIO.VARO.M.LICIN.LVCVLLO.COS

De bello Seruili, quod Spartacus gladiator hoc anno excitauit multa scripserunt Appianus, Florus, Plutarchus, Eutropius & alii

Annus DCLXXXII

Cicero pro Balbo, & alibi, Plutarchus in Crasso, Eutropius, Orosius, & Cassiodorus consules huius anni memorant L.Gellium & Cn.Cornelium Lentulum. Liber Cuspiniani Publicolam & Lentulum. L.autem Gellii Poplicolae cognomen fuisse inferius etiam ostendam. Hunc Lentulum ut puto intelligunt Sallustius libro IIII. historiarum, & Gellius libro XVIII. quum aiunt. Cn.Lentulus patriciae gentis collega eius cui cognomentum Clodiano fuit. Collega autem L.Gellium intelligunt. Hic itaq; ex Clodia gente à Cn.Lentulo adoptatus, ergo recte Cn.filius dicitur & Clodianus. Quam ob rem apud Ciceronem libro II.ad Atticum vbi ait: Lentulus Clodiae filius, Clodiani potius legi debet

Annus DCXXCIII

Eutropius & Cassiodorus Cn.Aufidium Orestem & P.Cornelium Lentulū consules in hunc annum edunt. Cn.Aufidium Orestem, quum tribunus plebis esse non potuisset consulem factū scribit Cicero pro Plancio. Et pro domo: Cn.Aufidius (inquit) Orestem adoptauit. Est enim Orestes Aureliorum cognomen. Quare si à Cn.Aufidio adoptatus est recte Cn.F.dictus. P.autem Lentulus Sura is est qui II. praetor in coniuratione Catilinae Cicerone cos. strangulatus est. cuius auus fuit P. Lentulus princeps senatus, ut Cicero tradit, & Pedianus

Annus DCXXCIIII

Omnium veterum scriptorum annalibus celebratur M.Crassi & Cn.Pompeii Magni primus consulatus. Plutarchus Licinium Crassum opera Pompeii consulatum adeptum fuisse, refert. Pompeiumque ne quaestorium quidem anno XXXVII. aetatis consulem factum scribit Appianus. Horum praeterea consulum Cicero, Sallustius, Pedianus in Cornelianam, & omnes alii meminerunt. Eorum parentes ex tabulis Capitolinis formati

De Censoribus, & lustro LXVIII

Hoc anno censores qui per multos annos intermissi fuerant, auctoribus Asconio, & Plutarcho in Pompeio, relati sunt. Quod etiam Pedianus in diuinationem his verbis meminit: censorium nomen triste seuerumq; populus Romanus sic oderat ut intermissum esset per plurimos annos, quos nunc orator propter infamiam corruptorum iudicum, dicit plebem ipsam, quae antea recusabat exposcere. Videntur autem censores intermissi, post Philippum & Perpernam. Eos autem Cicero pro Cluentio, L.Florus in epitoma XCVIII. Plutarchus, Pedianus II. in Verrem, & in toga candida L.Gellium & Cn.Lentulum ambos consulares edunt. Lustrum ab his conditum, quo censa sunt ciuium capita CDLꝏ. L.Gellii Censoris Cicero in Verrem, Valerius libro V.cap.IX. Gellius libro V.cap.VI. Cn.uero Lentuli censoris Cicero pro domo, & pro Flacco meminerunt

Annus DCXXCV

Iosephus Antiq. libro XIIII. Pedianus, & Cassiodorus consules comparant Q. Hortensium, Q.Metellum Creticum. Cicero in Bruto Q.Hortensium L.F.uocat. Q.Metellus qui postea a Cre

ta

ta deuicta Creticus appellatus est, filius fuit L. Dalmatici vt ex Pediano in Diuinationem elicitur, Cuius filiae Caeciliae hoc Romae adhuc extat epitaphium

CAECILIAE Q. CRETICI. F
METELLAE. CRASSI

Quum consules prouincias sortirentur Q. Hortensio Creta ac bellum cum Cretensibus gerendum obtigit. Qui vrbe ac foro in quo dominabatur delectatus, Metello exercitum ac prouinciam concessit. Qui anno sequenti pro cos. ex S.C. cum Cretensibus bellum suscepit

Annus DCXXCVI

Pedianus in Pisonianam, Dio, & Cassiodorus cos. in hunc annum comparant L. Caecilium Metellum & Q. Marcium. Fasti Graeci Marcium Regem, & Metellum. Quem scribit Dio mortuum magistratus initio. Qui antem in eius locum suffectus fuit, eum antequam iniret obijsse, ac propterea neminem subrogari placuisse, Q. Marcium solum magistratum gessisse, quem Regis cognomine afficit Sallustius. L. Metellus frater fuit Q. Cretici auctore Pediano, Q. Marcius Q. Regis filius fuit, qui consulatum gessit anno DCXXXVI

Annus DCXXCVII

Cicero libro XII. ad Atticum, Dio, & Cassiodorus consules in hunc annum edunt C. Pisonem, M'. Acilium Glabionem. Hunc C. Pisonem Frugi esse existimo filium L. Pisonis Frugi cos. anno DCXXI. cuius extat hic argenteus nummus C. PISO. L. F. FRVGI. M'. Glabrio in nummis argenteis ita notatus est M'. ACILIVS. M'. F. ego M'. nepotem addidi, eius qui cos. fuit anno DC. De his praeterea cos. Pedianus in Cornelianam, Valerius libro IIII. & alij scribũt

Annus DCXXCVIII

Man. Lepidum L. Torquatum mendose suggerit Cassiodorus, Fasti Graeci Volcatium Tullum. Diò L. Tullum, Aimilium Lepidum, Sallustius in Catilina L. Tullum M' Lepidum, Pedianus in Cornelianam M' Lepidum L. Volcatium. Cicero pro Sulla L. Volcatium Tullum. Ita vt sint M' Aimilius Lepidus & L. Volcatius Tullus

Annus DCXXCIX

In hunc annum designati consules erant L. Autronius Paetus, (vt est in triumpho tabulae Capitolinae non Antronius vt vulgo legitur) & P. Cornelius Sulla. Qui quum ambitus damnati poenas dedissent, in eorum locum facti sunt, qui eos accusauerant L. Aurelius M. F. Cotta, & L. Manlius L. F. Torquatus, Sallustio, Dione, Pediano in orationem pro Cornelio, & in toga candida, & Tranquillo in Caesarem auctoribus. P. Sulla Ser. F. dicitur a Sallustio, a Dione vero filius fratris L. Sullae dictatoris, ergo recte L. Nepos

De Censoribus abdicatis

Et quinquennale tempus, & Dionis testimonium facit vt in hunc annum censores conijciam: ita enim Dio scribit: Censores quum de danda ijs qui trans Padum sunt ciuitate inter se contenderent, non solum nihil aliud egerunt sed magistratu etiam abdicarunt. Hos autem fuisse M. Crassum, & Q. Catulum consulares viros tradit Plutarchus in Crasso. Idem in Politicis, in Catone Minore, & in libro de vitiosa verecundia Q. Catuli censoris meminit

Annus DCXC

Consules in hunc annum comparantur a Cicerone libro primo ad Atticum, & alibi, Sallustio, Pediano, Dione, & Cassiodoro L. Iulius Caesar, C. Marcius Figulus. L. Caesar eius L. Iulij filius est, qui bello Marsico cos. fuit. De quo hoc extat argenteum numisma L. IVLIVS. L. F. CAESAR C. Marcius C. F. dicitur a Dione. Ego C. nepos addidi eius qui cos. fuit anno DXCIIX

De Censoribus

Et in hunc annum Censores creatos Dio ostendit, quum ait: Ne Censores quidem qui subsequuti sunt quicquam sequenti anno egisse, quod tribuni plebis intercesserint ne senatum legerent, ne ipsi forte praeterirentur. Est autem conueniens ut si priores censores abdicarunt, hoc anno alteros qui lustrum facerent fuisse creatos. Horum alterum fuisse certum est L. Aurelium Cottam. Nam Plutarchus L. Cottam petente consulatum Cicerone censuram gessisse scribit. Cicero autem hoc anno petijt, qui saepe L. Cottam censorium vocat. De altero censore parum constat. Ego eum esse opinatus sum Q. Metellum Pium, tum quod hoc anno eum mortuum constat ex Dione, quae caussa fuit vt L. Cotta ante conditum lustrum abdicaret, nam triennio post lustrum factum est, tum quod princeps ciuitatis & senatus a Valerio saepe nominatur, quod non nisi de censorijs hominibus dicere solet

Annus DCXCI

Consules hoc anno fuerunt M. Tullius M. F. Cicero, & C. Antonius M. F. Dione libro XXXVII. Cassiodoro, Sallustio in Catilinario, Velleio libro II. Iosepho antiquitatum XIIII. libro, cap. VIII. Plinio libro VIII. cap. LIII. in Augusti vita Tranquillo, Obsequente, Appiano, Eutropio,

tropio, Pediano, & alijs auctoribus. Ciceronis vero patrem auumque Marci praenomen habuisse apparet ex libro V. Epist. libro II. de orat. lib. III. de legibus. C. Antonium M. F. tradit etiã Pedianus in orationem in toga candida. Hoc anno IX. Kal. Octobris Caesar Augustus natus est, ut auctor est Tranquillus *Annus* DCXCII

D. Iunius M. F. Silanus L. Licinius L. F. Muraena cõsules in hunc annum comparantur à Dione. Eosdem Cicero, Sallustius, Eutropius, Casiodorus & alii omnes horum temporum scriptores edunt *Annus* DCXCIII

Consules deinceps auctore Dione subsequuti sunt M. Pupius M. F. Piso, & M. Valerius M. F. Messalla Niger. Messallae Nigri mentio est etiam apud Pedianum in orationem pro Scauro. Horum consulum praeterea Cicero libro primo ad Atticum, Caesar libro primo de bello Gallico, saepe Plinius, & Casiodorus meminerunt. Ego M. Messallam M. nepotem dixi eius qui paulo ante bellum Punicum tertium censor fuit. Omnes autem fere hi Messallae M. tantum uel M. cognominibus usi sunt

De censoribus, & lustro LXIX

Censores hoc anno fuisse Dio tradit. Scribit enim Pisone & Messalla cos. omnes eos qui magistratus gesserant a censoribus etiam supra legitimum numerum in senatum lectos. Idem ostẽdit Cicero in epistolarum libro primo ad Atticum, quadam epistola quae his cos. Nonis Decembris scripta est Metello Celere cos. designato, in qua ita ait: Asiani qui de Censoribus conduxerint, questi sunt in senatu se cupiditate prolapsos nimium magno conduxisse, ut induceretur ea locatio postulauerunt. Neque uero Asiana uectigalia conduci, nisi post pacatam à Pompeio Asiam potuerunt, idest ab huius anni censoribus. Idem Cicero significat lustrum ab his censoribus fuisse conditum, sed sequenti anno. Nam in epistola quae proxime sequitur data XI. cal. Februarii Q. Metello L. Afranio cos. sic scribit: Reuise nos aliquando, ne absens censeare curabo edicẽdum, & proponendũ locis omnibus; sub lustrum autẽ censeri germani negociatoris est. Quum igitur certum sit hoc anno creatos fuisse censores, ita qui nam fuerint incertum. Hos ego fuisse existimaui P. Seruilium Vatiam Isauricum, & Mam. Aimilium Lepidum Liuianum, utrosque consulares. P. enim Seruilium Censorem fuisse tradit Valerius libro VIII. cap. V. bis uerbis: P. Seruilius uir consularis, censorius, & triumphalis, qui maiorum suorum titulis Isaurici cognomen adiecit. Qui quoniam ante hunc annum censuram non gessit, eum hoc loco adposui. Alter uero Mam. Aimilius Lepidus, quum ex Valerio eum principem senatus fuisse constet, proculdubio & censorius fuit. Nunquam enim legimus principem senatus, nisi censorium & consularem legi solitum, ut latius superius exposui, sic à Cicerone pro Sextio L. Cotta, & de prouinciis consularibus Q. Catulus principes senatus appellantur, quos censorios fuisse constat. Valerii autem uerba sunt haec libro VII. cap. VII. Quid Mam. Aimilii Lepidi consulis, quam graue decretum. Genucius quidam matris magne Gallus à Cn. Oreste praetore urbis impetrauerat, ut restitui se in bona Neniani iuberet, quorum possesionem secundum tabulas testamenti ab ipso acceperat, appellatus Mamercus a Surdinio, praetoriam iurisdictionem abrogauit; conueniens Mamerco, conueniens principi senatus decretum

Annus DCXCIIII

Cicero libro primo ad Atticum, Dio libro XXXVII. Obsequens & Casiodorus consules fingerunt L. Afranium L. F. Q. Caecilium Q. F. Metellum Celerem. Tametsi Cicero Afranium A. F. uocat. Q. celer Q. F. scribitur etiam a Cicerone libro V. ep. fam. Ego Q. Nepotem adieci, ut sit Nepotis filius, Balearici nepos. Q. Nepotis qui biennio post cos. erit frater, non praenominibus sed cognominibus distincti, quod tum Romae obseruari coeperat, ut ostendam in libro de Romanorum nominibus. Eos autem fratres fuisse intelligitur ex libro V. ep. familiarium. Eorundem meminit Plinius libro II. cap. XLVII. Pompei opera praecipue consules facti

Annus DCXCV

C. Caesarem M. Bibulum consules edunt Cicero, Florus, Tranquillus, & Casiodorus. C. Iulium C. F. C. N. Caesarem lapis Capitolinus. C. Iulium C. F. Caesarem, & M. Calpurniũ Dio libro XXXIIX. C. Iulium Caesarem, Calpurnium Bibulum Plutarchus. Eosdem referunt Appianus, Eutropius, & Orosius sed L. non M. Calpurnium Bibulum uocant. Tranquillus uero in Caesare M. Bibulum nominat. Ego M. Bibulum non Lucium scribendum putaui

Annus DCXCVI

L. Calpurnius L. F. Piso & A. Gabinius A. F. cos. memorantur à Dione; Verrij Flacci fragmentum L. Calpurnium L. F. L. N. edit. L. Pisonem A. Gabinium Caesar, Cicero, Plutarchus, & Casiodorus: Pisonem Caesoninum uocant Cicero. & Pedianus, quo cognomine etiam auus eius usus est, ut apparet in Capitolinis tabulis anno DCVI. Hoc anno Caesar Galliam proconsul obtinuit, bellumque cum Gallis transalpinis suscepit

Annus

Annus DCXCVII

Consules deinceps anctore Dione fuerunt P.Cornelius P.F.Lentulus Spinther, Q.Caecilius Q.F.Metellus Nepos. Horum consulum ita meminit Valerius libro IX. Lentulus & Metellus in consulatu collegae ambo in scena propter similitudinem histrionum spectati sunt. Sed alter ex quodam asseclarum cognomẽ Spintheris traxit, alter nisi Nepotis à moribus accepisset, Pamphili Retiarij cui simillimus esse ferebatur habuisset. De eisdem Cicero saepissime, Plinius libro VII. cap.II. Plutarchus in Cicerone, & alii omnes. Pedianus in Cornelianam hunc Q. Nepotem, Nepotis filium, & Balearici nepotem vocat. Extat antiquus nummus sic inscriptus P.LENTVLVS.SPINT

Annus DCXCIIX

Dio consules in hunc annum comparat Cn.Cornelium P.F.Lentulum Marcellinum, L.Marcium L.F.Philippum. Cassiodorus uero Cn. Lentulum L. Philippum. Lentuli Marcellini cos. meminit Cicero saepe, Marcii Philippi cos. Plutarchus in Catone, Cn.Lentulus eius P.Lentuli filius est, qui fuit M.Marcelli filius, à P.Lentulo adoptatus, ut ait Cicero in Bruto, ergo recte additum P.nepos. Est autem Marcellinus non Claudianus appellatus, ut intelligeretur ex qua Claudiorum familia ortus est. Eius extat hic argenteus nummus MARCELLINVS. A tergo MARCELLVS. COS. QVINQ. L. Philippus L. Philippi consularis & censorii uiri filius est, M.Catonis socer

Annus DCXCIX

Quum Catonis trib. plebis intercessionibus comitia tollerentur senatus uestem mutauit: ita Florus in epitoma. Consules ex interregno facti sunt Cn. Pompeius Cn. F. Magnus II. M. Licinius P.F.Crassus II. Auctores Dio, Plutarchus, Appianus, Pedianus, Eutropius, Cassiodorus & alii horum temporum scriptòres

De censoribus, & lustro LXX

Annus superior legitimus erat creandis censoribus, quinquennio absoluto. Quos tamen consules non esse passos creari primum subindicant haec Ciceronis uerba ex epistola II. ad Atticum libro IIII. Metello & Lentulo cos. scripta: Ego me a Pompeio legari ita sum passus, ut nulla re impedirer, quin si uellem mihi esset integrum si comitia censorum proximi cos. haberent, petere posse. Deinde quod idem censores in hunc annum creatos esse ostendit in altera eius libri epistola, quae Crasso & Pompeio cos. scripta est Ante Diem IIII. Kalend. Maij, quum ait: sane scire uelim num censum impediant tribnoi diebus inijeiendis, totaque de censura quid agant. Item in sequenti: Perscribe ad me, quid primus dies, quid secundus, quid Censores, quid Appius. Lustrum autem hoc certe anno conditum non est, sed sequenti. Siquidem Idem in epistola Claudio & Domitio cos scripta anno sequenti ita ait: Non enim puto de lustro quod iam desperatum est quaerere. Quod tamen postea conditum fuisse sequenti lustro demonstrabo. Quod autem mirum est, ne hoc quidem lustro, qui censores fuerint in tanta historiarum copia ullus quod sciam tradit. Ego autem alterum fuisse M. Messallam Nigrum ex patricijs & M. Bibulum ex plebeijs credo, utrumque consularem. Plinius enim libro VII. cap. XII. Valerius libro IX. cap. XV. Messallam consularem & censorium uocant. Et quamqnam sciam alterum M. Valerium Messallam Censorem fuisse eum Cassio Longino anno DC puto tamen non eum sed hunc intelligi a Valerio & Plinio, uterque enim quum exempla multa afferat, eorum qui oris forma similes extiterunt, hunc intereos nominat, qui eius prope aequales sunt Pompeium Strabonem, Pompeium Magnum Strabonis filium, Lentulum Spintherem, Caecilium Nepotem M.Messallam consularem & censorium, C.Curionem patrem, qui omnes uno fere tempore uixerunt. Qui propterea eum consularem & censorium adiecere ut eum distinguerent à M.Messalla altero biennio post consule, quare hoc anno ipse censor esse non potuit. Eiusdem censoris M.Messallae capite de censoria nota meminit Valerius postquam de Licinio Geta uerba fecit tanquam antiquiore, his uerbis: Item M. Valerius Messalla censoria nota perstrictus, (a censoribus videlicet Gellio & Lentulo, qui LXIIII. senatu mouerunt) censoria postmodum potestate imperauit. De altero censore M. Bibulo ita scribit Valerius libro IIII. cap. I. M. Bibulus uir amplissime dignitatis, & summis honoribus functus. Non nisi autem de censoriis & consularibus ita loqui solet Valerius, & accurate consideraui

Annus DCC

Dio libro XXXIX. Anno vrbis conditae DCC. Varronis supputationem sequutus consules edit Ap. Claudium Ap. F.Pulchrum, & L. Domitium Cn.F.Ahenobarbum. Eosdem referunt Caesar, Pedianus in orationem pro Scauro, Obsequens, & Cassiodorus, L. Domitii Cn. F. Ahenobarbi meminit Cicero libro VIII. epistolarum. Qui ut auctor est in Nerone Tranquillus filius fuit Cn.Domitii consularis censorii & Pont.Maximi. Ap.Claudius Appi filius est, qui cos. fuit anno DCLXXV. Hoc anno M. Crassus qui ex consulatu Syriam prouinciam obtinuerat primus omnium Romanorũ bellũ Parthis intulit. Ex Dione, Appiano, & Plutarcho in eius vita

Annus DCCI

Cn.Domitius M.F.Caluinus & M.Messalla consules in hunc annum suggeruntur a Dione lib. XL. Hi septimo anni mense ex interregno magistratum inierunt, propter maximas candidatorũ contentiones. Eosdem consules Cicero ad Q.fratrem, Appianus, & Cassiodorus edunt. Cn.Domitius descriptus est ex tabula Capitolina anno DCCX. M. uero Messallam Cn. Domitii collegam per annos LV. augurem fuisse tradit Macrobius

Annus DCCII

Quum propter potentissimorum competitorum contentiones, Kal. Ianuarij cos. adhuc creati non essent. Facto in M.Bibuli sententiam senatus consulto Cn.Pompeius ab interrege Ser.Sulpicio V.Kal.Mart.mense intercalario cos. III. sine collega primus creatus est, statimque consulatum iniit. Verum ut inuidiam uitaret in quinque menses extremos Q.Caecilium Metellum Pium Scipionem socerum sibi collegam subrogauit. Haec Pedianus in Milonianam, Plutarchus, Appianus, & Dio. Q.Metellus Pius Scipio, Pompeii in hoc consulatu collega P. Cornelius Scipio Nasica dicebatur, Nasicae Scipionis filius, qui à Q.Metello Pio adoptatus Q.Caecilius Q.F. Q.N. Metellus Pius Scipio vocatur a Coelio in epistolis Familiaribus, & Dione. Eiusmodi autem huius Q.Metelli Scipionis extat argenteus nummus Q. METELLVS. PIVS. SCIPIO. IMP

Annus DCCIII

Consules fuerunt hoc anno teste Dione Ser. Sulpicius Q. F. Rufus, & M. Claudius M. F. Marcellus. Eosdem suggerunt Plutarchus, Appianus, Cassiodorus, & in Caesare Tranquillus. Hic Marcellus eius Marcelli qui anno sequenti consulatũ gessit patruelis, eius uero qui cũ Lentulo biennio post, frater germanus, ut ex Verrio Flacco, Dione, & Suetonio intelligitur: ergo recte dictum est M.F.M.N. eius frater C.Marcellus in tab. Capitolina formatus est. De Ser. Sulpicio. Q.F. Lemonia Rufo mentionem facit Cicero in IX. Philippica

Annus DCCIIII

Insequens annus consules habuit Hirtio libro VIII. Tranquillo, & Cassiodoro testibus L.Paullum & C.Marcellum. Horum alter L.Aemilius M.F.Paullus a Dione, alter vero C.Claudius C.F.Marcellus a Cicerone in epistolis nominatur. Quod si C.Marcellus frater patruelis est C.Marcelli sequenti anno cos. ut aperte tradit Tranquillus, recte M.nepos dicitur

De Censoribus, & Lustro LXXI

Dio censores in hunc annum refert Ap.Claudium, L.Pisonem C.Caesaris socerum. Ap.Claudii censoris meminit Cicero in epistolis ad hunc ipsum Appium hoc anno ex Cilicia scriptis; Item in libro de diuinatione. L.vero Pisonis censorii Lentulo & Marcello cos. Caesar libro primo de bello ciuili mentionem facit. Censum autem ab his censoribus ex Plutarcho, lustrum vero conditum ex Censorino constat. Scribit.n.Plutarchus ante bellum ciuile CCCXX∞ ciuium censa, quum anno DCCVII. Caesare censum agente dimidio minus inuenta sint. Censorinus quoque libro de die natali à primo lustro Ser. Tullij Regis ad id quod Imp.Vespasianus Augustus, & Titus Caesar censores condiderunt, lustra LXXV. fuisse scribit. Porro non nisi quattuor lustra post oppressam à Caesare Rempublicam facta fuisse traduntur, duo ab Augusto, unũ à TI.Claudio Cæsare Augusto, & quartum ab Imp.Caes. Vespasiano Augusto. Si autẽ ex LXXV. quattuor lustra adimãtur, reliqua erũt LXXI. Quare necesse est, ut ab his cẽsoribus lustrũ LXXI. factũ sit. Et quod omnes superiores censores usq; ad Q. Allobrogicum & C. Getam, quos lustrũ LXIII. condidisse ex Fastis intelligitur Capitolinis, lustrum fecerint, praeter P. Crassum & L.Caesarem, aliter lustrorum LXXV. numerus non conueniret, nisi omnes censores, his exceptis post LXIII. lustrum, id fecerint. Fuerunt autem hi nouissimi qui ex priuatis ciuibus censores facti lustrum condiderunt. Nam anno sequenti bello ciuili inter Caesarem & Pompeium exorto, uicto & caeso Pompeio, optimatumque factione afflicta, solus Caesar sub dictatoris nomine Remp. obtinuit

Annus DCCV

Hic annus Reip. nouissimus consules habuit C.Claudium M.F.M.N.Marcellum, & L. Cornelium P.F. Lentulum Crurem Verrio Flacco, Dione, Caesare, Cicerone in epistolis, Floro ex Liuio, Hirtio, Plutarcho, Appiano & Cassiodoro auctoribus. Hic est L. Lentulus Crus, qui auctore Coelio prioribus comitijs repulsam tulit. Flamen Martialis dictus à Cicerone in Vatinium. Cuius extat hic argenteus nummus L. LENTVLVS. FLAM. MART

De bello ciuili C. Caesaris, & Caesare Dictatore

C.Iulius Caesar maximis & praeclaris in Gallijs rebus gestis, iisq; decẽnali bello stipẽdiariis pop.Rom. factis, maximã sibi totius nobilitatis, & præsertim Cn.Põpeii Magni qui eius potentiã in dies serpentẽ timere coepit inuidiã concitauit. Quorũ aduersantes sibi conatus ingenti profusaq; largitione comparatis sibi aliquot annuorũ magistratuũ studiis, ad hunc usq; annum repres-

sit

sit. Cuius initio utrisq; consulibus inimicis suis factis omnino perfectum est, quod prioribus duobus annis ab aduersariis Caesaris obtineri non potuit. Nam in sententiam Metelli Scipionis, C. Claudio Marcello cos. refferente S. C. factum est, ut ei succederetur ante tempus, quoniam bello confecto pax esset, successorque ei datur L. Domitius Ahenobarbus. Itemque ut ante certam diem Caesar exercitum uictorem dimitteret, si non faceret eum aduersus Remp. facturum uideri, & ne absentis ratio comitiis haberetur. Huic S.C. M. Antonius & Q. Cassius tribuni plebis intercesserũt. Quibus ob eam caussam vrbe pulsis, mãdatũ a senatu praetoribus, cõsulibus, & Cn. Pompeio, ut viderẽt ne quid Resp. detrimẽti caperet. C. Caesar bello uindicaturus, quod de tribunis plebis intercedentibus pro se grauius a Senatu cõstitutum erat (praetextum enim illi ciuilium armorum hoc fuit) inimicos persequutus, cum exercitu in Italiam uenit, Cn. Pompeium uniuersosque eius factionis ciues Italia omnino expulit, qui cum cos. & senatu in Epirum traiecit. Romae autem M. Lepido praetore, vrbi praefecto, in Hispaniam profectus est. Vbi ualidissimas Pompeij copias, quae sub tribus legatis M. Petreio, L. Afranio, & M. Varrone erant in deditionem accepit, eosque incolumes dimisit. Hispaniis receptis Massilienses qui ei portas clauserant, duobus proelijs naualibus deuicti, diuturnaque obsidione fatigati, potestati se Caesaris permiserunt. In Massiliae obsidione Caesar latam Romae de dictatore creando legem, seque a M. Lepido praetore dictatorem sine magistro equitum comitiorum habendorum caussa dictũ cognouit. Quare Placentiae militibus seditionem mouentibus cohibitis, ocius Romam venit; sic Caesar libro primo de bello ciuili. At Dio ita: Caesare reuertente ex Hispania, M. Aimilius Lepidus, is qui postea triumuir factus est, praetor populo persuasit, ut Caesarem dictatorem crearet, cumque statim dixit contra leges. Is autem ubi in vrbem venit magistratu inito, exulibus omnibus redeundi potestatẽ, praeterquã Miloni cõcessit, magistratus subrogauit, sacerdotes suffecit, Gallis transpadanis ciuitatem dedit, quibus rebus actis dictatura se abdicauit. Plutarchus Caesarem intra vndecim dies dictatura abijsse, quum a senatu dictus esset, ait. Appianus cũ neque a senatu, neque a consule, sed a seipso dictatorem factum scribit, verum ad leuandam inuidiam, siue quod eo magistratu non egeret, per vndecim tantum dies eum tenuisse. Qua de re sic ipse tradit libro III. Caesar his rebus & feriis Latinis, comitiisque omnibus perficiundis XI. dies tribuit, dictaturaque se abdicat, & vrbe profectus Brundusium peruenit. Quantum autem ex Capitolino fragmento intelligi potest, creatus est dictator (ut dixi) sine magistro equitũ, quod etiam ante fieri coeptũ fuerat. Qui comitijs consularibus habitis, quibus ipse II. cum P. Seruilio cos. designati sunt XI. die dictatura abdicauit. Haec ex Caesaris commentariis, Dione, Plutarcho, Appiano, Tranquillo, Floro in epitoma, & aliis decerpsi. Quomodo autem posteriore anno Cn. Pompeio Pharsalica acie uicto, imperium singulare obtinuerit, sequenti libro ostẽdam.

COMMENTARIORVM. IN. LIBRVM. FASTORVM

PRIMVM. FINIS

ONVPHRII·PANVINII VERONENSIS. FRATRIS EREMITAE. AVGVSTINIANI

IN. SECVNDVM. FASTORVM. LIBRVM COMMENTARII

PRAEFATIO

QVI consules, dictatores, & censores fuerint ab vrbe condita usque ad C.Caesaris secundum consulatum, in quo ille patriae libertatem ademit, superioris libri commentario demonstratum est. In quo omnia quae primo Fastorum libro continentur explanata sunt & illustrata. Qua in re ea praecipua sententiae meae summa fuit, ut annorum rationem, & ipsorum magistratuum per quos tempora digerun tur seriem, quoad possem perficerem; quamquam consulto non pauca obiter addidi, quae hâc rerum seriem non modo non interruptura sed eam valde exornat ura esse existimaui: quod in fabula dextrae sinistraeque tibiae, inter unum alterumue actum adhibitae praestare solent. Horum uero praecipua fuerunt anni, olymmpiadumque origo, de vrbis conditae tempore disputatio, septem regum facta, omnium fere quae in Rep. libera dignitates fuerunt initia, & incremēta: quae quanta potui diligentia demōstraui, quo vniuersum opus varium multiplexque redderem: ut enim in campis herbarum iocundissimus est uiror, quem violae hyacinthique purpurei distinguant, sic variarum rerum lectio lucubrationes ipsas quam maxime exornare solet. Omnium certe rerum varietas expetitur. Animus erat ne quid omnino praetermitterem quod lectores vtilitate simul, & iucunditate afficere posset, ut & quae singulis annis gesta sunt aperirem, sed eo labore post abstinere institui, quod animaduerti Carolum Sigonium summa virtute & probitate praestantem, in suo Fastorum commentario, tanta cum ingenii & diligentiae laude id fecisse, ut nihil praeterea addi posse existimarem; & praesertim quum ipsum pleniorem vberioremque quantum ab illo cognoui, adornet. Eadem igitur ratione usque ad Augusti obitum, ad quem usque Sigonius peruenit, sequentis commentarii partem tractabo. Illud enim tantum accurate operam dabo, ut omnium quae in hisce Fastorum libris concinnaui ratio extet, veterum auctorum, lapidum, & nummorum testimonijs ad unam quamque rem confirmandam citatis. Quum autem cum Reip. interitu finis primo libro factus fuerit, hoc deinceps secundi libri commentario, seruientis ciuitatis, & ad vnius Imperatoris arbitrium constitutae Reip. tempora describā, quae ex obscurissimis, annorumque serie labante, incertissimis, ueterum inscriptionum praesertim ope, clarissima & apertissima facta sunt. Neq; (ut dixi) multū laboris impendam, ut quae singulis annis gesta sunt, enarrem, quum ante obitum Augusti Caesaris egregie omnia demonstrauerit Sigonius, post Augusti uero tempora, Italiae & populo Romano armis ademptis, pauca admodum memoratu digna afferri possint, praesertim quum vnius arbitrio principis cuncta administrarentur. Quod si quid praeclarum ab Imperatoribus gestum est, cum veterum auctorum amissione, eorum quoque praecipua facta deperdita sunt. Tantum igitur laborabo, ut annorum tam urbis conditae, quam Christianae salutis accuratissimam & certissimam seriem ostēdam, atque veterum scriptorum testimonia, antiquarum inscriptionum, & nomismatum exempla afferam, quibus singula quaeque ut imperatorum, & consulum integras nomēclaturas, tribunicias potestates, annos, & dies initi, finitique imperii, & cetera eiusmodi confirmem. Ita ut hi in Fastorum libros commentarii, Chronica potius quam annales dici possint, quum eorum quae singulis annis gesta sunt mentionem facere in eis non instituerim. Ceterum magnū aliud opus adorno, cui BREVIARIVM. IMPERII. POPVLI. ROMANI nomen indidi. In quo ab vrbe condita usque ad Imp. Caroli Magni Augusti tempora, omnes sacerdotes, & singulorum annorum magistratus ordinarios, & extraordinarios, maiores, minores, vrbanos, & prouinciales, legiones, bella, paces, foedera, prouincias adquisitas, leges, seditiones ciuiles, instituta, mores, & quicquid postremo singulis annis memoratu dignum gestū

fit

sit, tam Romae quam per vniuersas imperii Romani prouincias breuissime prolatis ueterum scriptorum testimoniis, exponam. Cuius tanquã fundamentum hos Fastorum libros praemisi, quibus uniuersa annuorum & praecipuorum magistratuum, quibus tempora digeruntur, ratio comprehensa est, & accuratissime, quanta a me fieri potuit diligentia, descripta

De C. Iulij Caesaris imperio

Haec est nouissima Reip. Romanae mutatio, qua uni parendi non sub regis, sed dictatoris primum, deinde imperatoris nomine, mos restitutus est. Huic mutationi caussam attulit C. Caesar, qui hoc anno victo bello ciuili ad pharsalum Cn. Pompeio, & optimatum, senatusque auctoritate sublata, uniuersae Reip. summam ad se unum sub Imperatoris praenominc, dictatoris perpetui, continui consulis, praefecti morum, tribuniciae potestatis appellatione, & patris patriae cognomine, transtulit. Et quamquam hos omnes honorum titulos quos eius nomini adiect, non simul sed uariatis temporibus assumpserit, ut sigillatim ostendam, omnia tamen simul ei tribui, ut uno aspectu qua ratione Remp. postremo innaserit, intelligatur. Ea enim Caesaris nomenclatura uniuersum eius quod habuit dum uixit imperium exprimere uolui. Primo enim statim post victum Cn. Pompeium, dictatura ei a populo non semestris more maiorum, nec continua, sed in annum, consulatus quoque in V. annos, tribunicia potestas in perpetuum decreta sunt, vt Dio & Plutarchus tradunt. Deinde subsequentibus annis alii honores ut praenomen Imperatoris, & cognomen patris patriae. Postremo (ut inquit in epitoma Florus) omnibus bellis ciuilibus confectis, post quintum ex Africa triumphum, multi quam maximique honores ei a senatu decreti sunt, inter quos ut pater patriae appellaretur, & sacrosanctus, ac dictator in perpetuum esset. Et Tranquillus in eius vita cap. LXXVI. Non enim (inquit) honores modo nimios recepit, ut continuum consulatum, perpetuam dictaturam, praefecturamq; morum, insuper praenomen Imperatoris, cognomen patris patriae, statuam inter reges, suggestũ inter orchestra, sed & ampliora humano fastigio decerni sibi passus est, sedem auream in curia, & pro tribunali thensam, & ferculum circensi pompa, templa, aras, simulachra iuxta deos, pulvinar, flaminem, Lupercos, appellationem mensis è suo nomine, ac nonnullos honores ad libidinem cepit, & dedit. Extant aliquot argentei nummi C. Caesaris sic inscripti. CAESAR DICT. PERPETVO: CAESAR. IMP: CAESAR. DICT. IN. PERPETVO: CAESAR. PATER PATRIAE. Quare eum primum populi Romani Imperatorem appellaui. Ipsum vero Reip. praefuisse scripsi a primo die secundi consulatus sui, ad diem caedis, idest Idus Martias quinti anni post, per annos quattuor, menses duos, & dies XV. totidem enim numerantur; Quod diem proelij Pharsalici qui à nullo scriptore (quod portenti simile est) proditur ignorauerim, quo uerum eius singulare imperium initium habuit; quemadmodum Augusti victo ad Actium M. Antonio. Cn. tamen Pompeium hoc anno messis tempore, forte circa Idus Iunias victum, ex Plutarcho constat

Annus DCCVI

Dictatore Caesare extremo superioris anni tempore comitia habente consules creantur C. Iulius C.F. Caesar, & P. Seruilius P.F. Isauricus. Is enim erat annus quo per leges ei consulem fieri liceret: Ita enim in eius commentariis libro III. Ipse, Dio libro XLI. Plutarchus, Tranquillus, Appianus & Cassiodorus tradunt. Legem autem intelligit eam qua vetabatur, ne quis intra decem annos iterum cos. fieret. P. Seruilius P. Seruilij filius fuit, eius qui primus Isaurici cognomen inuenit, qui hoc anno consulatum Romae Caesare in Macedonia rem gerente administrauit. Cn. Pompeius magnis ex omni Asia copiis comparatis, Thessalonicae hyemauit. Caesar exitu superioris anni Roma profectus Brundusium contendit, ac prid. Nonas Ianuarij hoc anno in Macedoniam transgressus, Pompeium per quattuor pene menses maximis obsessum opibus, ad extremum Pharsalico proelio fudit. Qui quum in Aegyptum fugisset, iussu regis Ptolemaei, auctore Theodoto praeceptore, & Photino, occisus est ab Achilla in nauicula antequam in terram egrederetur, eodem die quo antea de Mithradate & Tigrane regibus triumpharat. Caesar post diem tertium insequutus, quum ei Theodotus caput Pompei, & annulum obtulisset doluit, & illachrymauit. Haec Plutarchus, Dio, Appianus, & alii

De Caesare Dictatore II. & cos. Anni DCCVII

Populus Romanus (inquit Dio) audita Cn. Pompeii caede, enixe operam dedit, ut Caesari victori honorificentissima decreta fierent. Ergo consulatum in quinque deinceps annos, dictaturam non in sex menses ut ante, sed in annum, tribuniciam potestatem in perpetuum ei mãdauit. Caesar autem quamuis extra Italiam esset, dictaturam statim inijt, quum magistrum eq. M. Antonium nondum praetorium sibi subrogasset: Ex tabulis Capitolinis, Dione, Plutarcho, & Cicerone II. Philippica. Quo autem titulo hanc dictaturam & sequentes Caesar ceperit M. Antonius in Caesaris laudatione apud Dionem ostendit. In qua ille Dictatorẽ aduersus hostes Cae-

sarem creatum ait. Ergo rei gerundae caussa factus fuit. Aliam etiam ob caussam Caesarem dictaturā accepisse constat, ea fuit ut illa potestate, quae summa erat omne ad se unum ius Reip. traheret, quod ante multorum erat. Quod eadem ratione à triumuiris quoque primo, deinde sublato à M. Antonio dictatoris nomine, Imperatoris uocabulo ab Augusto factum fuit; hoc est Reipublicae constituendae. Qua caussa uerbis quidem & superficie tenus honestissima, omnis dictatoria & plane regia potestas omnino comprehenditur. Itaque ego eum dictatorem R.P.C.& Rei gerundae caussa creatum scripsi, quando id à tabulis Capitolinis, quae mancae sunt non exprimatur. Ceterum hoc anno ineunte addit Dio, nullos neque praetores, neq; consules designatos fuisse. M.enim Antonius mag.eq.purpurea ueste, & sex lictoribus usus, speciē quandam libertatis antiquae referebat. Is paulo post vrbe profectus praefectum urbis reliquit L.Caesarem senem, quod nunquam antea factum fuerat a magistro equitum. Ceterum exitu anni Aegypto recepta, rege Ptolomaeo occiso, Pharnace Ponti rege victo, consules creati sunt Q.Fufius Q.F.Calenus, & P.Vatinius P.F. Quos tabulae Capitolinae & Cassiodorus edunt. De P.Vatinio cos.mentionē facit Macrobius libro II.ubi mendose pro Caninio Vatinius scriptū est

Annus DCCVIII

Consules tantum sine Dictatore hoc anno edit in tabulis Capitolinis Verrius Flaccus, & lapis Colotianus C.Iulium Caesarem III. & M.Aimilium Lepidum. Quod haec antiqua in nummo argenteo inscriptio Caesaris confirmat CAESAR.DICT.ITER.AVGVR.PONT MAX.COS.TERT. Dio vero libro XLIII. Postero vero anno (inquit) dictaturam quoq; una cum consulatu utrumq; tertium gessit, collega sibi in utroq; magistratu cooptato M.Aimilio Lepido. Idem sentire videtur Tranquillus in Caesare cap.LXXVI. Vbi ait: Tertium & quartum consulatum titulo tenus gessit, contentus dictaturae potestate decretae cnm consulatibus simul. Atque utroque anno binos consules substituit sibi in ternos nouissimos menses. Item Hirtius libro V. auctor est Caesarem Africa recepta (recepit autem eam Iuba rege & Metello Scipione Pompeianarum partium dncibus caesis hoc anno) Dictatorem fuisse III. & IIII. designatum. Dionem, & Tranquillum cum Hirtio errasse existimo. Nam cum tabulis Capitolinis & Colotiana, item nummo argenteo hoc ipso anno percusso, Plutarchus quoque & Eutropius consentiunt. Qui Caesarem hoc anno tantum cos.tertium cum M.Lepido; dictatorem uero iterum scribunt. Placet autem uetustae Fastorum consularium tabulae, quae ex hortulis Colotianis Romae in aream domus Gentilis Delphinij trāslata est exemplum a me ad amussim ex ipsius tabulae marmoreo fragmento descriptum, hoc loco interponere, quod eius saepe testimonio sequentes Fastos confirmaturus, & expleturus sim. De qua etiam latius superius uerba feci

TABVLA . COLOTIANA

C.IVLIVS . CAESAR . IIII. SINE . CONLEGA
SVF Q.FABIVS . MAXIM . C.TREBONIVS . C . F
C.CANINIVS . C . F
C. IVLIVS . CAESAR . DICT . IV. M . AEMILIVS . M.EQ
C . IVLIVS . CAESAR . V   M . ANTONIVS . M . F
SVF . P . CORNELIVS . P . F
C . VIBIVS . C . F . PANSA   A . HIRTIVS . A . F
SVF C.IVLIVS . CAESAR   SVF Q.PEDIVS . Q . F
C . CARRINAS C . F   P. VENTIDIVS.P.F
M.AEMILIVS.M.ANTONIVS.IMP.CAESAR.III.VIR.R.P.C
EX. A. D. V. K.DEC. AD.PRID.K. IAN. SEX
-MVNATIVS . L . F   M.AEMILIVS.M.F
-ANTONIVS.P.SVLPICIVS.CENS.LVSTR.N.F
-ANTONIVS   P.SERVILIVS . P . F
CN . DOMITIVS M . F   C . ASINIVS . CN . F
SVF . L . CORNELIVS   SVF . P . CANIDIVS . P . F

De Caesare Dictatore III. ac consulibus anni DCCIX

Anno DCCV. Italia pulso Pompeio, Caesar dictatura in sex menses accepta XI.die abdicauit. Anno DCCVI. victo & occiso Cn.Pompeio, quum ipse cum Seruilio cos. esset, decreta est ei altera dictatura in annnm, qnam anno sequenti DCCVII.cum M.Antonio mag.eq. gessit. Anno DCCVIII.quo ipse III. cos.cum Lepido fuit Scipione & Iuba in Africa superatis, decreta est ei tertia dictaturna in decennium, quam hoc anno cum consulatu IIII. M. Aimilio Lepido magistro

gistro eq. cooptato gessit. Anno sequenti quo ipse V. cos. fuit, quinta ei dictatura in perpetuum oblata est, cuius tertio mense fuit interfectus: atque ita ex tabulis Capitolinis, Colotianis, & nummis argenteis, Plutarcho, & Eutropio colligitur, ita ut Dionem errare existimem, qui hoc etiam anno Caesarem IIII. cos. sine collega, & Dictatorem item IIII. cum M. Lepido II. mag. eq. tradit. Qui tamen recte scribit quum Caesarem hoc anno IIII. cos. solum fuisse prodit. Sic enim in historiae expositione ait. Caesar quartum consulatum statim iniit, neque tamen vsque ad extremum annũ gessit, verum ubi in vrbem ex Hispania reuersus est abdicauit, Dictaturae honore contentus eum consulatu decretae, ac Q. Fabium Maximum, & C. Trebonium sibi in reliquum anni suffecit. Hic annus cum Dictatore, mag. equitum, & consulibus ex Capitolina & Colotiana tabulis formatus est, praeter cognomen C. Trebonii, quod Asperum fuisse ex Liuio liquet. Eadem confirmant Appianus, Plutarchus, Tranquillus, Liber Cuspiniani, & Casiodorus. Suetonius in Caesare Q. Maximum consulem trimestrem vocat. Adijcit Dio Caesarem Q. Fabio consule extremo anni die mortuo, in reliquas horas C. Caninium consulem declarasse. Cuius rei Cicero libro VII. in epistola ad Curium, & Tacitus libro XIIX. Plinius libro VII. Suetonius in Caesare, Plutarchus, & Macrobius libro II. Saturnalium meminerunt. Atque hoc anno primum consules suffecti, & honorarii creari coepti, de quibus latius disputaui superius, ubi de consulari dignitate verba feci

De censu à Caesare facto

AFRICA à Caesare subacta, inter alios honores quos ei senatus decreuit, Dictator in decennium, & moribus praefectus in triennium creatus est. Eo enim nomine eum potius, quam censorem appellandum esse putauerunt, quod censoris nomen parum ei decorũ esse existimarent. Quo iure ut Tranquillus scribit censum populi nec more, nec loco solito, sed vicatim per dominos insularum egit: quo censu pro CCCXXↀ ciuium quae ante ciuile bellum censa essent CLↀ tantum, reliquis bello ciuili consectis, inuenit: Haec Dio, Plutarchus, Appianus, & alij. Hinc Cicero etiam in epistolis Caesarem praefectum moribus appellat

De Caesare Imperatore appellato

Caesar hoc anno uictis Cn. Pompeij filijs in Hispania, atque omnibus ciuilibus bellis confectis, post quinctum triumphum, quem ex Hispania rettulerat, nouos quosdam ac singulares honores sibi decerni a senatu passus est, de quibus superius verba feci, inter quos is fuit ut Imperator appellaretur. Imperatoris autem praenomine intelligi voluerunt, non eum qui re bene gesta id nominis uel militari studio, uel senatus auctoritate consequutus, sed qui potentiam & auctoritatem in Rep. summam adeptus esset. Quo nomine ipse primus, ac deinde filij & nepotes eius S. C. affecti sunt; quod praenomen uocatur ab antiquis scriptoribus, quod nomini praeponeretur, ut esset discrimen aliquod inter illud, & alterum imperatoris nomen, quo duces populi Romani bene gesta Rep. impetu & acclamatione uictoris exercitus conclamabantur, quod nomini postponebatur. De qua appellandi ratione paulo post fusius disseram. Cicero quoque in Philippicis obiecit Antonio quod adscribi in Fastis ad Lupercalia iusserit C. CAESARI. DICTATORI. PERPETVO. M. ANTONIVM. COS. POPVLI. IVSSV. REGNVM DETVLISSE. Quemadmodum autem Caesari Imperatoris praenomine summum in Rep. ius & imperium traditum fuit, sic dictatura eidem ut summam in rep. auctoritatem haberet mãdata est, quam Reip. constituendae caussa expressam fuisse existimo, sicut & a Sulla Dictatore, III. viris Reip. const. & postremo ab Augusto Caesare obseruatum est. Quorum uerborum modestia altissimum tamen auctoritatis in Rep. fastigium intelligebatur, atque odiosis uerbis reiectis, re ipsa, moderatis titulorum uerbis summum ius & supremam potestatem obtinebant

Annus DCCX. in quo C. Caesar Dictator IIII. & cos. V. fuit

Dio falso ut existimo, Caesarẽ hoc anno Dictatorẽ V. cũ M. Lepido Mag. eq. & cõsulẽ itẽ V. cũ M. Antonio collega edit. Tabulae Capitolinae, & Colotianae, Caesarem Dictatorem IIII. cum M. Aimilio Lepido mag. equitum, & eundem consulem V. cum M. Antonio profitentur, quod Appianus, Plutarchus, Macrobius & Casiodorus confirmant. De Magistris autem equitum Appianus scribit se eum M. Antonio mag. eq. consulem renuntiasse, ac M. Lepidum qui Hispaniam per legatos administrabat pro Antonio sibi magistrum eq. cooptasse. Miror autem ab Appiano scribi M. Antonium ex magistro equitum consulem creatum, quũ superiore anno unus tantum magister equitum in tabulis Capitolinis notatus sit M. Lepidus, neque enim duo tunc magistri eq. erant, si quidem Antonius biennio ante fuerat, Caesare Dictatore II. quo abdicante M. Lepidus factus est Caesare Dictatore III. ut tabulae Capitolinae, vel vt Dio tradit Caesare Dictatore III. & IIII. Hoc autem anno non videtur Lepidus in locum Antonij mag. eq. factus, sed potius dignitatem continuasse, quum etiam superiore anno fuerit, Suggerit Dio Caesarem consules in biennium proximum designasse, ipsumque vtroque anno dictaturam fuisse gestu-

rum. Quũque ille alium quendam magiſtrum equitum dixiſſet, Octauium etiam quamquam adoleſcentem dixiſſe. Quũ autem Antonius toto anno conſulatum geſturus eſſet, ac ipſe Lepidum Galliae Narbonenſi, & Hiſpaniae citeriori praefeciſſet, duos pro iis alios ſeorſum vtrunque magiſterium equitum gerere voluiſſe. Ex quibus uerbis hoc intelligendum puto. Caeſarem in M. Antonij locum anno ſuperiore dixiſſe M. Lepidum. Quũ autem Lepidus in Gallias & Hiſpaniam paludatus exiturus eſſet, tertium quendam magiſtrum eq. atque etiam quartum ſibi cooptaſſe, tertiũ autem fuiſſe C. Octauium, qui initurus eſſet, vbi primum M. Lepidus paludatus exijſſet, quartum Cn. Domitium Caluinum, qui quum eſſet in inſequentem annum deſignatus, interfecto Caeſare Dictatore non inijt. Cuius facti Dio rationem reddidit, quod quũ Caeſar multis ſe debere ſentiret, his honoribus eorum beneficia compẽſare uoluerit. De C. Octauio mag. equitum etiam Appianus meminit. Et Plinius libro VII. Repulſa Auguſti in magiſterio eq. apud auunculum, & contra voluntatem eius praelatus Lepidus. Atque quod in fragmentis Capitolinis diuulſis ſic eſt

VT. QVM. M.... DVS. PALVDATVS.

Ita interpretari debet, Vt Quum M. Aimilius Lepidus Paludatus exijſſet, iniret. Quod eò pertinet, quod Dio ſcribit M. Lepidum tum ad vrbẽ cũ exercitu, & imperio fuiſſe, erat autem exiturus in Galliam ulteriorem, & Hiſpaniam citeriorem, quas ei decedens à bello Hiſpanienſi Caeſar tribuerat, in cuius locum magiſterium equitum initurus eſſet C. Octauius, in eum annum, & Cn. Domitius in inſequentem. Ceterũ ut ab antiquitatis ſtudioſis gratiam aliquam ineam nõ pigebit hoc loco ſubijcere antiquam inſcriptionem quae Romae in honorẽ C. Octauij patris Auguſti facta fuit, cuius hodie quoque in Colotianis hortulis, hoc extat fragmentum

C. OCTAVIVS. C. F. C. N. C. P.
PATER. AVGVSTI
TR. MIL. BIS. Q. AED. PL. CVM
C. TORANIO. IVDEX. QVAESTIONVM
PR. PRO. COS. IMPERATOR. APPELLATVS
EX. PROVINCIA. MACEDONIA

De caede C. Caeſaris Dictatoris, & P. Cornelio Dolabella cos. ſuffecto

Singulares Caeſari à Senatu (quos ſuperius enumeraui) honores decreti, inuidiam ei apud ciues excitarunt. Quare tum ob has, tum ob alias cauſſas conſpiratione in eum facta, cuius capita fuerunt M & D. Brutus, C. Trebonius, & C. Caſsius, Idibus Martij, in curia Pompeij, dum ſenatum haberet, tribus & uiginti uulneribus confoſſus eſt, occupatumque ab interfectoribus eius Capitolium. Obliuione deinde caedis eius a ſenatu decreta, coniurati a Capitolio deſcenderunt. M. Antonii cos. lege dictaturae honor in perpetuum ſublatus eſt. Caeſaris corpus crematum, in Campo Martio ſepultum eſt. Eiuſdemque in conſulatu locũ Dolabella corripuit, quẽ Caeſar ante deſignauerat in hunc annum, & ſi vixiſſet diutius, ſibi fuiſſet ſubſtiturus. C. Octauius ſororis Caeſaris nepos teſtamento Caeſaris haeres ex parte dimidia inſtitutus, & in nomen adoptatus, Romam ex Epiro uenit, quo eũ Caeſar praemiſerat bellum in Parthos illaturus, omnibusque proſperis ex teſtamento nomen Caeſaris aſſumpſit. In hac confuſione rerum & tumultu Lepidus pontificatum maximum in locum Caeſaris intercepit. Ex Dione, Appiano, Plutarco, Floro, & aliis. Hoc anno ludos Olympicos celebratos fuiſſe, ſuperius ex Cicerone demonſtraui

Annus DCCXI

Dio, Caſsiodorus & ceteri cos. in hunc annum profitentur C. Vibium Panſam Capronianũ, & A. Hirtium A. F. liber Cuſpiniani Cretonianum, & Hirtium edit. Ex qua re intelligi poteſt Cretonianum cognomen Panſae fuiſſet forte corruptum pro Caproniano. C. Vibius C. F. & A. Hirtius A. F. dicũtur in tabula Colotiana. Extat antiquus argẽteus nũmus ĩ quo eſt. C. VIBIVS. C F. C. N. PANSA. Hirtius vnus extitit ex filijs proſcriptorũ à Sulla, quos Caeſar ut tradit Dio, ad honoris euexit. Hi & ſequẽtis anni cos. ante a Caeſare des. fuerãt q̃ interficeretur. Ex his Hirtium in proelio ciuili Mutinẽſi cõtra Antoniũ; Pãſam uero aliquot diebus poſt ex uulnere in eodẽ bello accepto Bononiae mortuos Dio, Appianus, & alij referunt. In locum Panſae XIIII. Kal. Septembris huius anni C. Octauius ſuffectus eſt, ante XX. aetatis annum expletum, qui in Hirtii locum collegam ſibi Q. Pedium cooptauit. Ceterum C. Octauius patre natus eſt C. Octauio C. F. uiro praetorio, ut ex lapide Colotiano apparet, matre Attia quae ex Iulia Caeſaris dictatoris ſorore, & M. Attio Balbo genita fuerat; itaque ipſe Caeſaris neptis filius, Caeſar ipſe maior eius auunculus fuit. ut Tranquillus, & Velleius tradunt, adoptatus autem a C. Caeſare atq; haeres relictus C. Iulius C. F. Caeſar Octauianus dictus fuit. Q. Pedius ex eius triumpho Capitolino deſcriptus eſt. Quem in hoc magiſtratu mortuum fuiſſe docet Appianus, in cuius locum ſubrogatum fuiſſe ſcribit P. Ventidium Baſſum, qui tum forte praetor erat, qui P. F. dicitur in tab. Colotiana. Caeſar uero inito triumuiratu quum conſulatu ſponte abdicaſſet, in reliquum anni tempus cos. ſibi ſubrogauit C. Carrinatem C. F. ut eſt in tabula Colotiana. Huius Carrina

tis meminerunt Dio libro LI. quem vnius proscriptorum a Sulla filium tradit, & Tacitus, qui eum C. Albium Carrinatem uocat.

De III. viris R. P. C

Quum C. Caesar cos. creatus esset, ut patris interfectores vlcisceretur Q. Pedium collegam legem ferre iussit, de quaestione habenda in eos quorum opera ille occisus esset, postulatique ea lege M. Brutus, C. Cassius, & D. Brutus qui cos. des. in sequentem annum erat, absentes damnati sunt. Quos quum solus armis ulcisci non posset, cum M. Antonio, & M. Lepido pace facta, postquam Consul creatus est, utrunque ex Gallia in Italiam cum exercitibus accersiuit. Qui in agro Bononiensi congressi, consultationes summas de ordinanda corrigendaque rep. habuerunt, Itaque se III. Viros Reip. constituendae cum summo imperio V. Kal. Decembris in quinquennium renuntiarunt. Magistratus in aliquot annos, nec senatu, nec populo consulto, quibus ipsi uoluerunt mandarunt, Lepidum in D. Bruti cos. des. lege Pedia damnati, & occisi locum cos. in insequentem annum creauere, proscriptionem ac inimicorum ciuium caedem iusserunt. Quibus perfectis, quae decreuerant exequuti sunt. Diem autem in quo triumuiratum inierunt, & tempus in quod se designauere, ex lapide Colotiano intelligitur, in quo ita scriptum est M. AIMILIVS. M. ANTONIVS. IMP. CAESAR. III. VIRI R. P. C. EX. A. D. V. K. DEC. AD. PRID. K. IAN. SEX. Idest: Ex ante diem V. Kal Decembris ad pridie Kalendas Ianuarias sextas, quo significat eos V. Kal. Decembris iniisse, ut Kalendis Ianuarij quinto post anno exacto abdicarent, qui dies ab illo prid. Kalendis Ianuarias sextas erat futurus. Extāt hi antiqui argentei III. virorum nummi.

CAESAR. DIVI. F — In alio
LEPIDVS. PONT. MAX. III. VIR. R.P.C — In alio
M. ANTONIVS. IMP. AVG. III. VIR. R.P.C — a tergo
CAESAR. IMP. PONT. III. VIR. R.P.C

Cur C. Octauius Imp. Caesar dictus sit

C. Octauius interfecto Caesare a quo haeres relictus fuerat, Romam ex Apollonia reuersus Caesaris haereditatem, & nomen eius sibi non lege, sed testamento tantum uendicarat; vbi consulatum iniit ipse legem adoptionis curiatam tulit, atque in nomen patris lege transiit. Quo tempore & C. Caesar, & Imp. Caesar dici videtur: Ita enim in tabulis Capitolinis & Colotianis notatus est. Iure enim adoptionis C. Caesar, legis vero curiatae Imp. Caesar, nam ut ita pater eius filij & nepotes appellarentur S. C. cautum fuerat. Anno sequenti patre Caesare consecrato Imp. Caesar Diui filius dici coeptus est pro C. filio. Dio vero cui ob multas caussas assentior, tradit, ipso V. & Sex. Appuleio cos. Imperatoris praenomen sibi uendicasse: Quare ego non nisi eo anno Imp. Caesarem appellare incipio. Nam si praenomine Imp. summa ac regia prorsus potestas significatur, atque eam legitime non nisi eo anno habere coeperit, hanc potissimum ob caussam eum illo praesertim anno Imp. praenomine insigniui, ut eius legitimum imperium (legitimum voco quod ei senatus consulto mandatum est) a non legitimo, & fere tyrannide discernerem. Quamquam in tabulis Colotianis & Capitolinis Imp. Caesar semper post hac appelletur, quas suorum potius quam horum temporum rationem habuisse existimo.

Annus DCCXII

Consules designati in hunc annum a Caesare fuerunt L. Munatius Plancus, & D. Iunius Brutus. Qui ab A. Postumio A. F. Albino adoptatus, A. Postumius A. F. Albinus Brutus, ut ex hoc nummo argenteo apparet A. POSTVMIVS. A. F. ALBINVS. BRVTI. F. COS. DES. appellabatur. Verum eo antequam iniret lege Pedia damnato & occiso, M. Lepidus III. vir R. P. C. Cos. II. in eius locum factus est cum L. Planco, ut auctor est Dio. Horum consulum Dio, Cassiodorus, Tranquillus in Tiberio, qui eum hoc anno XVI. Kal. Decembris natum fuisse post bellum Philippense tradit, meminere. M. Lepidus ex tab. Capitolinis, & Colotianis formatus est. L. autem Plancus ex sequenti Inscriptione, quae Caietae adhuc extat

L. MVNATIVS. L. F. L. N. L. PRON
PLANCVS. COS. IMP. ITER. VII. VIR
EPVLON. TRIVMPH. EX. ROETEIS. AEDEM. SATVRNI
FECIT. DE. MANVBIIS. AGROS. DIVISIT. IN. ITALIA
BENEVENTI. IN. GALLIA. COLONIAS. DEDVXIT
LVGDVNVM. ET. RAVRICAM

Hoc anno bello ciuili Philippensi, Brutus & Cassius interfecti sunt, ut auctores sunt Dio, Plutarchus, Appianus, & alii.

De Censoribus

Censores in hunc annum edit auctor tabulae Colotianae Antonium & P. Sulpicium, eosque lustrum non fecisse adiicit: de quibus ne uerbum quidem in aliis annalibus inueni. Ego hunc L. Antonium esse reor, nam Marcus tunc in Macedonia bellum cum Bruto & Cassio gerebat. Caius a Bruto iam interfectus erat auctore Dione. P. autem Sulpicium Quirinum esse existimaui, patrem forte eius qui cos. est anno DCCXLII

Annus DCCXIII

Consules in hunc annum comparant tabulae Colotianae, Dio, & Cassiodorus. L. Antoniũ M.F. Pietatem, P. Seruilium P. F. Isauricum II. Horum consulum in Tiberio meminit Suetonius. P. Seruilius primum cos. fuit cum Caesare II. cuius patrem Isauricum paulo ante mortuum fuisse Dio, & Eusebius tradunt. L. Antonius à Dione Pietas dicitur, quod cos. una cum Fuluia Marci fratris uxore remp. eo animo tractauerit, quasi pro fratre III. Viro laboraret, atque propter pietatem illam cognomen Pietatis sibi uendicauit. De bello ciuili Perusino uide Dionem, & Appianum

Annus DCCXIIII

Tabula Colotiana, Dio, & Cassiodorus consules in hunc annum comparant Cn. Domitium M.F. Caluinum. II. C. Asinium Cn. F. Pollionem. Vterque ex tabulis Capitolinis descriptus est. Extat Casini haec inscriptio, in qua horum consulum mentio habetur

M. PAPIVS. M. F. L. MARCIVS. L. F.
DVO. VIRI. I. D
SIGNVM. CONCORDIAE. EX. S. C. RESTITVENDVM
COERAVERVNT. IEIDEM. QVE. DEDICARVNT
ET. BASIM. GRADVM. ARAM. SVA. PECVNIA
FACIVNDA. COER. IEIDEM. PROBAVER
AD. IIII. EID. OCT. CN. DOMITIO. C. ASINIO. COS

Horum consulum meminit Iosephus antiquitatum libro XIIII. capite XXIII. Exitu autem anni hos cos. magistratu abdicasse scribit Dio, aliosque consules in paucos dies suffectos esse, quorum unus fuit L. Cornelius Balbus Gaditanus. Quare in tabula Colotiana suffecti cos. notati sunt L. Cornelius L.F.P. Canidius L. F. de P. Cornelio Balbo cos. Plinius lib. VII. cap. XLIII. & Velleius libro II. De P. uero Canidio Crasso Dio libro XLIX. mentionem fecerunt

Annus DCCXV

Dio & Cassiodorus cos. suggerunt L. Marcium Censorinum, & C. Caluisium C.F. Sabinũ. Censorinus ex eius Capitolino triumpho descriptus est. Horum altero consulem suffeci Q. Saluidienum Rufum, ad consulatum a C. Caesare III. uiro euectum, ut Dio, Tranquillus, & Velleius tradunt. Nam ante esse non potuit, quod in tabulis Colotianis quae ad hunc usque annum pertinent exaratus non sit; nec post, quum a Caesare hoc anno uel sequenti consularis interfectus dicitur, quod eum insidias sibi parare comperisset, iisdem auctoribus

Annus DCCXVI

Ap. Claudius C.F. Pulcher, & C. Norbanus C.F. Flaccus cos. suggeruntur à Dione, & Cassiodoro. De Tedio Afro consule suffecto designato, qui antequam iniret se ipse praecipitauit, minis C. Caesaris exterritus, uide Tranquillum in Augusto

Annus DCCXVII. & *De* III. *Viris* R.P.C. II

Dio libro XLIX refert hoc anno III. uiros R.P.C. Lepidum, Antonium, & Caesarem, quum quinque anni triumuiratus in quos se ipsi crearant, abiissent, eosdem semel in alterum quinquennium renuntiasse. Quare hoc anno quo Agrippa & Gallus cos. fuerunt. Kal. Ianuarijs secundum triumuiratus honorem inierũt, quem ad prid. Kal. Ianuarias quinctas hoc est in quinquennium notaui, perinde ac de primo triumuiratu in tabula Colotiana fieri animaduerti. In Capitolino autem fragmento III. viri. Agrippae & Gallo praepositi sunt, quippe qui longe digniores ipsis consulibus essent, atq; idcirco praeponuntur, sic etiam postea Augustus, Tiberius, & reliqui Imperatores cum numero tribunniciae potestatis consulibus nõ subijciuntur, sed praeponuntur. Itaque in lapide nomina tum triumuirum, tum Augusti respondent ad perpendiculum, nec ullum eorum interius altero est, sed omnes a se inuicem uirgulis distincti, quemadmodum ego in III. uiris, cum consulibus concinnandis feci

De consulibus

Cornelius Nepos in Attici vita, Dio libro XLIX. Iosephus libro XV. Antiquit. & Cassiodorus

rus M.Vipsanium L.F.Agrippam,& L.Caninium L.F.Gallum cos.edunt. De Agrippa meminit Tacitus lib.I. Ex Capitolino inani interuallo inter Agrippae & Gellii consulatum, apparet desiderari nomen consulis suffecti in locum Caninij abdicantis, de quo parum compertum est. Eũ esse suspicatus sum T.Statilium Taurum, nam biennio post procos.triumphauit ex Africa. Deinde anno DCCXXIIX.est II. cos. neque quando primum fuerit constat. De bello ciuili Siculo a Sex.Pompeio Magni filio excitatum, vide Dionem, Appianum, & alios

Annus DCCXVIII

Dio & Cassiodorus consules memorant L.Gellium L.F.Poplicolam,& M.Cocceium Neruã. Ex Capitolinis fragmentis apparet L.Gellium L.F.L.N.esse sub cuius nomine adhuc in eisdem tabulis apparet D. I N. & L. F. L. quae ego ita interpretatus sum abD . IN. eius locum factus est L.Munatius L.F.L. N. Plancus II. Nam L. Plancus a Plinio libro XIII. cap.III. iterum cos. & censor dicitur, neque quando fuerit praeterea constat. Planci collegam in consulatu suffecto feci P.Sulpicium P.F. Quirinum censorium uirum. Quem consulem fuisse per haec tempora ex Tacito intelligitur. Hoc anno ut (inquit) Tranquillus in Augusti vita: Caesar post Pompeij fugam collegarum alterum M.Lepidum quem ex Africa in auxilium euocarat, superbiẽtem XX. legionum fiducia, summasque sibi partes terrore, ac minis uendicantem spoliauit exercitu, supplicemque concessa uita, Circeijs in perpetuum relegauit. Eadem Dio, Velleius, & Appianus

Annus DCCXIX

Dio & Cassiodorus cos.suggerunt L.Cornificium L.F.Sex.Pompeium Sex.F.Hoc anno Sex. Pompeius Magni filius bello ciuili Siculo a Caesare victus, occisus est. Velleius, Dio, Appianus

Annus DCCXX

M.Antonius M.F. II. & L.Scribonius L.F.Libo consules hoc anno a Dione referuntur. Qui adijcit M.Antonium III. virũ magistratu ipsis Kal.Ianuarijs se confestim abdicasse, ac sibi L.Sempronium Atratinum suffecisse. Multosq; esse qui propterea non Antoniũ, sed Atratinũ cum Libone cos.hoc anno edant. Quod Cassiodorus fecit. L.autẽ Sempronius ex triumpho Capitolino descriptus est. Consules in anni partem suffectos inuenitur apud antiquum Fastorum municipalium auctorem, cuius fragmentum in libro epigrammatum totius orbis a Petro Appiano refertur. Quod ab hoc anno initium sumens ad sextum usque Augusti consulatum pertin[...]t, omnesque cos. tam ordinarios quam suffectos exponit, de quo superius disputaui: hoc autem anno ita consules digerit

Qui a Fastis Appiani P. Aimilius dicitur, a Dione Paullus Aimilius Lepidus appellatur. Hic est qui postea censor fuit, ex tabulae Capitolinae fragmento descriptus. Subijcitur in eiusdẽ Appiani tabulae fragmento

L. SEMPRONIVS. L. SCRIBONIVS
KAL. IVL. P. AIMILIVS
C. MEMMIVS
KAL. NOVEM. C. HERENNIVS

BELLVM . ILLYRICVM
BELLVM . MARSICVM

Quorum Illyricum ab Imp. Caesare gestum fuit, ut Tranquillus auctor est. De bello uero Marsico nihil inuenire potui

Annus DCCXXI

Dio,& Cassiodorus Cos.suggerũt C.Caesarem II. & L.Volcatium L.F.Tullum. De hoc consulatu ita Tranquillus in Augusto: Caesar secundum consulatum nouem annos post primum cepit, quem paucissimis horis gessit. Nam Kal.Ianuari quum mane pro aede Capitolini Iouis paulum curuli sella praesedisset, honore abiit, suffecto alio. Et Dio. Caesar II. cos cum L. Tullo abdicauit Kal.Ian. ut ante fecerat Antonius. Caesari collega designatus diu antea fuerat Sex. Pompeius Magni filius, ita enim inter eos conuenerat quum pacem fecerunt, ut refert libro V. Appianus. Sed quum antequam iniisset, hostis iudicatus occisus fuisset, eius locum L.Volcatius obtinuit. Horum consulum Frontinus libro primo de Aquaeductibus meminit: Consules huius anni tam ordinarios, quam suffectos edunt Petri Appiani tabulae ita

IMP. CAESAR. II. L. VOLCATIVS
K. IAN. P. ANTONIVS
K. MAI. L. FLAVIVS
K. IVL. M. ATILIVS. C. FONTEIVS
K. SEP. L. VINVCIVS
K. OCT. L. LAENONIVS

Ex his P. Antonium Marci III. viri filium esse existimaui

Flauio Saeuini ex Tacito, Atilio Reguli, & Fonteio Capitonis ex tabulis Capitolinis cognomina addidi. L.Flauii cos.a M.Antonio hoc anno facti, & abdicati meminit etiam Dio

Hoc anno alterum quinquennium, quo Caesar & Antonius III. Viri R.P.C. II. fuerunt transanctum est; atque anno sequenti vterque priuatus fuit. Secundi autem triumuiratus eiusmodi extant nummi argentei

M. ANTONIVS. AVG. IMP. III. COS. DES. III. III. VIR. R. P. C. II. Item
IMP. CAESAR. DIVI. F. III. VIR. ITER. R. P. C. COS. ITER. ET. TER. DES. Item

Tergeste in antiqua inscriptione

IMP.CAESAR.COS.DES.TERT.III.VIR.R.P.C.ITERVM.MVRVM.TVRRES.QVE.F

Diu autem antequam tertium inirent cõsulatum designati fuerant, nam aliquot annis antea eos consules in octennium designasse prodit Appianus, seque vna III

Annus DCCXXII

Cn.Domitius L.F.Cn.N. Ahenobarbus, & C. Sosius C. F.consules hoc anno comparantur a Dione, Appiano, Cassiodoro, & Cornelio Nepote in Attici vita.Cn.Domitius eius filius est qui cos. fuit anno DCC.ut auctor est Tranquillus in Nerone. C.Sosius ex triumpho Capitolino descriptus est. Tabula Petri Appiani consules hoc anno edit

CN . DOMITIVS . C . SOSIVS
K. IVL.L.CORNELIVS
K.NOV.N.VALERIVS

N. Valerius Messallae sequentis anni cos. frater est. His ego addidi Paullum Aimilium Lepidũ III. viri fratrem consulem, cuius meminit in parte huius anni Dio, quem porticum suis sumptibus exaedificasse ait, & in consulatu dedicasse, quem in parte huius anni gessit

Annus DCCXXIII

Dio consules in hunc annum profitetur Caesarem III. & M.Valerium M.F.Messallam Coruinum. Is etiam ex eius triumpho Capitolino formatus est. Dio & Appianus scribunt Caesarem & Antonium ambos III. in hunc annum cos.designatos fuisse, tum quum pace cum Sex. Pompeio facta, consules in octo annos sequentes designarunt, uerum abrogatum fuisse priore anno ei hosti iudicato a populo consulatum, & bellum vna cum Cleopatra indictum, ac pro eo M. Messallam consulem declaratum. Trãquillus: Tertium consulatum anno interiecto gessit, quẽ nouem menses tenuit. & idcirco in consulibus à Petro Appiano relatis, ita scriptum est

IMP. CAES. III. M. VALERIVS
K . MAI . M . TITIVS
K . OCTOB . CN. POMPEIVS

M. Titio Rufi cognomen ex Cornelio Tacito adiunxi. De eo extat antiquae huius inscriptionis fragmentum

. . . .

CIVIVM . ROMANORVM
QVI . MITYLENIS . NEGOTIANTVR
M . TITIO . M . F . PRO . COS . PRAEF
CLASSIS . COS . DESIG . PATRONO
HONORIS . CAVSSA

De bello ciuili ad Actium cum M. Antonio M . F . M . N . & Imperio populi Romani ad unum Caesarem translato

Nouissimum bellum ciuile quod gessit Caesar Diui F. cum M. Antonio gessit, hic enim unus omnino ex ciuibus arma retinebat, quo confecto & Antonio uicto atque occiso, imperium Romanum totum ad Caesarem qui post Augustus appellatus est, translatum fuit. Inimicitiae autem graues inter Antonium & Caesarem paulo ante coeptae, adeo postremo exarserunt, vt hoc anno bellum ei non verbo, ne ij qui cum eo ciues erant alienarentur, sed re, verbo autem Cleopatrae, quod mulier Aegyptia Romanum imperium affectaret, indictum sit. Ingentibus autem mari terraque copijs ab vtrisque comparatis, Caesar classe in Epirum traiecit, vbi quum Antonij & Cleopatrae classem obuiam habuisset ad Actium Epiri promontorium, M. Antonium classe victum Alexandriã fugere coegit. Haec autem naualis pugna quae vni Caesari victo Antonio, orbis imperium comparauit facta fuit IIII. Nonas Septembris, vt tradit Dio. A quo deinceps die annorum eius imperij enumeratio ducitur: ex quo tempore ad obitum eius, anni, menses, & dies totidem numerantur, quot ego in Fastis annotaui. Vnde Suetonius ita scripsit: Caesar primum cum M. Antonio, M. q; Lepido; deinde tantum cum Antonio per XII. fere annos, nouissime per IIII. & XL. solus Remp. tenuit. Octauianum autem secundum Imperatorem populi Romani dixi, quod Caesar dictator procul dubio primus fuerit

Annus DCCXXIIII

Dio Consules edit Caesarem IIII. & M. Licinium M. F. Crassum, qui nondum praetor fuerat. Is ex triumpho Capitolino descriptus est. Huius consulatus Appianus, & Cassiodorus meminerunt, Eutropius & Orosius Caesarem cos. IIII. cum Licinio Crasso, Imp. VI. appellatum fuisse scribunt. Tranquillus Caesarem a tertio consulatu ad undecimum continuasse refert

Hunc

hunc uero consulatum in Asia initum semestrem fuisse. Quem tamen Dio annuum fuisse refert. Tranquilli sententiam sequuti videntur Fasti municipales Petri Appiani, in quibus sic est

IMP. CAESAR. IIII. M. LICINIVS
K. IVL. C. ANTISTIVS
BELLVM. ALEXANDRIAE
EID. SEPT. M. TVLLIVS
K. NOV. L. SAENIVS

De M. Tullio Cicerone Marci oratoris filio, qui in huius anni parte cos. suffectus fuit, Plinius libro XXII. cap. VI. Plutarchus in Cicerone, Appianus, & Dio in huius anni gestis exponendis mentionem faciunt. Adijcit Dio: Quo tempore nunciata est mors M. Antonij in parte anni, cos. erat Ciceronis filius. L. Saenio Rufi ex Tacito, & Antistio Veteris ex Velleio cognomina addidi

Annus DCCXXV

Caesar V. Sex. Appuleius Sex. F. consules memorantur hoc anno a Dione. Sex. Appuleius ex eius triumpho Capitolino formatus est. De hoc consulatu mentionem faciunt Fasti municipales Petri Appiani, & Cassiodorus. Tranquillus Caesarem quinctû consulatum continuasse scribit, eumq; in Samo iniisse in quattuor menses. Quare quum in Petri Appiani fastis municipalibus consules suffecti desint, atque eos extitisse necesse sit, in Kal. Maias L. Autronium P. F. Crassum, qui procos. hoc anno ex Africa triumphauit mense Augusto. Kal. vero Iuliis Potitum Valerium Messallam Coruini fratrem concinnaui, patrem ut puto L. Valerii Potiti filii cos. anno DCCLVIII. Quod Dio eum huius anni parte consulem Sexto suffectum fuisse scribat. Qui etiam hunc annum ab urbe condita uocat DCCXXV. Varronis annorum summam sequutus. C. Furnium & C. Cluuium in nouissimos anni menses consules suffectos ex eiusdem Dionis auctoritate reieci. Hoc anno Caesarem templum Iani pace terra marique parta tertio post vrbem conditam clusisse refert Dio, qui etiam addit hoc ipso anno Caesarem Imperatoris praenomine a senatu donatum fuisse, quo maxima ei auctoritas permissa est, ab eodem quoque senatu patri suo Caesari dictatori concessum.

Ego hic Dionem sequutus sum, quum ante hoc tempus Caesar non eam habuerit ex legibus potestatẽ, quae eo praenomine continetur, & si non ignorem eum diu ante illud usurpasse. De V. Caesaris consulatu extat antiquum eiusmodi epigramma

SENATVS. POPVLVS. QVE. ROMANVS
IMP. CAESARI. DIVI. IVLI. F. COS. QVINCT
COS. DESIGN. SEXT. IMP. SEPT
REPVBLICA. CONSERVATA

De lustro LXXII

Tranquillus in Augusto cap. XXVII. Recepit (inquit) & morum legumque regimen aeque perpetuum, quo iure quamquam sine censurae honore, censum tamen populi ter egit, primum ac tertium cum collega, medium solus. Hunc autem honorem hoc anno ipsum a senatu obtinuisse refert Dio, cuius collega fuit M. Agrippa, quibus censum agentibus, senatus lectus, multique qui per bella ciuilia temere in senatum uenerant, senatu moti, & cetera omnia peracta quae censores agere consueuerunt. Nam censu sequenti anno finito, Augustus se principem senatus legit, & lustrum LXXII. condidit

Annus DCCXXVI

Fasti municipales Petri Appiani, Dio, & Orosius, consules subijciunt C. Caesarem VI. & M. Vipsanium Agrippam II. Eosdem edit & Cassiodorus. Ab hoc consulatu ad XI. omnes Caesaris consulatus annuos fuisse refert Tranquillus

Annus DCCXXVII

Consules subsequuti auctore Dione Caesar VII. Agrippa III. Eosdem sed cum menda in Caesaris numero prodit Cassiodorus. De Agrippa III. cõsule extat eius inscriptio in porticu templi Pantheonis quã ipse fecit M. AGRIPPA. L. F. COS. TERTIVM. FECIT. quod templũ hoc no completum fuisse scribit Dio, quo Caesar VII. cos. Augustus appellatus est, atque Reip. constituendae potestatem in decennium accepit, quae omnia qua ratione facta fuerint, nunc aperiam

Quomodo Imp. Caesar Diui filius imperium singulare confirmauerit, & ordinauerit; & de titulis, quibus legitima Imperatorum potestas expressa est

Quum deinceps omnes Romanos imperatores descripserim, ipsosque illorum honoribus titulis, & dignitatibus ornauerim, res postulare uidetur, ut hoc potissimum anno, quo ex S. C. imperium populi Romani uni C. Caesari Octauiano confirmatum fuit, ut de titulis quibus uiolenta eius, & sequentium principum potentia legitima facta sit, disseram. Quae disputatio sequentibus Fastorum libris maxime necessaria est. Atque hic paulo latius omnia exponam, quum una hac disputatione omnia comprehendere statuerim, quae deinceps de imperatorum titulis dici possent

possent. Quae autem dicenda proposui, ab origine vrbis repetam

Vrbem igitur Romam regum ab initio imperio paruisse cõstat, libertatem.n.& consulatũ L.Brutus instituit. Sub consulibus uero Roma annos circiter CDLX.fuit, nã dictaturae ad tẽpus sumebãtur, neq; decemuiratus ultra biennium, neq; tribunorũ militum consulare ius diu ualuit. Cinnae & Sullae haud diuturna dominatio fuit. Pompeij Crassique potentia cito in Caesarem, Lepidi atque Antonij arma in Augustum cessere. Bruto enim & Cassio caesis, oppresso in Sicilia Sex.Pompeio, Lepido potestate exuto, & M.Antonio occiso, quum nulla amplius essent publica arma, & Iulianarum partium dux solus Caesar Augustus reliquus fuisset, cunctis discordijs ciuilibus fessis, imperium populi Romani, quod ipse sibi uni iam antea uendicauerat, quo die M.Antonium ad Actium superauerat posito triumuiri nomine, consulem tantum se ferens, hac ratione principis sub nomine, hoc anno confirmauit. (Nam post Actiacam uictoriam per annos XLIIII. solus Remp. obtinuit, quam antea per annos XII. cum M. Lepido & M. Antonio triumuiris obtinuerat.) Caesar biennio ante postquam tres nobilissimos triumphos, cum maximo omnium ciuium plausu ac laetitia egit, quum pacasse totum fere orbem terrarum uideretur, ita ut propterea Ianum Geminum tertium clauderet, atque salutis augurium faceret, quae non nisi toto imperio quieto fieri consueuerant, consilium de republica reddenda, & imperio deponendo habuit. Itaque suadente maxime M.Agrippa, Maecenate uero dissuadente, Maecenatis sententiam, tanquam tutiorem sequutus, animum ad imperium quod minus legitimum uidebatur, firmandum, lege adiecit. Primum antem censu acto cum M.Agrippa, lustrum more ueteri condidit, ratus eum ad Remp. ordinandam futurum aptissimum, deinde ne quis senator se insciente extra Italiam esset edixit; atque omnes ciuium ad Antonium scriptas litteras, se cremasse palam professus est, ne quis senator ex ijs qui Antonii partes sequuti fuerant, quasi sibi propterea suspectus, noui aliquid in rep. moliretur. Ipso deinde VI.& M.Agrippa III. cos. collegae Agrippae ex antiquo more pro ut cecidit sors, fasces dedit, senatu se ipse principem lustro condito legit, militem donis, populum muneribus & ludis atque annona delinitum, senatores pecunia, cunctos dulcedine ocij allexit, aerarium publicum priuata pecunia substentauit, nomina eorum qui aerario deberent, publicis incensis tabulis deleuit. Quumque multa bellis, & seditionibus ciuilibus, & maxime Lepido & Antonio dominantibus contra ius, & leges constituta essent, ea omnia uno edicto sustulit, quum terminum earum legum consulatum suum sextum statuisset. Quibus de rebus quum maximam sibi apud omnes ciues gratiam comparasset, aliam quoque uoluit animi magnitudinem demonstrare, ut ea re coleretur magis & volentibus ciuibus stabiliret imperium. Paratis enim ex senatoribus ijs, quorum sibi maxime spectata & nota fides erat, senatu frequentissimo oratione ad tempus accommodata, se imperio abdicare, idque senatui, & populo tradere dixit. Tum senatorum multi quod fidem eius uerbis non haberent, alii quod grauiora damna ex statu populari extimescerent, alij quod eius animi offensionem si aliter facerent metuerent, precibus petentes coegerunt, ut imperium unus ipse retineret: ac ex S. C. satellitibus, & custodibus corporis eius duplicarunt stipendium, ut diligentius eius uita custodiretur, perinde ac si uere abire imperio uoluisset. Hoc autem factum est Anno vrbis conditae DCCXXVII. sexto suo consulatu. Quum autem hoc modo ex S.P.Q.R. voluntate imperium sibi uni stabilisset, ut ipse popularis uideretur, nequaquam totius imperij curam sibi uni depoposcit, prouinciarum enim administrationem una cum senatu & populo communicauit. Nam senatui populoque Romano Africam omnem, Numidiam, Asiam cis Halim & montem Taurum, in qua Lydia, Ionia, Mysia, Caria, & Phrygia prouinciae erant, Bithyniam, Paphlagoniam & Ponti partem, Macedoniam, Graeciam, Achaiam, Thessaliam, Aetoliam, Acarnaniam, Epiri partem, itemque Illyricum, & Dalmatiam, Cretam insulam, & Cyrenaicam, Sardiniam, Corsicam, Siciliam, & postremo Hispaniam Bethicã, quae quod pacatiores essent, imbelles erant, militumque praesidiis non indigebant. Sibi vero retinuit reliquas prouincias quae militaribus copiis instructae essent, ut exercitus in potestate haberet, tanquam eas quoque pacaturus, pacatasque populo redditurus. Fuerunt autem reliqua Hispania, idest Tarraconensis & Lusitania, Galliae quattuor, scilicet Aquitania, Lugdunensis, Narbonensis & Belgica, Pannonia, Noricum, Vindelicia, Roetia, Moesia, Illirici pars, Cilicia, Isauria, Pamphilia, Licaonia, Phrygiae pars, Suria omnis, Cyprus, & Aegyptus, quae ualidissimis legionibus munitae erant. Postea uero Cyprum & Galliam Narbonensem populo dedit, ab eo vero Dalmatiam recepit. His rebus actis ut omnem de se monarchiae suspicionem eximeret, potestatem Reipublicae constituendae, & earum rerum quae sibi concessae fuerant in decennium tantum assumpsit; hoc enim temporis spatio se Remp. constituturum affirmauit, addens se si citius res composuisset, citius etiam imperium redditurum. Decennio transacto, quum adhuc res compositae non essent, tum in quinquennium, ac deinde in alterum quinquennium, post in de-

cennium

cennium, postremo etiam in tertium decennium & petiit, & impetrauit, ita ut successione quinquenniorum, & decenniorum perpetuo imperium administrauerit. Quo factum est, ut & reliqui Imperatores, quamquam non in certum tempus, sed in omnem uitam designarentur, tamē quincto & decimo quoque anno festos agerent dies, quasi tum imperium renouarent, quae quinquennalia, & decennalia appellabantur. Haec fere ad uerbum Dio. Inter multa autem quae sub sequentium Romanorum principum imperijs erunt repetenda, sunt haec ipsa solemnia, quae decennalia appellantur. Quae ego diligenter singulis imperatorum decennijs annotaui. Haec solemnia festa erant quae finito decennio, die primo imperij undecimi, vel primi & vigesimi anni celebrabantur. Ea erant sacrificia, vota solemnia, ludi circenses, & scenici cum munere gladiatorio. Atque ante Commodi imperatoris tempora, ut ex nummis obseruaui, dicebantur decennalia prima, vel secunda uel tertia; quae vndecimo, aut primo & vigesimo, vel XXXI. imperij anno celebrabantur. Post Commodum uero decennalia, quae primo, vicennalia, quae secundo, tricennalia, quae tertio imperij decennio fiebant dici coepta. Quinquennalia uero semper prima, secunda, tertia, quarta & quincta appellata. Primis autem quinquennalibus uel decennalibus imperatorum festis, uota suscipiebantur pro salute Imp. quae decennalia, uel vicennalia appellabantur, ea erant si Iuppiter opt. max. dij deaeque omnes Imperatores in insequens quinquennium, uel decennium sanos & incolumes seruassent; ipsos ij dijs uouere sacrificia, ludos & alia sacra, eo tempore maximo apparatu, & solemnitate celebranda; atque expleto quinquennio uel decennio, quinquennalibus & decennalibus ipsis festis peractis, votisque solutis, iterum ijs dijs eiusceque rei ergo alia uota uouebant, in insequens aliud quinquennium uel decennium persoluenda, quae vota quinquennalia uel decennalia, secunda, uel tertia, ante Commodi Imp. tempora, postea uero uicennalia uel tricennalia appellabantur. Ita ut primo die imperij uouerent uota in quinquennium, & decenniū persoluenda, quae quinquennalia & decennalia uota dicerentur, ubi quinquennii tempus quae quinquennalia festa, uel decennij quae decennalia dicebantur adueniebat, uota quidem quinquennalia & decennalia soluebantur, aliaq; in sequens quinquennium uel decenniū uouebantur ipsis quinquennalibus & decennalibus festis, quae uota quinquennalia uel decennalia secunda, aut vicennalia uocabantur. Hinc est quod in antiquis nūmis, & inscriptionibus legimus VOTIS. V. VOTIS. X. VOTIS. DECENNALIBVS. II. & III. uel VICENNALIBVS. & TRICENNALIBVS. Item SACRIS. X. SACRIS. XX. uel FESTIS. XX. MVLTIS. QVINQVENNALIBVS & similia. Quae solemnia ex ijs ut dixi Augusti quinquenniis & decenniis, quibus continuatis imperium dum uixit obtinuit originem habuerunt. Haec autem quae hactenus de modo quo Augustus imperium sibi uni ex S.C. legitimum comparauerit, ex Dione exposui, elegantissime breuissimeque his verbis exponit Cornelius Tacitus libro primo historiae Augustae: Caesar Iulianis partibus dux reliquus posito triumuiri nomine, consulem se ferens, & ad tuendam plebem tribunicio iure contentum, ubi militem donis, populum annona, cunctos dulcedine ocii pellexit, insurgere paulatim munia senatus, magistratuum, legum, in se trahere nullo aduersante, quum ferocissimi per acies, aut proscriptione cecidissent, ceteri nobilium quanto quis seruitio promptior, opibus, & honoribus extolleretur, ac nouis ex rebus aucti, tuta & praesentia, quam vetera & periculosa mallent, neque prouinciae illum rerum statum abnuebant, suspecto senatus populiq; imperio, ob certamina potentium, & auaritiam magistratuum, inualido legum auxilio, quae ui, ambitu, postremo pecunia turbabantur. &c. Subijcit Dio Caesari quum alii honores multi habiti, tum quum imperio abdicauit. Tum enim ut laurus ante regiae eius fores, & super eas corona ciuica quae querna erat statueretur, tanquam ei qui & hostes uicisset, & ciues seruasset cum hoc elogio, ut ex antiquis nomismatibus intelligitur

S. P. Q. R
IMP. CAESARI. DIVI. F
AVGVSTO
OB. CIVIS. SERVATOS

Additumq; ut regia eius palatium vocaretur, quod in Palatio habitaret, & praetorium haberet. Itaque etiam & si Imperator in alia regione habitaret, tamen regia eius palatium dicebatur. Additum quoque ut AVGVSTVS nominaretur. Nam quum eum uellent singulari aliquo nomine ornare, atque alij alia afferrent, Caesar in primis se Romulum dici cupiebat, ne vero eo forte nomine in regni suspicionem incideret, ex Munatij Planci sententia Augustum se dici passus est, quasi qui maior esset homine, omnia enim quae maximo honore digna & sacra sunt, augusta dicuntur: Haec omnia Dio. Adiicit Censorinus: Ante diem XVI. Kalend. Februarii C. Iulius Caesar Diui filius Imperator Augustus sententia Munatii Planci a senatu ceterisque ciuibus dictus est, ipso VII. & M. Vipsanio Agrippa III. cos. Ouidius uero Fastorum primo, Idibus Ianuarij hoc factum fuisse scribit his versibus

Idibus in magni custos Iouis aede sacerdos
Semimaris flammis uiscera libat ouis
Redditaque est omnis populo prouincia nostro
Et tuus Augusto nomine dictus auus. Et paulo infra
Sacra uocant augusta patres, augusta uocantur
Templa sacerdotum rite dicata manu
Huius & augurium dependet origine verbi
Et quodcunque sua Iuppiter auget ope

Tranquillus autem in Augusto cap. VII: Postea (inquit) C. Caesaris, & deinde Augusti cognomen assumpsit, alterum testamento maioris auunculi, alterum Munatij Planci sententia, quum quibusdam censentibus Romulum appellari oportere, quasi & ipsum conditorem vrbis, praeualuisset ut Augustus potius uocaretur, non tam nouo, sed etiam ampliore cognomine, quod loca quoque religiosa, & in quibus augurato quid consecratur, augusta dicantur, ab auctu, uel ab auium gestu gustuue sicut etiam Ennius docet scribens

Augusto augurio postquam inclyta Roma condita est

Et Eutropius: Caesar quum ex oriente uictor reuersus esset, tum primum Augustus eo quod Remp. auxerat consalutatus est, atque eo tempore summam rerum potestatem, quam Graeci monarchiam vocant adeptus est. Hunc igitur in modum quum & senatus & populi potestas ad Augustum recidisset, ab eo certisime monarchiae initia ducta sunt. Quod ipsum monarchae nomen adeo graue populi Romani auribus fuit, ut principes suos ne dictatores quidem appellare uoluerit. Omnino autem regio imperio praesunt, quum omnis Resp. in eorum potestate posita sit. Fiunt enim omnia ad arbitrium & praescriptum imperatoris. Alterum quoque nomen quamquam antiquum nouo tamen exemplo Augustus assumpsit, idque fuit praenomen imperatoris, patri suo quoque Caesari dictatori olim a senatu concessum, quo antiquitus ij tantum populi Romani duces qui rem bello bene gesserant appellabantur. De quo haec Tacitus libro III. scribit: Sed Tiberius pro confecto bello interpretatus, id quoque Blaeso tribuit, ut imperator a legionibus salutaretur, prisco erga duces honore, qui bene gesta republica, gaudio & impetu uictoris exercitus conclamabantur. Erantque plures simul imperatores, neque supra ceterorum aequalitatem. Concessit & quibusdam Augustus id uocabulum, ac tum Tiberius Blaeso ob res in Africa bene gestas. Et Appianus in procemio historiarum: Eos (inquit) in quorum potestate tota respublica est imperatores appellant non reges, uetusto iure iurando deterriti, imperatores uero vocant, quae fuit appellatio egregiorum in Rep. ducum, quum tamen facta eorum omnia regum fuerint. Caesar uero imperatoris nomen, non ea ratione tantum assumpsit, qua ij qui rem bene gesserunt nominabantur, sed ad summam in Rep. potentiam significandam, pro dictatoris uel regis appellatione usurpauit, posteaquam semel ex republica illud L. Bruti, hoc M. Antonij consulum legibus sublata sunt. Quorum tamen nominum auctoritatem imperatoris appellatione expleuit, quam ut distingueret a prisca qua duces populi Romani appellabantur nuncupatione, imperatoris uocem nomini suo praeposuit, eaque pro praenomine usus est hac ratione IMP. CAESAR. DIVI. F. AVGVSTVS. Quum antiqui exercituum in Rep. Imperatores, eam uocem nominibus suis postponerent, ut M. TVLLIVS. IMP. CN. POMPEIVS. IMP. Quem etiam eius vocabuli vsum idem Augustus retinuit, nam uariis bellicis expeditionibus XXI. imperator more ueterum liberae ciuitatis imperatorum appellatus fuit, qui quoties res prospere & triumpho dignas gessissent, toties imperatores ab exercitibus appellabantur. Sic Caesar Augustus hac ratione appellatus est IMP. CAESAR. DIVI. F. AVGVSTVS. IMPERATOR. XXI. Imperatoris n. uox, quum pro praenomine usurpatur supremam eorum auctoritatem in Rep. significat, quũ post nomen ponitur rerum praeclare bello gestarum numerum. Qua ratione factum est ut Augustus & sequentes Romani principes regiam omnino habuerint potestatem, regii nominis odio exempto. Nam Caesaris & Augusti appellatio nullam eis propriam addit potestatem. Id enim generis successionem, hoc dignitatis splendorem & maiestatem indicat. Vt autem non ex imperio, sed ex legibus eorum potestas esse uideretur, omnia magistratuum nomina, quae in libera ciuitate florebant, praeterquam dictatoris sibi ipsi asciuerunt. Etenim saepius ipsi consules fiunt, uel consularem accipiunt potestatem. Proconsules vero uti extra pomerium exercitus educendi fuissent, dicebantur. Quibus nominibus potestatem sibi assumpsere, delectus habendi, pecunias coegendi, bella suscipiendi, pacem faciendi, vrbano & peregrino exercitui perpetuo & ubique imperandi: Ita ut etiam intra pomerium a senatoribus & equitibus poenas repetere potuerint, ac denique cetera munera, quae consules aliique

liberae ciuitatis magistratus obire poterant, sibi arrogauerint. Censuram quoque ceperint: quidam more veteri ad tempus, ut Claudius, Vespasianus, & Titus, quidam perpetuo ut Domitianus. Cuius iure uitas & mores ciuium inquirebant. Censu etiam acto, lustrum condebant, atque alios in senatorum & equitum ordinem referebant, alios pro arbitrio tanquam censores eximebant. Quumque & pontificatu maximo, & omnibus sacerdotiis initiati essent, atque alijs pleraq; eorum tribuere possent, ipsiq; uni essent ex omnibus pontificum vel sacerdotum collegijs, siue duo, siue tres ij fuerint, eo nomine rerum omnium sacrarum potestatem adepti sunt. Postremo potestas tribunicia ab eis accepta, quam qui quondam in libera ciuitate floruerunt adipiscebantur, eis permisit, res quae ab alijs factae fuerant, nisi eas probassent abrogādi, ipsosque ab omni contumelia prohibebat, & si uerbo nec dum re uiolati esse uisi fuissent, ut ab eo a quo iniuriam accepissent, impune indicta caussa poenas repetere pro arbitrio possent. Neque enim ipsi tribunatum capere dignum censebant, quum in patricios statim allegerentur, vbi primum Augusti appellati fuissent, uerum potestatem tribuniciam quanta unquam fuit sibi assumebant, vel die primo imperij eorum, si ex priuatis ad imperij fastigium euecti essent, vel si designati fuissent imperatores, ab ijs a quibus designati fuerant, vt M. Agrippa, & TI. Caesar ab Augusto, Drusus a Tiberio, Titus a Vespasiano, Traianus a Nerua, Pius ab Hadriano, Marcus a Pio, L. Verus & Commodus a Marco, Caracallus & Geta a Seuero. Qui tribuniciam potestatem ante diem singularis eorum imperij obtinuerunt. Ex qua annos imperij numerabant, quasi eam singulis annis tanquam perpetui tribuni caperent. Quare ego deinceps tantum diem primum tribuniciae singulorum potestatis inuenire enitar, illumque asserere, reliqua vero ex se ipsis cognita erunt. Nam si cum annis imperij perducebantur etiam anni tribuniciae potestatis, fere semper usu ueniebat, ut vnum annum Iulianum duo tribuniciae potestatis anni participarent, & è contra, unus tribuniciae potestatis annus duos Iulianos attingeret. Quos omnes accurate admodum animaduerti, & distingoere curaui, ut in Diui Augusti tribunicia potestate, & sequentium imperatorū manifestum est. De tribunicia vero potestate sic scribit Tacitus libro III: Tiberius fama moderationis parta; quod ingruentes accusatores represserat, mittit litteras ad senatum, queis tribuniciam potestatem Druso petebat, id summi fastigij uocabulum Augustus, ne regis aut dictatoris nomen assumeret, ac tamen apppellatione aliqua cetera imperia praemineret inuenit. M. Deinde Agrippam socium eius potestatis, quo defuncto TI. Neronem delegit, ne successor in incerto foret, sic cohiberi prauas aliorum spes rebatur, simul modestiae Neronis, et suae magnitudini fidebat. Quo tunc exemplo Tiberius Drusum summae rerum admouet, quum incolumi Germanico integrum inter duos iudicium tenuisset. Atque haec quidem omnia ex liberae ciuitatis institutis ab imperatoribus assumpta sunt. Quibus etiā hoc singulare, & ante nemini decretum concessum est, ut ipsi legibus omnibus soluti essent. Qua ratione plusquam regia potestate potiebantur, odioso regis nomine, non admisso, sed spēciosis Reip. nominibus, maxima illa & suprema potestate ornata. Patris autem patriae cognomen quod Augustus quoque assumpsit a Cicerone mutuatum, cui id primum post coniurationem Catilinae detectam & uindicatam inditum fuisse constat, eam illis in ciues potestatem dabat, quam patres in liberos habent. Quod tamen initio non hac de caussa Augusto decretum est, uerum ut admonerentur ut eos quibus praeessent tanquam filios amarent, & ut ipsi a ciuibus patris loco colerentur. De hac appellatione Augusto concessa Tranquillus in eius uita cap. LVIII. ita scribit: Patris patriae cognomen, vniuersi repentino maximoque consensu detulerunt ei. Prima plebs legatione Antium missa, dein quia non recipiebat ineunte Romae spectacula frequens & laureata, mox in curia senatus, neque decreto, neque acclamatione, sed per Valerium Messallam id mandantibus cunctis: quod bonum (inquit) faustumque sit tibi, ac domui tuae Caesar Auguste, (sic enim nos perpetuam felicitatem Reipublicae, & laeta tibi precari existimamus) senatus te consentiens cum populo Romano salutat patriae patrem. Cui lachrymans respondit Augustus his verbis: Compos factus uotorum meorum P. C. quid habeo aliud deos immortales precari, quam ut hunc consensum vestrum ad ultimum finem uitae mihi perferre liceat. Atque in hunc quidem modum Romana Respublica a senatu populoque Romano ad unius Augusti Caesaris arbitrium translata. Quando autem tribuniciam potestatem Augustus ceperit, quando pontifex maximus factus sit, & pater patriae appellatus fuerit, haec enim in titulis eius continentur post suo loco exponam. Post Augustum sequentes imperatores, vetustis titulis, nouas quasdam addiderunt appellationes: omnibus enim post Antoninum Pium Imperatoribus Romanis praeter Marcum & L. Verum, Pij cognomen inditum est; sicuti post commodum Felicis, quod dictatoris Syllae primo cognomen fuit. Qui bello ciuili Mariano victor primus omnium id cognomen inuenit. Perpetui vero, Inuicti, Triumphatoris, Victoris, Maximi, Sempiterni & alia eiusmodi cognomina adula-

adulatione crescente circa Diocletiani tempora inuenta sunt, atque in hanc fere formam eorum facta est nomenclatura IMP. CAESAR. DIVI. CONSTANTI. F. FL. CONSTANTINVS. MAXIMVS. PIVS. FELIX. PERPETVS. VICTOR. ET. TRIVMPHATOR. AVGVSTVS. PONTIFEX. MAXIMVS. TRIBVNICIAE. POTESTATIS. XXXI. COS. VII. PRO. COS. PATER PATRIAE. IMPERATOR XXV. Hac igitur ratione Augustus Caesar imperium singulare populi Romani sibi uni tanquam legitimum confirmauit. Commodissimum autem mihi uisum fuit huic meo instituto S.C. fragmentum addere, quo imperatori Vespasiano imperium legitimum a senatu demandatum est, quod in tabula aenea incisum Romae in Basilica Lateranensi adhuc extat. Eo enim multa quae paulo ante ex Dione attuli confirmari & illustrari poterunt, & praesertim in eis titulis, quibus legitimam imperatoris potestatem contineri dixi. Exemplum autem eius a me accurate exscriptum hoc est

Deest principium

*

Foedusue cum quibus uolet facere liceat, ita uti licuit Diuo Augusto, TI. Iulio Caesari Augusto, TI.que Claudio Caesari Augusto Germanico

Vtique ei senatum habere, relationem facere, remittere senatus consulta per relationem, discessionemque facere liceat, ita uti licuit Diuo Agusto, TI. Iulio Caesari Augusto, TI. Claudio Caesari Augusto Germanico

Vtique cum ex uoluntate auctoritateue, iussu mandatuue eius, praesenteue eo senatus habebitur, omnium rerum jus perinde habeatur, seruetur, ac si e lege senatus edictus esset, habereturque

Vtique quos magistratum, potestatem, imperium, curationemue, cuius rei petentes senatui populoque Romano commendauerit, quibusue suffragationem suam dederit, promiserit, eorum comitiis quibusque extra ordinem ratio habeatur

Vtique ei fines pomerij proferre, promouere; cum ex republica censebit esse liceat, ita uti licuit TI. Claudio Caesari Augusto Germanico

Vtique quaecunque ex vsu reipublicae, maiestate diuinarum, humanarum, publicarum, priuatarumque rerum esse censebit, ei agere, facere, ius potestasque sit, ita uti Diuo Augusto, Tiberioque Iulio Caesari Augusto, Tiberioque Claudio Caesari Augusto Germanico fuit

Vtique quibus legibus plebeiue scitis scriptum fuit, ne Diuus Augustus, Tiberiusue Iulius Caesar Augustus, Tiberiusque Claudius Caesar Augustus Germanicus tenerentur, ijs legibus, plebisque scitis Imp. Caesar Vespasianus solutus sit; quaeque ex quaque lege, rogatione, Diuũ Augustum, Tiberiumue Iulium Caesarem Augustum, Tiberiumue Claudium Caesarem Augustum Germanicum facere oportuit, ea omnia Imp. Caesari Vespasiano facere liceat

Vtique quae ante hanc legem rogatam, acta, gesta, decreta, imperata ab Imperatore Caesare Vespasiano Augusto, iussu mandatuue eius a quoque sunt, ea perinde iusta rataque sint, ac si populi plebisue iussu acta essent

SANCTIO

Si quis huiusce legis ergo aduersus leges, rogationes, plebisue scita, senatusue consulta fecit, fecerit, siue quod eum ex lege, rogatione, plebisue scito S.ue C. facere oportebit; non fecerit; huius legis ergo id ei ne fraudi esto, neue quit ob eam rem populo dare debeto, neue cui de ea re actio, neue iudicatio esto, neue quis de ea re apud se agi sinito

Huius legis S.ue C. Tacitus lib. XX. his uerbis meminit: At Romae senatus cuncta principibus solita Vespasiano decernit

Annus DCCXXVIII

Dio consules edit Augustum VIII. & T. Statilium Taurum II. Eosdem & Cassiodorus, sed cũ menda in nmnero Augusti. T. Statilius Taurus ex eius triumpho Capitolino descriptus est. In fragmento uero tabulae consulum est STATIL.... II. Fuit autem ante anno DCCXVII. in parte anni primum consul, hic nunc est II. De quo ita Suetonius in Nerone: Nero duxit vxorem Statiliam Messalinam Tauri bis cos. & triumphalis abneptem. Qui etiam Augustum VIII. & IX. consulatum Tarracone iniisse scribit

Annus DCCXXIX

Dio, & fragmentum Capitolinũ cos. comparant Augustum. IX. & M. Iunium Silanum. Eosdẽ prodit & Cassiodorus. Silanus eius D. Silani filius est, qui cos. fuit anno DCXCII. Hoc anno Augustus Imp. VIII. appellatus est, & templũ Iani, quod aliquot bellorũ caussa aperuerat quarto clusit: Dio

Annus

Annus DCCXXX

Caesar Augustus X. & C. Norbanus C.F. Flaccus cos. digeruntur a Dione, fragmento Capitolino, & Cassiodoro. Norbanus C. Norbani cos. anno DCCXVI. filius est; ut puto; neq; enim iterati honoris notam habet

Annus DCCXXXI

Imp. Caesar Diui F.C.N. Augustus XI. & Cn. Calpurnius Cn.F. Piso cos. memorantur a Dione, & Cassiodoro, quamquam cum menda in Augusti numero. Ex fragmento Capitolino in quo ita superest A.T..... RO. MVRAENA..... EST. IN. E. L. F. EST..... VS. CN. F CN. N. PISO. apparet Augustũ XI. cum A. Terentio Varrone Muraena cos. designatum fuisse, Muraenam antequam iniret mortuũ esse, & Cn. Pisonem suffectum. Si enim iniisset procul dubio ipse, non Piso collega Augusti traditus fuisset. Hic Muraena ex familia Liciniorum ab A. Terentio adoptatus, A. Terẽtius A.F. Varro Muraena appellatus est. Videndum autem num is sit Varro Muraena qui in Augustum conspirauit, & propterea interfectus fuit, ut Velleius & Trãquillus scribũt. Augustus quoq; qui nouem consulatus a tertio ad XI. continuauerat, & ex his a sexto ad hunc usq; annuos gesserat, hoc anno abdicauit, ut scribit Dio, atque ex tabulis Capitolinis, & Colotianis intelligitur. Et in eius locum factus est L. Sextius P.F. Vibi N. ut est in fragmento Capitolino, & Colotiano, cuius exemplum est hoc

SVF. L. SEXTIVS. P. F
M. CLAVDIVS. M. F — L. AR-
L. MVNATIVS. PAVL. AEMILIVS-
Q. AEMILIVS. LEPID — M. LO-
M. APPVLEIVS. SEX. F — P. SI-
C. SENTIVS. SATVRN — Q. LV-
SVF. M. VINVCIVS. P. F
P. CORNELIVS. P. F — CN. C-
C. FVRNIVS. C. F — C. IV-
CL. L. DOMITIVS. CN. F — P. CO-
SVF L. TA-
M. DRVSVS. L. F — L-
M. LICINIVS. M. F
TI. CLAVDIVS. TI. F
M. VALERIVS. M. F
SVF C. VALGIVS. C. F
C. CANINIVS

De Caesare Augusto dictaturam renuente, & tribuniciam potestatem sumente

In tabula Capitolina Pisoni consuli suppositum est eiusmodi uersus fragmentum ..... LATVS. EST. ABDICAVIT. TRIBun. Quod ego ita interpretatus sum: Imp. Caesar Diui F.C.N. Augustus dictator perpet. appelLATVS. E. ABDICAVIT. TRIBunic. potest. accepta. Dictaturam autem ei hoc anno, uel sequenti Claudio, & Arruntio cos. a populo oblatam, & ab ipso recusatam, scribunt Velleius, & Dio. Tranquillus quoque: Dictaturam (inquit) magna ui offerẽte populo genu nixus deiecta ab humeris toga, nudo pectore deprecatus est. De tribunicia autem potestate Augusti Dio duobus ante hac locis agit, primum in tertio, deinde in quarto Augusti consulatibus exponendis, quam ei a senatu tum concessam fuisse scribit. Quam tamen aut acceptam dimisit, aut omnino non accepit, aut si accepit ea vsus non est usque ad hũc annum. Quod hinc apparet; quia neque ante hoc tempus notata est in tabulis Capitolinis, & quia Dio scribit eam Augusto in consulatu XI. delatam. Tum etiam quod a Tacito scribitur eam XXXVII. annos gessisse; qui numerus optime respondet, si ab hoc anno initium eius sumatur, non a quarto consulatu. Ab hoc anno subijcit Dio, Augustus & sequentes imperatores lege quadam quum alijs rebus, tum tribunicia potestate perpetua vsi sunt, nomen enim ipsum tribunorum neque Augustus, neque alius quisquam Imperator vsurpauit. Ego igitur ex Dionis, Tranquilli, & Velleij verbis, itemque ex tabula Capitolina, rem totam de tribunicia potestate sic interpretatus sum. Augustum hoc anno quum undecimum consulatum trimestrem gessisset, quod ex Tranquillo liquet, circa Kal. Aprilis abdicasse. Postea a populo non longe post ei hoc anno dictaturam oblatam fuisse, ipsumque constantissime odiosum nomen recusasse. Quapropter hoc ipso anno V. Kal. Iulii ei tribuniciam potestatem uel diu ante, uel hoc anno oblatam ipsum accepisse, quo die postea tanquam imperii natalitio TI. Caesarem adoptauit ut Velleius auctor est; atque hac ratione eam potestatem per sex & triginta annos integros, & XXXVII. partem ut scribit Tacitus continuauit: illudque animaduertendum quemque tribuniciae potestatis annum, duorum annorum Iulianorum partem occupasse, quo animaduerso pleraeque cõtradictiones tolluntur, quapropter & ego per singulos annos Iulianos duos tribuniciae potestatis annos constitui, eum uidelicet qui est a Kal. Ianuariis ad diem acceptae potestatis, & eum qui ab eo die ad finem anni Iuliani producebatur. Quod & in omnibus imperatoribus quorum diem certum adeptae tribuniciae potestatis scire potuerim, accurate obseruaui

Annus DCCXXXII

Dio, Cassiodorus, & tabula Colotiana cos. suggerunt M. Claudium M.F. Marcellum Aeserninum

num, & L.Arruntiū L.F.quem L.F.L.N. scribunt tabulae Capitolinae. M.Claudius M.F.M.N. Marcellus dicitur in monumento ludorum saecularium quinct. Hoc anno V.Kal.Iulij,quod & tabulas Capitolinas fecisse animaduerti, secundum tribuniciae potestatis Augusti annum concinnaui, nam sub L.Arruntio est. . . . NIC. POTEST. . . . idest tribuniciae potestatis II. Ego autem tribunicijs potestatibus imperatorum omnium, consulatus quoque, censuras, proconsulatus, imperatoris appellationes adiunxi,quod ita in omnibus antiquis tabulis, & nummis aereis, argenteis, & aureis factum fuisse animaduerterim. Ex qua re & maxima antiquis hisce monumentis cognitio accedet, (quibus enim annis singula facta fuerint facillime cognosci poterūt)& meae annorum summae ratio quammaxime stabilitur. Sequentium quoque imperatorum tempora, & consulatus, quae mire antea vacilabant illustrantur,explicantur & asseruntur. Deinceps autem in continnandis his imperatorum titulis, quae hoc tribuniciae potestatis elogio continentur,in nulla re praeterea laborabo, quam in die primo tribuniciae potestatis demonstrando, ex quo cetera omnia postea pendent,nam omnes Imp.pontifices maximos deinceps fuisse manifestum est. Eorum consulatus ex ipsa Fastorum consularium serie intelliguntur. Varias autem appellationes quibus pluries imperatores more veteri appellabantur, ex lapidum, & nummorum testimonijs demonstrabo, perinde ac est hoc anno in ipso Augusto, quem Imperatorem VIII. fuisse superius ex Dione uidimus. Nam ex antiquo lapide consulatu suo V. ipsum Imp.VII.fuisse liquet. Post consulatu IX. Imp.VIII.appellatus fuit, quod usque ad annum V. tribuniciae potestatis retinuit, vt ex antiquo argēteo nummo constat. Ceterum quando Imp. IX. X. XI. uel XII.& sic deinceps tam ipse, quam ceteri appellati fuerint; ex antiquis monumentis,singillatim suis locis prout occasio dabitur,ostendam

De censoribus

Eodem anno Augustus censuram quam sibi populus Rom.in perpetuum concedere uolebat, repudiauit, ac statim alios censores Paullum Aimilium Lepidum,& L.Munatium Plancum creauit, utrunque consularem.Plancus quidem ex eius elogio formatus est. In tabulae uero Capitolinae fragmento est . . . . MILIVS. M.F.L.N. LEPIDVS alter censor. Quare Dio errauit. qui hunc III. viri fratrem scripsit;ipse enim M.F.Q.N. est. Hic autem cos. fuit suffectus anno DCCXX. ut ex tabula P.Appiani uisum est.Hunc autem in tab. Capitolinis descriptū censorem fuisse ex eo constat, quod censorum more, non consulum paulo interius extra ceterorum cos.ordinem descriptus est. Deinde is Aimilius qui sequenti anno cos.fuit, non L.F.M.N. sed M.F.est. Hi ultimi priuati censuram obtinuerunt. Quod etiam prodigio confirmatum est, tribunal enim eorum ascendentibus ipsis repente collapsum ac dissipatum fuit. Itaque post nulli alii censores ijs similes facti sunt. Hi autem lustrum non fecerunt, Augusto multa munera quae ad eos pertinebant obeunte. Velleius: Planci (inquit) & Lepidi censura inter discordiam acta, neque ipsis honori, neque Reip.vsui fuit. Horum praeterea Tranquillus in Claudio,& in Nerone, Plinius libro XIII.cap.III.Valerius libro VI. cap. VIII.& lapis Colotianus meminerunt

Annus DCCXXXIII

Lapis Colotianus, & Cassiodorus cos. suggerunt Q.Aimilium Lepidum, & M. Lollium. Dio scribit: Quum Augustus in Sicilia esset populus Romanus in comitiis consularibus seditionem excitauit. Nam M.Lollius solus iniuit, quod locus alter Augusto seruabatur,quo recusante Q.Lepidus creatus est. De his cos. Horatius primo epistolarum ita scribit

Me quater undenos sciat impleuisse decembres
Collegam Lepidum quo dixit Lollius anno

Horum consulum in ponte Fabricio Romae tale extat epigramma

Annus DCCXXXIIII

L. FABRICIVS. L. F. CVR. VIAR
FACIVNDVM. COERAVIT
Q. LEPIDVS. M. F. M. LOLLIVS. M. F. COS. EX. S. C
PROBAVERVNT

Lapis Colotianus, Dio, & Cassiodorus consules in hunc annum profitentur M.Appuleium Sex.F.& P.Silium P.F.Nerua. Ego Appuleium Sex. Appulei fratrē existimo qui cos.fuit cum Augusto V. De pace cum Parthis hoc anno facta, signisque receptis, quae Parthi Crasso & Antonio ademerant, foedereque cum Indis anno sequenti percusso mētionem facit in chronico Eusebius, & Cassiodorus

Annus DCCXXXV

Lapis Colotianus, Dio,Eusebius in chronico,Cassiodorus cos.edunt C.Sentium C.F. Saturninum, & Q. Lucretium Q.F.Vispillonem.C.Sentius ex tabula Capitolina ludorum saeculariū formatus est. De huius anni cos.ita scribit Dio: cos.erat C. Sentius, quia vero collega ei dandus erat, atque Augustus consulatus locum alterum qui ei seruabatur repudiabat, coorta seditio est

est, donec Augustus alterum ex legatis Q. Lucretium, quem senatus ad se seditionis sedandae caussa miserat, quamquam olim proscriptum cos.declarauit. Idem scribit Velleius libro II.Sentio autem Saturnino cos.suffectum in fragmento Colotiano legitur M.Vinucium P.F.collegam Vinutio addit Velleius Agrippã(qui in tabulis Colotianis praeteritus est)quum ait:Subinde bellum Pannonicum, quod inchoatum Agrippa M.q; Vinicio auo tuo cos. magnum, atroxque, & perquam uicinum imminebat Italiae, per Neronem gestum est. Hoc anno finito primo decẽnio, quo Augustus primo Censoriam potestatem cum Agrippa susceperat, iterum praefectus moribus a populo in quinquennium creatus est, ac censoriam potestatem in idem tempus accepit, consularem in perpetuum, itaut semper, & ubique ei XII. fasces præferrentur,ac inter consules asideret. Extat antiquus hic argenteus Augusti nummus IMP. CAES. AVG. IMP.IX TR.POT.V.S.P.Q.R. SIGNIS.RECEPTIS

Annus DCCXXXVI

P. Cornelius P. F. Lentulus Marcellinus,& Co. Cornelius L.F. Lentulus cos. suggeruntur a tab. Colotiaoa, Dione,& Casiodoro. Marcellinus eius nepos est (ut puto) qui cos. fuit anno DCXCVIII. Hoc anno M. Agrippa tribuniciam potestatem a S.P.Q.R.ex auctoritate Imp.Caesaris Augusti in quinquennium adeptus est, quo anno finito primo decennio,iterum Reipublicae constituendæ potestatem utrisque in quinquennium decreta; Auctor Dio

Annus DCCXXXVII

C. Furnius C.F.C.Iunius C.F. Silanus consules subsequuntur in tab.Colotiana,& apud Dionem,Censorinum,& Casiodorum. Quibus consulibus ludos quinctos sæculares factos fuisse referunt Dio,& Censorinus.De quibus latissime disputaui in libro quem de iis ludis conscripsi. Extat antiquus aureus nummus cum hac inscriptione S. P. Q R. CAESARI. AVG. COS.XI. TRIB.POT.VI.CIVIB.ET.SIGNIS.MILIT.A.PARTH. RECVPERAT

Annus DCCXXXVIII

L.Domitium Cn.F.L.N.Ahenobarbum,P.Corneliũ P.F.P.N. Scipionem cos.suggerit Dio. Eosdem Cassiodorus & tab.Colotiana edunt, in qua P. Cornelio suffectus est L. TA..Idest L. Tarius, de quo Plinius libro XVIII.cap.VI.L.Tarius Rufus infima natalium humilitate,consulatum militari industria meritus sub Diuo Augusto

Annus DCCXXXIX

M. Linius L.F.Drusus libro, L. Calpurnius L.F.Piso cos.memorantur a Dione,tab.Colotiana,& Casiodoro.L.Piso Caesoninus est L. Pisonis Censorii C. Caesaris Dictatoris soceri filius,de quo plura Tacitus

Annus DCCXL

Dio cos.edit M. Licinium M.F.Crassum,& Cn.Cornelium Cn.F.Lentulum.Eosdem fragmẽtum Colotii,& Casiodorus referunt.Ceterum hic M. Crassus eius filius est qui cos. cum Augusto IIII. fuit.Cn. uero Lentulus is est,qui ut tradit Dio Getulis uictis Getulicus postea appellatus fuit,atque in antiquo lapide Lentulus Augur dicitur. Hoc anno finito quinquennio praefecturae morum,Augustus in alium quinquennium eandem potestatem accepit,auctore Dione

Annus DCCXLI

Ti. Claudius Ti. F. Nero P. Quinctilius Sex F. Varus cos. comparantur hoc anno a Dione,fragmẽto Colotiano, & Casiodoro. Ti. Claudius Nero Caesaris Augusti priuignus est, Liuiae filius, qui postea ab Augusto adoptatus Ti.Caesar,imperium adeptus, Augustus appellatus fuit. Huius ut puto Ti. Neroois extat antiquus argenteus nummus sic inscriptus TI. CLAVD.TI.F. AP.N. Extant quoque duæ uetustissimæ bases in capite circi Agonalis Romæ effossæ,cum his inscriptionibus

TI. CLAVDIVS. TI. F. NERO
PONTIFEX. COS. ITERVM
IMP. ITERVM
LVDOS.VOTIVOS. PRO. REDITV
IMP. CAESARIS. DIVI. F. AVGVSTI
PONTIFICIS. MAXIMI
IOVI. OPTIMO. MAXIMO. FECIT
EX. S. C

P.Quinctilius SEX. F. VARVS
Pontifex COS
Ludos uotiuos prO. REDITV
Imp.Caesaris.DiuI.F.AVGVSTI
Ioui optimo maXIMO. FECIT
Cum Ti.ClaudioNerONE COLLEGA
EX. S. C

Hoc anno mortuo Lepido pontifice maximo, Augustus in eius locum pontifex maximus factus est, pridie Nonas Martij ut libro III. Fastorum docet Ouidius, auctores Dio, & Tranquillus. Agrippa quoque quum primum quinquenoium tribuniciæ potestatis exiisset, eam iterum in aliud quinquennium ab Augusto obtinuit. Eodem anno Augustus Reip. constituendae potestatem in alterum quinquennium accepit, quum iam decennium,& quinquennium transacta esseot, ut auctor est Dio.Extat antiquum epigramma io quo tribuniciae potestatis Augusti X. haec mentio est

IMP

IMP. CAES. DIVI. F. AVGVSTVS. PONT. MAX
COS. XI. TRIBVNIC. POTEST. X. IMP. VIIII
ORBE. MARI. ET. TERRA. PACATIS. TEMPLO
IANI. CLVSO. ET. REP. P. R. OPTIMIS. LEGIBVS
ET. SANCTISSIMIS. INSTITVTIS. REFORMATA
VIAM. SVPERIOR. COS. TEMPORE. INCHOATAM
ET. MVLTIS. LOCIS. INTERMISSAM. PRO
DIGNITATE. IMPERI. P. R. LATIOREM
LONGIOREMQVE. GADEIS. VSQ. PROMOVIT

Annus DCCXLII

Dio consules profitetur M. Valerium M. F. Messallam Barbatum, & P. Sulpicium P. F. Quirinum. Alterum eorum fragmentum Colotianum, ambo uero Cassiodorus edit. Messallae consuli, quem Coruini filium existimaui, consules suffectos fuisse ex fragmento Colotiano liquet C. Valgium C. F. & huic C. Caninium. Quum autem ex Gellio Valgij Rufus, ex tabulis vero Capitolinis Caninij Rebilus cognomina fuisse animaduerterim, eos esse suspicatus sum, quos fragmentum Capitolinum, quod quo loco reponeretur non liquebat, ita vocat

-MILIAN. IN..... IS..
-L. F. E
-RVF. ABDIC. IN. E. L. F. E
-C. N. REBIL. IN. MAG. M. E

Atque ego M. Valerium Messallam Barbatum Aimilianum appellaui, eumque in magistratu mortuum fuisse scripsi, cui C. Valgium Rufum, & huic C. Caninium Rebilum subrogaui. De P. Sulpicio P. F. Quirino, quem filium existimaui P. Sulpicij P. F. Quirini censorij & consularis, meminit libro III. Tacitus sic: Nihil ad veterem & patriciā Sulpiciorū familiam Quirinus pertinuit, ortus apud municipiū Lanuuium. Hic est Sulpicius Quirinus qui cōsularis dicitur à Iosepho lib. XVII. Antiquitatum, cap. I. Suriae legatus, quo tempore D. N. IESVS CHRISTVS natus est. De quo S. Euangelista Lucas mentionem facit, quum ait: Haec descriptio prima facta est a praeside Suriae Quirino. Hoc anno M. Agrippam diem obiisse tradit Dio. In quo quum Drusus ut idem refert, auspicijs Augusti Sicambros, & socios eorum rebellantes subegisset, Gallos Rhenum transeuntes cecidisset, Vsipetarū agrum uastasset, & Frisios amicitiam populi Rom. petere coegisset, Augustus Caesar Imp. X. appellatus est. Quod ex sequentibus appellationibus manifestū erit

Annus DCCXLIII

Dio consules edit Paullum Fabium Q. F. Maximum, Q. Aelium Q. F. Tuberonem. Ego Paullum Fabium Q. filium esse existimo, eius qui sub Caesare dictatore cos. fuit. Horum praeterea consulum meminerunt Plinius libro VIII. cap. XVII. Obsequens, saepe Frontinus libro II. de Aquaeductibus, & Cassiodorus. Hoc anno bellum ab Augusto cum Germanis susceptum duce Druso Caesaris priuigno gestum est, ut tradit Dio, in quo Imp. Caesar Aug. Imp. XI. & XII. appellatus est

Annus DCCXLIIII

Iulus Antonius M. F. & Q. Fabius Q. F. Africanus cos. referuntur a Dione. Cassiodorus Iulum Antonium, & Africanum Fabium edit. Liber Cuspiniani, & Fasti Graeci Africanum & Maximum. Tranquillus in Claudio: Natus est (inquit) Claudius Iulo Antonio & Fabio Africano cos. Kal. Augusti Lugduni. Iulus autem non Iulius legendum est, ut ex cognomine antiquo Iuliorum, praenomen nunc factum sit Iuli Antonii Marci III. viri filij, ut prodit in libro de Grammaticis Suetonius. Et Dio Iulum Antonij filium nominat. Ad hunc scribit Horatius ita

Pindarum quisquis studet aemulari
Iule, ceratis ope Dedalaea
Nititur pennis. & post
Tendit Antoni quoties in altos nubium tractus

Ceterum Africanus Paulli Fabii superioris anni consulis frater (ut puto) fuit

Annus DCCXLV

Neronem Claudium TI. F. Drusum, & T. Quinctium T. F. Crispinum cos. deinde profitentur Dio, & Cassiodorus. Drusus TI. Neronis frater est, Liuiae filius, Augusti priuignus. Drusum consulem in Germania mortuum, atque ipsum cum filiis Germanicum appellatum fuisse scribit Dio, quod cognomen ei primum senatum a prouincia imposuisse ait Eutropius. Drusi extant hi nummi NERONI. CLAVDIO. DRVSO. GERMANICO. COS. DES & alius. NERO. CLAVDIVS. DRVSVS. GERMANICVS. IMP. Drusi consulis in magistratu mortui Liuius, Velleius, & Tranquillus in Tiberio, & Claudio; T. Quinctii Crispini collegae Frontinus II. de aquaeduct. meminerunt. Hoc anno Augustum quarto in decem annos praefectum moribus fuisse, eamque potestatem per interualla temporum, ut etiam

imperium

imperium accepisse, refert Dio. Eodem anno rebus in Germania a Druso prospere gestis Augustum Imp. XIII. appellatum fuisse ex his duabus antiquis inscriptionibus, quae Romae adhuc extant apparet

In obelisco campi Martij

I M P E R A T O R
CAESAR. DIVI. F. AVGVSTVS
PONTIFEX. MAXIMVS. IMP
XII. C O S. XI. T R I B. P O T
XIV. AEGYPTO. IN. POTESTATEM
P O P V L I
ROMANI. REDACTA
SOLI. DONVM. DEDIT

In Aedibus Farnesiorum

IMP. CAES. DIVI. F. AVGVSTVS
PONTIFEX. MAXIMVS
IMP. XIII. COS. XI. TRIB. POTEST. XV
EX. STIPE. QVAM. POPVLVS. ROMANVS
ANNO. NOVO. APSENTI. CONTVLIT
NERONE. CLAVDIO. DRVSO
T. QVINCTIO. CRISPINO COS
VOLCANO

Annus DCCXLVI

Plinius libro XXXIII. cap. X. Dio, & Cassiodorus C. Marcium Censorinum, & C. Asiniũ C. F. Gallum cos. subiiciunt. Et Censorinus: Mensis (inquit) qui Sextilis fuerat C. Marcio Censorino C. Asinio Gallo cos. in Augusti honorem dictus est Augustus. Idem scribit etiã Dio, quod Caesar hoc mense primum consulatum ceperit, & multa magnaque praelia prospere fecit. Macrobius quia hoc mense tres triumphos Augustus egit, hunc hoc nomine affecisse putat. Hic C. Asinius Asinij Pollionis filius est, vt scribit Tacitus lib. I. Extant adhuc aliquot antiquae inscriptiones quae horum consulum meminerunt

C. MARCIVS. L. F. L. N
CENSORINVS
C. ASINIVS. C. F. GALLVS
C O S
E X. S. C. TERMIN

C. MARCIO. L. F
CENSORINO. COS
AVGVRI
PATRONO
D D

C. MARCIVS. L. F. L. N
CENSORINVS. ET. C. ASI
NIVS. C. F. GALLVS. COS
E X. S. C
FIN. POMER. TERMIN

Hoc anno Imp. Caesar Augustus Reip. constituendae potestatem quincto in decenninm ex S. C. accepit, ut prodit Dio. Quo anno re bene gesta a Ti. Nerone in Germania (ut idem scribit) Caesar Augustus XIIII. & Ti. Nero II. Imperatores appellati sunt

Annus DCCXLVII

Dio consules in hunc annum comparat Ti. Claudium Ti. F. Neronem II. & Cn. Calpurniũ Cn. F. Pisonem II. Eosdem edunt Cassiodorus, & libro primo Dionysius, qui hunc annum Vrbis conditae uocat DCCXLV Cn. Piso ante cos. cum Augusto XI. fuit, de quo plura Tacitus. Hoc anno Germanis, Pannonijs, Roeteis, Vindelicis, gentibus Alpinis, Breucis, ac Dalmatis a Ti. Nerone subactis, propter has victorias hoc elogium Augusto dicatum est, de quo Plinius libro III. cap. II

IMP. CAESARI. DIVI. F. AVGVSTO. PONT. MAX. IMP. XIIII
T R I B V N I C. P O T E S T A T. XVII. S. P. Q. R
QVOD. EIVS. DVCTV. AVSPICIS. QVE. GENTES. ALPINAE
OMNES. QVAE. A. MARI. SVPERO. AD. INFERVM. PER
TINEBANT. SVB. IMPERIVM. P. R. SVNT. REDACTAE

Annus DCCXLVIII

D. Laelium D. F. Balbum, C. Antistium C. F. Veterem cos. comparat Dio. Eosdem edit & Cassiodorus. D. Laelius D. F. D. N. Balbus scriptus est in Capitolino fragmento ludorum saecularium, quod in fine Fastorum concinnaui. Horum quoque consulum mẽtio est in hoc antiquo lapide, quod Romae inuentum est

D. LAELIO. BALBO
C. ANTISTIO. VETERE COS
CILIX. L. NORBANI
D. D. D. S

Caesar Augustus propter Caium & Lucium Caesares, quos M. Agrippa & eius filia Iulia genitos ipse adoptauerat, non solum quod petulanter uiuerent, sed etiam quod adeo temerarij erant, ut quum ambo adhuc praetextati essent, Lucius Caium consulem renuntiari curauerit, gra

ui

ui dolore affectus, precatus est ne unquam inciderent eiusmodi tempora, in quae ipse olim inciderat, ut minor XX. annis consul fieret. Quare ut eos modestiores redderet, Tiberio tribuniciam potestatem in quinquennium dedit, eique Armeniam prouinciam pacandam concessit: ita Dio. Velleius libro II. Breui interiecto spatio Ti. Nero duobus consulatibus, totidemque triumphis actis, tribuniciæ potestatis consortione aequatus Augusto. Et Tranquillus in eius vita cap. IX. Interposito tempore cos. II. creatus etiam tribuniciā potestatem in quinquenniū accepit. Tiberiū autē hoc anno Imp. II. appellatū fuisse liquet ex inscriptione secundi consulatus eius, quā superius attuli. Ceterum hoc anno C. Iulium Augusti filium Caesarem cos. designatū collocaui, non ob uerba Dionis tantum, sed ob sequentes inscriptiones, quae Romae extant

C. CAESARI. AVGVSTI. F
PONTIFICI. COS
DESIGNATO
PRINCIPI. IVVENTVTIS
Item
OSSA. C. CAESARIS
AVG. F
PRINCIPIS. IVVENTVTIS

..... PRINC ... IVVENTVTIS A.....
QVEM. COS. POPVLVS. CREAVIT
ANNOS. NATVM. XIIII
... SENATVS. ET. POPVLVS. ROMANVS
HONOREM. DOMVS. AVGVSTAE. KALAT

Et in antiquo nummo C. CAESAR. AVGVSTI. F. COS. DESIGNATVS. PRINCEPS IVVENT. Consules autem suffectos ex his inscriptionibus quarum altera Opitergij est, altera Romae adiunxi:

KAL. SEXTIL. L. MANILIO. Q. TORQVATO. COS
SEMPRONIVS. TVDITANVS. TESTAMENTVM
IVRE, MIL. QVOD. IPSE. FACIO......
Item
L. MANILIO. Q. TORQVATO. COS
IMP. CAESAR. DIVI. F. AVGVSTVS
PONT. MAX. TRIB. POT. XVII
IMP. XIIII

Q. autem Torquatū, pro Q. Nonio Asprenate interpretatus sum, de quo in Augusto Tranquillus cap. XLIII. Q. Nonium Asprenatem lapsu debilitatum aureo torque donauit, passusque est ipsum posterosque Torquati ferre cognomen. Ab hoc, Asprenates Torquati multa magnaque in Repub. munera sunt adepti

Annus DCCXLIX

Cassiodorus consules suggerit Augustum & L. Sullam. Dio Augustum XII. tantum, collegā uero praeterit. Plinius libro VII. cap. XIII. Augustum XII. & L. Sullam. Tranquillus: Augustus XII. consulatum post XI. septemdecim annorum interuallo cepit. Item: Augustus a sexto ad XI. consulatus tantum annuos gessit. Qui autem in Augusti locum factus sit, adhuc non inueni. De L. Sulla eius forte P. Sullæ nepote, qui cos. designatus ambitus damnatus est, hoc repertum est epigramma

L. CORNELIO. P. F
SVLLAE. COS. PR
VII. VIRO. EPVLON
CLIENTES

Annus DCCL

C. Caluisius & L. Passienus consules a Cassiodoro, Sabinus & Rufinus a Fastis Graecis, Sabinus & Rufus a libro Cuspiniani memorantur. Plinius libro XVI. cap. XLIIII. Passieni Crispi bis consulis, & oratoris meminit, Agrippinæ matrimonio & Nerone priuigno clarioris qui huius filius potuit esse. C. Caluisius Sabinus eius filius est, qui cos. fuit anno DCCXV. Hi cos. a Dione uel eius uitio, uel librarii culpa præteriti sunt. In formis aquaeductus aquae Marciae supra portam Gabiusam uel S. Laurentii eiusmodi extat inscriptio

IMP. CAESAR. DIVI. IVLI. F. AVGVSTVS
PONTIFEX. MAXIMVS. COS. XII
TRIBVNICIAE. POTESTAT. XIX. IMP. XIIII
RIVOS. AQVARVM. OMNIVM. REFECIT

in aedibus Farnesiorum

LARIBVS. PVBLICIS. SACRV..
IMP. CAESAR. AVGVSTVS
PONTIFEX. MAXIMVS
TRIBVNIC. POTESTAT. XVIII
EX. STIPE. QVAM. POPVLVS. EI
CONTVLIT. K. IANVAR. APSENTI
C. CALVISIO. SABINO. L. PASSIENO. RVFO. COS

Annus

Annus DCCLI

Dio consules edit Cn. Cornelium L.F. Lentulum, M. Valerium M.F. Messallam, aut Messallinum. Eosdem edit & Casiodorus. Tranquillus in Galba cap. IIII. Ser. Galba natus est M. Valerio Messallino, Cn. Lentulo cos. IX. cal. Ianuarij. Plinius libro X. cap. XXII. Messallini Cottae Messallae oratoris filij meminit, quem post libro XXXII. cap. VI. consularem vocat. Eius pater cos. fuit cum Augusto Caesare III. Hoc anno cos. designatum fuisse L. Iulium Augusti filium, & non iniisse sequentes docent inscriptiones, quae adhuc extant

L.CAESARI.AVGVSTI.F
AVGVRI.COS
DESIGNATO
PRINCIPI.IVVENTVTIS

L.CAESARI.AVGVSTI.F.DIVI.IVLI.N
PRINCIPI.IVVENTVTIS.AVGVRI
COS.DESIGNATO
MVNICIPIVM.ALBENSE.VARCAONENSE

Et in antiquo nummo argenteo

C.L.CAESARES.AVG.F.COS.DESIGN.PRINC.IVVENT

Annus DCCLII

Dio Augustum XIII. & M. Plautium M.F. Siluanum cos. hoc anno edit. Eosdem & Casiodorus memorat. Tranquillus scribit, Augustum biennio post XII. consulatum tertiumdecimum cepisse. Tacitus libro primo addit numerum consulatuum Augusti Valerium Coruum & C. Marium aequasse, quorum ille sexies, hic septies cos. fuerunt, ex quo intelligitur Augustum XIII. iatum consulem fuisse. Extat antiquum epigramma Tibure, quod ad hũc Plautium pertinere puto

M.PLAVTIVS.M.F.A.N
SILVANVS
COS.VII.VIR.EPVLON
HVIC.SENATVS.TRIVMPHALIA
ORNAMENTA.DECREVIT
OB.RES.IN.ILLVRICO
BENE.GESTAS
LARTIA.CN.F.VXOR
A.PLAVTIVS.M.F
VERGVLANIVS
VIXIT.AN.IX

Extat & alia antiqua basis cum hac inscriptione

AVGVSTO.XIII
M.PLAVTIO.SILVANO Cos

Quia uero Velleius ait Augusto & Caninio Gallo cos. Iuliam filiam ab Augusto relegatam anno ante M. Vinucium cos. XXX, qui cos fuit anno vrbis DCCXXCIII. intelligendum est, in Plautij locum C. Caninium Gallum esse suffectum. In Augusti locum qui factus fuerit adhuc non inueni. Hoc anno quinquennium tribuniciae potestatis Neronis finitum est, quare priuatus annos aliquot Rhodi primo, postea Romae mansit, ut accuratius paulo post demonstrabo. Eodem anno VIII. Kalendas Ianuarij, D.N. IESVS. CHRISTVS in Bethleem Iudae pro humana salute ex sanctiss. virgine Maria natus est, ut inferius latius disputabo, quum de anno & die eius sacrosancti cruciatus uerba faciam, ita ut annus sequens primus fuerit Christiani natalis, a quo ad praesens tempus annus agitur ∞DLVIII

Annus DCCLIII

Dio Consules in hunc annum comparat Cossum Cornelium Cn.F. Lentulum, & L. Calpurnium Cn.F. Pisonem. Eosdem edit & Casiodorus. Cossum Cornelium ab Isauris uictis Isauricum appellatum fuisse scribit Dio. Extat antiqua euiusmodi inscriptio in Veronensi agro in villa Calderiana

FVNDAMENTA . MVROSQVE
AB.SOLO.FACIVNDOS.COERAVER
IDEM.QVE . PROBAVER
COSSO.CORNELIO.LENTVLO
L . PISONE . AVGVRE Cos

Hunc Pisonem Cnaei iterum cõsulis filium puto. Hoc anno D.N. Iesus Christus circumcisus, a Magis adoratus, & in templo oblatus est

& in antiquo nummo

LENTVLVS . COSSVS . CN.F

Annus DCCLIIII

Dio consules edit C. Caesarem Augusti filium, & L. Aimilium L.F. Paullum, liber Cuspiniani, & Fasti Graeci Caesarem & Paullum, & recte, ergo male Casiodorus, qui Augustum XIII. & L. Paullum scribit. L. Paullus L. Paulli filius est, qui cos. fuit paulo ante Caesaris Dictaturam. De Caio & Lucio Caesaribus Tacitus libro primo: Augustus genitos Agrippa Caium & Lucium in familiam Caesarum induxit, nec dum posita puerili praetexta, principes iuuentutis appellari, destinare consules specie recusantis ardentissime cupiuit. Et Tranquillus: Augustus (inquit) nepotes Caium & Lucium Agrippa genitos adoptauit, tenerosque adhuc ad curam reip. admouit, & consules designatos circum prouincias exercitusque dimisit. Est etiam C. Caesaris Augusti filij Cos. antiqua inscriptio huiusmodi

Hoc

Annus DCCLX

A. Licinium Neruam Silianum. Q. Caecilium Metellum Creticum Silanum cos. edunt Dio & Caſsiodorus. A. Licinius Nerua P. Silij filius fuit, ut tradit Velleius ab A. Licinio adoptatus, ergo recte A. F. Q. Creticum Silanum, ex familia Iunia adoptatum fuiſſe a quodam Q. Metello, qui Metelli Cretici filius fuerit, ex ipſa adoptionis forma intelligitur. Conſules quoque ſuffectos ex hoc antiquo epigrammate concinnaui

P. CORNELIO. LEN
SCIPIONI. COS. PR
AERARI. LEGATO
TI. CAESARIS. AVG. LEG
VIIII. HISPAN. PONTIFICI
FETIALI. D. D

IMP. CAESAR. DIVI. F. AVGVSTVS
PONT. MAX. TRIB. POT. XXX
IMP. XV. COS. XIII. PATER. PATR
P. LENTVLVS. CN. F. SCIPIO COS
T. QVINCTIVS. CRISPINVS. VALERIANVS
EX. S. C. FACIVNDVM. COERAVER
EIDEMQVE. PROBAVER

Hos autem & ſuperioris anni conſules ſuffectos ideo cal. Iulij notaui, quod ex ſequentibus conſulibus, conſulatum per haec tempora ſemeſtrem eſſe animaduerterim. Quod etiam explicaui ſuperius cum de conſulatu uerba facerem

Annus DCCLXI

Omnes hi conſules cum tribunicijs poteſtatibus Auguſti & Tiberij ex tabulis Capitolinis formati ſunt. De eis Praeterea Dio & Caſsiodorus: de ſuffectis vero Paullus XLVIII. XVIII. VIII. Plinius libro XXXIIII. cap. VIII. meminerunt

Annus DCCLXII

Et hos conſules tam ſuffectos, quam ordinarios cum tribuniciis poteſtatibus Auguſti & Tiberii edit Verrius Flaccus. Eoſdem etiam Plinius libro VII. cap. XLVIII. Dio, & Caſsiodorus memorant. Tranquillus uero in Veſpaſiano ita ſcribit cap. II. Veſpaſianus natus eſt XV. Kalend. Decembris Q. Sulpicio Camerino C. Poppaeo Sabino cos. quinquennio antequã Aug. excederet Hoc anno ob uictoriam Illyricam & Dalmaticam Auguſtum & Tiberium imperatores appellatos fuiſſe ſcribit Dio. Fuit autem Tiberius V. Auguſtus uero XVI. quod ex antiqua hac inſcriptione, quae eſt Fani in Piceno in antiquo arcu intelligitur

IMP. CAESAR. DIVI. F. AVGVST. PONTIFEX. MAXIMVS. COS. XIII. TRIBVNICIAE POTESTATIS. XXXII. IMP. XVI. PATER. PATRIAE. MVRVM. DEDIT

Tiberij vero eiuſmodi extat aereus nũmus TI. CAESAR. AVGVSTI. F. IMP. V. PONTIFEX TRIB. POTEST. XII

Annus DCCLXIII

Tabulae Capitolinae annum hunc integrum edunt. Conſules ordinarios tantum Dio & Caſſiodorus. Extant antiqui lapides cum eiuſmodi inſcriptionibus

P. CORNELIVS. P. F. DOLABELLA COS
C. IVNIVS. C. F. SILANVS. FLAMEN. MARTIAL
EX. S. C.
FACIVNDVM. CVRAVERVNT. IDEMQVE
PROBAVERVNT

P. CORNELIO
DOLABELLAE. COS
VII. VIRO. EPVLON
SODALI. TITIENSI
LEG. PROPR. DIVI. AVG
ET. TI. CAESARIS AVG
CIVITATES. SVPERIORES
PROVINCIAE. ILLVRICI

Annus DCCLXIIII

Dio conſules in hunc annum edit M. Aimilium Q. F. Lepidum, & T. Statilium T. F. Taurum Eoſdem & Caſsiodorus affert. Fragmentum Capitolinum M. Aimilium Q. F. & conſulem ex Kal. Iulis ſuffectum L. Caſsium L. F. L. N. Lõginum prodit. M. Lepidus filius eſt Q. Aimilii conſulis anno DCCXXXIII. T. vero Statilius Tauri bis conſulis. Hoc anno Auguſtum XVII. XIIX. XIX. & XX. Imperatorẽ bello Germanico eius auſpicijs a Tiberio cõfecto, Quinctilijque Vari clade uindicata, appellatum fuiſſe docet huius argentei nummi inſcriptio IMP. CAES. DIVI. F. AVGVST. IMP. XX. P. M. TRIB. POT. XXXIIII. P. P. Tiberius quoq; Imp. etiã VI. & VII. appellatus eſt. Hoc anno puer Ieſus annorum XII. factus in templo cũ Doctoribus diſputans a parentibus repertus eſt

Annus DCCLXV

Conſules ordinarios edunt Dio & Caſsiodorus, ordinarios cum ſuffecto fragmenta Capitolina. Germanicus Neronis Claudij Druſi filius fuit, qui a Tiberio patruo adoptatus Ti. Iulius Caeſar Germanicus appellatus eſt. Eius aliquot extant uetuſtae inſcriptiones ita.

Hoc anno ut Tranquillus scribit Vitellius Imp. VIII. Kal. Octobris natus est. De tribunicia potestate Ti. Caesaris extant hi nummi aerei

TI. CAESAR. DIVI. AVG. F. AVGVSTVS. IMP. VII. TRIB. POT. XVI. Item

TI. CAESAR. DIVI. AVG. F. AVG. IMP. VII. TRIBVNIC. POT. XVII. PONT. MAX.

Eodem anno VI. idus Martii ut ex antiquo hoc epigrammate intelligitur Ti. Caesar Augustus Pontifex Maximus factus est

AEDICVLAM. ET. STATVAS. HAS. HOSTIAM. DEDICATIONI
VICTIMAE. NATALI. DIVI. AVG. VIIII. KAL. OCTOBRIS *
QVEM. DIEM. QVO. FREQVENTIOR. QVOT. ANNIS. SIT
SERVABIMVS. VI. IDVS. MARTIAS. QVA. DIE. TI. CAESAR
PONTIFEX. MAXIMVS. FELICISSIME. EST. CREATVS

Annus DCCLXIX

T. Statilium T. F. Sisennam Taurum, L. Scribonium L. F. Libonem cos. in hunc annum memorat Dio, Sisennam Statilium Taurum, L. Libonem Tacitus. Sisennam Statilium, L. Scribonium Cassiodorus. Horum parentes III. uiratus tempore consules fuerunt

Annus DCCLXX

C. Caecilius C. F. Rufus, L. Pomponius L. F. Flaccus consules in hunc annum comparantur a Dione, C. Coelius, L. Pomponius a Tacito, & Cassiodoro: mendum in Coelii nomine apud Dionem, esse existimo

Annus DCCLXXI

Ti. Caesar Augustus III. & Germanicus Caesar Ti. Augusti filius II. consules referuntur a Dione, Tacito, & Cassiodoro. Tranquillus, de Tiberio iam principe loquens: Nec amplius (inquit) quam omnino tres consulatus, unum paucis diebus, alterum tribus mẽsibus, tertium absens usque in Idus Maias gessit. Hic autem est consulatus quem paucis diebus obtinuit, in cuius locum quum abdicasset suffectus est, ut ex hac inscriptione apparet L. Seius Tubero

CERERI. AVGVST
MATRI. AGR
L. BENNIVS. PRIMVS
MAG. PAGI
BENNIA. PRIMIGENIA
MAGISTRA. FECER
GERMANICO. CAESARE. II. CoS
L. SEIO. TVBERONE
DIES. SACRIFICI. XIII. KAL. MAI

Rubellij Blandi consulis suffecti meminit Cor. Tacitus

Annus DCCLXXII

M. Iunium M. F. Silanum, C. Norbanum C. F. Flaccum Balbum Dio, M. Silanum, C. Norbanum Tacitus, & Cassiodorus, M. Iunium Silanum, L. Balbum Plinius libro II. cap. XXCIX. Silanum, & Balbum Fasti Graeci, & liber Cusp. cos. hoc anno profitentur. M. Silanus M. Silani cum Augusto consulis nepos est, C. Silani nouem annis antea cos. patruelis L. uero Norbanus C. Norbani cum Druso consulis frater est. Horum consulum mentio est in antiqua basi, & in fine cuiusdam decreti sic

FORTVNAE. AVG
L. IVNIVS. L. F. PALA
TINA. SABINVS
VOT. D. D.
XIIII. KAL. FEBR
M. IVNIO. SILANO. ET
L. NORBANO CoS

EX. S. C. QVOD. FACTVM. EST
M. SILANO. M. F
L. NORBANO. BALBO CoS

Annus DCCLXXIII

Dio libro LVII. M. Valerium M. F. Messallam, M. Aurelium M. F. Cottam consules in hunc annum comparat. Eosdem Tacitus, & Cassiodorus edunt, sed in Tacito mendose est C. Cotta pro Marco. Qui M. Messallam Coruini oratoris nepotem fuisse scribit. M. quoque Cotta illius M. Cottae nepos est qui cos. fuit temporibus Ciceronis. Horum consulum meminit etiam Vlp. l. XVI. IIII. & XLVIII. II. XII. extat hic antiquus aereus nummus TI. CAESAR. DIVI. AVG. F. AVGVST. PONTIF. MAXIM. COS. III. IMP. VII. TRIB. POT. XXII

Annus DCCLXXIIII

Tacitus libro III. Dio & Cassiodorus consules subiiciunt Ti. Caesarem Augusti F. IIII. & Drusum Iulium Ti. F. Caesarem II. Hunc consulatum Ti. Caesar per tres tantum menses gessit, ut scribit Tranquillus. Qui autem ei suffectus fuerit incertum. Extat haec inscriptio in lateribus cuiusdam pontis TI. CAESAR. DIVI. AVG. F. DIVI. IVLI. N. AVGVSTVS. PONT MAXIM. COS. IIII. IMP. VIII. TRIB. POTEST. XXII. DEDIT

Annus DCCLXXV

D. Haterius Q. F. Agrippa, C. Sulpicius Galba consules memorantur a Tacito, Dione, & Cassiodoro. C. Galba, Galbae Imp. pater est, Ser. F. eius Ser. Galbae nepos, qui in C. Caesarem dictatorem conspirauerat, ut auctor est Tranquillus. Horum consulum mentio est in antiquo epigrammate ita

PIETATI. AVGVST. EX. S. C. QVOD. FACTVM. EST
D. HATERIO. Q. F. AGRIPPA. C. SVLPICIO. SER. F. GALBA. COS
TI. CLAVDIVS. CAESAR. AVGVSTVS. GERMANICVS
PONTIF. MAXIM. TRIB. POT. III. COS. III. IMP. III
P. P. DEDICAVIT

Hos uero Consules suffectos hoc anno fuisse ex antiqua hac inscriptione didici

GENIO
COELI. HERODIAN
PRAEGVSTATOR
DIVI. AVGVSTI
IDEM. POSTEA. VILLICVS. IN
HORTIS. SALLVSTIANIS
DECESSIT. NON. AVGVSTIS
M. COCCEIO. NERVA . COS
C. VIBIO. RVFINO
IVLIA. PRIMA. PATRONO. SVO

TI. CAESAR. DIVI. AVGVSTI. F. AVGVSTVS
PONTIF. MAXIM. IMP. VIII. TRIB. POT. XXIIII
DEDIT
C. VIBIO. RVFINO. M. COCCEIO. NERVA. COS

Item ad S. Petrum in carcere Romae

C. VIBIVS. C. F. RVFINVS. M. COCCEIVS. M. F
NERVA. COS. EX. S. C

Hic Nerua auus est Imp. Neruae ut tradit Frontinus II. de Aquaeductibus. Hoc anno Ti. Caesar Druso filio tribuniciam potestatem a senatu obtinuit, ut auctor est Tacitus

Annus DCCLXXVI

C. Asinius C. F. Pollio, C. Antistius C. F. Vetus deinceps cõsules fuerunt Dione, Tacito, & Cassiodoro auctoribus. Plinius libro XXXIII. cap. II. Tiberii principatus anno nono. C. Asinio Pollione, C. Antistio Vetere cos. Anno vrbis conditae DCCLXXVI. C. Pollio C. Galli filius est, Asinii Pollionis nepos, pater quoque & auus C. Antistii viri consulares fuerunt. De tribunicia potestate Drusi, (qui auctore Tacito & Cassiodoro hoc anno insidiis Seiani mortuus est) extant antiqui nummi eiusmodi DRVSVS. CAESAR. TI. AVG. F. DIVI. AVG. N. PONT. TRIB. POT. II. & haec basis

DRVSO. CAESARI
TI. AVG. F. DIVI
AVGVSTI. N
DIVI. PRON
L. TVRILLIVS. L. F
GEMINVS

Annus DCCLXXVII

Ser. Cornelium Ser. F. Cethegum, L. Visellium C. F. Varronem consules in hunc annum comparant Dio, Tacitus libro IV. Frontinus II. Aquaed. & Cassiodorus. L. Visellius Varro frater est ut puto C. Visellii consulis suffecti anno DCCLXV. de quo in hac antiqua inscriptione mentio est

C. VIBIVS. C. F. RVFVS
SEX. SOTIDIVS. SEX. F
STRABO. LIBVSCID
C. CALPETANVS. C. F. CR
STATIVS. RVFVS
M. CLAVDIVS. M. F. MARCELLVS
L. VISELLIVS. C. F. VARRO
CVRAT. ALVEI. ET. RIPAR. TIBERIS
EX. S. C. TERMIN

Hoc anno Ti. Caesaris Augusti festa decennalia prima celebrata sunt, ut tradit Dio, de quibus superius verba feci

Annus DCCLXXVIII

M. Asinius M. F. Agrippa, Cossus Cornelius Cossi F. Lentulus consules hoc anno fuerunt, ut Dio, Tacitus, & Cassiodorus referunt. Hic Cossus Cossi Isaurici filius est, ergo recte Cn. nepos descriptus

Annus DCCLXXIX

Cassiodorus consules in hunc annum comparat C. Caluisium, Cn. Getulicũ. Tacitus libro IV Lẽtulum Getulicum, C. Caluisiũ, Fasti Graeci, & liber Cuspiniani Getulicum & Sabinũ. Horum consulum patres uiri consulares fuerunt, ex quibus ipsi descripti sunt. Consulum suffectorum, & tribuniciae potestatis huius anni mentio est in hac antiqua inscriptione

TI. CAESARI. DIVI. AVG. F. DIVI. IVLI. N
AVGVSTO. PONT. MAX. TRIB. POT. XXIIX
COS. IIII. IMP. VIII. AVGVRI. XV. VIRO. S. F
VII. VIRO. EPVLON
T. PAPIRIVS. SEVERVS. DD
Q. MARCIO BAREA
T. RVSTIO. NVMMIO. GALLO COS

Item

Q. MARCIO. BAREA. T. RVSTIO. NVMMIO. GALLO. COS
M. IVLIVS. THALAMVS. DEC. II. Q. F
HOSPES. TI. CAESARIS. AVG. LICINIANVS. DEC. II. Q. F
ARAM. MARMOREAM. HVIC. DECVRIAE. IN. SVA
QVAESTVRA. DE. SVO. D. D

Hunc

Hunc T.Ruſtium T.F.Nummium Gallum propter adoptionem dixi. Duo enim gentilitia nomina adoptiuum eſſe eum ſignificant qui ea habet, ut in libro de antiquis Romanorum nominibus diſputaui

Annus DCCXXC

Tacitus libro IV.M.Licinium, & L.Calpurnium conſules edit. Caſsiodorus M.Craſſum,& L.Piſonem. Horum conſulum parentes uiri conſulares fuere ſub Auguſto, ex quibus formati ſunt

Annus DCCXXCI

Plinius libro VIII.cap.XL. & Solinus conſules huius anni memorant Ap.Iunium, P. Silium. Tacitus libro IV.Iunium Silanum, P. Silium Neruam. Caſsiodorus Ap. Silanum, P. Silium. Et horum conſulum patres quoque ſub Auguſto conſules fuere

Annus DCCLXXXII

C.Rubellius, & C.Fuſius conſules in hunc annum comparantur a Caſsiodoro. Quorum ut libro V.inquit Tacitus, vtrique Geminus cognomentum erat. Horum conſulum in antiquo lapide mentio eſt ita

Q. CAETRONIVS
Q. F. PVB
PASSER
MIL. COH. III. PR. ANN. XVIII
MISSVS. DVOBVS. GEMINIS
COS
SIBI. ET. MASSVRIAE. M.F
MARCELLAE

Conſulum ſuffectorum meminit libro V. & alibi Tacitus. Hoc anno VIII.Idus Ianuarii ut ex patrum traditionibus accepimus, D.N.Ieſus Chriſtus incipiens eſſe quaſi annorum XXX.ut ſcribit B.Lucas euangeliſta, hoc eſt XXIX.anno,& XIII.die aetatis ſuae, TI.vero Caeſare imperii XV.annum agente, in Iordane a S.Ioanne Baptiſta baptizatus, diſcipulos primo congregare, poſt euangelium predicare cepit

Annus DCCLXXXIII

M. Vinucius & L.Caſsius conſules ſubſequuti ſunt auctore Caſsiodoro. Faſti Graeci, & Liber Cuſpiniani Vinucium & Longiuum edunt. Pomponius I.II.III.C.Caſsius Longinus iure conſultus cos.fuit cum Quartino temporibus TI.Caeſaris. Hic M.Vinucius filius fuit Publij, & Marci nepos, qui ſub Auguſto conſulatum geſſerunt, auctoribus Velleio, & Tacito: C. vero Caſsius Lucii conſulis ſuffecti anno DCCLXIV.filius eſt. A primis Parilibus ad hos conſules annos DCCXXCII.numerat Velleius libro primo, qui ad hunc M. Vinucium Ti. Caeſaris progenerum libros duos hiſtoriarum ſcribit

Annus DCCLXXXIIII

Ti.Caeſarem Auguſtum V. ſolum conſulem in hunc annum profitentur Caſsiodorus, & Faſti Graeci, quem conſulatum ad Idus Maias geſsiſſe tradit Tranquillus. Qui & eum altero huius conſulatus menſe, collegam ſibi aſſumpſiſſe Seianum praefectum praetorio prodit. Hic Seianus L.Aelius L.Strabonis filius Seianus dicitur a Dione. Conſules uero ſuffectos C. Memmium Regulum, & Fulcinium Trionem memorant Tacitus libro V. Dio libro LVII. & Suetonius in Caligula

Annus DCCLXXXV

Tacitus,& Dio conſules in hunc annum comparant Cn.Domitium,& Camillum Scribonianum, hic Cn.Domitius L.F.Cn.N.Ahenobarbus, Neroniſque Imperatoris pater appellatur a Tranquillo. Alter vero cos.eſt M. Furius Camillus Scribonianus M. Furii cos.ſub Auguſto filius, qui poſtea ſub Claudio quum Delmatiae legatus eſſet, bellumque ciuile mouiſſet, interfectus eſt. Hic in locum A.Vitellij cos.in magiſtratu mortui cos. factus eſt, de qua re ita ſcribit Tranquillus in Vitellio: A.Vitellius P.F. in conſulatu obiit quem cum Cn. Domitio Neronis Imp.patre inierat. Qui P. F. Q. N. dicitur ab eodem Tranquillo. Cn.Domitius toto anno conſul fuit. M.Furius in ſex menſes, cui quis ſuffectus fuerit incertum. Hoc anno ut Suetonius tradit Otho Imp.natus eſt IV. Kal. Maii. Extat antiquum epigramma in quo horum conſulum ſic mentio eſt

GENIO. MVNICIPI. ANNO. POST
INTERAMNAM. CONDITAM
DCCIIII. AD. CN. DOMITIVM
AHENOBARBVM. ET. M. FVRIVM
CAMILLVM. SCRIBONIANVM. COS

Annus DCCXXCVI

Tacitus, Dio,& Caſsiodorus cos.ſuggerunt Ser.Sulpicium Galbam, qui poſtea Imp. appellatus eſt, & L. Cornelium Sullam. L. Sullam L. Sullae anno DCCXLIX.conſulis filium puto. De hoc Galbae conſulatu ita ſcribit Tranquillus.cap.VI.Conſulatum per ſex menſes ordinarium geſſit, euenitque ut ipſe Cn.Domitio patri Neronis, ipſi Saluius Otho pater Othonis ſuccederet. L autem Saluius Otho, Othonis Imp.pater, qui cos.ſuffectus hoc anno traditur a Tranquillo, ab eodem etiam M.F.dicitur

De Anno, & Die passionis D. N. IESV CHRISTI

VT nihil est cruciatu D. N. IESV CHRISTI inlustrius, ita nihil ferè eius sanctissimae passionis die obscurius, aut incertius, quum ex euangelica ueritate, ueterum scriptorum monumẽtis, & sanctorum patrum traditis, multa in eam diem incidere necesse sint, quae ita fuisse difficulter admodum demonstrari possunt. Nam ex euangelica doctrina ipsum per procuratorem Iudeæ Pontiū Pilatum, Tiberio Caesare imperante, XV. die primi mensis Nisam, idest die festo Paschae, supplicio affectum, & ut ex antiquis historijs constat, olympiadis CCII. anno quarto fuisse oportet. Ex patrum uero traditis feria VI. die Veneris, mense Martio, & si fieri potest XXV die eiusdem mensis, aetatis suae XXXIII. anno, & mense tertio trigesimi quarti exactis, id factū esse uidetur. Quae omnia quum diuinae scripturae, astronomicae disciplinae, & temporū descriptioni nixa sint, atq; haec inter sese haud facile cōparari possint, hinc magna in hac re explicanda orta ē cōtrouersia, cuiuaria eorū qui de ea re differuerūt scripta difficultatē non paruā addiderūt. Quāobrē ego quū eiusmodi disputatio maxime cognitu digna mihi uisa sit, ubi occasio se se obtulit nolui hanc rem adeo utilē, & necessariā silentio transmittere, praesertim quum in hisce cōmentarijs, mihi ipsi constituerim omnia circa temporum rationem difficilia enodare, & obscura quaeque, quantum a me fieri poterit, explicare. Quod si in aliqua re mihi faciundum fuit, id in annis natalis & passionis Christi, nulla ratione praetereundum erat, quum ex eorundem annorum summa ordinata, tota fere post Christi nati tempora fastorum meorum ratio constet. Huic igitur computationi annorum Christi examen ualde necessarium est. Porro autem antequam de legitimo Christi passionis die differam, ante omnia primus eius natalis annus statuendus est: deinde accurate disputabo quonam ætatis anno, mense, & die, nimirum humano generi necessario supplicio affectus fuerit. In constituendis autem annis Christi, iisque annis ab urbe condita applicandis, nulla quod sciam nobis clarior auctoritas est, quam Lucae euangelistae testimonium cap. III. euangelij: ubi ita scripsit: Anno XV. imperij Ti. Caesaris, procurante Pontio Pilato Iudaeā, factū est uerbū Domini super Ioannē Zachariae filiū in deserto, & uenit in oēm regionē Iordanis praedicās baptismū poenitentiae in remissionē peccatorū. Factū est autē quū baptizaretur omnis populus, & Iesu baptizato, & orante apertum est cœlum, & descendit spiritus sanctus corporali specie sicut columba in ipsum, & uox de cœlo facta est, tu es filius meus dilectus in te complacui mihi; Et ipse Iesus erat incipiens quasi annorum triginta. Quæ uerba ita ego cum probatissimis S. catholicæ ecclesiæ doctoribus interpretor: Anno imperij Ti. Caesaris quintodecimo, iam à proximo XIIII. Kal. Septembris die (ut Tacitus, Tranquillus, & Dio scribunt) incboato, eoque quintum mensem agente, Christum à Ioanne baptizatum fuisse, ut ex patrum traditionibus, usu & auctoritate ecclesiae catholicae liquet, VIII. Idus Ianuarii die, quem nos Epiphaniae festum uocamus, quum Iesus praecedenti VIII. Kal. Ianuarii (ut patrum tenet traditio & ecclesiae usus) uigesimo nono aetatis anno expleto, trigesimum incepisset, atque anni aetatis trigesimi iam diem tantum tertium decimū ageret, quantū s. est a die natalis ad diē Epiphaniæ. Quare audiēdi nō sunt hi qui de Christi baptismate somniātes, praeter ecclesiæ auctoritatem quo quid noui attulisse uideātur, cū die undecima septimi mēsis hoc est circa cal. Octob. Hebreorū festo expiationum baptizatū scribūt, prope finē anni aetatis trigesimi, mensibus tantum tribus ademptis. Nam omitto quod eiusmodi opinio repugnat patrum traditionibus, & ecclesiae usui, euangelicis quoque uerbis nulla ratione aptari potest, quae sunt: Et ipse Iesus erat incipiens quasi annorum triginta. Nam haec dictio, quasi, hoc loco non significat idem quod ferè, ut Petrus de Riuo & alij opinati sunt, sed idem quod tanquam. Verbum enim Graecum est ὡσει, idest tanquam. Neque etiam dictio quasi, referri debet ad uerbum incipiens (non enim esset congruus dicendi modus: Iesus erat quasi incipiens annorum triginta) sed ad ea quae subijciuntur, hoc est annorum triginta, ut sensus sit: Iesus quum baptizaretur erat quasi hoc est tanquam annorum triginta, incipiens quidem annum trigesimum. Haec autem ex textu ipso euangelii Graeco accuratius & expressius leguntur καὶ αὐτὸς ἦν ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα ἀρχόμενος ὤν. idest: Et ipse Iesus erat tanquam annorum triginta, incipiens quidem; ut demonstraret eum initio anni non in fine baptizatum. Hanc sententiam sequuti sunt, diuinus ille martyr Antiochenus Ignatius, in epistola ad Trallianos, Apollinaris Laodicenus, Diuus Hieronymus super Ezechielem, Beda in commentarijs in Lucam, Petrus Comestor in historia scholastica. Ceterum Ioannes Chrysostomus, & alij plerique quamquam Christum baptizatum fuisse scribunt XXXI. aetatis anno ineunte hoc est VIII. Idus Ianuarij, & si de anno cū euangelica ueritate non conueniant, diem tamen uerum cum ecclesia catholica agnoscunt Epiphaniam. Christus igitur ut ex Lucae euangelio, & ecclesiae auctoritate, manifestisimum est baptizatus fuit VIII. Idus Ianuarij aetatis suae anno XXX. ineunte, imperij Ti. Caesaris Augusti XV. Ab urbe condita, ex Varronis supputatione DCCXXCI. qui Proximis parilibus terminandus

dus erat. Olympiadis vero CCI. anno quarto, quum is annus menſem ſeptimum iam ageret, qui proximo ſolſtitio aeſtiuo finiri debebat, atque primus CCII. olymp. inchoari; C. Rubellio Gemino, C. Fufio Gemino conſulibus. Hinc Tertulliani error & eorum qui illum ſequuti ſunt, Lactantij nimirum libro IIII. cap. X. Oroſij, Eutropij, & (ut credo) Diui Auguſtini libro XVIII. de ciuitate dei cap. LIIII. liquet, qui cõtra expreſſam euangelij auctoritatem Chriſtũ paſſum fuiſſe ſcribũt ijſdẽ conſulibus, aetatis ſuae anno XXXI. Haec autẽ quae de tẽpore quo Chriſtus baptizatus eſt, dixi, firma & certiſsima habenda ſunt. Quũ non niſi ex euangelica hiſtoria deriuata fuerint. Quae quum ita ſint; ſi a duorum Geminorum conſulatu, per triginta retro annos recurremus, inueniemus Ieſum Chriſtum natum fuiſſe, in fine eius anni Iuliani, quo Imp. Caeſar Aug. XIII. & M. Plautius Siluanus conſules fuerunt, anno vrbis conditae DCCLII. imperij Caeſaris Auguſti poſt uictoriam Actiacam XXX. olympiadis uero CXCIIII. anno tertio. Ipſum uero Kal. Ianuarij ſequentis anni quo Lentulus & Piſo conſules fuerunt, circumciſum, VIII. Id. Ianuarij, a Magis adoratum, & reliqua omnia facta, quae ab euangeliſtis primo dominice natiuitatis anno geſta fuiſſe traduntur. Recte ergo Lentuli Iſaurici, & Piſonis Auguris conſulatu annus primus a partu virginis notatus eſt. Nam incarnationis annorum ſeriem tanquam inconſtantem: & labantem, nõ probaui. Quae annorum ſeries eo anno inchoata, adeo commode, recte, & ſcite poſterioribus temporibus, conuenit, ut ad hunc uſque annum qui eſt ∞ DLVIII. ſine ulla controuerſia accuratiſsime perducta ſit. Quod ſingulis locis prout occaſio ſe ſe obtulerit demonſtrabo. Haec autem primum omnium maxime euangeliſtarum, & Ioſephi verbis correſpondent qui ſcribunt: Chriſtum natum fuiſſe Caeſare Auguſto rerum potiente, tempore prioris deſcriptionis Suriae & Iudeae ſub praeſide Quirino. Ceterum quod in hac deſcriptione per Quirinum facta, Ioſephus ab euangeliſta Luca in eo diſſentiat, quod cenſum Iudeae non niſi poſt Archelaum regno eiectum a Qurino Suriae legato factum ſcribit, diſputabo in libro quẽ de LXX. Danielis ebdomadibus magna iam ex parte conſcripſi. His igitur recte (ut exiſtimo) explicatis, nunc de ſanctiſsimae paſsionis die reliquum eſt ut verba faciam. De qua mihi diſputaturo, duo primum ſe ſe offerunt examinanda. Alterum eſt trigeſimo ne tertio, an trigeſimo quarto anno aetatis ſuae Dominus paſſus ſit. Alterum vero, an die XXV. menſis Martii ut vulgo creditur, an alio quopiam die in crucem fuerit actus. Quae omnia ut facilius & accuratius percipiantur, ea prius explicanda ſunt, quae ſuperius circa diem obitus Chriſti conſideranda propoſui. Fuerunt autem euangelii teſtimonium, antiquorum ſcriptorum monumenta, & ſanctorum patrum tradita. Atque in primis ipſum ſub Pilato procuratore Iudeae crucifixum ita manifeſtum eſt ex omnibus etiam profanis hiſtoriis, ut aliqua aſſertione non indigeat. Sub Ti. vero Caeſaris imperio Dominum ſupplicio affectum ex Ioſepho clare intelligitur, qui etiam decennium integrum quo Pilatus Iudeam adminiſtrauit in imperium Ti. Caeſaris coniicit. Pilati enim adminiſtratio Iudaica paulo ante terminata eſt quam Tiberius mortem oppeteret, quum eam prouinciam duodecimo imperii eiuſdem anno procurator obtinuiſſet. Hoc idem Cornelii Taciti profani ſcriptoris auctoritate confirmatur, qui hiſtoriae Auguſtae libro XV. ita ſcriptum reliquit; Chriſtiani nominis auctor Chriſtus, qui Tiberio imperitante per procuratorem Pontiũ Pilatum ſupplicio affectus erat. De XV. autem mẽſis die, qua eum paſſum fuiſſe diximus, haec ex ſacris litteris decerpſi. Paſsionem Domini fuiſſe ab euangeliſtis ſcriptum eſt, die ſequenti poſtquam ex legis praecepto comederat agnum paſchalem. In Exodo autem cap. XII. praecipitur, ut die XIIII. primi menſis, agnus Paſchalis comedatur ad ueſperam. Qui dies Phaſe eſt: ideſt tranſitus domini. Idem confirmatur ex Leuitico cap. XXIII. Vbi ita ſcriptũ eſt: Hae ſunt feriae domini ſanctae quas celebrare debebitis temporibus ſuis, menſe primo XIIII. menſis primi ad veſperam Phaſe domini eſt XV. menſis huius ſolemnitas azimorum domini eſt. Idem eſt in Numeris cap. IX. & XXIIX. & Deuteronom. XVI. obſerua (inquit) menſem nouarum frugum, & verni primum temporis, ut facias Phaſe Domino deo tuo, quoniam iſto menſe eduxit te dominus deus tuus de Aegypto nocte. Dixit autem nocte ut oſtenderet principium huius ſolemnitatis fieri debere in XIIII. die Luna creſcente ad ueſperam, circa occaſum ſolis. Solemnitas uero die XV. primi menſis hoc eſt primae lunationis, in menſe Niſam, qui a Macedonibus Xanthicus, a Latinis Martius appellatur. Verum de hac re latius diſſerit Ioſephus Antiq. libro III. cap. XII. Porro autem XIIII. dies dicebatur prima azimorum, quoniam per ſepteni dies azima comedebant. Tunc igitur prima die Azimorum, ideſt XIIII. die primi menſis Niſam ad ueſperam Chriſtus agnum Paſchalem cum azimis & lactucis agreſtibus comedit. Ita enim ſcriptum eſt Matthaei cap. XXVI. Prima autem die azimorum acceſſerunt diſcipuli ad Ieſum dicentes: Vbi vis paremus tibi comedere paſcha? Et Lucae XXII. Venit autẽ dies azimorum, in qua neceſſe erat occidi Paſcha, & miſit Petrum & Ioannem dicens: Euntes parate nobis Paſcha ut manducemus, tunc autem erat dies XIIII. Nam ſic ſcribit Io. Chryſoſtomus

ſtomus

stomus: Primam azimorum eam diem vocant, quae ante azima erat; consueuerunt enim a vespera semper dies enumerare, & eius mentionem facere in vespera cuius Pascha erat immolandum. Quinta enim sabbati discipuli ad Christum accesserunt, quam hic primam azimorum, idest ante azima vocat, tempus designans quo discipuli accesserunt ad Iesum: ita Chrysostomus. Hoc idem confirmatur ex ecclesiae vsu, quae cenam Domini celebrat feria V. pridie quam pateretur. Passus enim est die sequenti, idest feria VI. die XV. quo fuit ecclipsis illa miranda a sexta usque ad nonam, quam Dionysium Areopagitam in Aegypto uidisse constat, qui in epistola ad Polycarpum scribit eam contigisse circa plenilunium. Quod uero eo die fuerit feria VI. id ex euangelistis constat, & ecclesia a patribus per manus traditum obseruat, & credit. In euangelio autē est: eum passum in parasceue ante sabbatum, idest die veneris. Nam feria VI. passus & sepultus est, ne remaneret in cruce corpus sabbato. Die sabbati in monumēto fuit. Prima sabbatorū surrexit, idest die dominico uel Solis. Hinc est quod ecclesia catholica passionem Christi die veneris, resurrectionem uero die dominico semper celebrat. Nec ulla ratione dicendum, quod Graeci, quo errorem suum de sacramento eucharistiae in fermentato consecrando tueantur, asserunt: Christum agnum comedisse die XIII. ipsumque Pascha anticipasse, agnumque cum pane fermē tato comedisse, & in eo consecrasse, quia hoc est contra legem, quae praecipit ut agnus cū azimis comedatur die XIIII. Christus uero ut scribunt sancti patres nunquam fuit legi dum vixit contrarius, quia non uenit soluere legem, se adimplere. Quod autem non anticipauerit Pascha demonstratur etiam ex verbis Marci cap. XIIII. vbi sic scribit: primo die azimorum quando Pascha immolabant; videlicet ex lege quae praecipit ut agnus comedatur cum azimis primo die azimorū, die XIV. mēsis ad vesperam. Nec repugnat quod scribit Ioannes cap. XIII. Ante diem festum Paschae cenā fecisse, quia dies festus & solemnis erat die sequenti, post agni comestionē, idest die XV. Nam ita in Leuitico cap. XXIII. scriptum est: mense primo XIIII. die mensis ad vesperā Phase Domini est. Et XV. die mensis huius solemnitas azimorum domini est. Verū an Iudaei eo anno Pascha celebrauerint ex legis praescripto, idest die XIV. an ex seniorum traditione, hoc est die sequēti, paulo post aperiā. Haec itaq; ex ipsis euangeliorū libris, & sacrae scripturae testimonijs eruta sunt. Hoc igitur hactenus demonstrauimus, Christū passum fuisse die XV. primi mēsis in parasceue quod est ante sabbatū. i. Feria VI. die veneris, sub procuratore Pōtio Pilato, Ti. Caesare imperante. Nunc de anno ex ueterū historijs differamus. Eum igitur crucifixū fuisse ipso die quo maxima illa & praeter naturā Solis ecclipsis fuit euangelistae his verbis testantur: Ab hora sexta tenebrae factae sunt per uniuersam terram usque ad horam nonam, & subdit B. Lucas: Et obscuratus est Sol. De quo Solis defectu plerique veteres scriptores etiam meminere. Et in primis Dionysius Areopagita Atheniensis philosophus, in epistola ad Polycarpum Smirnaeorum episcopum, in qua beatum illum pontificem hortatur, ut totis viribus operam daret, Apollophanem philosophū ad Christianā fidem suscipiendā adigere. Vbi docet se uidisse illam Solis admirabilem ecclipsim, quum una cum ipso Heliopoli Aegypti pariter diuersaretur, seq; maxime miratū fuisse, quod praeter tempus congressus illorū sydérū, Solis ille defectus contigisset, & tum maxime quod Luna ab oriente soli se supposuerat, atq; post illam Solis eclipsim denuo ad orientem & Solis diametrum resilierat. Quandoquidem in his Solis deliquiis quae naturaliter fiunt semper Luna ab occidente Solem subingredi soleat. Tunc uero ut dictum est Lunam ab oriente Solis splendorem obduxisse. Quae solus Deus (ut inquit Dionysius) facere potest. Tria igitur in hac ecclipsi portenta acciderunt. Primum quod extra tempus Solis & Lunae congressus accidit, immo è contra circa pleniluniū. Nam Sol naturaliter nunquā ecclipsari potest in plenilunio, sed dumtaxat in nouilunio. Alterū quod eā pars solis quae ad ortū uergit primo fuit obscurata, & postremo illuminata, quod in solis defecto naturali secus accidit. Nam ea solaris corporis pars quae occasum respicit prius obscuratur, & deinde prius illuminatur. Porro tertium fuit; quod ab oriente Luna regrediens in occasum contra motum ei naturalem atque coaeternum, qui semper est ab occidente in oriens, se radiis Solis subiecerat, qui tunc in summo coelo erat, & postea Solis ecclipsi facta rursus rediit ad pristinum orientis locum. Et subiicit Dionysius: Quum haec fierent, tunc nescio quo afflatus spiritu ad diuinationem quoque prorupit Apollophanes, atque ad me conuersus; haec (inquit) o praeclare Dionysi diuinarum sunt uicissitudines rerum. In epistola quoque XI. ad Apollophanem ipsum ita de eadem re scribit: In Heliopoli tu quidem mihi coaeuus, & ego quioque & viginti annorum fere tempus euoluens una morantes constiteramus, quum feria quadam VI. & hora etiam pene VI. Sol horribilibus subito est obsitus tenebris, Luna ipsum intercurrēte, quia non deus, sed creatura dei in ipsius uerae lucis occubitu lucere non potuit. Quaerebam enim tum apud te qui mihi sapientissimus uidebaris, quid inde ipse sentires, neq; enim adhuc mysterii tantae rei conscius eram. O ingenii prudentiae promptuarium, quid inquam o doctrinae speculum Apollophanes iis secretis adscribis: ad

quae

quae nescio quo pacto diuino quodam afflatu, & non humani sensus sermonem subintulisti: o bone Dionysi diuinarum uicissitudines sunt rerum. Lucianus uero Antiochenus martyr iudicibus quorum tribunalibus astabat dixit: Perquirite in annalibus uestris, & inuenietis temporibus Pilati, Christo patiente, fugato Sole, interruptum tenebris diem. Tertullianus quoque apostolorum temporibus vicinus in Apologetico aduersus gentiles de hac ecclipsi loquens ita ait: Hunc mundi casum in annalibus uestris relatum habetis. Origenes praeterea Adamantius libro II. cótra Celsum huius ecclipsis meminit. Quam in testimoniũ Christianae religionis adducit. Verum & si omnes quos citaui de illo Solis defectu mentionẽ faciant, nullus tamen eius annum aperit praeter Phlegonem. Is Aelius Phlego Trallianus Hadriani Imp. libertus fuit, editque librum in quo tempora per olympicos annos diggessit, & quicquid singulis annis memoria dignum accidit, accuratissime descripsit. De quo Caesariensis Eusebius in Chronico sic scribit: Bithynia terremotu concussa, & in vrbe Nicena aedes plurimae corruerunt, quae omnia ijs congruunt quae in passione Saluatoris acciderunt. Scripsit super iis & Phlego, qui olympiadarum egregius supputator est in XIV. libro ita dicens: Quarto anno ducentesimae secundae olympiadis magna & excellens inter omnes, quae ante eam acciderant defectio solis est facta, dies hora sexta in tenebrosam noctem uersus, ut stellae coelo uisae sint, terraeque motus in Bithynia multas aedes Nicenae vrbis subuerterit. Si igitur haec ecclipsis Solis eo tempore quo Iesus Christus passus est, fuit, eam mense Martio necesse est fuisse, anno olympiadis CCII. quarto, ut ait Phlego, in fine scilicet eius anni, nam primus CCIII. proximo solstitio aestiuo inchoandus erat. Verum quum hic annus & mensis cum anno XXXIV. aetatis Christi conueniat ut ex Fastis clare constat, profecto necesse est, si Phlegonis computationis rationem habere uoluerimus, ut dicamus D. Iesum Christum passum fuisse aetatis suae anno XXXIII. & mense tertio exactis, is enim annus ad amussim cum anno & mense eius solis defectus tantum quadrat, de quo Phlego ita accurate scripsit. Quantum ad annum XXXIV. attinet, Phlegonis sententiam sequuntur ante omnes S. Romana ecclesia, & quidem antiquissimis temporibus, de qua re ita scribit Bedas in libro de natura rerum cap. XLVI. Habet enim ni fallor ecclesiae fides Dominum in carne paulo plus quam triginta tres annos usq; ad sua tempora passionis uixisse, quia videlicet XXX. annorum fuerit baptizatus, sicut euangelista Lucas testatur, & tres semis annos post baptisma praedicauerit, sicut Ioannes in euangelio suo non solum commemorato redeuntis Paschae tempore, sed & idem In Apocalypsi sua, Daniel quoque in suis visionibus prophetice designat. Sancta siquidem Romana & apostolica ecclesia, hanc se fidem tenere & ipsis testatur indiculis, quae suis in cereis annuatim scribere solet, ubi tempus dominicae passionis in memoriam populis reuocans numerum annorum triginta semper & tribus annis minorem, quam ab eius incarnatione Dionysius ponat, adnotat. Denique anno ab eius natiuitate iuxta Dionysium DCCL. Indictione XIV. fratres nostri qui tunc fuere Romae hoc modo se in Natali domini in cereis sanctae Mariae scriptum uidisse, & inde descripsisse referebant. A passione D. N. IESV. CHRISTI. anni sunt DCLXVIII. & cetera. Vnde ipse Bedas demum concludit Dominum XXXIIII. aetatis anno passum fuisse, ex Dionysii Exigui Romani Abbatis calculis. Eiusdem sententiae etiam fuerunt S. Ioannes Chrysostomus in sermone de B. Ioanne Baptista, Niceta Graecus scriptor, & ecclesia Graecorum. Et ex recentioribus Albertus Magnus in commentario epistolae Dionysii ad Polycarpum, Gerlandus Hlotharingus accuratissimus computator, Ioannes de Monte regio, Bernardus Mutinensis, Campanus Nouariensis, Paullus Middelburgensis episcopus Forosemproniensis, & Lucas Gauricus. Hi omnes Christũ passum fuisse aetatis suae anno XXXIV. per tres menses exacto scribũt, ita ut nec alter dici posit, si Phlegonis ecclipsim suscipere uoluerimus: cuius in hac re testimonium tanti facio, quanti cuiuscunque alterius scriptoris post euangelistas, quibus adeo non solum non repugnat, sed etiam quam maxime conuenit. Quare in eiusmodi re Apollinaris Laodiceni, & Victoris Lemouicensis episcoporum, Petri Comestoris, Mariani Scoti, Rogerii Baconis, Io. de Muro, Nicolai de Lyra, Pauli Burgensis, Io. Lucidi Samothaei Galli, & aliorum qui Christum XXXIII. aetatis anno crucifixum scribunt, sententiae non sunt suscipiendae, quum ecclesiae Romanae antiquae fidei, & Phlegonis auctoritati repugnent, multo minus Tertulliano uel Eireneo, & iis qui eos sequuti sunt, credendum est, quorum ille in libro contra Iudeos Christum passum fuisse anno aetatis XXXI. iste uero aduersus haereticos XL. contra euangelicam ueritatem scripserunt. Hactenus igitur confirmaui Christum passum fuisse aetatis anno XXXIV. die veneris, XV. die primi mensis, sub procuratore Iudaeae Pontio Pilato, & Ti. Caesare imperitáte, olympiadis CCII. anno quarto, ut ex Phlegonis ecclipsi intelligitur: quum autem de die agendum sit, illud est disputandum in quem Romanorum mensis diem XV. ille primi mensis Hebreorum dies inciderit. Nam superius demonstraui uarietatem quae inter Romanos & ceterarum gẽtium, & praesertim Iudaeorum menses erat,

quod

quod illi fixi,& ſtabiles, atque ad Solis curſum accommodati,hi vero mobiles & ad Lunae meatum compoſiti, ita ut fere ſemper vnus Hebreorum menſis in duos incidat menſes Romanos, ſed haec omnia ſuperius fuſius demonſtraui. De die igitur menſis Romani quo Chriſtus paſſus eſt,mirum in modum uariant auctores. Nam Theophilus Caeſarienſis antiquiſſimus ſcriptor vicinusque apoſtolorum temporibus, in epiſtola Synhodica quam aduerſus Quartadecimanos, una cũ ceteris Paleſtinae epiſcopis ſcripſit: Paſſus eſt (inquit) Dominus XI. Kal. Aprilis qua nocte a Iudaeis eſt traditus, & VIII. cal.Aprilis reſurrexit. Conſtitutumque eſt in ea epiſcoporum Synhodo (inquit Bedas) ut ab XI.Kal.Apriles uſque in XI. calend. Maias Paſcha debeat obſeruari. Eiuſmodi ſententia fuit aliquando eccleſiae Gallicanae, quae quacunque die VIII. Kalend. Aprilis fuiſſet, quando Chriſti reſurrectio fuiſſe tradebatur, Paſcha ſemper celebrabat. Nicetas, & eccleſia Graecanica, X. calend. Aprilis Chriſtum paſſum fuiſſe affirmant circa plenilunium, atque VIII. Kal.eiuſdem a mortuis ſurrexiſſe, Ioannes Lucidus Samothaeus Gallus,quum vidiſſet Lunam XV.non poſſe incidere menſe Martio anni Chriſti XXXIIII.eũ crucifixum ſcripſit III.Nonas Aprilis anni XXXIII. atque prid.nonas ſurrexiſſe. Eandem ob cauſſam ductus a communi ſcriptorum ſententia variauit,quo ad diem tantum attinet Paullus Forosemproniẽſis epiſcopus,qui III.Kal.Aprilis Dominũ paſſum,Kalẽd.uero ſurrexiſſe affirmauit. Lactantius Firmianus,& hi qui tabulam cycli magni annorum DXXXII. Dionyſii Exgui abbatis Romani, itemque Iulij Caeſaris cyclum ſequuntur, eum VII. Kal. Aprilis mortuum ſcribũt,atq; V.Kal.a mortuis excitatum fuiſſe. Nam dies Veneris eo anno die XXVI.Martij fuit. Tertullianus in libro contra Iudeos, Martyrilogium, D.Auguſtinus libro de ciuitate dei XIIX.cap. vltimo, & libro IIII.de trinitate cap.V.Io. Chryſoſtomus, Cyrillus Alexandrinus in epiſtola ad Synhodum Carthaginienſem,Beda,Albertus Magnus, Gerlandus, Campanus, Io. de Monte Regio,Lucas Gauricus, & plerique alii, quae etiam communis ſententia eſt, eum paſſum fuiſſe affirmant VIII.Kal.Aprilis,& VI.Kal. ſurrexiſſe. Ita enim ſcribit Cyrillus in eadem epiſtola: Chriſtus angelo nuntiante fuit conceptus in utero Mariae virginis & mortuus in cruce, dum feria ſexta mortuus eſt Adam in anima per peccatum in paradiſo, eadem die Chriſtus obiit in cruce. De Feria VI.idem ſcribunt Ignatius & Dionyſius ſanctiſsimi martyres. In tanta autem ueterum & ſanctiſsimorum patrum uarietate difficulter admodum, quid ſtatuendum ſit intelligi poteſt:ex omniũ enim, quae ſupra citauimus teſtimoniis id omnino neceſſe eſt,ut anno IIII. CCII.olympiadis, XXXIV.aetatis ſuae Chriſtus ſit paſſus, die veneris XV. primi menſis circa plenilunium, menſe Martio. Videamus igitur, ex tabulis aſtronomicis, cycloque Iulii Caeſaris, quum is annum emendaret exorto quo nam die XV.dies primi menſis fuerit anno CCII. olympiadis IV.& XXXIV.aetatis Chriſti. Ne igitur in re clariſſima & manifeſtiſsima multum immorer,quum facillime id ex Dionyſii tabula,Io.Lucidi,& Paulli Middelburgenſis calculis intelligi poſsit; ad rei concluſionem deueniam.Certum eſt tam ex Dionyſii tabula, quam ex cyclo decemnouiali Iuli Caeſaris, aureo numero concilii Niceni,& littera dominicali quae omnia conſenriũt, XXXIV. aetatis Chriſti anno primi menſis nouilunium fuiſſe die nona Martii paulo ante Solis occaſum. Et ideo Luna XV. fuit vigeſima tertia die eiuſdem menſis,circa Solis occubitum. Quo die ex iiſdem aſtronomicis obſeruationibus non dies Veneris, ſed Martis fuit. Die autem Martis Chriſtũ paſſum fuiſſe nemo auctor eſt.Quare fieri non poſſe uidetur,ut XXXIIII aetatis anno Chriſtus paſſus ſit,quum eo anno XV.Luna fuerit die Martis non die Veneris menſe Martio. Sed age videamus an praecedenri anno Chriſti, ideſt XXXIII.uel ſubſequenti XXXV. uel alio quopiam anno Luna XV.die Veneris menſe Martio acciderit. Ego accurate ex rabula magna Dionyſii obſeruaui,nunquam ab anno Chriſti primo uſq; ad LX. inueniri Lunam XV.mẽſe Martio VIII.Kal.Aprilis,die Veneris incidiſſe. Haec autem occaſionem dederunt multis qui de ea re ſcripſerunt,de ea re uarie ſentiendi,ut Paullo Foroſemproniẽſium epiſcopo,qui Chriſtum anno XXXVI.aetatis ſuae III.Kal,Aprilis, & Io. Lucido qui XXXIII. III. Nonas Aprilis eum mortuum eſſe ſcripſerunt. Quum igitur in omnibus ſere annis uitae Chriſti ſit haec XV. Lunae titubatio, mihi tutius videtur cum Phlegone, Romana eccleſia, & pleriſque doctiſsimis viris ſentire,ut dicamus Chriſtum procul omni dubio mortuum fuiſſe XXXIIII.aetatis ſuae per tres menſes iam inchoato. Contradictio autem quod Luna XV.die Martis XXIII.non die Veneris XXVI.eo anno fuerit tolli poteſt, ex antiquis Hebreorum traditionibus, apud quos initium menſis non erat ab ipſo ſtatim nouilunio, ſed ab ipſius Lunae corniculari apparitione. Vnde legitur in libris eorum,veteres Iudaeos cõſueuiſſe tempore nouilunii mittere homines ſuper altiſſimos montes,qui eis nouae Lunae apparitionem nuntiarent, quo menſium initia auſpicari poſſent. Quae ſi ita intellexerimus proculdubio omnia recte & ſine controuerſia aliqua explicata erunt. Eo igitur anno ex aſtronomicis obſeruationibus nouilunium primi menſis fuit circa Solis occaſum IX. die Martii, quare XV. Luna fuit XXIII. die eiuſdem menſis. Prima autem

tem Lunae apparitio fuit circiter tres dies post uno diei quadrante deducto, ita ut ex maiorũ tradition e Hebrei primũ diẽ mensis inchoauerint XII. die mensis Martij, quare XV. mensis dies fuit XVI. Martii, quo die Luna quidem XVIII. erat inchoata uespere praecedenti, isque dies fuit feria sexta dies Veneris. Atque hac ratione omnia ita conueniunt, ut non nisi in die sit aliqua discrepantia, nam aliquot veteres quos citaui doctores affirmarũt Christum obijsse VIII. calend. Aprilis, quod tamen XXXIV. aetatis Christi anno esse non potest, quod is dies Iouis & feria V. fuerit, quapropter si die Veneris dominus passus est, necesse est ut XXVI. die Martii passus sit, qui dies fuit feria VI. & Veneris. Quod autem Lucas Gauricus conetur affirmare hoc ipso anno XXXIV aetatis Christi diem Martii XXV. fuisse diem Veneris, id repugnat omnino sibi ipsi, qui ait eo anno XXIII. die Martij fuisse diem Martis, & XXIV. diem Mercurij, itẽ tabulae magnae, cyclo Iulij Caesaris, & aureo numero concilij Nicaeni; Atque bis verbis hanc contradictionẽ tollere sibi persuadet: Incipit Sabbatum iuxta Hebreorum consuetudinem in occasu Solis diei Veneris, & ita quaelibet feria incipit occasu Solis. Dies igitur Veneris XXV. Martii sumpserat initium post occasum Solis diei XXIV. Quod etiam nunc obseruatur in singulis Italiae vrbibus. Hac igitur ratione sanctorum patrum traditis, historijs, astronomicae obseruationi, & veritati euangelicae adhaerentes dicemus, dominum Iesum Christum passum fuisse XXXIV. aetatis suae anno, olympiadis CCIV. anno quarto, XIX. Imperii Ti. Caesaris Augusti, Galba & Sulla cos. in die Paschae hoc est Luna XV. ab apparitione, sed XVIII. a nouilunio VII. Kalend. Aprilis (quod & Lactantius scripsit) die Veneris, feria VI. duobus diebus & horis circiter XVIII. post plenilunium. Quod circa occasum Solis diei Martis XXIII. Martii acciderat, dum prope esset ut inciperet dies Mercurii XXIV. eiusdem mensis. Quo die Solis admirabilis & portentosus defectus fuit. Quod (ut inquit Gauricus) maiori miraculo adscribendum erat, ut Solis illa ecclipsis fuerit XVIII. Luna circiter tres dies post plenilunium, quam si contigisset Luna XV. in ipsomet plenilunio, in quo naturali ordine Lunae ecclipsis saltem fieri solet. Tunc enim Sol Lunam nulla prorsus radiatione intuebatur, neque Luna Solem. Hinc omnes (ut dixi) decepti sunt, qui arbitrati sunt ecclipsim illam dominicae passionis factam fuisse in ipsomet plenilunio, ut satis iam demonstratum est. Sed obiiceret quis Christum vel non occisum fuisse die Pasche, uel ipsum Pascha anticipasse, nam ipse Pascha celebrauit pridie quam pateretur. Iudaei uero uespere feriae VI. postquam passus est, quod indicant verba Ioannis: Nam non ingressi sunt Iudaei Pilati praetoriũ, ne contaminarentur, sed manducarent pascha. Huic quaestioni respondere solent ipsi Iudaei ex eorum ritualibus libris, parrumque traditis. Qui asserunt post secundam templi aedificationem nunquam celebrasse Pascha feria VI. ex traditione patrum. Et afferunt auctoritatem Rabi Gamalielis discipuli (ut fertur) Christi, & apostoli Pauli praeceptoris, ad cuius pedes apostolus didicisse se legem & prophetas profitetur. Qui in libro quem de Solis & Lunae motibus, anniq; ratione conscripsit sic ait: Statuerunt Doctores & patres nostri, neomenias & festa in tempore conueniente, ne sabbati honor minuatur, aut alia praecepta uiolentur. Statuerunt itaque neomeniam nunquam feria prima, quarta, uel sexta posse contingere. Festum uero expiationis nunquam feria prima, tertia, aut sexta, Pascha autem nunquam feria secunda, quarta, aut sexta, obseruari posse: Haec Rabbi Gamaliel. Quapropter & si Christus nõ passus fuit die festo Paschae nouo a patribus recenter adinuento & tradito, de quo scripsit Gamaliel, eum tamen passum fuisse uero & germano paschali die antiquo ex lege Mosis, quae Exodi XII. Leuitici XXIII. & Numer. IX. praecipit ut legitimus Paschae celebrando dies sit uespere XIV. diei mensis primi Nisam. Quo die ipse Pascha comedit, & sequenti crucifixus est, qui legitimus ex Mosis decretis Paschae dies erat. Cuius solemnitatem ex patrum traditis Iudaei ad proximum diem sabbati transtulerant. Ita ut apud Iudaeos olim duplex Pascha fuerit, ex lege traditum quod antiquum dicebatur, quod quoque die mensis ante plenilunium accedere poterat, & hoc obseruauit Christus; & a patribus constitutum, quod nunquam feria VI. celebrari solebat ne sabbati ut ipsi dicebant honor minueretur, sed ad proximum sabbatum transferebãt, quotiescunque XIV. Luna die Iouis accidebat, & hoc Christus seruare non curauit, sciens haec Iudaeorum festa per suam passionem abroganda. Quum igitur Dominus feria VI. VII. Kal. Aprilis passus sit, reliquũ est ut cum ecclesia dicamus eum V. Kal. Aprilis die Solis tertio post obitũ a mortuis surrexisse, cuius sanctissimae resurrectionis mysterio ea fidei nostrae fundamenta iacta sunt, quae ad nostram usque aetatem perseuerãt. Ceterum quum de his quae dixi, nihil adhuc a catholica Rom. ecclesia quod sciam determinatum sit, ego si quandoque occurrerit ut de his rebus aliter statuerit, me meaque omnia scripta in omnibus eiusdem, ministrorumque eius examini, & decretis humiliter subiicio, atque omnia quae attuli ad eius praescriptum redigi curabo. Quam ad conseruationem & propagationem christiani nominis & pietatis, Deus optimus maximus superatis procellarum turbinibus, ab omni haereticorum uiru candidam, inlaesam, & tan-

quam

quam immaculatam sponsam diu conseruet. Cui laus, honor, & gloria in perpetuum ab omni bus fidelibus referantur.

Annus DCCLXXXVII

Tacitus libro V. & Dio lib. LVIII. consules in hunc annum comparant Paullum Fabium Persicum, & L. Vitellium, Casiodorus Persicum & Vitellium. Auctor incertus uitae A. Persii poetae: Persius (inquit) natus est Fabio Persico, L. Vitellio cos. Eosdem edit & Frōtinus II. Aquaed. in antiquo quoque marmore mentio est L. Vitellij, & Paulli Fabii Persici cuius exemplum paulo post afferam. Hic L. Vitellius P.F.Q.N. & A. Vitellii Imp. pater dicitur a Tranquillo. Paullus uero Fabius, Paulli Fabii Maximi sub Augusto consulis filius est, ut puto. Hoc anno secunda Tiberij decennalia festa facta fuisse auctor est Dio

Annus DCCLXXXVIII

Plinius libro X. cap. XLIII. & Tacitus libro V. consules comparant C. Cestium M. Seruilium, Dio C. Gallum M. Seruilium. Liber Cuspiniani, & Fasti Graeci Gallum & Nonianum. Seruilij Rufi uiri consularis meminit Plinius libro VI. cap. V. de eo quoque libro XXXVI. cap. VI. ita scribit: Nonius senator ab Antonio proscriptus auus fuit Seruilii Noniani, quem cōsulem vidimus

Annus DCCXXCIX

Plinius libro X. cap. II. Solinus cap. XLVI. Tacitus libro V. & Dio libro LVII. consules huius anni memorant Q. Plautium, Sex. Papinium. Casiodorus Gallienum & Plautianum, Fasti Graeci Plautium, Laelianum. Videndum num hi sint hi cos. quos libro X. cap. XII. Sex. Papellium Istrum, & L. Paedianum forte mendose uocat Plinius. Plautii cognomen magis probo Laelianum, quam Plautianum aut Pedianum; ut Laelius quidam fuerit a Q. Plautio adoptatus. De Sex. Papinio Gallieno altero cos. eiusmodi extat inscriptio Patauii

SEX. PAPINIO. Q. F. GALLIENO
TR. MIL. LEG. TI. CAESARIS
AVGVRI. TR. PL. PR. LEG
TI. CAESARIS. AVG. PRO. PR
COS. XV. VIRO. S. F. D.D

P. Petronii cos. suffecti meminit Tacitus. Hoc anno auctore Tranquillo XVIII. Kal. Ianuarii Nero Imp. natus est ante IX. menses quam Tiberius excessisset

Annus DCCXC

Supremi Tiberio consules Cn. Acerronius, C. Pontius magistratum deinceps occepere auctore Tacito, quos Dio Cn. Proculum & Pontium Nigrinum uocat cos. in sex menses. Fasti Graeci, & Liber Cuspiniani Proculum & Nigrinum. Tranquillus in Tiberio: Tiberius obiit in villa Lucullana octauo & septuagesimo aetatis anno, tertio & vigesimo imperij, XVII. Kalen. Apriles Cn. Acerronio Proculo, C. Pontio Nigro cos. Idem & reliqui historici scribunt. Extant Romae duae antiquae inscriptiones eiusmodi

IOVI. CONSERVATORI. SACRVM
C. IVLIVS. C. F. QVIR. ARRIANVS. V. S
DON. DEDIT. XVI. KAL. MART
CN. ACERRONIO. ET. PONTIO. NIGRINO. COS

OSSA
TI. CAESARIS. DIVI. AVG. F. AVGVSTI
PONTIFICIS. MAXIMI
TRIB. POTEST. XXXIIX
IMP. VIII. COS. V

De C. Caesare Caligula Imp

C. Caesarem Germanici & Agrippinae filium, Ti. Augusti Nepotem, Diui Augusti pronepotem, qui castrensi ioco Caligulae cognomen traxit, Tiberio Caesari successisse inter omnes scriptores ita conuenit ut nullus sit qui dissentiat. Hic die obitus Tiberii imperium Romanum suscepit annum agens XXV. ut scribit Dio, quod annos tres, menses X. dies IX. tenuit, tot enim tempus ad diem eius caedis intercessisse constat. Qui quum circiter initia imperii Augusti, & patris patriae cognomina, pontificatum maximum, & tribuniciam potestatem suscepisset, cos. designatus est, praenomine tamen imperatoris abstinuit, quemadmodum ex eius antiquis nummis intelligi potest

De primo C. Caesaris Aug. Germanici consulatu

Caius (ut inquit Dio libro LVIII) Kal. Iulii primum consulatum cū patruo suo Ti. Claudio Nerone Drusi filio Germanico, qui post illum imperauit, cepit, eumque per duos menses & dies XV. usque ad Idus Septembris gessit quo quum abdicasset cos. suffecit eos qui a Tiberio designati fuerant, quorum nomina amissa sunt. Vnde miror Tranquillum ita scripsisse: Caium primum consulatum ex Kal. Ianuariis per duos menses gessisse. Quod fieri nulla ratione potuit, quum triennio tantum imperauerit, reliquosque tres consulatus ordinarios gesserit. Adiicit idem: Patruum Claudium equitem Romanum ad id tempus collegam sibi in cōsulatu assumpsit. Extat antiquus nummus ita inscriptus C. CAESAR. AVG. GERMANICVS. P. M. TR. POT. COS

Annus DCCXCI

Dio consules in hunc annum profitetur C. Caesarem Germanicum II. L. Apronium L.F. Caesianum. Liber Cuspiniani Caesarem II. & Caesianum. Apronij Caesiani, qui filius adoptiuus fuit L. Apronij nouissimis Augusti temporibus consulis, mentionem saepe facit Tacitus, & in antiquo libro ita est C. Caesare Augusto Germanico II. L. Apronio Caesiano cos. L. Apronii consularis suorum temporum meminit Plinius libro II. cap. XXXVII. Tranquillus: Caius secundũ consulatum ex Kal. Ianuarijs per XXX. dies gessit. Caio suffectus fuit Cn. Domitius Cn. F. Corbulo ut refert Dio. De quo saepe Plinius mentionem facit. Kal. Iulij consules suffectos esse scribit Dio, alterumque ex his Sanquinium Maximum II. fuisse prodit.

Annus DCCXCII

M. Aquillium C.F. Iulianum, P. Nonium M.F. Asprenatem cos. subiicit Dio. Iulianũ & Asprenatem Cassiodorus, Fasti Graeci, & Liber Cuspiniani. Asprenates Torquati cognomine usos refert Tranquillus in Augusto. Horũ consulum meminit Frontinus II. de aquaeductibus, atq; hunc annum alterum uocat C. Caesaris. Ex consulibus Kalend. Iulij suffectis, Dio Cn. Domitij Afri, & Tranquillus Q. Curtii Rufi meminerunt. Cn. Domitii hoc extat epigramma

CN. DOMITIO. SEX. F. AFRO
TITIO. MARCELLO. LVRINO
LVCANO. COS. PRO. COS
PROVINCIAE. AFRICAE

Extat etiã antiquus aereus nummus ita inscriptus
C. CAESAR. DIVI. AVG. PRON. AVG. P. M. TR. P. III. P. P.
A tergo vero
GERMANICVS. CAESAR. TI. AVG. F. DIVI. AVG. N.

Annus DCCXCIII

Dio, Fasti Graeci, & liber Cuspiniani C. Caesarem solum consulem hoc anno profitentur. Qua de re ita scribit Suetonius: Tertium consulatum in idus Ianuarij gessit, quem inijt Lugduni solus, non ut quidam opinantur superbia, negligentiaue; sed quod defunctum sub Kalendarum diem collegam resciisse absens non potuerat. Cuius nomen adhuc non inueni. Suffectos autem Idibus Ianuarii C. Caesari consules fuisse L. Gellium L.F.L.N. Poplicolam, & M. Cocceium M.F.M.N. Neruam patrem Neruae Imperatoris intelligitur ex Cassiodoro, qui hos consules suffectos hoc anno, pro ordinariis, non habita ratione tertii caligulae consulatus, subiecit. Consulum vero Kal. Iulijs suffectorum meminit Frontinus primo de Aquaeductibus. Extat antiquus eiusmodi nummus C. CAESAR. DIVI. AVG. PRON. AVG. P. M. TRIB POT. IIII. P. P. COS. TERT. IMP. II

Annus DCCXCIIII

C. Caesar IIII. & Cn. Sentius Cn. F. Saturninus consules memorantur hoc anno a Dione. Fasti Graeci, Liber Cuspiniani, & Cassiodorus Caesarem IIII. & Saturninum edunt. Tranquillus de hoc consulatu ita scribit: Quartum consulatum ex Kal. Ianuarii in VII. Idus earundem gessit. Ex omnibus duos nouissimos coniunxit. Ex quibus uerbis Tranquilli cognoscimus inter secundum & tertium consulatus medium consulatum cos. priuatorum intercessisse. Quo fit ut C. Caesar quater cos. ordinarius esse non potuerit, ut ipse Tranquillus haud recte scripsit. P. Pomponium Secundum II. consulem suffectum fuisse Caio, scribunt Iosephus, & Dio: eius consularis meminerunt saepe Plinius & Tacitus. Proximis uero Kal. Iulii Venustum Saturnino subrogatum fuisse subindicat Cassiodorus qui hoc anno cos. suffectos pro ordinariis enumerat Secundum & Venustum. Eodem anno ut Dio, Tranquillus & Iosephus auctores sunt IX. Kal. Februarii Caius occisus est. Quum uixisset annos XXIIX. menses IV. dies XXIV

De Ti. Claudio Caesare Aug. Imp

Diem caedis C. Caligulae fuisse initium principatus Ti. Claudi Neronis, (ut scribit Dio, vel Drusi ut Suetonius) Caesaris Augusti Germanici his verbis docet Tranquillus: Cai & si acta omnia rescidit, diem tamen necis quamuis exordium principatus sui, vetuit inter Fastos referri. Hic filius fuit Drusi Germanici, Liuiae Augustae filii, & Ti. Caesaris fratris, Germanicique Caesaris frater, occisi Caii patruus. Qui ut primum princeps creatus est omnia imperatorũ insignia & titulos accepit praeter imperatoris praenomen. Imperauitque (vt tradit Dio) annos XIII. menses VIII. & dies XX. totidem enim a die primo imperii ad eius obitum numerantur. Eum autem primo imperii anno ob res in Germania & Africa auspiciis suis prospere a Ser. Galba, & P. Gabinio gestas, Imperatorem II. appelatum fuisse scribit Dio, quod etiam ex sequentibus inscriptionibus intelligi poterit

TI. CLAVDIVS. DRVSI. F. CAESAR. AVG. GERMANICVS
PONT. MAX. TRIB. POT
COS. DES. II. IMP. II. REFECIT

Extat antiquus hic aereus nũmus TI. CLAVDIVS. CAESAR. AVG. GERM. P. M. TR. POT COS. DES. IT. Hoc anno III. Kal. Ianuarii ut scribit Suetonius, Titus Caesar Imp. natus est

Annus DCCXCV

Dio libro LVIII. cõsules in hunc annum comparat Ti. Claudium Caesarem Aug. II. & C. Largum, Liber Cusp. & Fasti Graeci Caesarem II. & Largum. Pedianus pro Scauro, & Plinius libro XVII. cap. I. eum Caecinam Largum, Tacitus uero Licinium Caecinam appellant, ita ut C. Licinius Caecina Largus dictus sit. Hic cos. fuit in annum, Claudius vero in duos menses ut scribit Dio. De consulatibus Claudij ita Tranquillus: Consulatus super pristinum quattuor gessit ex quibus duos primos iunctim, sequentes per interuallum quarto quenque anno, semestrem nouissimum, bimestres ceteros. Quis in Claudij locum cos. factus fuerit obscurum. Hoc anno rebus in Africa, Mauritania, Tingi & Caesariensi a Suetonio Paullino, & Cn. Sidio Geta bene gestis, Claudius Imp. III. appellatus est. Quod etiam haec inscriptio indicat, quae adhuc Rauennae extat ad portam auream

TI. CLAVDIVS. DRVSI. F. CAESAR. AVGVSTVS. GERMANICVS
PONT. MAX. TRIB. POT. II. COS. DES. III. IMP. III. P. P. DEDIT

Annus DCCXCVI

Claudium III. & L. Vitellium II. cos. in hunc annum comparant Dio, Fasti Graeci, & Liber Cuspiniani. Tranquillus in Vitelli: L. Vitellius P. F. cum Claudio principe duos ordinarios consulatus censuramque gessit. Hic Claudij consulatus bimestris, Vitellij vero semestris fuere, ut tradit Dio. Quibus qui suffecti fuerint incertum. Extat haec inscriptio

TI. CLAVDIVS. CAESAR. AVG. GERMANICVS. PONT. MAX. TRIB
POT. III. COS. III. IMP. III. P. P. D. D

Hic fuit primus annus belli Britannici ut tradit Dio, in quo Claudius Imp. IV. appellatus est

Annus DCCXCVII

Dio consules in hunc annũ profitetur C. Crispinum & T. Statilium. II. Fasti Graeci, & Liber Cuspiniani Crispum II. & Taurum. Cassiodorus Crispinum & Taurum. C. Quinctium Crispinum filium esse existimaui eius T. Crispini, qui sub Augusto consul fuit. Tauri enim nomenclatura clara est. Hoc anno in expeditione Britannica Claudius Imp. V. appellatus est, quod ex triumpho de Britannis quem hoc anno egit, & ex sequentibus inscriptionibus cognosci poterit. Eodem anno XV. Kal. Februarii Beatissimus Apostolorum princeps Petrus vrbem primo ingressus est. A quo die ad eius mortem anni sunt XXIV. menses V. dies XII

Annus DCCXCVIII

Vinicium II. & Statilium Coruinum consules suggerit Dio, Vinicium & Coruinum Fasti Graeci, liber Cuspiniani, & Cassiodorus. M. Vinucius consul ante sub Ti. Caesare fuit; M. Statilij meminit Tacitus, quem Suetonius in Claudio Messallae Coruini oratoris nepotem vocat. M. Cluuii Rufi consularis Tacitus & Tranquillus mentionem faciunt, quem cum Pompeio Siluano collega consulem huius anni parte fuisse docet Iosephus libro Antiquitatum XX. cap. I. vbi ita scriptum est

TI. CLAVDIVS. CAESAR. AVG. GERM. TRIB. POT. V. COS. DES. IIII. IMP. X
RVFO. ET. POMPEIO. SILVANO. COS. XIII. KAL. AVGVSTI

Hoc anno bello Britannico Claudium Imp. VI. VII. VIII. IX. X. & XI. appellatum fuisse ex his intelligi potest inscriptionibus

TI. CLAVDIVS. DRVSI. F. CAESAR. AVG. GERM
PONT. MAX. TRIB. POT. V. IMP. VI. COS. DES. IIII

Item

TI. CLAVDIVS. DRVSI. F. CAESAR. AVG. GERM
PONT. MAX. TR. POT. V. COS. III. DESIGN. IIII
IMP. X. P. P. EX. S. C
C. CALPETANVS. STATIVS
SEX. METRORIVS. M. PERPENNA. LVRCO
T. SARTIVS. DECIANVS. CVRATORES
TABVLARIOR. PVBLICORVM
FAC. CVR

Item

TI. CLAVDIVS. DRVSI. F. CAESAR. AVGVSTVS. GERMANICVS
PONTIFEX. MAXIMVS. TRIB. POTEST. V. IMP. XI. P. P. COS. DESIG. IIII
ARCVS. DVCTVS. AQVAE. VIRGINIS. DISTVRBATOS. PER. C. CAESAREM
A. FVNDAMENTIS. NOVOS. FECIT. AC. RESTITVIT

Annus DCCXCIX

C. Valerius Asiaticus II. & M. Messalla cos. memorantur a Dione libro LVIII. a Cassiodoro uero Asiaticus, & Cornelius; a Libro Cuspiniani, & Fastis Graecis Asiaticus & Silanus. De Valerio Asiatico bis consule Tacitus libro XI. Iosephus, & Seneca mentionem faciunt. M. Messal

la patrem, auumque habuit M. Messallas. Hi consules non annui fuerunt, vt refert Dio. Vellei Rufi, & P. Ostorii Scapulae cos. suffectorũ sub Claudio meminit liber digestorum XXXIIX cap. IV. parag. I. P. vero Ostorii Scapulae saepe Tacitus

Annus DCCC

Anno ab vrbe condita (inquit Dio) DCCC. Ti. Claudius IIII. & L. Vitellius III. consulatũ inierunt. Tranquillus: Tertium consulatum Claudius nouo circa principem exemplo in locum demortui suffectus bimestrem cepit. In cuius locum suffectus est TI. Plautius M.F.M.N. Siluanus Aelianus, de quo eiusmodi extat inscriptio

Hoc anno ludos saeculares à Claudio factos fuisse Plinius libro VII cap. XLVIII. Tacitus libro XI. Tranquillus, Dio libro LVIII. & Censorinus prodiderunt. De quibus latissime disputaui in eo libro, quem de eorum origine conscripsi

TI. PLAVTIO. M. F. M. N
SILVANO. AELIANO
PONTIF. SODALI. AVG
III. VIR. A. A. A. F. F. Q. TI. CAESARIS
LEG. LEG. V. IN. GERMANIA
PR. VRB. LEGAT. ET. COMITI. CLAVD
CAESARIS. IN. BRITTANNIA. CONSVLI
PRO. COS. ASIAE. LEGAT. PRO. PRAET. MOESIAE
QVEM. IN. PRAEFECTVRA. VRBIS. IMP. CAESAR
AVG. VESPASIANVS. ITERVM. COS. FECIT

Claudium item Imperatorem, & L. Vitellium censores hoc anno creatos Plinius libro VII. capite XLVIII. & libro X. cap. II. Solinus capite XLVI. Tacitus libro XI. & Tranquillus in Claudio, & Vitellio docent. Eundem principem bello Britannico adhuc uigente Imperatorem XII. XIII. XIV. & XV. appellatum intelligitur ex hoc epigrammate

PRO. SALVTE
TI. CLAVDI. CAESARIS. AVG. GERMANICI. PONT. MAX. TRIB. POT. VII. COS. IIII
IMP. XV. P. P. CENSORIS . . . . LIBERORVM. QVE . . . .
EX. VOTO. SVSCEPTO. C. IVLIVS. SEX. F. COR. POSTVMVS. PRAEF. AEGYPTI
TI. CLAVDI. CAESARIS. AVG. GERMANICI. EX. AVRI. P. XVI

Annus DCCCI

Consules in hunc annum comparat Tacitus libro XI. A. Vitellium L. F. & L. Vipsanium. Liber Cuspiniani, & Cassiodorus Vitellium & Poplicolam. Hic A. Vitellius L. Vitellij ter consulis, & hoc anno censoris cũ Claudio filius est, ut scribit Tranquillus, qui postea imperium in Germania contra Galbam inuasit. Consulum suffectorum antiquus lapis, & Suetonius meminerunt. Is enim in Vitellio ita scribit; L. Vitellius P. F. decedens duos filios superstites reliquit, quos cos. uidit, & quidem eodem ambos, totoque anno, quum maiori minor in sex menses successisset; Is fuit L. Vitellius. Antiquae uero inscriptionis exemplum ex quo tam hi suffecti, quam plerique alii consules excerpi possunt, est hoc

L. VITELLIVS. PAVLLVS . . . . .
C. PISO. MAGNVS. POMPE-
IDVS. IANVAR
-VM. QVOD. TI. CLAVDIVS. CAES-
P. P. APPELLAVIT
-TONIO. IOVI. BOVEM. MAREM. CVRE-
-CAM. MINERVAE. VACCAM. FELICI-
-ACCAM. DIVO. AVG. BOVEM. MAREM. DI-
-AVGVSTI. VACCAM. ADFVERVNT
-C. CAECINA. LARGVS. L. VITELLIVS. PAVLLVS
-FABIVS. PERSICVS. TAVRVS. STATILIVS
-ORVINVS. C. PISO. M. SILANVS
L. SILANVS. CN. POMPEIVS
XVI. k. FEBRVAR

Eodem anno Ti. Clandius Caesar censor cũ L. Vitellio, ciuitate aliquot Galliarum prouinciis donata, patriciis creatis, senatu lecto, censũ acto, quo ciuium capita LXIX. centena millia, & CXLIIII ∞ censa sunt, lustrũ condidit: ipse more veteri princeps senatus lectus: auctor Tacitus. Lustrum hoc a primo Ser. Tullij lustro LXXIIII. fuit

Annus DCCCII

Tacitus libro XII. Consules in hunc annum comparat C. Põpeium, & Q. Verannium. Cassiodorus Verãniũ & Gallum; eosdem & Liber Caspiniani. Solinus cap. II. C. Pompeio Gallo, Q. Verânio cos. Anno vrbis DCCCI. Olympias CCVII. actis publicis notata est. Frõtinus II. de Aquaed. Q. Verannium & Pompeium Longinum vocat. Hoc anno Claudius (vt scribit Tacitus) pomerio prolato Auentinum vrbi inclusit, quod eiusmodi uetus inscriptio docet

TI. CLAVDIVS
DRVSI. F. CAISAR
AVG. GERMANICVS
PONT. MAX. TRIB. POT
IIIIV. IMP. XVI. COS. IV
CENSOR. P. P
AVCTIS. POPVLI. ROMANI
FINIBVS. POMERIVM
AMPLIAVIT. TERMINAVITQ

Annus DCCCIII

C. Antistium & M. Suillium cos. in hunc annum Tacitus profitetur. Cassiodorus Veterem

De Nerone Imperatore

Claudio mortuo successit in imperium L.Domitius Cn.F.L.N.Ahenobarbus, quem matris Agrippinae Germanici filiae, C.Caligulae sororis, Claudij Imp.neptis, & vxoris, illecebris, & astu Claudius Imperator adoptatum, Neronem Claudim Drusum appellauit, filioque naturali Britannico quem ex Messallina susceperat praeposuit. Is die obitus Claudii, imperium suscepit, quod per annos XIII. menses VII. & dies XXVIII. tenuit; totidem.n. sunt usq; ad eius mortis diem; nam obiit XIV. anno post IV. Idus Iunii, ut clare ex Dione elicitur. Quum autem omnia principum insignia & titulos suscepisset, principio imperii praenomen imperatoris, propter modestiam, & cognomen patris patriae propter aetatem recusauit (non enim XVII. annum excedebat) quae tamen utraque non longe post accepit. Primis imperii diebus Imp. appellatus est, ob res in oriente eius auspiciis a Quadrato & Corbulone prospere gestas, ut scribit Tacitus

Annus DCCCVIII

Tacitus libro XIII. consules in hunc annum comparat Neronem Claudium, & L.Antistium, Cassiodorus, & Liber Cuspiniani, Neronem & Veterem. Veteris pater & auus consulares fuere. De consulatibus Neronis ita scribit Suetonius in eius uita: Consulatus quattuor gessit, primum bimestrem, secundum & nouissimum semestreis, tertium quadrimestrem: medios duos continuauit, reliquos inter annua spatia uariauit. Huius consulatus mentio est in antiqua figulina, ita EX . PRIVATA . L . SERVILI . FOTVNATI . MACEDON
T . STATILI . MVNERI
NERO . CLAVDIVS . CAES . L.ANTISTI
VS . VETVS . COS

Annus DCCCIX

Q.Volusiú, & P.Scipionem cos. suggerit Tacitus. De quibus in antiqua inscriptione eiusmodi mētio est. Q.Volusius L.Volusii praefecti vrbis filius est, de quo scribit Plinius lib. VII. cap. XIV. & in hoc ipso anno Tacitus. P.Cornelius P.F.Scipio dicitur alibi a Dione. Horum consulum Liber Cuspiniani, & Damasus in vita S.Lini Papae meminerūt. Neronem hoc anno Imp. II. appellatum fuisse, ex hoc antiquo nummo liquet NERO. CAESAR. AVG. GERMAN. PONT. MAX. TR. P. II. IMP. II. P. P

Q . VOLVSIO . SATVRN
P. CORNELIO . SCIP . COS
AVGVSTALES
QVI : NERONI . CLAVDIO
CAESARI . AVGVST . ET
AGRIPPINAE . AVGVSTAE
I. O. M. ET . GENIO . COLONIAE
LVDOS. FECER. XIII. XII. K. MART

Annus DCCCX

Neronem II. L. Pisonem cos. edit Tacitus, qui alibi hunc L. Calpurnium L. F. Pisonem vocat. Hic Neronis consulatus semestris fuit. Cui & collegae Pisoni, consules suffecti sunt Ducennius Geminus & Pompeius Paullinus. De quibus scribit Tacitus libro XV

Annus DCCCXI

Cum Nerone III. consule simul iniit consulatū Valerius Messalla, cuius proauum oratorē Coruinum, diuo Augusto abauo Neronis collegam in eo magistratu fuisse, pauci iam senum meminerant: Ita Tacitus. Is Neronis consulatus auctore Tranquillo quadrimestris fuit. Hoc anno pace populo Romano terra marique parta, quinctum Ianus geminus clusus est, quum Nero ob res bene in Germania gestas Imp. III. appellatus fuisset, ut ex antiquis nummis & inscriptionibus liquet

IMP. NERO. CLAVD. CAESAR. AVG. GER. P. M. TR. P. V. P. P a tergo
PACE. P. R. TERRA. MARIQ. PARTA. IANVM. CLVSIT

Item

NERO . CLAVDIVS . CAESAR
AVG. GERMANIC. PONT. MAX
TRIB. POT. V. IMP. III. P. P

Annus DCCCXII

C.Vipsanius & Fonteius consules comparantur a Tacito libro XIV. C.Capito & Apronianus a Cassiodoro, Capito & Apronianus a libro Cuspiniani, Vipsanius & Fonteius a Plinio libro II. cap. LXXII. & VII. cap. XX. & Solino cap. VIII. Poplicola cognomen est Vipsaniorum, ut superius uisum est. Ita vt hi consules sint C.Vipsanius C.F.Poplicola Apronianus, ab Apronio quodam adoptatus, & C. Fonteius Capito, cuius pater Lucius sub Tiberio, & auus Caius sub Augusto consules fuerunt *Annus* DCCCXIII

Nero IIII. & Cossus Cornelius deinde consules fuerunt auctore Tacito, quos Cassiodorus Neronem & Cornelium, Liber Cuspiniani Neronem & Lentulum vocant. Hic Lentulus patrem, auumque Cossos Cornelios consulares habuit, ut scribit Frontinus II. de Aquaed

Annus DCCCXIIII

Tacitus libro xiiij. Caesonium Paetum, & Petronium Turpilianum cos. subijcit. Liber Cuspiniani, & Casiodorus Paetum & Turpilianum. De hoc ipso C. Petronio Turpiliano multa scripsit idem Tacitus libro xvi & Plinius. Extat antiquus nummus ita inscriptus SABINVS. TVRPILIANVS. III. VIR. C. Caesonij Paeti Plinius & Dio meminerunt, utrorunq; uero haec uetus inscriptio

SILVANO . SANCTO
ET. MERCVRIO
ET. LIBERO. PATRI
SACRVM
M.VARGVNTEIVS.M.F
PAL. AVGVRINVS
SVA. PECVNIA.D.D
III. IDVS. AVGVST
PETRONIO. TVRPILIANO
ET.CAESONIO. PAETO CoS

Annus DCCCXV

P. Marium L. Asinium cos. suggerit Tacitus, Marium & Gallum Cassiodorus, quamquam non sine menda, & liber Cuspiniani. Marij Celsi iterum Consulis meminit Tacitus; L. Asinij pater & auus consules fuerunt. Hoc anno L. Annaeum Senecam & Trebellium Maximum consules suffectos fuisse elicitur ex Tacito, & Dione. De quibus Iustinian. ij. xxiij. Institut. Vlpianus Digest. libro xxxvj. cap. j. p. j. Factum est s.c. temporibus Neronis viij. Kal. Septembris Annaeo Seneca & Trebellio Maximo cos

Seneca Cos. suff

Annus DCCCXVI

Memmius Regulus, & Virginius Rufus consules in hunc annum comparantur a Tacito, & Frontino ij. de Aquaeductibus. Horum meminit Seneca in VI. naturaliũ quaestionum libro. Hic L. Memmius alibi dicitur a Tacito, quem filium reor C. Memmij sub Tiberio consulis. Rufus quoque Virginius praenomine Paulli afficitur ab eodem Tacito

Annus DCCCXVII

C. Lecanius, M. Licinius cos. deinde fuerunt auctore Tacito libro XV. Quos Cassiodorus, & liber Cuspiniani Bassum & Crassum uocant. Eos Frontinus II. de Aquaeductibus. Lecanium Bassum & Crassum Frugi uocat. Hic Crassus Frugi ex Familia Calpurnia fuit, a M. Licinio adoptatus, ut refert Tacitus, atque M. Licinius M. F. M. N. Crassus appellatus. Plinius libro XXVI. cap. I. Carbunculo (inquit) duo consulares obiere C. Lecanius Bassus, & C. Iulius Rufus. Hoc anno X. imperij Neronis anno exacto, eum decennalia festa celebrasse, ex Dione intelligitur

Annus DCCCXVIII

Ineunt deinde (ut inquit Tacitus) consulatum Silius Nerua, & Atticus Vestinus. Liber Cuspiniani Neruam & Vestinum edit. Idem Tacitus Anicij Cerealis & Plautij Laterani huius anni cõsulum suffectorum meminit; hunc Neruam P. Silium appellatum fuisse existimo, Publij viri consularis filius, & in alteram familiam adoptatum. Legitur enim in antiqua basi haec inscriptio

SANCTISSIMAE
NEMESI
L. AVINIVS. L. F. SER
VITALIVS
ET. AVINIA. FELICITAS
SVA. PEC. D. D
DEDIC. XV. K...
SILIANO. ET. ATTICO CoS

Ceterum in antiquis inscriptionibus quae nunc ad manum non sunt, C. Iulij Attici Vestini consulis mentionem fieri inueni. De quo etiam Trãquillus in Nerone scribit, quẽ in magistratu occisum fuisse refert

Annus DCCCXIX

C. Suetonium L. Telesinum consules Tacitus libro XVI. memorat, Frontinus ij. Aquaed. & Dio in Nerone L. Telesinũ, & Suetonium Paullinũ edunt. Liber Cuspiniani & Cassiodorus Telesinum & Paullinum. Suetonij Paullini saepe Tacitus ipse, & Plinius libro V. cap. j. meminerunt. L. uero Telesini nomen Pontium esse libro ij. Velleius docet,

Annus DCCCXX

Fasti Graeci, liber Cuspiniani, Damasus in uita S. Lini Papae, & Casiodorus cos. suggerunt Capitonem & Rufum. Tacitus, qui hoc loco mancus est, horum consulum, alterum Capitonẽ, aliquando L. Fonteium, aliquando Fonteium Capitonem libro XVII. uocat. Is frater est C. Capitonis octennio ante consulis. C. Iuli Rufi suorum temporum consularis meminit Plinius libro ij. cap. lxj. Hoc anno C. Iulius Vindex ex propr. Galliarum a Nerone descinit, suasitq; Galbae Hispaniarum legato, ut imperium reciperet. Quare & Galba a Nerone deficiens Imp. ab exercitu appellatus est. Huius Vindicis meminit & Plutarchus in Galba. Ceterum de Nerone cos.

suffecto

suffecto V. ita scribit in Nerone Tranquillus cap. XLIII: Post Vindicis & Galbae defectionem credens expeditionem necessariam, consules ante tempus priuauit honore, atque in utriusque locum solus iniit consulatum, quasi fatale esset non posse Gallias debellari nisi a consule, ac susceptis fascibus. Hoc autem factum fuisse ante nouissimas eius imperii Kal. Ianuarias idem Tranquillus scribit. Hoc anno III. cal. Iulii Beatiss. apostoli Petrus & Paulus Romae martyrio coronati sunt

Annus DCCCXXI

Damasus in vita S. Clementis Papae, Liber Cuspiniani, & Fasti Graeci Italicum & Trachalum cos. hoc anno edunt, quos Cassiodorus Italicum & Turpilianum, Frontinus uero II. de Aquaed. Silium Italicum & Galerium Trachalum uocant. M. Galerii Trachali meminit Tacitus. Alter consul est C. Silius Italicus poëta celebris de quo Plinius in epistolis libro III. ita scribit ad Caninium Rufum: Vtque nouissimus a Nerone factus est consul, ita postremus ex omnibus, quos Nero consules fecerat decessit. Illud etiam notabile, vltimus ex Neronianis consularibus obiit, quo consule Nero periit. Hoc anno Nero ab omnibus desertus in suburbanū liberti sui fugit. Quum autem a senatu hostis iudicatus quaereretur ad poenam se ipse interfecit IIII. Idus Iuni, ut in Vespasiano scribit Dio, quum vixisset annos XXX. & menses IX. Imperassetque XIII. & menses VIII

De Galba Imperatore

Neroni inquiunt Tranquillus & Dio, Ser. Galba successit, nullo gradu contingens Caesarum domum, sed haud dubie nobilissimus, magnaque & uetere prosapia patricia Sulpicia ortus. Ei, occiso Nerone, absenti adhuc in Hispania, quam legatus consularis obtinebat, cuncta principibus solita senatus decreuit ut ex huius antiqui nummi inscriptione constat SER. GALBA. IMP. CAESAR. AVG. P. M. TR. P. COS

De consulibus suffectis

Consules suffectos pro ordinariis Italico & Turpiliano suggerit Cassiodorus Othonem & Siluanum. Otho is est qui anno sequenti imperium inuasit. Siluanus uero M. Plautius dicitur a Tacito. Hos autem bimestres consules fuisse, & cal. Iulii designatos a Galba uidetur. Nam Otho ante Neronis caedem in prouincia Lusitania cum imperio erat. Proximis vero cal. Octobribus alii cos. reperiuntur

De aliis consulibus suffectis anno DCCCXXI

Quum per haec tempora ut clarius anno sequenti videbimus, consules bimestres, atque inter ceteros menses Kal. Ianuariae & Iuliae celebriores ineundis consulatibus essent, superioribus consulibus suffectis Siluano & Othoni, in Kal. Septembres Natalem et Asiaticum subrogati, de quibus mentio est in antiqua Maffeiorum inscriptione, ita

IMAGINVM . DOMVS
AVG . CVLTORIBVS . SIGNVM
LIBERTATIS . RESTITVTAE
SER. GALBAE. IMPERATORIS. AVG.
CVRATORES . ANNI . SECVNDI
C . TVRRANIVS . POLYBIVS
L . CALPVRNIVS . ZENA
C . MVRDIVS . LALVS
C . TVRRANIVS . FLORVS
C . MVRDIVS . DEMOSTHENES

In sinistro latere
DEDIC . IDIBVS . OCTOB
C . BELLICO . NATALE . Cos
P. CORNELIO. SCIPIONE. ASIATIC

Annus DCCCXXII

P. Cornelius Tacitus libro XVII. Initium (inquit) mihi operis Ser. Galba II. T. Vinius, non Iunius, ita enim ex antiquo lapide emendaui, consules erunt. Nam post vrbē conditā DCCCXX. prioris aeui annos multi auctores retulerunt. Liber Cuspiniani Galbam & Vinium, Fasti Graeci Galbam & T. Rufinum, forte mendose pro Vinium. Rufinum enim eum nullibi quod sciā appellari uideo, potius Crispinum, filiam enim Crispinam habuisse a Tacito scribitur, quae nomen ex patris cognomine ut tum consuetudo erat traxit. Quum haec scriberem nuntiatum est mihi ab Antonio Augustino, & Benedicto Aegio antiquitatum omnium consultissimis, Romae in Piscina publica, ad Coelii montis radices, ac secus Ardeatinam uiam, in vinea pistoris cuiusdam, in lapide Tiburtino inscriptiones aliquot exaratas refossas fuisse. In quarum altera ita scriptum erat SER. GALBA. II. T. VINIO. COS. Ita ut in Tacito libro XVII. pro nomine Iunius, Vinius reponendum est. Quod minime apud Plutarchum in Galba corruptum fuerat, qui Vinium eundem uocat. De nomine enim Vinio tum in aeneis nummis, tum apud Ciceronem ad Atticum, & Horatium in epistolis mentio est. Galba igitur Augustus II. & T.

Vinius huius anni consules ordinarii fuerunt. Quo III. Nonas Ianuarij, ut Tacitus scribit, A. Vitellius L. F. inferioris Germaniae legatus consularis, a legionibus Germanicianis Imp. contra Galbam appellatus est. Qua re Romae nunciata, Galba senectam suam contemni ratus, quum nullos haberet filios, ne successor in incerto esset, IIII. Idus Ianuarij filium a se adoptatum, Caesarem appellauit L. Calpurnium L. F. Pisonem Frugi Licinianum, M. Crassi filium, uerum a L. Pisone Frugi antea adoptatum. Vnde M. Otho, qui sperauerat fore ut adoptaretur à Galba, quũ Pisone praelato spe decidisset, ad uim conuersus, coniuratione facta XVII. Kal. Februar. (Is mensis VII. & dies VII. ab obitu Neronis, Galbaeque imperii erat) Imp. Galbam, Pisonem Caesarem, & T. Vinium consulem in magistratu interfecit, atque ipse imperium contra Vitellium inuasit, Romae a praetorianis Imp. appellatus. Galba vixit annos LXXIII. & dies aliquot. Haec autem omnia ex Tacito, Tranquillo, & Dione accepi

De Othone Imperatore

Galba Augusto, & Pisone Caesare XVII. Kal. Februarii. caesis, octauus post Cæsarem dictatorem imperium Rumanum inuasit M. Saluius Otho, cuius pater L. Otho uir consularis, auus uero Marcus prætorius fuere. Ei autem omnia Imperatorum insignia, & titulos à senatu decreta fuisse docet hic nummus IMP. OTHO. CAESAR. AVGVSTVS. P. M. TR. P. COS. Otho in imperio confirmatus, consul cum Titiano fratre in Kal. Martias ipse, proximos menses Virginio Rufo destinat, ut aliquod exercitui Germanico delinimentum, iungitur Virginio Pompeius Vopiscus praetextu ueteris amicitiae. Ceteri consulatus ex destinatione Neronis aut Galbae mansere. Coelio ac Flauio Sabinis in Iulias, Arrio Antonino & Mario Celso in Septẽbres, quorum honori ne Vitellius quidem uictor intercessit: ita Tacitus. Ipse Otho Imp. II. consul est, antea enim sub Galba fuerat, & ideo in eius antiquo nummo ita est IMP. OTHO. CAES. AVG. TR. P. a tergo PONT. MAX. COS. II. L. Saluius Titianus eius frater uocatur a Tranquillo, & quidem natu grãdior fuit. T. Virginius Rufus is est, qui post tertium consul fuit, de quo in tertio eius consulatu uerba faciam. Vopiscus Pompeius Siluani cognomine afficitur a Frontino. Hi ambo in Cal. Maias designati fuerant. Sed cur Kal. Aprilis inerint, paulo post aperiam. Coelius Sabinus Marci, Flauius uero Titi, praenomina habuerunt, ut ex Plinio libro XXXV. cap. XII. & Tacito liquet. Hic T. Flauius Sabinus Imp. Vespasiani frater fuit, ergo recte T. F. T. N. T. Arrius Antoninus proauus est Antonini Pii, cuius filius Titus Antoninus qui iterum cos. fuit, Pium ipsum ex filia nepotem, adoptauit. P. Marius Celsus nũc II. cos. est, primum enim sub Nerone fuit. Hoc anno XII. Kal. Maii qui dies XCV. imperii erat Othonis, Otho ipse bello ciuili a Vitellio Bebriaci uictus, se ipse Brixelli interfecit, annũ aetatis agens XXVII. ut auctores sunt Tacitus, Dio, & Tranquillus, ex quibus haec omnia decerpsi

De Vitellio Imperatore

Romae audita Othonis morte, Vitellio cuncta longis aliorum principatibus composita statim à Senatu decreta. Is imperium libere adeptus Germanici & Augusti cognomina assũpsit, Caesaris uero repudiauit. Quod etiam ex eius nummis intelligitur A. VITELLIVS. GERM. IMP. AVG. P. M. T. R. P. Huius pater fuit L. Vitellius ter consul, & censor cum Claudio, auus uero P. Vitellius eq. Romanus, & rerũ Augusti procurator, ut tradit Tranquillus. Imperauit Vitellius ab eo die quo in Germania Imp. appellatus est, menses XI. diesque XXII. post Othonis uero caedem menses octo, & dies V. occisus enim est hoc ipso anno, IX. Cal. Ianuarii. Interim a Vitellio, ut C. Fabio Valenti, & A. Liciniu Caecinae; quibus bello ciuili ducibus usus fuerat, uacui honoris menses ad consulatum aperirentur, aliorum consulatus coartati. Nam Virginius Rufus & Pompeius Vopiscus, qui in Kal. Maij cos. designati fuerant. Kal. Aprilis cõsulatum in duos menses inierunt, tum ob Vitellij edictum, tum quod Othone mortuo, & fratre Titiano abdicante, nulli mense Aprili futuri erant consules, qui Othõni & Titianĩ consulatuĩ adscriptus fuerat. Duo Sabini qui in Kal. Iulias per duos menses designati fuerant, mense tantum Iunio consulatum menstruum gesserunt. Antoninus & Celsus II. qui in Kalendas Septembres per duos & ipsi menses comparati fuerant, mensibus Iulio & Augusto fuerunt. Kal. Septembris uero bimestrem consulatum inierunt Caecina & Valens Vitellianarum partium duces. Ceterum prid. Kal. Nouembr. nouissimo consulatus die. Quum Caecinae ex S. C. magistratus abrogatus esset, quod a Vitellio ad Vespasianũ desciuisset, uetere exemplo Caninii Rebili uno die consulis, in eius locum per unum tantum diem suffectus est Rossius Regulus. Consules quoque in hunc annum per duos nouissimos anni menses designati fuerant M. Macer, & Valerius Marinus, Ceterum M. Macri dissimulatus consulatus a Vitellio tanquam Othonianarum partiũ ducis. Valerium quoq; Marinum a Galba destinatum consulem distulit nulla offensa, sed mitem & iniuriam segniter laturum. In eorum locum designati sunt in Kal. Nouembres Quinctius Atticus, & Caecilius Simplex. Quos Dio in Vitellio C. Quinctium Atticum, & Cn. Caecilium Simplicem

plicem uocat. Haec omnia ex Tacito, & Dione accurate excerpsi

Consulibus ita dispositis Vitellius in vrbem ueniens pótificatum maximum infansto die Aliẽsi & Cremerensi, idest XV. Kal. Augusti suscepit. Comitia in decem annos ordinauit, seque perpetuú cósulé, ut ait Trãquillus. Eius rei extat antiqua eiusmodi basis

A. VITELLIVS. L. F
IMPERATOR
COS. PERP

Quum autem bellum ciuile contra Vespasianum qui in Iudea imperium inuaserat suscepisset, proelio uictus, & a partium ducibus in vrbe captus occisus est, aetatis anno LIIII. mense IIII. imperii vero (vt dixi) mense VIII. & die V. IX. Kal. Ianuarij. Quare rebellione trium principum & caede, incertum diu & quasi uagum imperium suscepit firmauitque tandem auctore Vespasiano gẽs Flauia, obscura illa quidem & sine ullis maiorũ imaginibus, sed tamẽ Reip. nequaquã penitenda: Ita Tacitus, Tranquillus, & Dio

De Vespasiano Imperatore

Othone proelio victo & occiso, Vitellio uero in omnem lasciuiam, saeuitiam, & libidinem dissoluto, Vespasianus qui tunc legatus consularis bellum Iudaicum administrabat Imp. appellatus est. Initium ferendi ad Vespasianum imperij Alexandriae coeptum, festinante Ti. Claudio Alexandro, qui Kal. Iulii sacramento eius legiones adegit. Isque primus principatus dies in posterum celebratus, quamuis Iudaicus exercitus V. Nonas Iulii apud ipsum iurasset. Porro a Kal. Iulii huius anni imperii tempus, & tribuniciae potestatis numerandi ratio obseruata sunt. Imperauit autem Vespasianus ab eo die annos IX. mens. XI. dies XIIII. totidem enim numerãtur ad diem eius mortis, quae fuit decennio post VIII. Kal. Iulij. Solus autem post Vitellij mortem imperauit annos IX. & menses VI

Hic imperium adeptus bellum ciuile Vitellio in vrbe commoranti mouit, quo sexto mense confecto, Vitellioque occiso, pacifice & citra ullam controuersiam rerum libere potitus est. Quin etiam statim post occisum Vitellium, omnia eius acta a senatu abrogata sunt, Vespasianoque cuncta principibus solita tributa. Eique cum filio Tito consulatus, Domitiano praetura & consulare imperium decreta. Titus & Domitianus Caesares appellati. Atque haec sunt, qua hoc anno quo tres Romani principes caesi fuerunt, acta sunt

Annus DCCCXXIII

Interea Vespasianus II. & Titus cõsulatum absentes inierunt, ut auctores sunt Tacitus & Dio. Eosdem edunt Fasti Graeci, & liber Cuspiniani. Nam Cassiodorus, adeo peruerse, inepte, praepostere horum temporum, immo totius imperii a Tiberii principatu ad Diocletianum consules edit, ut portento simile mihi uideatur, Nam consules suffectos pro ordinariis, qui sub uno Imperatore fuerunt, sub alio, falsos, & qui nunquam fuerunt pro ueris; & si veros quandoque edit eos inuerso ordine enumerat, qui enim postponendi essent praefert, qui praeferendi postponit, ita ut quandoque mirer qua nam ratione fieri potuerit, ut scriptor quispiam, quid adeo inepte & peruerse edere potuerit; existimo eum dum ea scriberet uel somniasse, uel memoriter mandata exarasse nullo librorum auxilio adiutum. Mihi enim uerisimile nõ videtur fuisse librum quempiam, ex quo ipse illa consulum nomina eo ordine digesserit. Quapropter nullã eius in his meis Fastis digerendis rationem habeam, nisi ut quae ex lapidibus, Fastis Graecis, & libro Cuspiniani qui accurate scripti sunt, decerpsero, eius testimonio confirmem. Haec dixisse uolui ne quis miretur me eius ordinem non sequutum fuisse, quum nihil quod recte se habeat in eo per haec tempora praesertim sit. Quod re ipsa quum in toto hoc opere deinceps, tum in consulatibus imperii Vespasiani digerendis intelligi poterit. Nullum enim loco suo enumerat, uel recte & congrue digerit. Ego autem hoc integrum Vespasiani imperii decennium ex Fastis Graecis, & libro Cuspiniani praecipue, Suetonio deinceps quantum ad consulatus attinet, concinnaui. Quod antiquis lapideis aereisque monumentis quam maxime respondere omnes intelligere poterunt, quum eorum exempla ad amussim exscripta afferam. Quod ut facilius intelligatur, consulum seriem exponam, quae in libro Cuspiniani est accuratissime descripta, eamque & uetustis inscriptionibus, & Tranquilli uerbis conuenire demonstrabo

Vespasianus II. Titus
Vespasianus III. Nerua
Vespasianus IIII. Titus II
Domitianus II. Messallinus
Vespasianus V. Titus III
Vespasianus VI. Titus IIII
Vespasianus VII. Titus V
Vespasianus VIII. Titus VI
Commodus, Priscus
Vespasianus IX. Titus VII

Eadem propemodum ratione, sed paulo immutati hi consulatus referuntur a Fastis Graecis, Cassiodorus in nullo conuenit. Tranquillus autem in Vespasiano ita scribit: consulatus octo veteri addidit. Et alibi consulatu suo nono mortuus est. Et in Tito: Triumphauit (inquit) cum patre, Censuramque gessit una, eidem collega & in tribunicia potestate, & in septem consulatibus fuit. Quae uerba si uera sunt, profecto non alia ratione hi consulatus concinnandi erant: quod apertius ex vetustis nummorum & lapidum inscriptionibus, quas singillatim citabo, ostendam. Cósules suffectos hoc anno fuisse Domitianum Caesarem,

&

& Mucianum II. constat. De Muciano Plinius libro XXXV. cap. XII. De Domitiano Tacitus libro XX. Vbi illud animaduersione dignum est, quod ex Tacito, Dione, & Tranquillo ac antiquis lapideis & aeneis monumentis obseruaui Vespasianum ipsum, eius patrem, Sabinum, auum Petronium, fratrem Sabinū, fratris filios Sabinum & Clementem, item filios suos Vespasianum & Domitianum, omnes Titi praenomē habuisse, seque cognominibus, uel patris & filij appellatione, distinxisse. Quod etiam latius demonstrabo in libro de antiquis nominibus. De Vespasiano dubium non est ex hac antiqua basi

VICTORIAE. AVGVSTI
SACRVM
PRO. REDITV
IMP. CAES. T. FLAVI
VESPASIANI. AVG
PONT. MAXIM
TRIB. POT. COS. II
P. P
STATVAM. EX. AERE
ORDO. SPOL. CONLOC

Titi quoq; Caesaris altera extat inscriptio

HERCVLI. ET
SIGN. ARG
SILVANO. SAN
SACR
T. FLAVIVS. AV
GVST. F. COS. DES
D. D

Item in nummis

IMP. CAES. VESPASIANVS. AVG
COS. ITER. TR. POT

Alterum consulem huius anni suffectum refert Tacitus P. Valerium Asiaticum. De duobus vero nouissimis anni mensibus cōsulibus suffectis mentio est in antiquo lapide, qui hoc anno bello Iudaico confecto in Vespasiani honorem dedicatus est

PACI. AETERNAE
DOMVS
IMP. VESPASIANI
CAESARIS. AVG
LIBERORVM. QVE. EIVS. SACRVM
TRIBVS. SVC. IVNIOR
DEDIC. XV. K. DEC
L. ANNIO. BASSO
C. CAECINA. PAETO COS

A primo imperij Flauii Vespasiani die quod Kal. Iulij superioris anni initium habuit, ad huius anni finem bello Iudaico Vespasianus Augustus Imp. I. II. III. IIII. & V. appellatus est. Quod ex sequentis anni inscriptione manifestum erit

Annus DCCCXXIIII

Vespasianus III. & Nerua consules digeruntur in hunc annum a libro Cuspiniani, & Fastis Graecis. Vespasianus III. & Cocceius Nerua a Frontino libro II. de Aquaeductibus. Hic Nerua est qui post Imp. creatus fuit, cuius pater & auus Marci appellati, uiri consulares fuerunt. Hoc anno die natalis imperii Vespasiani, id est Kal. Iulii, Titus Caesar Vespasiani Augusti filius tribuniciam potestatem suscepit, quod accuratē obseruaui ex antiquis inscriptionibus quas nūc subiiciam, ita ut etiam facile ab omnibus intelligi possit. Vespasianus quoq; Imp. bellis Germanicis hoc anno confectis, quibus ipse VI. VII. VIII. & Titus I. II. imperatores appellati fuerunt, templum Iani sextum post conditam urbem, (ut tradit Orosius libro VII. cap. IX.) clusit, quum pacem populo Romano terra marique peperisset

IMP. CAESAR. VESPASIANVS. AVGVST. PONTIF. MAX. TRIB. POT. II. IMP. VI. COS. III. DESIG. IIII. P. P
AQVAS. CVRTIAM. ET. CAERVLEAM. PERDVCTAS. A. DIVO. CLAVDIO. ET. POSTEA. INTERMISSAS. DILAPSASQVE
PER. ANNOS. NOVEM. SVA. PECVNIA. VRBI. RESTITVIT

IMP. CAESAR. VESPASIANVS. AVG
PONT. MAX. TRIB. POT. II
IMP. VII. COS. III. DES. IIII
P. P
VIAM. A. CAPPARA. AD. EMERITAM
AVG. VSQ. IMPENSA. SVA. RESTITVIT

Item

IMP. CAES. VESPASIANVS. AVG. PONT. MAX
TR. POT. III. COS. III. P. P. IMP. VIII

Nummus

IMP. CAES. VESP. AVGVST
P. M. TR. P. P. COS. III. CENS

IMP. CAESARI
VESPASIANO. AVG
PONT. MAX. TR. POT. III
IMP. IIX. P. P. COS. III. DES. IIII
S. C
QVOD. VIAS. VRBIS
NEGLIGENTIA
SVPERIORVM. TEMPOR
CORRVPTAS. IN
PENSA. SVA. RESTITVIT

Annus DCCCXXV

Veſpaſianus IIII. & Titus II. conſules in hunc annum comparantur a libro Cuſpiniani, & Faſtis Graecis. Huius conſulatus Plinius libro II. cap. XIII. & haec antiqua monumenta meminerunt

IMP . CAES . VESPASIAN . AVG . P . M
TR . POT . III . IMP . VIII . P . P . COS . IIII

nummus

IMP. CAES. VESP. AVG. P. M. COS. IIII. CENSOR

alius nummus Titi

T. CAES. VESPASIAN. IMP. IIII. PONT. TR. P. II. COS. II

T . CAESARI
VESPASIANO . IMP . III
PONTIF . TR . POT . II . COS . II
C . PAPIRIVS . EQVES . 7 .

IMP . CAESARI
VESPASIANO . AVG
PONTIF . MAX . TR . POT . IIII
IMP . VIIII . P . P . COS . IIII
LEG . III . AVG

CAESARI . AVG . F
DOMITIANO
COS . DESTINATO . II
PRINCIPI . IVVENTVTIS
TESTAMENTO . PONI . IVSSIT
EX . AVRI . P . X

Annus DCCCXXVI

Liber Cuſpiniani, & Faſti Graeci, & non ſuo loco Caſsiodorus conſules in hunc annum comparant Domitianum II. & Meſſallinum, Frontinus libro II. Aquaeduct. omiſſo Domitiani nomine ex S. C. abolito, Valerium & Meſſallinum tantum alterum conſulem nominat, cuius praenomen procul dubio Marcus fuit huius familiae proprijſsimum, cuius pater ſub Nerone, auus ſub Tiberio conſules fuerunt. Tranquillus in Domitiano: In ſex conſulatibus (quos ante Titi imperiũ cepit) nõ niſi unum ordinarium geſsit, eumque cedente & ſuffragante fratre. Huius quoque anni antiqua haec Veſpaſiani extat inſcriptio

EX. AVCTORITATE
IMP . CAES . VESPASIANI
AVG . P . M . TRIB . POT . IIII
IMP . X . P . P . COS . IIII . DES
V . CENSORIS
C. CALPETANVS. RANTIVS
QVIRINALIS . VAL . CESTIVS
CVRATOR . RIPARVM . ET
ALVEI . TIBERIS . TERMINAVIT
P . R . PROX

Annus DCCCXXVII

Liber Cuſpiniani, & Faſti Graeci cõſules edunt Veſpaſianum V. & Titum III. eoſdem refert Frontinus libro II. de Aquaeductibus. Domitianum conſulem III. ſuffectum hoc anno fuiſſe intelligitur tam ex Tranquillo, quã ex antiqua inſcriptione, quam paulo poſt afferam. Veſpaſianum XI. XII. & XIII. Titum uero IV. V. VI. VII. VIII. IX. & X. imperatores per hos annos appellatos fuiſſe ex ſequentibus inſcriptionibus cognoſcemus.

De cenſoribus & luſtro LXXV

Veſpaſianum & Titum principes cenſores fuiſſe, atque hoc anno luſtrum LXXV. condidiſſe his verbis docet Cenſorinus libro de die natali: Idem tempus anni magni Romanis fuit, quod luſtrum appellabant, ita quidem a Ser. Tullio inſtitutum ut quinto quoque anno cenſu ciuium habito luſtrum conderetur, ſed non ita a poſteris ſeruatum. Nam quum inter primum a Ser. Tullio Rege conditum luſtrum, & id quod ab Imperatore Veſpaſiano V. & Tito Caeſare III. conſulibus factum eſt, anni interfuerint paulo minus DCL. Luſtra tamen per ea tempora non plura quam LXXV. ſunt facta, & poſtea plane fieri deſierunt. Horum cenſorum Plinius libro III. cap. V. & libro VI. cap. XLIX. Tranquillus in Veſpaſiano cap. VIII. & Tito cap. VI. & Capitolinus in Marco meminerunt

Annus DCCCXXVIII

Dio in Veſpaſiano, Liber Cuſpiniani, & Faſti Graeci conſules profitentur Veſpaſianũ VI. & Titum IIII. Quo anno etiã Domitianum IIII. cos. ſuffectum ex ſequentibus conſulatibus intelligemus. De Muciano III. conſule ſaepiſsime Plinius mentionem facit. Huius conſulatus mentio eſt in antiqua olla aenea in Capitolio ita, & Apud. Gentilem Delphinium in vetuſto epigrammate ſic

IMP . CAESAR
VESPASIANVS . AVG
PONTIF . MAX . TRIBVNIC
POTESTAT . VI . IMP . XIIII . P . P
COS . VI . DESIG . VII . CENSOR
LOCVM . VINEAE . PVBLICAE
OCCVPATVM . A . PRIVATIS
PER . COLLEGIVM . PONTIFICVM
RESTITVIT

IMP . CAESARE . VESPASIANO . AVG . VI
T . CAESARE . AVG . F IIII . CoS
MENSVRAE . EXACTAE . IN . CAPITOLIVM
P . X

Annus

Annus DCCCXXIX

Vespasianus VII. & Titus V. consules memorantur ab Aelio Spartiano In vita Hadriani Imperatoris (quem hoc anno natum fuisse scribit) Libro Cuspiniani, & Fastis Graecis. Quo anno Domitianum V. cos suffectum fuisse refert Damasus in vita S. Cleti Papae: Cletus sedit (inquit) temporibus Vespasiani & Titi, a consulatu Vespasiani VII. & Domitiani V. ad Domitianum IX. & Rufum. De Ti. Plautio Siluano ex praefecto vrbis II. cos. facto superius métionem feci ex antiquo eius epigrammate Tiburtino. Vespasiani vero eiusmodi extat inscriptio & Nummus Titi T.CAESAR.IMP.PONT.TR.P.COS.V.CENS

IMP. CAESAR
VESPASIANVS.AVG
PONT.MAX
TRIB. POTEST.VII
IMP.XVII.P.P.CENSOR
COS.VII.DESIG.VIII

Annus DCCCXXX

Casiodorus consules suggerit Vespasianum VIII. & Titum VII. mendose pro VI. Liber Cuspiniani Vespasianum VIII. & Domitianum V. mendose pro VI. Antiquus tubulus plumbeus T.VESPAS.AVG.VIII.FLAV.DOMIT.VI.COS.Q.CLAVD.SER.OFF FEC.CASTR.PRAET. Satis tamen ex Tranquillo constat Titum hoc anno cos. VI. ordinarium fuisse, Domitianum uero cos. etiam VI. sed suffectum, unum enim tantum consulatum ante principatum Titi inter sex ordinarium gessit, idest secundum. De sexto Titi consulatu ita scribit Plinius in praefatione naturalis historiae ad ipsum Titum: Triumphalis & censorius es tu, sextumque consul, ac tribuniciae potestatis particeps. De Cn. Iulio Agricola consule hoc anno suffecto uide Tacitum, qui eius uitá castissime conscripsit. Vetusta haec extat epigrámata

IMP. CAESARI
VESPASIANO. AVG
PONTIFICI. MAXIM
TRIBVNIC.POTESTAT.VIII
IMP. XVII. P. P
COS.VIII. DES. IX. CENSORI
CONSERVATORI. AEDIVM
SACRARVM.SODALES
TITII

Item

IMP. CAESAR. AVGVSTVS
VESPASIANVS. PONT. MAX
TRIB.POTEST.VIII.IMP.XVIII.COS.VIII
CENSOR.FACIVNDVM.CVRAVIT

IMP. CAESARI
VESPASIANO. AVG
PONT. MAX. TRIB
POT. VIII. IMP. XIIX
COS. VIII. P. P
L.PORCIVS. SABELLVS
II.VIR. PEQVNIA. SVA
D. D. D

Item

IMP. CAES. VESPASIANVS. AVG
PONT. MAX. TRIB. POT. IX
IMP. XIIX. COS. VIII. P. P
SALVTEM. DICIT. IIII. VIRIS
ET. DECVRIONIBVS
SABORIENSIVM

Annus DCCCXXXI

Liber Cuspiniani consules edit Commodum & Priscum; Casiodorus Commodum & Rufum. Commodum esse puto L.Ceionium Commodum Verum proauum L. Veri Augusti qui cum Marco imperauit, auum uero L.Aelii Caesaris, quem Hadrianus adoptauit, patrem autem L.Commodi Veri qui sub Traiano cos. fuit. Nam omnes consulares & nobilissimi appellantur ab Aelio Spartiano in vita L.Aelij, & Iulio Capitolino in vita L.Veri Imp. De C.Cornelio Prisco consulari mentio est apud Tacitum in vita soceri sui Iulii Agricolae, & in Plinij epistolis: Nummus CAESAR.VESPASIANVS.AVG.IMP.XIX

Annus DCCCXXXII

Vespasianus IX. & Titus a Damaso in uita S.Clementis Papae, Vespasianus uero IX. & Titus VI. mendose pro VII. consules memorantur a libro Cuspiniani. Nam Titus Collega patri fuit in septem consulatibus, auctore Tranquillo. Casiodorus quoque Vespasianum IX. & Titum VIII deprauate edit pro VII. Quod etiam ex hac antiqua inscriptione apparet

IMP.CAES.VESPASIANO.AVG.PONT.MAX
TR. POT. X. IMP. XX. P.P. COS. IX. ET
IMP. VESPASIANO. CAESARI. AVG. F. PONT
TR. POT. VII. IMP. XIIII. COS. VII

Hoc anno VIII. Kal. Iuli, consulatu suo nono ut tradit Tranquillus, Vespasianus Imp. mortuus est, annum agens aetatis sexagesimum ac nonum, superq; mensem ac diem septimum, imperij anno decimo diebus sex minus, ut refert Dio in eius vita. Atque a Tito filio inter deos relatus est. Eadem reliqui omnes horum temporum scriptores edunt

De

De Tito Imperatore

Titus cognomine paterno, amor ac deliciae generis humani, Vespasiano successit; qui biennio ut omnes tradūt, XI. loco a dictatore Caesare Romanis imperauit. Cuius imperii initiū fuit dies paternae mortis. Eius extat hic nummus IMP. TITVS. CAES. VESPASIAN. AVG. P.M. TR. P. VIIII. IMP. XIIII. COS. VII. P.P. qui hoc anno rebus prospere in Britannia a Cn. Iulio Agricola legato propraetore gestis, Imp. XV. ut tradit Dio appellatus est, quod haec inscriptio docet

IMP. TITVS. CAESAR. DIVI. F. VESPASIANVS. AVG. PONTIF. MAX
TRIBVNICIAE. POTESTAT. IX. IMP. XV. CENS. COS. VII. DES. IIX
RIVOM. AQVAE. MARCIAE. VETVSTATE. DILAPSVM. REFECIT
ET. AQVAM. QVAE. IN. VSV. ESSE. DESIERAT. REDVXIT

Annus DCCCXXXIII

Fasti Graeci, & Liber Cuspiniani consules edunt Titum VII. mendose pro VIII. & Domitianum VII. Quod ita esse docent antiquae eiusmodi inscriptiones IMP. TITVS. CAESAR DIVI. VESPAS. F. AVG. PONT. MAX. TR. POT. IX. COS. VIII. IMP. XV. P.P

Item

T. CAESAR. DIVI. F. VESPASIANVS
AVG. PONTIF. MAXIM. TRIB
POT. X. IMP. XV. COS. VIII

IMP. T. CAESAR. DIVI. F. VESPASIANVS. AVGVSTVS. PONTIFEX. MAXIMVS. TRIBVNIC POTESTATE. X. IMP. XVII. PATER. PATRIAE. CENSOR. COS. VIII
AQVAS. CVRTIAM. ET. CAERVLEAM. PERDVCTAS. A. DIVO. CLAVDIO. ET. POSTEA A. DIVO. VESPASIANO. PATRE. SVO. VRBI. RESTITVTAS. CVM. A. CAPITE. AQVARVM A. SOLO. VETVSTATE. DILAPSAE. ESSENT. NOVA. FORMA. REDVCENDAS. SVA. IMPENSA (CVRAVIT

Item Domitiani nummus

CAESAR. DIVI. F. DOMITIANVS. COS. VII. PRINCEPS. IVVENTVTIS

Annus DCCCXXXIIII

Fasti Graeci, & Liber Cuspiniani Siluanum & Pollionem, Cassiodorus Siluanum & Verum consules hoc anno profitentur. M. Plautij Siluani consularis quorum pater auusque consules fuerunt, meminit per haec tempora Dio. Verus Pollio M. Annius est, de quo in Marci Imp. uita Iulius Capitolinus: Marci auus Annius Verus iterum consul & praefectus urbi, adscitus in patricios a principibus Vespasiano & Tito censoribus. Hoc anno ut inquit Tranquillus, Titus Imp. excessit in eadem qua pater uilla Idibus Septembris, post biennium, ac menses duos, diesque XX. quam successerat patri, altero & quadragesimo aetatis anno: atque a fratre Domitiano, qui ei successit consecratus. Ita omnes alij praeterea scribunt

De Domitiano Imp

Tito frater successit XII. a dictatore Caesare Domitianus; Qui Idibus Septembris primo die imperij sui, ut ex antiquis nummis liquet, omnia imperatorum insignia & titulos suscepit, & praesertim tribuniciam potestatem, quam patre fratreque uiuis nunquā adipisci potuerat: atq; in sequentem annū se VIII. cos. designauit. Nam septem antea consulatus gesserat, duos ordinarios, reliquos suffectos. Extāt per singulos eius imperij annos nūmi, ex quibus eius titulos formaui; vt hoc anno IMP. CAES. DOMITIANVS. AVG. P.M. TR. P. CoS. VII. DES. VIII. P.P. Dio: Domitianus (inquit) consulem se in decem annos perpetuos, censoremque dum uiueret primus, solusque ex priuatis ciuibus, & imperatoribus designauit

Annus DCCCXXXV

Liber Cusp. & Fasti Graeci Domitianū VIII. & Sabinū consules edunt. Hic Sabinus patruelis Domitiani fuit, filius T. Flaui Sabini fratris Vespasiani Imperatoris. Huius cōsulatus mētio est in veteri inscriptione ita

Et in vetusto nummo: IMP. CAES. DOMITIANVS. AVG P.M. TR. P. IMP. II. COS. VIII. DES. VIIII. P.P. Reliquae Imp. appellationes ex nūmis quos passim afferā, cognoscētur

ASCLEPIO. ET
SALVTI
COMMILITONVM
SEX. TITIVS. ALEXANDER
MEDICVS. COH. V. PR
DONVM. DEDIT
IMP. CAES. DOMITIANO
AVG. VIII
T. FLAVIO. SABINO. CoS

Annus DCCCXXXVI

Damasus in vita S. Cleti, & Liber Cuspiniani Domitianū IX. & Rufum, Fasti Graeci Domitianū IX. & Titum Rufum cos. edunt. Is est T. Virginius Rufus, qui primum consul fuit sub Vitellio, nunc est II. & sub Nerua III. erit. De quo illo loco verba faciam. Huius anni mentio est in hoc argenteo nummo IMP. CAES. DOMITIANVS. AVG. P.M. TR. POT. COS. IX. IMP. VIII. CENS. P.P.P

De hoc quoque ni fallor, Flauio Sabino consule uide in Domitiano Tranquillum cap. X.

Annus DCCCXXXVII

Damasus in vita S. Anacleti Papae, Liber Cuspiniani, & Fasti Graeci consules suggerũt Domitianum X. & Sabinum. Ap. Sabini uiri consularis a Dacis oppressi meminit Tranquillus, cuius nomen fuit Iunius, quod is filiam habuerit Iuniam Valerianam matrem Antonii Sabini ut tradit Callistratus

Annus DCCCXXXVIII

Liber Cuspiniani, & Fasti Graeci consules in hunc annum comparãt Domitianũ XI. & Fuluũ. Fuluũ esse existimo auũ Antonini Pij Imp. de quo in eius vita ita scribit Iulius Capitolinus: T. Aurelio Fuluo Antonino Pio Imp. auus fuit T. Aurelius Fuluus Nemausensis, qui per honores diuersos ad secundum consulatum, & praefecturam vrbis peruenit. Quadriennio enim post iterũ consul est

Annus DCCCXXXIX. *In quo Agon Capitolinus institutus est*

Consules deinde fuerunt Fastis Graecis, & libro Cuspiniani auctoribus Domitianus Augustus XII. & Dolabella. Iulius Capitolinus in Pio: Natus est (inquit) Antoninus Pius XIII. Kaled. Octobris Domitiano XII. & Cornelio Dolabella cos. Cn. Cornelij quem huius Dolabellae patrem existimaui meminit Tacitus, cnius pater fuit Publius sub Augusto cos. De hoc consulatu ita scribit Censorinus: Post LXXV. lustrum quod a Vespasiano & Tito principibus & censoribus factum est, lustra postea plane fieri desierunt. Rursus tamen idem annus magnus per Capitolinos agonas coeptus est diligentius seruari. Quorum agonum primus a Domitiano institutus fuit, duodecimo eius & Ser. Cornelij Dolabellae consulatu. De hoc ipso agone Tranquillus in Domitiano cap. IIII. Instituit & quinquẽnale certamen Capitolino Ioui triplex musicum, equestre, gymnicum, & aliquanto plurium quam nunc est coronarum. Certabant enim & prosa oratione, Graece Latineque, ac praeter cytharoedos, chorocytharistae quoque, & psallo cytharistae. In stadio vero cursu etiam uirginis certamini praesedit crepidatus, purpureaq; amictus toga graecanica, capite gestans coronam auream, cum effigie Iouis Mineruaeque, assidentibus Diali sacerdote, & collegio Flauialium pari habitu, nisi quod illorum coronis inerat & ipsius imago. Instituit igitur Domitianus Ioui Capitolino quinquennale certamen, triplex hoc anno, quod deinceps diligentissime singulo quadriennio exacto, quinto quoque anno ineunte Romae celebratũ est, quod passim ubi sese occasio offeret ostendã. Hoc autem usq; ad Constãtini tempora perdurasse constat, qnibus cum ceteris veteris superstitionis sacris sublatum est, sed de hac re latius disputaui in libris de antiquis Romanorum ludis. Ceterum hi extant Domitiani nummi. IMP. CAES. DOMITIANVS. AVG. GERM. P. M. TR. P. V. IMP. XI. COS. XII. CENS. P. P. P. & alius IMP. CAES. DOMIT. AVG GERM. P. M. TR. P. V. IMP. XII. COS. XII. CENS. P. P. P

Annus DCCCXL

Liber Cuspiniani, & Fasti Graeci Domitianum XIII. & Saturninum consules hoc anno profitentur. De A. Volusio Saturnino consule meminit Dio, quem Q. Saturnini praefecti vrbis filiũ esse existimaui, de quo plura scribit Plinius. Extat hic argenteus Domitiani nummus IMP. CAES. DOMITIANVS. AVG. GERM. P. M. TR. P. VI. IMP. XIIII. COS. XIII. CENS. P. P. P

Annus DCCCXLI

Consnles deinde fuerunt Domitianus XIIII. & Rufus auctoribus libro Cuspiniani, & Fastis Graecis. De qnibus ita Censorinus scribit: Septimos ludos saeculares Domitianus se XIIII. & L. Minucio Rufo cos. fecit, anno vrbis DCCCXLI. De quibus plura scripsi in eorundem libro. Tam ludorum secularium, quam huius consulatus mẽtio est in antiquis Domitiani nummis ita

IMP. CAES. DOMIT. AVG. GERM. P. M. TR. P. VII. IMP. XIIII. COS. XIIII. CENS. P. P. P. Item

IMP. CAES. DOMIT. AVG. GERM. P. M. TR. P. VIII. CENS. P. P. P. COS. XIIII. LVD. SAEC. FEC

IMP. CAES. DOMITIANVS. AVG. GERM. P. M. TR. POT. VIII. IMP. XIX. COS. XIIII. CENS. P. P. P

IMP. CAES. DOMITIANVS. AVG. GERM. P. M. TR. P. VIII. COS. XIIII. IMP. XXI. CENS. P. P. P

Annus DCCCXLII

Fuluus & Atratinus consules deinceps fuerunt, ut liber Cuspiniani & Fasti Graeci auctores sunt. Fuluus consul ante fuit, ideo nunc II. est, ut ex Capitolino in Pij Imp. uita liquet. A. vero Sempronium Atratinum esse existimo de quo scribit Dio. Tranquillus uero in Domitiano cap. XIII. consulatus XVII. cepit, quot ante eum nemo, ex quibus septem medios continuauit: omnes autem pene titulo tenus gessit, nec quemquam vltra Kal. Maii; plures ad Idus usq; Ianuarias

Annus DCCCXLIII

Domitianum XV. & Neruã cõsules suggerunt Liber Cuspiniani, & Fasti Graeci. Nerua II. est, nam primũ ante fuit cũ Vespasiano III. post Imp. factus erit III. Hoc anno quadriennio a priore agone exacto, eũ iterũ Domitianus quinto anno redeũte celebrauit. Extãt eiusmodi duo nũmi

IMP. CAES. DOMIT. AVG. GERM. P. M. TR. POT. IX. IMP. XXI. COS. XV. CENS. P. P. P

IMP. CAES. DOMITIANVS. AVG. GERM. P. M. TR. P. X. IMP. XXI. COS. XV. CENS. P. P. P

Annus DCCCXLIIII

Fasti Graeci, & Liber Cuspiniani consules in hunc annum profitentur Traianũ & Glabrionem

uem. De quibus ita scribit Dio: Vlpio Traiano,& Acilio Glabrioni, qui una consulatum gesserant, multa prodigia prouenerunt,quibus Glabrioni interitus, Traiano uero summum imperium praedictum est. Nam Tranquillo,& ipso Dione auctoribus,Glabrio postea occisus est. Huius praenomen fuit M. Acilio rum familiae peculiare. Traianus uero M. Vlpius M.F. Traianus Crinitus appellatus est,ut postea quum de eo Imperatore loquar,ostendam. Exacto imperii decennio Domitianus more maiorum festa & sacra decennalia celebrauit, ut tradit Dio

Annus DCCCXLV

Domitianus XVI.& Saturninus consules comparantur a Libro Cuspiniani,& Fastis Graeceis, Saturninus nunc II. est,semel enim paulo ante fuit. Extat antiqui nummi argentei ita inscripti IMP. CAES. DOMITIANVS. AVG. GERM. COS. XVI. IMP. XXI. CENS. P.P.P. Item IMP. CAES. DOMITIANVS. AVG. GERM. COS. XVI. IMP. XXII. CENS. P. P. P

Annus DCCCLXVI

Collega & Priscinus a Libro Cuspiniani,Collega & Priscus a Cornelio Tacito in vita Iulii Agricolae, Pompeius & Priscinus a Fastis Graecis, Siluanus & Priscus a Cassiodoro consules hoc anno memorantur,ita ut alter sit Pompeius Collega de quo Plinius secūdo epistolarum meminit; alter vero Cornelius Priscus de quo Tacitus in vita Iulii Agricolae (ni fallor) & in historia Augusta, idemque Plinius in epistolis multa scribunt. Consulum autem suffectorum mentio est in antiqua hac tabula aenea, quae extat adhuc Venetiis apud Reuerentiss. Patriarcham Aquileiensem ueterum monumentorum quorumque studiosissimum peruestigatorem, conseruatoremque

IMP. CAESAR. DIVI. VESPASIANI. F. DOMITIA
NVS. AVGVSTVS. GERMANICVS. PONTIFEX. MA
XIMVS. TRIBVNIC. POTESTAT. XII. IMP. XXII
COS. XVI. CENSOR. PERPETVVS. P. P
AD. III. IDVS. IVLIAS
M. LOLLIO. PAVLLINO. VALERIO. ASIATICO. SATVRNINO
C. ANTIO. IVLIO QVADRATO COS

Annus DCCCXLVII

Cassiodorus Asprenatem & Clementem,Fasti Graeci,& Liber Cuspiniani Asprenatem & Lateranum consules edunt. L. Nonius Asprenas Torquatus hic est ut credo, cuius pater auusque consules fuerunt, de quo scribit Dio. M. vero Arricinius Clemens uir consularis est cuius antiqua marmorea inscriptio adhuc Romae extat,de quo scribit Tranquillus in Domitiano cap. XI. Lateranum vero consulem suffectum esse existimo, cuius nomen est Sextilius ut paulo post ostendam, cuius collega fuit Silius Italicus,quem ter consulem extremis Domitiani annis fuisse tradit Plinius Iunior in epistolis. Quadriennii ratio poposcit,ut agonem Capitolinum tertium in hunc annum coniicerem

IMP. CAESARI
DIVI. VESPASIANI. F
DOMITIANO. AVGVST
GERMAN. PONT. MAX
TRIB. POTEST. XIII
IMP. XXII. COS. XVI
CENSOR. PERPET. P. P
REG. VICI
VESTORIANI. ET
CALPVRNIANI

Annus DCCCXLVIII

Domitianus XVII. & Clemens consules hoc anno fuerunt Damaso in Anacleto,libro Cuspiniani, & Fastis Graecis testibus. Hic est T. Flauius Clemens eius patruelis, ab ipso in magistratu occisus ut tradit cap. XV. Tranquillus. De quo etiam Dio in Domitiano mentionem facit. De XVII. Domitiani consulatibus meminerunt Tranquillus, Plinius Iunior in panegyrico ad Traianum Augustum, & Ausonius in alio panegyrico ad Gratianum imperatorem. Extat eiusmodi antiquus argenteus nummus IMP. CAES. DOMITIANVS. AVG. GERM. P. M. TR. P. XV. IMP. XXII. COS. XVII. CENS. P. P. P

Annus DCCCXLIX

Eutropius libro VIII. Anno octingentesimo & quinquagesimo (inquit) ab vrbe condita Vetere & Valente consulibus. Eosdem Damasus in uita Euaristi Papae, liber Cuspiniani, & Fasti Graeci memorant. Cassiodorus Fuluium & Veterem; Dio uero C. Valentem, & C. Antistium edit. Ita ut C. Fuluius Valens & C. Antistius Vetus appellati fuerint. Suggerit Dio: Valentem annorum XC. consulem factum & in magistratu mortuum esse. Pater vero auusque C. Veteris consulares fuerunt. Consules deinde suffectos pro ordinariis subiicit Cassiodorus Sabinum & Antoninum; ex quibus ille T. Flauius Sabinus est Domitiani Imp. propinquus, alter vero & T. Arrius Antoninus Pii Imperatoris maternus auus bis consul, & qui Neruam miseratus esset, quod imperare coepisset; ut in Pio scribit Capitolinus, cuius pater consul fuit sub Vitellio. Hoc anno

ut tradũt Trãquillus, Dio, & Eutropius, Domitianus imperator suorum insidiis occisus est, XIIII. Kal. Octobris, aetatis anno XLV. imperii XV. & die V

De Nerua Imperatore

Post Domitiani caedem (inquit Dio) Romae Cocceius Nerua Imperator designatus est, uir haud dubie nobilissimus, & qui iam bis consul fuerat. Cuius pater, auus, proauusque consules fuerant. Vt autem ex nummis eius, & Dione constat, omnes titulos omnia Imperatorum insignia statim Nerua adeptus est. Cuius imperii initium dies caedis Domitiani fuit. Eum autem M. Cocceium appellatum fuisse, eius liberti epigramma subindicat M. COCCEIVS. AVG L. ENCOLPVS. Extat etiam nummus initio imperii Neruae cusus ita inscriptus IMP. NERVA. CAES. AVG. PONT. MAX. TR. P. COS. II. DESIG. III. P. P

Annus DCCCL

Nerua Augustus III. & Titus Virginius Rufus III. consules hoc anno comparantur a Frontino libro II. aquaeductuũ, Fastis Graecis, & libro Cuspiniani. Hic Rufus est qui bis antea consul fuit; de quo ita scribit in Nerua Dio: Rufum vero Virginium, quem Romanae legiones olim imperatorem nominauerant, minime ueritus est vel in consulatu collegam assumere, in cuius etiam sepulchro illud quidam inscripsere

HIC. SITVS. EST. RVFVS. PVLSO. QVI. VINDICE. QVONDAM IMPERIVM. ASSERVIT. NON. SIBI. SED. PATRIAE. Eum vero in magistratu mortuum & P. Cornelium Tacitum historiae Augustae scriptorem illi suffectum tradit Plinius iunior libro epistolarum secundo, epistola prima ad Romanum, ubi eius funus, mortem & res gestas describit, terque eum consulatu functum, atque a Cornelio Tacito consule laudatũ tradit. Domitii Apollinaris, Fabricii Veientonis, Fabii Postumi, Poblicii Certi, Pompeii Collegae, Vettii Proculi consulum hoc anno suffectorum Plinius Iunior libro IX. Epistola ad Quadratũ; M. vero Cornelii Frõtonis Dio in Nerua, & Hadriano, & Iulius Capitolinus in Marco meminerũt. Quos anno post occisum Domitianũ fuisse referunt. Frontonẽ autẽ hũc, uel patrẽ forte esse existimo eius, de quo in hac inscriptione mẽtio est

M. AVFIDIO. FRONTONI
PRONEPOTI
M. CORNELI. FRONTONIS
ORATORIS. COS. MAGISTRI
IMPERATORVM
ANTONINI. ET. LVCI
NEPOTI. AVFIDI. VICTORINI
PRAEFECTI. VRBIS. II. COS
FRONTO. COS
FILIO. DVLCISSIMO

Adiicit Dio: Quum Nerua omnibus se contemptui esse propter senium sentiret, in Capitolium conscendit, ibiq; magna uoce; quod felix faustũq; sit (inquit) S.P.Q.R. mihiq; ipsi, M. Vlpium Traianũ principẽ facio, eundemq; postea in senatu Caesarẽ designauit, atq; ad eũ qui tũ Germaniae praesidebat ita scripsit

Telis Phoebe tuis lacrimas ulciscere nostras

Itaque Traianus, quamquam Neruae propinqui non deerant adoptatus, tunc Caesar, ac postea imperator factus est. Nec enim ille coniunctionem sanguinis anteposuit publicae utilitati, neque eum deterruit, quod Traianus homo Hispanus nec Italus, nec Italicus erat, quodque ante eum nemo alterius nationis imperium Romanum obtinuerat: Haec Dio. Hoc autem anno Traianum adoptatum & Caesarem appellatũ fuisse, ex sequentis anni consulatu liquet, tribuniciã vero potestatem tunc quum Caesar appellatus est eum suscepisse, ex his quas afferam inscriptionibus intelligi poterit. Dies autem adoptionis, nominis Caesaris adepti, & tribuniciae potestatis susceptae proculdubio fuit XIIII. Kal. Octobris, qui erat dies natalis imperii Neruae, ut semper obseruatum est; atque ex Plinii epistolis ad Traianum intelligitur. Extant autem aliquot Neruae tam lapidum quam nummorum eiusmodi inscriptiones. IMP. NERVA. CAES. AVG. P. M. TR. P. COS. III. PATER. PATRIAE. Item. IMP. NERVA. CAES. AVG P. M. TR. POT. II. COS. III. P. P

Romae in foro Transitorio
IMP. NERVA. CAESAR. AVG-
POTEST. II. IMP. II

IMP. NERVAE. CAES
AVG. PONT. MAX
TRIB. POT. COS. III. P. P
L. SERTORIVS. L. F
VOLT. EVANTHVS
AEDIL. C. C. N. D. D. S. P. P

Annus DCCCLI

Liber Cuspiniani Neruam III. & Traianũ II. Cassiodorus Neruam III. & Traianũ III. & mendose consules in hunc annũ cõparant: est enim Nerua cos. IIII. & Traianus II. ut ex hac, & sequẽtibus inscriptionibus manifestũ erit IMP. NERVA. CAESAR. AVG. P. M. TR. P. COS. IIII. P. P Plinius quoque in panegyrico scribit: Traianum secundum consulatum uiuo patre suo Nerua

imp

De Traiano Imperatore

Neruae adoptiuus filius ſucceſsit Nerua Traianus anno ſuperiore Caeſar appellatus, qui ſolus VI.Kal.Februarii imperii iura ſuſcepit: a quo die anni eius principatus numerantur, quum tribuniciae poteſtatis tempus a XIIII.Kal.Octobris ſuperioris anni digeratur. Ceterum qui cos. in locum Neruae ſuffectus fuerit incertum

De cos. ſuffectis

Tam ex Caſsiodoro, quam ex antiquis inſcriptionibus conſules hac anni parte ſimul ſuffectos fuiſſe cōſtat C.Soſium Senecionem, & L.Licinium Suram, quorum uterque Traiani imp. amiciſsimus erat, atque ad ſummos honores ab eo euecti ſunt. Soſii Senecionis ſaepe Plinius in epiſtolis, Licinij vero Surae Dio meminerunt. Hoc anno ex quadriennij ratione Traianus IIII agonem Capitolinum fecit. De Afranio Dextro conſule in huius anni parte ſuffecto, & in magiſtratu occiſo mentionem facit Plinius libro epiſtolarum V. epiſtola ad Valerianum, & VIII. ep. ad Ariſtonem. Extat eiuſmodi uetus Traiani inſcriptio, quae ad hunc annum pertinere uidetur

IMP.CAES.DIVI.NERVAE.F.NERVA.TRAIANVS.AVG
GERMANICVS.PONTIF.MAXIM.TRIBVNIC.POTEST
COS.ITER & nummus
IMP.CAES.NERVA.TRAIANVS.GERM.P.P.TRIB.P.COS.II

Annus DCCCLII

Caſsiodorus, liber Cuſpiniani, & Faſti Graeci conſules in hunc annum profitentur Senecionē & Palmam. Senecio eſt ii. ut paulo poſt intelligetur. De Palma conſule eiuſmodi legi marmorei fruſti inſcriptionem

MA . . . . . . KALATOR . . . .
FLAMINVM . A . C . . . .
DATA . EST . . . . SAC.DEDI
CAVIT.A.CORNELIO.PALMA.ET . . . .
. . . .

Adiicit Plinius in panegyrico Traianum tertium conſulatum proximis Kal. Ianuariis, quibus ſolus imperium adeptus eſt recuſaſſe: ita enim ſcribit: Illud dicam quod ſecundum conſulatum recepiſti quia princeps & pater deferebat. At poſtquam ad te imperii ſummam dii tranſtulerūt, tertium conſulatum recuſaſti, quum agere tam bonum conſulem poſſes. & paulo poſt: Initio principatus conſulatum recuſaſti, quod noui Imperatores deſtinatum aliis in ſe transferebant; Hocque honore priuatis ceſsiſti. De Traiano uero eiuſmodi extat huius anni inſcriptio

IMP.CAES.NERVA.TRAIANVS.AVG.P.M.TR.POT.III.COS.II.P.P

Annus DCCCLIII

Liber Cuſpiniani Traianum III. & Frontonem edit, Faſti Graeci Traianum II. & Pontianum, Caſsiodorus Traianum IIII. & Frontonem omnes mendoſe hoc anno conſules edūt. Sunt enim Traianus III. & Fronto III. conſules ut ex antiquis lapidibus, & Plinio in panegyrico cōſtat; Qui refert Traianum quū tertium conſulatum iniiſſet, duos conſules ſecum deſignaſſe, qui & ipſi tertium conſules eſſent. Quorum primus fuit ut recte Caſsiodorus ſcripſit, Fronto. Hic eſt M.Cornelius Fronto orator nobiliſsimus, de quo in uita Marci Imp. Iulius Capitolinus, Macrobius, & Plinius in epiſtolis ſaepe meminerunt, eumq; Catium Frontonem (ut credo) uocat Plinius, qui iterū cos. fuerat ſub Nerua, Primum ſub Domitiano cos. ſuffectus. Alterius uero tertium conſulis qui Kal.Martij iniit, nomen obſcurum eſt. Subiicitque Plinius horum utrumq; alterum cōſulatum ſub Nerua geſsiſſe. Quare Frontonem quem ſub Nerua conſulem refert Dio, II. feci. Alter autem facile eſſe poſſet Pompeius Collega qui primum conſulatum ordinarium ſub Domitiano, ſecundum ſuffectum ſub Nerua in locum Publici Certi geſsit, ut tradit Plinius epiſtolarum libro IX. ita ut nunc tertiū ſit etiā ſuffectus in Kal.Martii, de quo idem Plinius etiam lib.II. Ep. ad Octauium meminit. Hoc ipſo anno ut idem in panegyrico tradit, ipſe Plinius cum Cornuto Tertullo conſulatum bimeſtrem in Kal.Septembres iniit, & geſſit. De quo tale adhuc extat antiquum epigramma

C.PLINIVS.C.F.C.N.CAECILIVS.SECVNDVS
COS.AVGVR.LEGAT.PRO.PRAT.PROVINC
PONTI.CONSVLARI.POTESTATE.IN.EAM
PROVINCIAM.AB.IMP.CAESARE.NERVA
TRAIANO.AVG.GERMANICO.MISSVS
CVRAT.ALVEI.TIBERIS.ET.RIPAR
PRAEF.AERARI.SATVRNI.PRAEF
AERARI.MILIT.LEG.LEG.VI.GALLIC
X.VIR.STLIT.IVDICANDIS

Ceterum is Plinius filius fuit C. Caecilii Nouocomenſis & Pliniae ſororis C.Plinii Secundi Veronenſis ſcriptoris hiſtoriae naturalis, quae quum ipſi C.Caecilio Nouocomenſi nupſiſſet hunc C.Caecilium genuit, qui ab auunculo C.Plinio Secundo Veronenſe adoptatus, C.Plinius Caecilius Secundus appellatus eſt. Qui natura quidē Nouocomēſis ciuis, uerū lege & adoptionis iure Veronenſis ut eius pater adoptiuus C.Plinius fuit; hinc ipſe libro VI. Epiſt. ultima ad Maximū Africanū ita ſcribit: Recte feciſti quod gladiatorū munus Veronenſibus noſtris promiſiſti, a quibus olim amaris, ſuſpiceris or-

naris. Plinium autem Veronensem fuisse, ipsemet scribit in praefatione historiae naturalis ad Titum Caesarem Vespasianum, in qua Catullum conterraneum suum vocat. Si enim & ipse Nouocomensis fuisset, non recte conterraneũ dixisset, est .n. Verona Coenomanorum vrbs, vel potius Venetorum, Nouocomum nero Insubrum; haec in decima regione Italiae, illa in xj. quae regiones & terrae diuersae sunt. Adde quod hoc per manus a maioribus traditum semper ita creditum est. Franciscus enim Petrarcha, Pius II. Papa, & plerique alii, Plinium historiae naturalis scriptorem Veronensem vocauerunt. Quod si Veronensis nõ fuit (ut quidam affirmant) cur antiquissimũ hoc adhuc extat Veronae marmorei frusti epitaphium a Plinio parẽtibus suis, & sorori factum, quod inter rudera octuaginta annis antea in agro Veronensi inuentum est

C.P-INIV-
-N D V-
-A V G.
-RCIVIAE-
--CELLAE--
--RI
--ERI.PATRI-
-MAE.MATRI-
-MARCELLAE
T.F.I

Non ab re autem fuit hoc loco ubi occasio se se obtulit Plinium Veronensem asserere, quod eum ut de Homero dicitur, nonnullae aliae vrbes sibi vendicare conatae sunt, quũ ut rei veritas intelligatur, tum quod patriae meae hac in re non suffragari, hoc potissimum loco nefas esse duxi. Ad institutum autem nostrum reuertamur. Hoc ipso anno in Kal. Nouembris Plinio & Tertullo, consules suffectos fuisse Iulium Ferocem, & Acutium Neruam ipse indicare uidetur libro II. epistolis ad Octauium, & Arrianum. Quos consules designatos post Cornutum Tertullum subijcit. Huius anni haec extat Traiani inscriptio

PIETATIS.IMP.CAESARIS.
DIVI.NERVAE.F.NERVAE
TRAIANI.AVG.GERMANICI
P.M.TR.POT.III.COS.III.P.P
EX.S.C

Annus DCCCLIIII

Fasti Graeci, & Liber Cuspiniani consules edunt Traianum IIII. & Paetum. De quibus ita in Hadriano scribit Aelius Spartianus: Quaesturam gessit Traiano quater & Articuleio cos. Extat etiam antiqua eiusmodi inscriptio

DEO . SOLI
MITRHAE . ET
CONSERVAT
C.IVNIVS.C.F
TROM
NENINIANVS
VIR.CLAR
ET.C.NEN.VIA
TOR.QVAESTORI
CVRAVER
DEDIC.KAL.MART
M.VLPIO.TRAIANO.AVG.IIII cos
SEX.ARTICVLEIO.PAETO

Ceterum Cassiodorus cum Traiano hoc anno suggerit Orfitum, qui & Cornelius Scipio Orfitus dictus est. Is in Kal. Martias cum eodem Traiano consulatum gessit. De Baebio Macro, & Valerio Paullino cos. suffectis Plinius libro IIII. epistola ad Vrsum, Coelij nero Hisponis & Rubrii Galli idem Plinius & Vlpianus libro Digestorum XL. tt. XXVI. sub Traiano Imp. meminerunt. Bellum cum Decebalo Rege Dacorum ab Imp. Traiano hoc anno susceptum esse, quod Dacicum vocatum est, tradit Dio, & haec antiqua inscriptio insinuare nidetur. Nam superioris anni mẽse Septembri adhuc susceptũ nõ fuerat, ut ex Plinij panegyrico constat

IMP. CAESAR. DIVI
NERVAE. F. NERVA
TRAIANVS. AVGVSTVS
GERMANICVS. DACICVS
PONTIF. MAXIMVS
TRIB. POT. IIII. COS. IV
VICTO. DECEBALO

Annus DCCCLV

Senecionem II. & Suram Cassiodorus, Seruilum & Suram Liber Cuspiniani, Suranum & Suram Fasti Graeci consules mendose hoc anno suggerunt; fuerunt enim Senecio III. & Sura II. quod ex sequenti eorum consulatu manifestum erit. Consulum suffectorum Acilii Rufi, & Caecilij Classici meminit Plinius libro V. epistola ad Vrsum, libro IIII. ad Gallum, libro III. ad Macrinum, & alibi. Hoc anno Traianus Imp. Agonem Capitolinum V. fecit, ut annorum ratio docet. De huius anni tribunicia potestate, hanc inscriptionem Venusiae extare didici

IMP. CAES. DIVI. NERVAE. FIL
NERVA. TRAIANVS. GERMANICVS
PONTIFEX. MAXIMVS. TRIBVNICIA
POTESTATE V. IMP. II. COS. IIII. P. P
INCHOATAM. A. DIVO. NERVA. PATRE
SVO. PERFICIENDAM. CVRAVIT

Annus DCCCLVI

Consules deinde fuerunt Traianus V. & Maximus II. libro Cuspiniani teste. Fasti enim Graeci Traianum IIII. & Maximum edunt, Cassiodorus uero Traianum VI. & Maximum. L. Appi Maximi bis consulis & confectoris belli Germanici meminerunt Plinius in epistolis ad Traianum Imp. & Dio in Domitiano. Cuius adhuc extat eiusmodi inscriptionis fragmentum

LIAE
APPI. MAXIMI
BIS. COS
CONFECTORIS
BELLI
GERMANICI

Annus

Annus DCCCLVII

Liber Cuſpiniani,& Faſti Graeci conſules in hunc annũ comparant Suranum II. & Marcellum. P. Neratii Marcelli unice a Traiano dilecti Dio & Aelius Spartianus in Hadriano meminerunt. Cui Traianus aliquando imperium relinquere cogitauit, ita ut ipſi etiam dixerit: commendo tibi prouincias ſi quid mihi fatale contigerit. Huius anni hoc extat uetuſtum epigramma

IMP. CAESARI
DIVI. NERVAE. F
NERVAE. TRAIANO
AVG. GERMANICO
DACICO. PONTIFICI
MAXIMO. TRIBVNIC
POTEST. VII. IMP. IIII. CoS. V. P. P
TRIBVS. XXXV
QVOD. LIBERALITATE
OPTIMI. PRINCIPIS
COMMODA. EARVM ETIAM
LOCORVM. ADIECTIONE
AMPLIATA. SINT

Annus DCCCLVIII

Candidum & Quadratum cõſules profitẽtur Caſsiodorus,& Faſti Graeci. Liber Cuſpiniani Candido notam II. addit. Spartianus in Hadriano: Tribunus plebis factu eſt Candido & Quadrato II. cos. Dum haec ſcriberem Romae (ut ſuperius dixi) in Piſcina publica ad radices montis Coelii aliquot Tiburtini lapides inuenti fuerunt, in quibus huius conſulatus mentio erat ita

TI. IVLIO. CANDIDO. II. A. IVLIO. QVADRATO. II. COS.

Huius Iulij Candidi meminit Plinius libro V. Epiſtola ad Vrſum. Et huius anni haec extat inſcriptio

IMP. CAESARI. DIVI. NERVAE. F
NERVAE. TRAIANO. AVG. GERM
DACICO. PONT. MAX. TRIB. POT. VIII
IMP. IIII. COS. V. P. P. OPTIMO. PRINCIPI
SAGARI. THEATRI. MARCELL.
CVLTORES. DOMVS. AVG

Annus DCCCLIX

Caſſiodorus, liber Cuſpiniani,& Faſti Graeci conſules ſuggerunt Commodum & Cerealem. Commodus eſt pater L. Aelij Caeſaris, qui L. Ceionius Commodus Verus uir conſularis dicitur a Spartiano in uita L. Aelij Caeſaris, & Capitolino in uita L. Veri Imp. L. Tutij cerealis ſub Traiano uiri conſularis, Plinius libro ij. epiſtola ad Arrianum meminit. Hoc anno agon Capitolinus VI. celebratus eſt, cuius hoc epigramma (ut puto) meminit

L. VALERIO. L. F. PVDENTI
HIC. CVM. ESSET. ANNORVM. XIII
ROMAE. CERTAMINE
SACRO. IOVIS. CAPITOLINI
LVSTRO. VI. CLARITATE
INGENII. CORONATVS. EST
INTER. POETAS. LATINOS
OMNIBVS. SENTENTIIS. IVDICVM
HVIC. PLEBS. VNIVERSA. MVNICIPVM
HISTONIENSIVM. STATVAM
AERE. CONLATO. DECREVIT

Imperatoris uero Traiani hae extant inſcriptiones

IMP. CAESARI. DIVI. NERVAE. F
NERVAE. TRAIANO. AVG. GERMANICO
DACIO. PONT. MAX. TRIB. POT. VIIII. IMP. IIII. COS. VI.
. . . . IO
. . . . LSV

Item

IMP. CAESARI. DIVI. NERVAE. F. NERVAE
TRAIANO. AVG. GERM. DACICO. PONTIF. MAX
TRIB. POT. VIIII. IMP. V. COS. V. P. P
MVNICIPIA. PROVINCIAE. LVSITANIAE. QVAE
STIPE. CONLATA. OPVS. PONTIS. PERFECERVNT

Annus

Annus DCCCLX

Senecio IIII. & Sura III. deinceps consules fuerunt Casiodoro, Libro Cuspiniani, & Fastis Graecis auctoribus. Horum consulum mentio est in antiqua figulina ita: L. LICINIO. SVR. III. C. SOSIO. IIII. COS. Licinij Surae, Dio in Traiano saepissimae, Plinius in epistolis, & in panegyrico, Martialis libro VII. Iuuenalis Satyra xiiij. & Spartianus in Hadriano; Sosij uero Senecionis saepe Plinius in epistolis, & Dio meminerunt. Consulum suffectorum mentionem facit idem Spartianus, qui Hadrianū praetorem fuisse scribit Surano II. & Seruiano cos. biennio scilicet post tribunatum plebis. Horum etiam cos. mentio est in antiquo lapide sic: C.IVLIO.SERVILIO.VRSO.SERVIANO.ET.SVRANO. II. COS. Hoc anno decennalia Imp. Traiani celebrata sunt: Dio

Annus DCCCLXI

Gallum & Braduam consules sug gerunt Damasus in uita S. Euaristi Papae, Cassiodorus, Liber Cuspiniani, & Fasti Graeci, de quibus in his antiquis epigrammatibus mentio est, ita

IOVI. STYGIO. SACRVM
P.ARVANIVS.P.F.OVF.NIGER
DD.XII.KAL.IVLI
APPIO.ANNIO.TREBONIO.GALLO
M.ATILIO. METILIO. BRADVA
COS

AP.ANNIO.GALLO.M. ATILIO. BRADVA. COS
EX. RAT
FESTI. VRBASI. CAES. NOS.SER
NVM. CCCXV

Item

SILVANO
SANCTO
C. C. IVLI
EVTYCHIO
ET. EVTYCHI
ANVS.FIL. D.D
DEDICAVERVNT
QVE. XI. K. MAIAS
APPIO. ANNIO. TREBONIO. GALLO
M.ATILIO.METILIO.BRADVA
COS

Casiodorus cōsules huius anni suffectos subiicit pro ordinariis Africanum & Crispinum. Ex quibus Africanus II. consul non longe post erit

Annus DCCCLXII

Damasus in vita S.Papae Alexandri, liber Cuspiniani, & Fasti Graeci consules huius anni profitentur Palmam II. & Tullum. A.Cornelius Palma primum cos. fuit primo Traiani principatus anno, postea Terracinae interfectus fuit ab Hadriano Imperatore. De quo plura Dio in Traiano, & Hadriano, Spartianus in Hadriano, & Martialis scribunt. Caluisii uero Tulli II. cōsulis meminit Iulius Capitolinus in Marco. Hoc anno P.Aelius Hadrianus qui postea Imp. appellatus est consul suffectus cum L.Publilio Celso fuit, ut ex Dione, Ailio Spartiano, & Plinij epistolis intelligitur. In porticu conseruatorū Capitolina Romae eiusmodi est inscriptio

M. CALPVRNIVS.M.F.PISO.FRVGI.PR.EX.S.C
FACIVNDVM. CVRAVIT. EIDEM.QVE. PROBAVIT.
IMP. CAESAR. DIVI. NERVAE. F. NERVA
TRAIANVS. AVGVSTVS. GERMANICVS
DACICVS. PONTIF. MAXIMVS. TRIB. POTEST. XII
IMP. VI. COS. V. P.P. OPERIBVS. AMPLIATIS. RESTITVIT

Annus DCCCLXIII

Priscinus & Orfitus consules hoc anno memorantur a Libro Cuspiniani, & Fastis Graecis. Eos Casiodorus uocat Crispinum & Solenum, ita ut sint Clodius Crispinus, ut biennio post intelligi poterit, & Solenus Orfitus. Quo anno haec inscriptio formata fuit

IMP. CAESAR
DIVI. NERVAE. F
NERVA.TRAIANVS
AVG.GERM.DACIC
PONT.MAX.TR.POT
XIII. IMP. VI. COS. V
P. P
VIAM.A. BENEVENTO
BRVNDVSIVM. PECVN
SVA. FECIT

Annus DCCCLXIIII

Pisonem & Bolanum Fasti Graeci, & Liber Cuspiniani, Pisonem & Rusticum Casiodorus cos. hoc anno edūt. Vettii Bolani meminit Tacitus saepe, itemque Calpurnij Pisonis. Antiqua uero inscriptio Pisonem & Bolanum sic edit

SILVANO. SANCTO
L. VALLIVS. SOLON
PORTICVM
EX. VOTO. FECIT
DICAVIT. K. APRILIB
PISONE. ET. BOLANO. CoS

Con-

Item Imperatoris Traiani
EX.AVCTORITATE
IMP.CAESARIS.DIVI
NERVAE . FILI
NERVAE. TRAIANI
AVG. GERM. DA
CICI.PONT.MAX
TRIB.POT
XIV. COS. V. P.P

Consulum uero suffectorũ aliã vidi inscriptionem ita a tergo

DEDIC. III
ID. OCTOBR
C.VRSO. SERVIANO II
ET. IVSTO. COS

DEDICATVM.KAL.MART
VRSO.SERVIANO. II
L.FABIO. IVSTO.COS

Fabij Iusti saepe Plinius in epistolis,& Tacitus meminerunt

Annus DCCCLXIIII

Liber Cuspiniani Traianum VI. & Africanum, Cassiodorus Traianum VII. Fasti Graeci Traianum V.& Africanum II. consules edunt. Hic est C. Iulius Africanus, de quo saepe Plinius in epistolis. Ceterum de sexto Traiani consulatu mentio est in antiquo lapide, ita

IMP.CAES.NERVAE. TRAIANO.AVG.GERMANIC
DACIC.PARTHIC.PONT. MAX. TR. POT. XV. COS. VI. P. P
DE. ROMANO.IMPERIO.DE.PATERNA.ET.AVITA
HISP.PATRIA.ET.DE.OMNI.HOMINVM.GENERE.MERITISS
POPVLARES. PROVINC. AREVATVM. OPTIMO. PRINCIPI

Et in antiquo nummo

IMP.CAES.NER.TRAIAN.OPTIM.AVG.GER.DAC.PARTHICO
P.M.T.R.P.COS.VI. P.P.S.P.Q.R

Annus DCCCLXV

Celsus & Crispinus deinde consules subsequuti sunt Cassiodoro, libro Cuspiniani,& Fastis Graecis testibus. Hi in uetusta Maffeiorum tabula ita digesti sunt L. PVBLILIO.CELSO. II. C.CLODIO.CRISPINO.COS.IDIBVS.APRILIBVS. Hic Celsus postea cum Palma, Lusio, & Nigrino ab Hadriano Baijs interfectus est, de quo plura Dio,& Spartianus tradunt

Annus DCCCLXVI

Liber Cuspiniani Vopiscum & Hastam, Cassiodorus Astam & Pisonem, Fasti Graeci Malcum & Vopiscum consules hoc anno edunt, de quibus in eadem Maffeiorum tabula ita mentio est. ACT. IDIB. IVNIS. Q. NINNIO. HASTA. P. MANILIO. VOPISC O. COS. Et in antiqua basi sic

VESBINVS.AVG.L
PHETRIVM
AVGVSTALIBVS
CVM.AR.GENI
MVNIC.CAERIT
DONVM.DEDIT
DEDIC.III.ID.IVN
Q.NINNIO. HASTA
P.MANILIO. VOPISCO COS

In columna coclide Traiani Romae

SENATVS. POPVLVS. QVE. ROMANVS
IMP.CAESARI.DIVI.NERVAE.F.NERVAE
TRAIANO.AVG.GERM.DACICO. PONTIF
MAXIMO.TRIB.POT. XVII. IMP. VI. COS. VI. P. P
AD. DECLARANDVM. QVANTAE. ALTITVDINIS
MONS.ET.LOCVS.TANTIS.OPERIBVS.SIT.EGEST
(VS

Annus DCCCLXVII

Cassiodorus, Fasti Graeci, & Liber Cuspiniani cõsules deinceps edunt Messallam & Pedonem. Is M. Valerius Messalla est, de quo in epistolis Plinius. Pedo uero pater est eius Pedonis, de quo mentio est in hoc antiquo epigrammate, qui ut scribit Dio tempore horrendi terremotus in magistratu mortuus est.

C.POPILLIO.C.F.QVIR.CARO
PEDONI. COS. VII. VIRO. EPVLON
SODALI.HADRIANALI. LEGATO
IMP.CAESARIS.ANTONINI.AVG
PII.PR.PR.GERMANIAE.SVPER
PATRONO. MVNICIPI
SENATVS. POPVLVS. QVE. TIBVRS
OPTIME. DE. REPVBLICA. MERITO

Ceterum hae duae inscriptiones ad Traianum pertinent: quarum haec Beneuenti est in arcu Traiani

IMP.CAESARI. DIVI.NERVAE.FILIO
NERVAE. TRAIANO. OPTIMO. AVG
GERMANIC.PONTIF.MAX.TRIBVNIC
POTEST. XVIII. IMP. VII. COS. VI. P. P
FORTISSIMO. PRINCIPI. S. P. Q. R

Item

IMP. CAESAR
DIVI. NERVAE. F
NERVA. TRAIANVS
OPTIMVS. AVG
GERM. DACICVS
PONTIFEX. MAXIMVS
TRIB. POT. XVIII
IMP. VIIII. COS. VI. P. P
FACIENDA. CVRAVIT

Be

Annus DCCCLXIX

Damasus in uita S. Alexandri papae, Cassiodorus, Cuspiniani liber,& Fasti Graeci consules suggerunt Aelianum & Veterem. Aimilij Aeliani & Antistij Veteris meminit Plinius in epistolis. L. Veteris pater, & auus consulares fuerunt. Ceterum Anconae in portu eiusmodi extat Traiani inscriptio

PLOTINAE AVG CONIVGI.AVG	IMP. CAESARI. DIVI. NERVAE. F. NERVAE TRAIANO. OPTIMO. AVG. GERMANIC DACICO. PONT. MAX. TR. POT. XVIIII. IMP. IX COS. VI. P. P. PROVIDENTISSIMO. PRINCIPI SENATVS. P. Q. R. QVOD. ACCESSVM ITALIAE. HOC. ETIAM. ADDITO. EX. PECVNIA. SVA PORTV. TVTIOREM. NAVIGANTIBVS. REDDIDERIT	DIVAE MARCIANAE AVG SORORI.AVG

Annus DCCCLXX

Damasus in uita S. Xysti, Casiodorus, liber Cuspiniani,& Fasti Graeci consules in hunc annum profitentur Nigrum & Apronianum. De quibus apud Plinium in epistolis mentio est. Inter horum annorum consules ordinarios Cassiodorus aliquot consules suffectos pro ordinarijs degerit, inter quos sunt Clarus & Alexander, quos suffectos fuisse argumento est, quod a Fastis Graecis, et libro Cuspiniani omittuntur. Erucij Clari viri consularis mentio est apud Plinium in epistolis, Dionem in Traiano, & Aelium Spartianum in Hadriano; quem ex antiqua inscriptione quam anno vrbis DCCCXXCVII. afferam, Marci praenomen tulisse existimo. Ti. Alexandri praefecti Aegypti sub Vespasiano meminit Tacitus, Iulii uero Alexandri Plinius in epistolis,& Dio in Traiano,& Commodo, qui refert Traiani auspicijs Seleuciam ab Eruclo Claro, & Iulio Alexandro expugnatam fuisse circa finem imperij eiusdem principis. Hoc anno Hadrianus qui postea imperauit adoptatus a Traiano Caesar appellatus est, quod ex Aelio Spartiano in eius vita intelligitur. Is enim ita scribit: Iterum consul fauore Plotinae factus totam praesumptionem adoptionis emeruit, V. Iduum Augusti die legatus Syriae literas adoptionis accepit, quando & natalem adoptionis celebrari iussit. III. Iduum earundem, quando & natalem imperij statuit celebrandum, excessus ei Traiani nuntiatus est: Haec ille. Ceterum paulo ante obitum suum ob res bene in oriente gestas Traianum Imp. appellatum fuisse tradit Dio; tunc autem decimum appellatus fuit, quemadmodum ex hoc antiquo nummo liquet. IMP. CAES. NERVAE. TRIANO. OPT. AVG. GER. DAC. PARTH. P. M. TR. P. XX. COS. VI. IMP. X. P. P. Qui hoc anno apud Selinuntem Ciliciae, quae postea Traianopolis appellata est, diem obijt, imperii anno XIX. mens. VI. et die XV. ut tradit Dio, uitae uero LXIV. atque ab Hadriano consecratus Diuus Traianus Parthicus uocatus est

De Hadriano Imperatore

Quintusdecimus a Iulio Caesare Romanum imperium post Traiani mortem suscepit regendum P. Aelius Hadrianus, Plotinae studio ad imperii fastigium euectus, qui die obitus Traiani cum principatu omnes etiam imperii titulos et iura suscepit, ut ex antiquo nummo apparet IMP. CAES. TRAIAN. HADRIANVS. AVG. P. M. TR. POT. COS. II. P. P

Annus DCCCLXXI

Primo imperii Hadriani anno consules fuerũt Cassiodoro, Libro Cuspiniani, et Fastis Graecis auctoribus ipse II. et Salinator. Quod autem Spartianus in eius uita asserere uiderur, ipsum paulo ante imperium a deptum, fauore Plotinae Augustae II. consulem factum fuisse, ego designatum in proximas Kal. Ianuarias, ante quas Traianus mortuus est, intelligo, et ita omnis cõtrouersia tolli potest. Fusci Salinatoris, et Claudii Fusci Salinatoris Traianus in epistolis ad Plinium, et ipse Plinius in epistolis quoque suis ad diuersos meminerunt; Traianusque eum uirum clarissimum fuisse, et plurimum apud se ualuisse scribit. Is Salinator domo patricia genitus, postea Seruiani ter cos. filiam uxorem duxit, ex qua natus est Fuscus ille, qui adulescens cum auo Seruiano ab Hadriano imp. occisus est. Ceterũ de Hadriano imp. hoc anno extant hi antiqui lapides sic inscripti

IMP. CAESARI. DIVI
TRAIANI. PARTHICI
FIL. DIVI. NERVAE. NEP
TRAIANO. HADRIANO
AVG. PONT. MAX. TRIB
POTEST. COS. II. P. P
IIII. VIRI. VIAR
Q. TAMVDIVS. Q. F. PALAT
GRAIVS. VIENNA
L. AVRELIVS. L. F. OVF
TYRANNVS. INTERAMN
NAHAR. TI. IVLIVS. TI. F. STEL
VERECVNDIANVS. BONONI
Q. TAMVDIVS. SEX. F. ARRIVS
REATE. FAC. CVR

S. P. Q. R.

IMP. CAESARI. DIVI. TRAIANI. PARTHICI. F. DIVI. NERVAE. NEP
TRAIANO. HADRIANO. AVG. PONT. MAX. TR. POT. II. COS. II
QVOD. OMNIVM. PRINCIPVM. ET. SOLVS. REMITTENDO. HS. NOVIES
MILLIES. CENTENA. MILLIA. N. DEBITVM. FISCI. NON. PRAESENTES
MODO. SED. ET. POSTEROS. SVOS. PRAESTITIT. HAC. LIBERALITATE. SECV-
IVLIA. AVG. MATER. AVGG. ET. CASTRORVM. MATRONIS. RESTITVIT (ROS
SABINA. AVG. MATRONIS

Et in antiquo nummo

IMP. CAESAR. TRAIANVS. HADRIANVS. AVG. P. M. TR. P. COS. III
RELIQVA. VETERA. HS. NOVIES. MILL. ABOLITA

Annus DCCCLXXII

Hadrianum Aug. II. mendose pro III. & Rusticum cõsules digerunt Cassiodorus, Fasti Graeci, & Liber Cuspiniani. Nam Hadrianum Imp. ter tantum consulem fuisse Spartianus in Hadriano ita scribit. Tertium consules cum ipse ter cos. fuisset plurimos fecit, infinitos autem secundi consulatus honore cumulauit. Ipsum autem tertium consulatum, & quattuor tantum mensibus egit, & in eo saepe ius dixit. Q. Iunii Rustici mentio est in antiquo epigrammate, quod paulo post afferam. De tertio uero Hadriani consulatu hanc inscriptionem subiicere placuit

Annus DCCCLXXIII

Consules hoc anno fuerunt Iulio Capitolino in Pio Imp. Cassiodoro, libro Cusp. & Fastis Graecis auctoribus Seuerus & Fuluus. Horum alter est L. Catilius Seuerus proauus maternus Marci Imp. qui bis cos. & praefectus vrbi fuit. De quo Iul. Capitolinus in Marci vita, & in epistolis Plinius. Alter uero est T. Aurelius Fuluus qui ut scribit idem Iulius Capitolinus postea Imp. appellatus est, cuius pater fuit T. Fuluus uir consularis, auus T. Aurelius Fuluus bis cos. & praef. vrbi. qui postea adoptatus ab auo materno Arrio Antonino, T. Aurelius Fuluus Antoninus dictus est, de quo plura in eius uita tradit Capitolinus. Quae ita esse confirmãtur etiã hac vetusta inscriptione

IMP. CAES. DIVI
TRAIANI. PARTHICI. F
DIVI. NERVAE. NEP
TRAIANO. HADRIANO
AVG. PONT. MAX
TRIB. POT. III. CoS. III
IMP. II. P. P
RHODANICI
INDVLGENTISSIMO. PRINCIPI

Annus DCCCLXXIV

Liber Cusp. & Fasti Graeci Verum II. & Augurem cos. edunt. Cassiodorus iterati honoris notam omittit. Hic est M. Annius Verus II. consul, & praefectus vrbi auus Marci Imp. adscitus inter patricios a Vespasiano & Tito principibus & censoribus. Quo II. cum Augure cos. ut tradit in eius vita Capitolinus, VI. Kal. Maij ipse Marcus natus est. Quem Dio in Hadriano ter cos. fuisse scribit

D. M
DIADVMENO. AVG
LIBERTO. PRAEPOSIT
ORDINARIO. VLTRO
A. DIVO. TITO. VIII. CoS
EXCESSIT
IIII. IDVS. SEPTEMBER
L. CATILIO. SEVERO
T. AVRELIO. FVLVO CoS

Annus DCCCLXXV

Auiola & Pansa consules memorantur a Cassiod. Libro Cusp. & Fastis Graecis. Quorum in antiquo C. Appulei Dioclis agitatoris factionis Russatae ita mentio est: PRIMVM. AGITAVIT. IN. FACTIONE. ALB. ACILIO. AVIOLA. ET. CORELLIO. PANSA. CoS. M'. autem Aciliorum familiare praenomen est: C. Corelli meminit Plinius in epistolis

Annus DCCCLXXVI

Lib. Cusp. & Fasti Graeci Paetinum & Aponianum, Cassiodorus mẽdose pro Paetino Paternum & Torquatum edit. Horum consulum mentio est in antiquae figulinae signo, quae apud me est ita Q. ARR. PAETIN. C. VENTID. APRON. CoS. & sic Q. OPPIVS. F. OP. DOL DELIC. DOM. PETINO. ET. APRONIANO. CoS.

Annus DCCCLXXVII

Liber Cusp. & Fasti Graeci Glabrionem & Torquatum cos. deinceps memorant, quorum in tabula C. Appulei Dioclis agitatoris ita mentio est: PRIMVM. VICIT. IN. FACTIONE EADEM. M'. ACILIO. GLABRIONE. C. BELLICIO. TORQVATO. CoS

Annus DCCCLXXVIII

Cassiodorus Asiaticum & Quintum, Liber Cusp. Asiaticum II. & Aquilinum. Fasti Graeci Asiaticum

Asiaticum & Aquilinum consules in hunc annum comparant. Quorum in antiqua figulina ita mentio est: P. CORN. ASIATIC. II. VETTIO. AQVIL. COS

Annus DCCCLXXIX

Damasus in S. Xysti Papae vita cōsules refert Verum & Anniculū, Casiodorus Verum & Ambiguum, Liber Cuspiniani Verum III. & Ambibulum siue Ambigolum, Fasti Graeci Seuerū III & Ambigulum. Iulius Capitolinus in Pertinace: Natus est (inquit) Pertinax Kal. Augustis Vero & Bibulo cos. Ego alterum Vespronium Cādidum Verum II. consulem esse existimaui, de quo Tertullianus ad Scapulam, & Spartianus in Didio Iuliano mētionem faciūt; alterum uero ex his formaui Ambiguū Bibulū *Annus* DCCCLXXX

Damasus in vita S. Telesphori Papae, Cassiodorus, Lib. Cusp. & Fasti Graeci cos. in hunc annum comparant Gallicanum & Titianum. Coelij Titiani quondam tutoris Hadriani, post eius praefecti praetorio meminit Spartianus in vita Hadriani Imp. Hoc anno expleto decennio imperii Hadriani Aug. Decennalia ab eo celebrata fuisse intelligendum est

Annus DCCCLXXXI

Casiodorus & Fasti Graeci Torquatum & Libonem, Liber Cuspiniani Asprenatem & Libonem cos. suggerunt. Horum consulum mentio est in antiquo C. Appulei Diocli agitatoris epigrammate sic: PRIMVM. AGITAVIT. IN. FACTIONE. PRASSINA. TORQVATO. ASPRENATE. ET. ANNIO. LIBONE. COS. Hic M. Annius M. F. Libo est patruus Imp. Marci, de quo in eius vita meminit Capitolinus. Porro gentem Nooiam Torquati, & Asprenatis cognomina tulisse superius demonstraui. L. Nonij meminit in epistolis Plinius

Annus DCCCXXCII

Celsus & Marcellinus consules hoc anno memorantur a Casiodoro, Marcellus II. & Marcellinus a Libro Cusp. Marcellus & Celsus a Fastis Graecis. Horum consulum mentio est apud Vlpianum digest. Vtt. III. ita: Prid. Idus Martias, Q. Iulius Balbus, & P. Iubentius Celsus cos. uerba fecere, de iis quae Imp. Caesar Hadrianus Traiani Parthici filius proposuit. Quibus eo loco cos. suffecti suggeruntur T. Aufidius, & Arrius Seuerianus. Aufidius Frontonis cognomen habuit. Hic Celsus maximus fuit iureconsultus de quo libro digest. xxix. xxii. xxix. apud Spartianum in Hadriano, & Pompooium de origine iuris mentio est. Extat Venetijs apud Reuerentiss. D. Patriarcham Aquileiensem antiqua aenea tabula ita inscripta

IMP. CAESAR. DIVI. TRAIANI. PARTHICI. F. DIVI
NERVAE. NEPOS. TRAIANVS. HADRIANVS. AVG
PONT. MAX. TRIB. POTEST. XII. COS. III. P. P
AD. XII. KAL. MART
P. IVVENTIO. CELSO. II. Q. IVLIO. BALBO. COS
AD. VIII. KAL. IAN
MARCELLO. ET. GALLO. COS

Iuuentij Celsi & Neratij Marcelli clarissimorum ciuium Plinius lib. ep. iij. ad Tranquillum & libro VI. ad Vrsum meminit

Annus DCCCXXCIII

Fasti Creci & Liber Cuspiniani consules in hunc annum comparant Catullinum & Aprum. De Flauio Apro saepe meminit Plinius in epistolis, de vtrisque consulibus in his duabus inscriptionibus mentio est

M. VLPIO. AVG. LIB. PHAEDIMO
DIVI. TRAIANI. AVG. A. POTIONE
ITEM. A. LAGVNA. ET. TRICLINIARCH
LICTORI. PROXIMO. ET. A. COMMENT
BENEFICIOR. VIXIT. ANNIS. XVIII
ABSCESSIT. SELINVNTE. PRID. IDVS. AVGVS
NIGRO. ET. APRONIANO. COS
RELIQVIAE. TRAIECTAE. EIVS
III. NON. FEBR. EX. PERMISSV
COLLEGI. PONTIFICVM. PIACVLO. FACTO
CATVLLINO. ET. APRO. COS
DVLCISSIMAE. MEMORIAE. EIVS
VALENS. AVG. LIB. PHAEDIMIANVS
A. VESTE. BEN. MER. FECIT

C. MARCIVS. C. F
SERG. SALVIANVS
NORBA
GENIO. CENTVRIAE
COH. X. PR. 7. MARI. BASSI
IN. QVA. MILITAVIT. AN. XIIX
VOTO. SVSCEPTO
MISSVS. HONESTA. MISSIONE
PRID. NON. IANVAR
Q. FABIO. CATVLLINO. M. FLAVIO
APRO. COS
ANIMO. LIBENS. ARAM. SVA. PECVNIA
POSVIT

Annus DCCCXXCIIII

Liber Cuſpiniani conſules profitetur Pontianum & Rufinum. Caſsiod. & Faſti Graeci pro Rufino Rufum edunt. De his cos. mentio eſt in antiqua inſcriptione C. Appulei Dioclis agitatoris hoc modo: PRIMVM. VICIT. IN. FACTIONE. RVSSATA. LAENATE. PONTIANO ET. ANTONIO. RVFINO. COS. Item in Tiburtinis effoſis ad Piſcinam publicam hoc anno Romae ita: SER. OCTAVIO. LAENTAE. PONTIANO. M. ANTONIO. RVFINO. COS

Annus DCCCXXCV

Augurinum & Sergianum Caſsiodorus, & Faſti Graeci, Augurinum & Seuerianum Liber Cuſpiniani conſules in hunc annum profitentur. Sentij Augurini meminit in epiſtolis Plinius, libro IIII. Arrius Seuerianus ante cos. ſuffectus fuit, nunc II. odinarius eſt

Annus DCCCXXCVI

Tiberius & Silanus cõſules digerũtur a Caſsiodoro, Hiberus & Siſenna a Faſtis Graecis, & Lib. Cuſpiniani. Iunius Silani nomen eſt. Hiberi conſulis mentio eſt in antiqua inſcriptione ita

GALLICANO. ET. VETERE. CoS
VII. ID. IAN. COH. I. PR. 7.
SATRI. GENIO. 7. MISSI
HONESTA. MISSIONE. VII
HIBERO. CoS
SP. L. CENSORINVS. IVSTVS. VIRVNO
L. VOLCEIVS. SEVERVS. SESTINO
Q. SEXTILIVS. RVFVS. FLANONA
C. VALERIVS. VERANIVS. TRIDENTE
SERVIANO. III. COS
T. ANNIVS. CRISPINVS. CVPRAMAR
T. ANTONIVS. PRIMVS. PERINTHO

Annus DCCCXXCVII

Seruianus & Varro conſules memorantur a libro Cuſp. Sergianus & Verus a Caſsiodoro. Seuerus & Varus a Faſtis Graecis, omnes mendoſe. Sunt enim Seruianus III. & Verus cos. vt ex ſequẽtibus antiquis epigrãmatibus intelligitur. Hic Iulius Seruianus appellatur a Plinio in epiſtolis, fuitq; ſororis Hadriani maritus, qui III cos. cum Fuſco nepote annum agens XC. paulo ante obitum Hadriani, eiuſdem iuſſu interfectus eſt; de quo ſcribunt Dio, & Spartianus in Hadriano, qui & tertii eiuſdem conſulatus meminit

PRO. SALVTE
L. ANTONI. VETERIS
SABINI. V. C
IVR. IVD
VOT. SOLVT
CVR. L. ANTONIVS. L. F
CLEMENS. VETER
DED. XIIII. KAL. MART
SER. SERVIANO. III. ET CoS
C. IVVENTIO. VERO

MISSVS. AB. IMP. HADRIANO. AVG
SERVIANO. III. ET. VIBIO. VERO
COS. BRAVA. M. ERVCIO. CLARO. II
COS. IN. FR. P. XX. IN. AGRO. P. XX

Annus DCCCXXCVIII

Caſsiodorus conſules edit Pompeianum & Acilianum, Lib. Cuſp. Lupercum & Atticum. Faſti Graeci Pontianũ II. et Aquilinum. Videndum num ſint Ser. Octauius Laenas Pontianus II. & Q. Vettius Aquilinus. An quod magis credo, Pompeianus Lupercus, & L. Iulius L. F. Atticus Acilianus cos. de quo Romae in domo Matthaeiorum uetus adhuc extat epigramma. Iulii quoque Attici meminit Plinius libro epiſtolarum primo

Annus DCCCXXCIX

Pompeianus II. & Commodus conſules referuntur a Caſsiodoro & Libro Cuſpiniani; Commodus & Pontianus III. a Faſtis Graecis. Sunt autem Commodus & Pompeianus, ut ex antiquis inſcriptionibus liquet. Hic vero Commodus, L. Ceionius L. F. L. N. Commodus Verus eſt Nigrini gener, qui hoc anno III. Idus Aug. die natali imperii ab Hadriano adoptatus L. Aelius Verus Caeſar appellatus eſt, & tribuniciam poteſtatem ſuſcepit. De quo plura Dio, & Spartianus in Hadriani vita ſcribunt. Vetera uero epigrammata haec ſunt

IMP. CAESARI. DIVI
TRAIANI. PARTHICI. FIL
DIVI. NERVAE. NEPOTI
TRAIANO. HADRIANO
AVG. PONTIF. MAXIMO
TRIBVNIC. POTESTAT. XX
IMP. II. CoS. III. P. P
MAGISTRI. VICORVM. VRBIS
REGIONVM. XIIII.
a tergo
L. CEIONIO . COMMODO
SEX. VETVLENO. CIVICA. POMPEIANO CoS

GENIO SOMN
L. DOMITIVS. L. L
ARGYRVS. LANARIVS
DOMITIA. L. L
MYRTALE
S. P. D. D
DEDIC. K. IAN
L. CEIONIO. COMMO
DO. ET. SEX. VETVLE
NO. POMPEIANO. CoS

Annus DCCCXC

Damasus in vita S. Telesphori Papae, & Liber Cuspiniani Caesarem II. & Balbinum cos. edunt Fasti autem Graeci Aelium Caesarem, & Balbinum: Cassiodorus Sergianum & Albinum mendose. Horum alter est L. Ceionius Commodus Verus, qui superiore anno ab Imp. Hadriano adoptatus L. Aelius Verus Caesar appellatus est, atque tribunicia potestate suscepta II. cos. designatus, ut Dio, Aelius Spartianus, & Iulius Capitolinus tradunt. Quibus etiam auctoribus constat, eum hoc anno Kal. Ianuarii primo secundi consulatus sui die mortuum esse, de quo & eius conlega Balbino eiusmodi extant ueteres nummus & inscriptiones

L. AELIVS. CAESAR. TR. POT. COS

Item in antiqua basi

POSITA. VI. ID. IVLI
L. AELIO. CAESARE II
P. COELIO. BALBINO CoS

In fascia molis Hadriani

L. AELIO. CAESARI. DIVI
HADRIANI. AVG. F
COS. II. F

L. AELIO. CAESARI. IMP. CAES. TRAIANI
HADRIANI. AVG. PONT. MAX. TRIB. POT
XXI. IMP. II. COS. III. FILIO. DIVI. TRAIA
NI. PARTHICI. NEP. DIVI. NERVAE. PRONEP

P. COELIO. P. F
SER. BALBINO
VIBVLLIO. PIO
X. VIRO. STLITIB. IVDIC
VI. VIRO. EQVIT. ROMAN
TVRM. QVINT. TR. MIL. LEG
XXII. PRIMIG. P. F. ADLECTO
INTER. PATRIC. AB. IMP. CAES
TRAIANO. HADRIANO. AVG.
SALIO. COLLINO. QVEST
AVG. FLAMINI. VLPIALI. PR. DE
FIDEI. COMMISS. CoS.
DESIGNATO
DECVRIONES. SVA. PECVNIA

Eodem anno secunda Imp. Hadriani decennalia facta sunt more maiorum

Annus DCCCXCI

Damasus in vita S. Hygini Papae consules refert Magnum & Camerinum. Cassiodorus, liber Cuspiniani, & Fasti Graeci Camerinum & Nigrum. Sulpicij Camerini, & Quinctii Nigri mentio est in Dione, & Iulio Capitolino. Hoc anno (ut scribit Iulius Capitolinus in Pio) Mortuo Aelio Vero quem sibi Hadrianus adoptauerat, & Caesarem nuncupauerat, Arrius Antoninus eiusmodi lege ab Hadriano adoptatus est, ut sibi ille adoptaret M. Annium Verum fratris vxoris suae filium, & L. Aelium Verum, L. Caesaris mortui filium: Adoptatus ergo est V. Kal. Martij in senatu gratias agens, quod de se ita sensisset Hadrianus, factusque est patri & in imperio proconsulari, & in tribunicia potestate collega. Eodem anno post celebratum agonem Capitolinum XIIII. Hadrianus Imp. apud Baias ut Spartianus tradit, mortuus est VI. Idus Iulij, aetatis anno LXII. mense V. & die XVII. imperii uero XX. & mense XI. Idem & Dio tradit, atque ab Antonino Pio successore inter diuos relatus est. Sepultus autem fuit in eius sepulchro, quod molis specie uiuens sibi in hortis Domitiae super Tiberim statuerat iuxta pontem Aelium, eique hoc additum est a successore Pio epitaphium

IMP. CAESARI. DIVI. TRAIANI. PARTHICI. FILIO
DIVI. NERVAE. NEPOTI. TRAIANO. HADRIANO
AVG. PONT. MAX. TRIB. POT. XXI. IMP. II
COS. III. P. P. ET. DIVAE. SABINAE
IMP. CAESAR. T. AELIVS. HADRIANVS. ANTO
NINVS. AVG. PIVS. PONT. MAX. TRIB. POT. II
COS. DES. III. P. P. IMP. II
PARENTIBVS. SVIS

De Antonino Pio Imp

T. Aaelius Hadrianus Antoninus Augustus Hadriano patri in imperio succeßit, qui a morum lenitate & mansuetudine Pij sibi cognomen inuenit. Cnius imperij initium hoc anno fuit VI. Idus Iulij, in quo mortuo Hadriano omnes imperij titulos, & insignia excepto patris patriae cognomine, quod distulit, suscepit. Iulius Capitolinus: Patris (inquit) patriae nomen delatum a senatuquod primo distulerat cum ingenti gratiarum actione suscepit. Eius genus & vitam scribunt Dio, & Iulius Capitolinus. Haec autem quae dixi huius veteris inscriptionis testimonio confirmari possunt

IMP . CAESARI
DIVI . HADRIANI
AVG . FILIO . DIVI
TRAIANI . PARTHICI
NEP . DIVI . NERVAE
PRONEPOTI . TITO
AELIO . HADRIANO
ANTONINO . AVG . PIO
TRIB . POT . COS . DES . II
SCRIBAE
ARMAMENTARI

Annus DCCCXCII

Antoninus II & Praesens a libro Cuspiniani cos. hoc anno referuntur. Antoninus Augustus & Praesens a Caßiodoro, & Fastis Graecis. Horum consulum meminit Censorinus cap. XVII de die natali ita: Quique hoc anno fuit (loquitur autem de anno Coo XCI) ante diem VII. Kal. Iulij, ab hinc annos centum Pio & Brutio Praesente cos. ijdem dies fuerunt, ante diem XII. Kal. Augusti. Plinius libro VII. epistolarum ad Bruttium Praesenté scribit. Bruttij Praesentis filia Crispina postmodum Cómodo Marci Imp. filio nupsit: Capitol. in Marco Imp. Marcus (inquit) Annius Verus octauodecimo aetatis anno adoptatus in secũdo cõsulatu Antonini iam patris sui, pro Annio Aurelius coepit uocari, quod in Aureliam domum, hoc est Antonini iure adoptionis transisset, & gratia aetatis facta questor est designatus. Cum Marco & L. Verus adoptatus est ab Antonino, qui ambo Caesares appellati sunt. Huius quoq; anni hae extãt inscriptiones

IMP . CAESAR
DIVI . HADRIANI . FIL
DIVI . TRAIANI
PARTHICI . NEPOTI
DIVI . NERVAE . PRONEP
T . AELIO . HADRIANO
ANTONINO . AVG . PIO
PONTIF . MAX . TRIB
POTEST . COS . II
P . P . D . D

. . . . ANI . F
. . . . AIANI
. . . . ICI . NEP
. . . . . . NERVAE . PRONEP
. . . . . O . HADRIANO
. . . . ONINO . AVG . PIO
. . . MAXVMO . TRIBVN
. . . AT . II . COS II . P . P
. . . . V S . POPVLVS . QVE
. . . . VINVS . VETERES

IMP . CAES . DIVI . HADRIANI
FILIO . DIVI . TRAIANI
PARTHICI . NEPOTI
DIVI . NERVE . PRONEP
T . AELIO . HADRIANO
ANTONINO . AVG . PIO
PONTIFICI . MAXIMO
TR . POT . II . IMP . II
COS . II . DES . III . P . P
CVR . VIAR

Annus DCCCCXCIII

Liber Cuspiniani consules suggerit Antoninnm III. & Aurelianum Caesarem. Fasti Graeci Antoninum Aug. II. & M. Aurelium Verum Augusti filium. Capitolinus in Pio & Marco: Pius Marcum adhuc quaestorem, (creatus autem fuerat anno superiore) senatu petente consulem secum designauit: & Caesaris appellatione donauit, & VI. Virum turmis equitum Rom. iam cos. des. creauit. Extant uetustae hae inscriptiones, in quibus huius anni mentio est

IMP . CAESARE . T . AELIO . HADRIANO
ANTONINO . AVG . PIO . P . P . III COS
M . AELIO . AVRELIO . CAESARE
ORDO . CORPORATOR . QVI . PECVNIAM
AD . AMPLIANDVM . TEMPLVM
CONTVLER

item

IMP . CAES . T . AELIVS . HADRIANVS
ANTONINVS . AVG . PIVS . COS . IIII
TRIB . POT . III IMP . II . P . P
AQVAEDVCTVM . NOVIS . ATHENIS
COEPTVM . A . DIVO . HADRIANO
PATRE . SVO . CONSVMAVIT
DEDICAVIT . QVE

item

IMP . CAESARI . DIVI . HADRIANI . FILIO
DIVI . TRAIANI . PARTHICI . NEPOTI . DIVI
NERVAE . PRONEPOTI . T . AELIO . HADRIANO
ANTONINO . AVG . PIO . PONTIFICI . MAXIMO
TRIB . POTEST . III . COS . III . P . P . BENEFICO . AC
SERVATORI . HADRIANAE . AC . MOPSVESTIAE . CIV
LYCIAE . SACRAE . LIBERAE . INVIOLATAE . SVIS
LEGIBVS . VIVENTIS . P . R . AMICITIA . ET . SOCI
ETATE . CONIVNCTAE . QVOD . DIVINA . IPSE . IN
IVRE . DICENDO . CLEMENTIA . SIT . VSVS . NEC
NON . VETERA . EIDEM . CIVITATI . IVRA
FIRMA . RATA . QVE . ESSE . VOLVERIT
S . P . Q . D . D

item Pisis

IMP . CAES . DIVI . HADRIANI . FIL
DIVI . TRAIANI . PARTHICI . NEP
DIVI . NERVAE . PRONEPOTI
T . AELIO . HADRIANO
ANTONINO . AVG . PIO
PONT . MAX . TRIB . POT . III
CoS . III . P . P
INDVLGENTISS . PRINCIPI

& nummus

ANTONINVS . AVG . PIVS . P . P. TR . P . CoS . III

a tergo

M . AVRELIVS . CAESAR . AVG . PII . F . CoS

Annus DCCCXCIIII

Seuerus II. & Siluanus consules deinceps fuerũt auctore Casſiodoro. Fasti Graeci Seuerum & Silanum, Liber Cuſpiniani rectius Silogam & Seuerum edunt. In antiquis enim Tiburtinis in Piſcina publica paulo ante Romae repertis hi consules leguntur ſic: M. PEDVCAEO. SYLOGA PRISCINO. T. HOENIO. SEVERO. CoS Huius ut puto Priſcini meminit in Pio Capitolinus. Ciperani hoc extat epigramma

IMP . CAESAR
DIVI . HADRIA
NI . FILIVS . DIVI
TRAIANI
PARTHICI . NEPOS
DIVI . NERVAE . PRON
T . AELIVS . HADRIA
NVS . ANTONINVS
AVGVSTVS . PIVS
PONT . MAXIMVS
TRIBVNIC . POT . IIII
CoS . III . P . P
OPVS . PONTIS
VETVSTATE . CONLABS
RESTITVIT

Annus DCCCXCV

Rufinus & Torquatus consules hoc anno memorantur a Casſiodoro: a Libro vero Cuſpiniani, & Fastis Graecis Rufinus & Quadratus. In his ipſis lapidibus de quibus anno ſuperiore dixi, hi quoque consules exarati ſunt ita

DEDICATVM . K . OCTOBR
L. CVSPIO. RVFINO
L. STATIO. QVADRATO CoS

Et huius etiam anni eiuſmodi extat uetus inſcriptio

IMP . CAESARI
T . AELIO . HADRIANO
ANTONINO . AVG . PIO
PONTIF . MAX . TRIB . POT . V
IMP . II . CoS . III . P . P
CONSTITVTORI . SACRI
CERTAMINIS . SELLASTICI
SOCII . LICTORES . POPVLARES
DENVNTIATORES . PVTEOLANI

Hoc anno agon Capitolinus XV. actus est, ad quem huiuiuſmodi inſcriptionem pertinere puto

T . FLAVIO . T . L . HILARIONI
DECVR . COLL . FABR . EX . LVSTRO . XV
VNGVENTO . AD . SVB . FRAG . LVSTRO . XVI
MAG . QVINQ . COLL . FABRVM . TIGNARIORVM
LVSTRO . XVII . HONORAT . EX . LVSTRO . XVIII
CENSOR . BIS . AD . MAG . CREANDOS . LVSTRO . XIX
ET . XX . IVDEX . INTER . ELECTOS . XXI . AB . OR
DINE . LVSTR . XXII . CLAVDIA . TI . F
PRISCA . VIRO . OPTIMO . ET . FLAVIA . T . F
PRISCILLA . PATRI . OPTIMO

Annus

Annus DCCCXCVI

Cassiodorus & Fasti Graeci cos. suggerunt Torquatum II. & Herodem. Liber Cuspiniani Torquatum & Atticum. Horum consulum mentio est in uetusta inscriptione sic

Hic Torquatus C. Bellicij filius est ut puto, qui sub Hadriano cos. fuit. Herodis uero Attici consularis uiri doctissimi libro primo cap. secundo, & alibi frequens apud Gellium mentio est. De eo quoq; Dio, & Iulius Capitolinus in Marco scribūt, quem eiusdē praeceptorem fuisse referunt

C. IVLIVS. SEX. F. COR. POSTVMVS
FVRIVS. VERECVNDVS
FVRIA. PIETAS. M. FVRIVS. TELESPHORVS
TECTVM. QVI. PERIIT
ITAQVE. BENEMERENTIB. PATRONIS
NOVVM. TECTVM. SVA. IMPENSA. RESTIT
C. BELLICIO. TORQVATO COS
TI. CLAVDIO. ATTICO. HERODE

Annus DCCCXCVII

Auiolam & Maximum cos. edunt Cassiodorus, & Fasti Graeci, Liber vero Cuspiniani Auitum & Maximum. Lolliani Auiti uiri consularis sub Pio, meminit in Pertinace Capitolinus; qui & Gauium Maximum praefectum praetorio Antonini Pij memorat in eius vita, quem esse credo de quo eiusmodi extat epigrammatis fragmentum

C. GAVIVS. C. F. STRABO
MAXIMVS
COS

De hoc anno has vidi inscriptiones

IMP. CAESARI
T. AELIO. HADRIANO
ANTONINO. AVG. PIO
PONT. MAX. TRIB. POT. VII
IMP. II. COS. III. P. P.
CORPVS
PISTORVM

IMP. CAESARI
T. AELIO. HADRIANO
ANTONINO. AVG. PIO
PONTIFICI. MAXIMO. TRIBVNICIAE
POTESTATIS. VII. IMP. II. COS. III
DES. IIII. P. P. DECRETO. DE
CVRIONVM. POPVLIQVE. S. CONSENSV

Annus DCCCXCIIX

Liber Cuspiniani cos. in hunc annum comparat Antoninum IIII. & Aurelianum II. Fasti Graeci Antoninum Imp. III. & Aurelianum II. Cassiodorus Antoninum III. & Aurelium. De quibus in Marci vita sic scribit Capitolinus: Pius Marcum iterum consulem designauit, quum ipse quartum consulatum pariter iniret

Annus DCCCXCIX

Damasus in vita S. Pii Papae, & Liber Cuspiniani consules edunt Clarum & Seuerum, Cassiodorus Gratum & Seleucum, Fasti Graeci Seuerum II. & Herinum mendose forte pro Erucio, nam Aelius Spartianus in Seuero ita horum consulum meminit: Seuerus Imp. natus est Erucio Claro II. & Seuero cos. VI. Idus Apriles, & Gellius libro XIII. cap. XVII. Erucius Clarus (inquit) qui bis cos. & vrbi praefectus fuit. Claudii vero Seueri Dio in Auiti vita mentionem facit Eorundem mentio est in antiqui epigrammatis Graeci fragmento, quod a Iocundo Veronense tradnctū est ita

Hoc anno agon Capitolinus XVI. actus est, ut ex eorundem supputatione liquet

... SACER. ORDO. PAENISTARVM. ROMAE. IOVIS
... TATIS. MAGNI. SERAPIDIS. ET. DEORVM. VE
NERANDORVM. HONORAVERVNT. PRID. NON. MAI
SEX. ERVCIO. CLARO. II. CN. CLAVDIO. SEVERO. COS

Annus C∞

Largus & Messallinus consules hoc anno memorantur a Cassiodoro, Libro Cuspiniani, & Fastis Graecis. M. Valerij Largi. & Marci Valerij Messallini mentio est in Dione, & Iulio Capitolino. Hoc anno ut tradit Iulius Capitolinus, & ex antiquis inscriptionibus intelligitur, Marcus Faustina Pii filia in uxorem ducta, tribunicia potestate donatus est, atque imperio extra vrbem proconsulari, addito iure quintae relationis. Cuius rei mentionē facit eiusmodi uetus inscriptio Hoc autem ut ex ijsdem lapidibus accurate obseruaui, V. Kal. Martij factum est, quo die sub Hadriano Pius ipse eandem potestatem primum susceperat. Et in antiquo nummo AVRELIVS CAESAR. AVG. PII. F. COS. II

FAVSTINAE
AVG.
IMP. CAES. T. AELI
HADRIANI. ANTONI
NI. AVG. PII. P. P. TR. P. X
IMP. II. COS. IIII
FILIAE
M. AVRELI. CAESARIS
VXORI

Annus C ∞ I

Torquatus II. & Iulianus consules hoc anno fuerunt libro Cuspiniani, & Fastis Graecis auctoribus, Torquatus III. & Iulianus Cassiodoro teste. Ex his Torquatus primum quinquennio ante fuit. Iulianus est vt puto, M. Saluius Iulianus proauus Iuliani Imp. qui tradente Spartiano bis cos. praefectus urbi, & maximus iuris consultus fuit. Formijs eiusmodi Antonini extat inscriptio

IMP . CAESARI . DIVI
HADRIANI. FILIO . DIVI
TRAIANI . PARTHICI . NEP
DIVI . NERVAE . PRONEP
T . AELIO . HADRIANO
ANTONINO . AVG . PIO . PONT
MAX . TRIB . POT . XI . COS . IIII . P . P
FORMIANI . PVBLICE

Hoc anno more ueteri Pii decennalia acta, & anno sequenti uota decennalia secunda suscepta

Annus DCCCCII

Orfitus & Priscus consules hoc anno comparantur Damaso in uita S. Hygini papae, Cassiodoro, libro Cuspiniani, & Fastis Graecis. De quibus in his inscriptionibus mentio est ita

AETERNITAT
SACR
SOLI . ET . LVNAE
P . NOVELLIVS . P . F
PAL . VERVS . D D
XVIII . KAL . IVL
SER . SCIPIONE . ORFITO . ET
Q . NONIO . PRISCO COS

TARPEIAE . VALERIANAE
VIR . VEST . MAXIMAE
DIGNISSIMAE . ET . SANCTISSI
MAE . PVRISSIMAE . VENERABILEM
DISCIPLINAM . IN . DEOS
QVOQVE . PERVIGIL . ADMI
NISTRATIONEM . S . L
COMPROBAVIT . SENATVS . ET
POPVL . L . EGRILLIVS . STRATOR
. . . . PIETATEM . PRAES
TANTIAMQ . CAVSSA . D . D
COLLOCATA . V . KAL
IVN . SCIPIONE . ORFI
TO . Q . NON . PRISCO
COS

Item

SANCTISSIMO . HERCVLI
INVICTO
CORPOR . CVSTODIARIOR
L . CVRTIVS . ABASCANTVS . CVM
CVRTIO . GAVDENTE . FIL
I M M . A . IIII .
CRATERAM . ARGYROCORINTHIAM
CVM . BASI . ET . HYPOBASI
MARMOREA
SVA . PECVNIA . DONVM
DEDERVNT
DEDICAT . VIIII . K . IVN
SER . SCIPIONE . ORFITO . Q . NON . PRISCO
COS

Annus C ∞ III

Glabrionem & Veterem cõsules suggerunt Cassiodorus, & Fasti Graeci. Damasus in vita S. Aniceti papae Gallicanum & Veterem, liber Cuspiniani Romulum Gallicanum, & Veterem. Sane in ueteri inscriptione, quam anno DCCCXXCVI. citaui Gallicanus & Vetus leguntur. Veteris nomen Antistius fuit

Annus DCCCCIIII

Gordianus & Maximus consules memorantur a Cassiodoro, & libro Cuspiniani. Condianus & Maximus a Fastis Graecis. Quintiliorum Condiani alias Cardiani & Maximi in Commodo meminit Dio, quos ab eodem cum Sexto Condiano Maximi filio interfectos fuisse scribit. Quapropter ego suspicatus sum hos esse eos qui in antiqua tabula, quae Romae ad XII. apostolos extat, cum plerisque horum temporum consulum collegijs, ita exarati sunt.
QVINCTILIIS . COS . item SILVANO . ET . AVGVRINO . COS . item L . AELIANO . ET . PASTORE . COS . Deinde CLARO . ET . CETHGO . COS . Postremo MAXIMO . ET . ORFITO . COS

Annus C ∞ V

Glabrio II. & Omullus cos. memorantur a Cassiodoro, libro Cuspiniani, & Fastis Graecis. Valerij Omulli frequens mentio est apud Iulium Capitolinum in uita Pij & Marci imperatorum, item Plinium in epistolis. Horum consulum memoriam extare uidi in tribus inscriptionibus ita

GLABRIONE . ET . OMOLLO
C O S
EX . RAT . L . ZEL
N . CXXCIIII

GLABRION . ET . HOMOLLO . COS
ART . CL . ZEL . LOC . IIC
NT . CXX

SEX . GLABRIONE . C . OMOLLO
VERIANO . COS

Glabrionis autem Acilius notum nomen est, ut Omolli Valerius ex Capitolino.

Annus C∞ VI

Praesens & Rusus consules suggeruntur a Cassiodoro, Praesens II. & Rufinus a Damaso in vita S. Aniceti Papae, Libro Cuspiniani, & Fastis Graecis. Horum alter est Bruttius Praesens, alter (ut credo) Antonius Rufinus

Annus C∞ VII

Commodus & Lateranus consules deinceps fuerunt auctoribus Cassiodoro, libro Cuspiniani, & Fastis Graecis. De his consulibus ita scribit Capitolinus in L. Vero. L. Verus post quaesturam statim cos. est factus cum Sextilio Laterano. Hic enim est L. Verus L. Aelij Caesaris ab Hadriano ante Pium adoptati filius, ab eodem Pio ita uolente Hadriano, cum Marco adoptatus, qui postea cum eo sub Augusti nomine imperauit. Forte autem abdicauit, atque in eius locum Aquillius Orfitus factus est cum Laterano, legitur enim in veteri inscriptione ita

SEXTILIO . LATERANO . ET . AQVILLIO . ORFITO . COS

Annus C∞ VIII

Casiodorus consules edit Verum & Sabinum, Liber Cusp. Seuerum & Sabinum, Fasti Graeci Seuerum II. & Sabinianum. Eorum consulum, & suffectorum mentionem extare vidi in fine antiquae tabulae sic

IVBENTIVS . CELSVS . PRO . MAGISTRO . SVBCSRIPSI . III
NONAS . NOVEMB . ANTIO . POLLIONE . ET . OPIMIANO . COS
ORDINAR . SEVERO . ET . SABINO . COS

Item

C . COELIO . C . F
PAL . VERO
QVAEST . ALIMENT
C . IVLIO . SEVERO . M . RVFINO . SABINIANO . COS
III . NONAS . DECEMBRIS

Annus DCCCCIX

Siluanum & Augurinum cos. subiiciunt Casiodorus, Fasti Graeci & Liber Cuspiniani. Plautium Siluanorum, & Sentium Augurinorum nomina fuisse superius demonstraui. Horum quoque cos. mentio est in tabula quam superius citaui

Annus C∞ X

Barbatus & Regulus iisdem auctoribus consules hoc anno fuerunt. De eis praeterea nihil compertum habeo

Annus C∞ XI

Tertullum & Sacerdotem iidem auctores consules in hunc annum digerunt. Q. Flauii Tertulli mentio est in antiquo lapide, cuius exemplum paulo post afferam. Licinii uero Sacerdotis in Capitolino & Dione. Hoc anno decennalia secunda Imp. Antonini Aug. Pij more maiorum sunt facta; & agon Capitolinus XIX. celebratus. Huius ut puto Tertulli multa mentio est, apud Iulium Capitolinum in vita M. Aurelii imp. quem Faustinae Marci adulterum fuisse scribit

Annus C∞ XII

Quinctillus & Priscus consules deinceps fuerunt Casiodoro, Libro Cuspiniani, & Fastis Graecis auctoribus. Plautii Quinctilli consularis uiri Spartianus in Iuliano Imp. Statij vero Prisci, quem Marcus Imperator cũ Vero, & Auidio Casio ad Parthicum bellum misit Iulius Capitolinus in vita L. Veri imp. meminerunt. Vtrorumq; autem simul eiusmodi uetus inscriptio. Hoc anno festis decennalibus secũdis more maiorum, altero & uigesimo imperij Antonini Pij anno celebratis, uota suscepta sunt decennalia tertia, quod hic aereus antiquus nũmus demõstrat. ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P. TR. P. XXII. VOTA. SVSCEPTA. DEC. III. CoS. IIII

AESCVLAPIO . ET . HYGIAE
SACRVM
C . OPPIVS . C . L . LEONAS
VI . VIR . ET . AVG
HONORATVS . IN . TRIBV
CL . PATRVM . ET . LIBERVM
CLIENTIVM . ADCENSVS
PATRONI . SANCTISSIMIS
COMMVNICIPIBVS . SVIS . D D
QVORVM . DEDICATIONE
SINGVLIS . DECVRIONIBVS
✱ . III . AVGVSTALIBVS . ✱ . II . ET
COLONIS . CENAM . DEDIT
DEDICAT . IDIBVS . IANVAR
PLAVTIO . QVINCTILLO . ET
STATIO . PRISCO CoS

Annus C∞ XIII

Verum II. & Braduam cos. subiicit Casiodorus. Fasti Graeci Braduam & Verum: Liber Cuspiniani Braduam & Varum. Horum quoque cos. mentio est in inscriptionibus nuper Romae in Piscina publica inuentis, de quibus superius dixi, ita APPIO . ANNIO . BRAD

T.VIBIO . BARO . CoS . M.Aurelij Caesaris extant plerique eiusmodi nummi, quibus eius tribuniciam potestatem recte concinnatam fuisse liquet. AVRELIVS. CAESAR. AVG PII. F. TR. P. XIIII. CoS.II

Annus C ∞ XIIII

Duo Augusti consules memorantur hoc anno a Cassiodoro,& libro Cuspiniani; M.Aurelius Verus, & L.Commodus Antoninus a Fastis Graecis. Hi sunt M.Aurelius,& L. Verus Caesares Antonini Augusti Pii filii, quorum Marcus est III. Lucius uero II. ut Iulius Capitolinus scribit in L.Vero. Post quaesturam (inquit) statim cos. est factus cum Sextilio Laterano, interiectis annis cum Marco fratre II. factus est consul. Diu autem & priuatus fuit, & ea honorificentia caruit, qua Marcus ornabatur. Nec aliud ei honorificentiae ad nomen adiunctum est, quam quod Augusti filius appellatus est. Extant antiqui nummi Pii & Marci hoc anno cusi, sic

IMP. T. AELIVS. CAESAR. ANTONINVS. AVG. PIVS. TR.P. XXIIII. COS. IIII. P.P

Et alius ANTONINVS. AVG. PIVS. P.P. TR. P. XXIIII. COS. IIII.. Et Marci, quam inscriptioně ego accuratissime ex ipso nůmo descripsi, ita AVRELIVS. CAESAR. AVG. PII.F TR.P.XV.COS.III. Hoc anno Nonis Martii Imp. Antoninus Pius Augustus mortuus est imperii anno XXII. Mense VII. die XXVI. aetatis uero LXXIIII. mense VI. Quod quamquam a nullo quod sciam aperte prodatur (nam Pij gesta apud Dionem qui accurate dies initi finitique imperij, notare solet interciderunt) id tamen ita colligi potest. Pius imperare coepit die obitus Hadriani VI. Idus Iulij ut tradit Spartianus. Imperauit autem usque ad hunc annum, ut paulo post ostendam ex antiquis nummis. Is autem imperare desiit quo die mortuus est, in quo Marcus imperium accepit. Marcus autem ut inter omnes constat, imperauit annos XIX. & dies XI. Is Tertulliano & Dione testibus obiit XVI. Kal. Aprilis. Si autem ab eo die XI. dies retrogrediamur, inueniemus diem natalem imperij Marci, mortisq; Pii fuisse Nonas Martij huius anni. Quod etiă mirifice quadrat Pii epitaphio, ex quo cum tribuniciam potestatem XXIIII. attigisse intelligitur, quod & uerum est. Nam XXIIII. anno ante, V. Kal. Martij die adoptionis eam ab Hadriano obtinuerat, ut tradit Iulius Capitolinus in eius vita. Hoc igitur anno quando diem obijt tribuniciae potestatis XXIIII. diem iam agebat undecimum. Statim autem inter diuos a Marco relatus est, & in Hadriani sepulchro super Tiberim cum hoc elogio tumulatus

IMP . CAESARI . T . AELIO. HADRIA
NO. ANTONINO . AVG . PIO . PONTIF
MAXIM . TRIB . POT . XXIIII . IMP . II
COS . IIII . P . P

De M.Antonino, & L.Vero Augustis

Post excessum diui Pij Marcus a senatu coactus regimen publicum suscipere, fratrem sibi participem in imperio designauit, quem L.Aurelium Verum Commodum appellatum, Caesarem atque Augustum dixit, ex quo tempore coeperunt pariter remp. regere. Tuncque primum Romanum imperium duos Augustos simul habere coepit. Antonini deinde ipse nomen usurpauit; & quasi pater L.Commodi esset, eum Verum appellauit, addito Antonini cognomine, filiamque suam Lucillam ei despondit: Haec Capitolinus in Marco. Et in L.Vero, L.Ceionio Aelio Commodo Vero Antonino, qui ex Hadriani uoluntate Aelius appellatus est, ex Antonini coniunctione Verus & Antoninus, pater fuit L.Aelius Verus qui ab Hadriano adoptatus, primus Caesar est dictus. A Pio adoptatus in domo imperatoria XXIII. annis priuatus uixit. Defuncto Pio Marcus in eum omnia contulit, principatu etiam imperatoriae potestatis indulto, sibique consortem fecit, quum illi soli senatus detulisset imperium. Dato igitur imperio, & indulta tribunicia potestate, pro consulatus etiam honore delato, Verum vocari praecepit, quum ante Commodus vocaretur. Et Aelius Spartianus in Hadriano: Annius Verus & L.Commodus a Pio adoptati, sunt hi qui postea duo pariter Augusti, primi remp. gubernarunt. Eadem prodit Dio. Quae omnia his antiquis nummis & epigrammate confirmari possunt

P . CORNELIVS . FAVSTVS
SILVANVM
CVM . BASE . DEDICAVIT
IDIBVS . APRILIB
IMP . CAES . M . AVRELIO
ANTONINO . III . IMP. VERO
AVGVSTO . CoS . II

IMP.CAES.M.AVREL.ANTONINVS.AVG.TR.P.XV.CoS.III

IMP.CAES.L.AVRELIVS.VERVS.AVG.TR.P.CoS.II

Annus C ∞ XV

Rusticus & Aquilinus cos. cŏparantur a Damaso in vita S. Sotheris papae, Cassiodoro, Fastis Graecis, libro Cuspiniani, & Vlpiano XLIX. l. I. Hic ut credo est Iunius Rusticus, de quo mentioně faciunt Dio, & Capitolinus iu uita Marci Imp. Quem eius praeceptorem fuisse scribunt. A quo cos. II. designatus est, eique mortuo statuas a senatu postulauit. Hic ut uidetur diu in consulatu fuit, nam duos collegas habuisse intelligitur, ex sequenti inscriptione

CVR.AED.SACR.OPER.LOC.PVBLIC
D E D . K . I V L
Q.IVNIO.RVSTICO
Q.FLAVIO. TERTVLLO
CoS

L.

Porro L. Veri, & M. Aurelij extant hi nummi
IMP. M. AVREL. ANTONIN. AVG. P. M. TR. P. XVI. COS. III
IMP. CAES. L. AVRELIVS. VERVS. AVG. TRIB. POT. II. COS. II. P. P

Annus C ∞ XVI

L. Aelianus & Pastor consules postea fuerunt teste Cassiodoro, Aelianus & Pastor memorantur a Fastis Graecis, & libro Cuspiniani; in tabula antiqua lapidea est L. AELIANO. ET. PASTORE. COS. Aelianum Papirij nomen habuisse paulo inferius ex antiquo epigrammate demonstrabo; Iunij Pastoris saepe mentio est in Plinij epistolis. Hoc anno extant & nummorũ, & lapidum inscriptiones ita IMP. CAES. M. AVREL. ANTONINVS. AVG. GERM. TR. P. XVII. COS. III. item L. Veri IMP. CAES. L. AVREL. VERVS. AVG. TRIB. POT. III. COS. II. P. P

IMP. CAESARI
M. AVRELIO. ANTONINO
AVG. PONTIFICI. MAX
TRIB. POT. XVII. COS. III
DIVI. ANTONINI. PII. FIL
DIVI. HADRIANI. NEPOT
DIVI TRAIANI. PARTHICI
PRO N. DIVI. NERVAE. ABN
AVXIMATES. PVBLICE

IMP. CAESARI
L. AVRELIO. VERO. AVG
TRIB. POT. III. COS. II
DIVI. ANTONINI. PII. FIL
DIVI. HADRIANI. NEP
DIVI. TRAIANI. PARTH
PRON. DIVI. NERVAE. ABN
AVXIMATES. PVBLICE

Annus C ∞ XVII

Macrinus & Celsus cos. comparantur a Cassiodoro, libro Cusp. & Fastis Graecis. Horum consulum, & tribuniciae potestatis huius anni extant hae inscriptiones

L. CORNELIO. C. F
GAL. CELSO
II. VIRO. PRAEF. ORAE
MARITIMAE
COHORT. I. ET. II
COS
Q. LICINIVS. SILVANVS
GRANIANVS

C. IVLIO. MACRINO
QVONDAM. VETERANO. MILITI
ET. BIS. COS
CONIVGI. CARISSIMO
SECVNDA. SERVATA. ET
SIBI. ET. IVLIIS. ALPINO
ET. ALPINAE. FILIS. B. M
F. C

Item hi nummi
IMP. CAES. M. ANTONINVS. AVG. TR. P. XVIII. COS. III. IMP. II Item
ANTONINVS. AVG. ARMENIACVS. P. M. TR. P. XVIII. IMP. II. COS. III
Et L. Veri L. AVRELIVS. VERVS. AVG. ARMENIACVS. IMP. II. COS. II. TR. P. III
a tergo REX. ARMENIIS. DATVS

Hoc anno ut ex his nummis intelligitur bello Parthico & Armeniaco ambo Augusti Imp. appellati sunt, quod etiam in Marco refert Iulius Capitolinus his uerbis: Fuit eo tempore etiam bellum Parthicum, quod Vologeses indixit. Ad quod bellum Verus missus est. Qui per legatos bellum Parthicum gerens Imp. appellatus est. Gestae sunt res in Armenia prospere per Statium Priscum, delatumque Armeniacum nomen utrique principum. Haec omnia ex nummis cognita sunt

Annus C ∞ XVIII

Orfitus & Pudens postea iisdem auctoribus consules fuerunt. Seruilij Pudentis apud Plinium in epistolis ad Traianum mentio est. Cornelium Scipionem Orfiti nomen & cognomen esse, manifestum est. De quibus hoc extat epigramma

D. M. ET. SOMNO. AETERNALI
SECVRITATI. MEMORIAE
Q. PERPET. AELIAE. FLAVIAE. MELITANAE
Q. V. AN. XXXI. M. III. D. X
T. FL. HYMNVS. CONIVGI. SANCTISSIMAE
DVLCISSIMAEQ. CVM. QVA. VIX. AN. XIII
T. T. FIL. COL. MARCELLVS. ET. TITIANVS
ET. FLAVIA. T. F. AMPELLE. MATER
PIENTISS. SARCOPHAGO. SIGIL. CVM
OPERE. ET. BASIBVS. FECER. ET. CONSE
CRAVERVNT. IDIBVS. AVGVSTIS
PVDENTE. ET. ORFITO COS

Hoc anno profligato bello Parthico, uterque principum Parthicus appellatus est, sed hoc Marcus delatum nomen repudiauit, quod postea recepit. Patris patriae nomen delatum absente fratre in eiusdem praesentiam distulit. Postquam autem ex Syria frater rediit uictor patris patriae nomen ambobus decretum est: ita Iulius Capitolinus: ex quo bello uterque eorũ Imp. appellatus est. Haec omnia ex his inscriptionibus nummorum, & lapidum intelligi possunt

IMP.

IMP.M.AVRELIVS.ANTONIN.PII.F.AVG.P.M.TR.P.XIX.IMP.II. COS. III item M.AVRELIVS.ANTONINVS.AVG.ARMENIACVS.PONT.MAX.TRIB.POT.XIX. COS.III.IMP.II.P.P. item: M. ANTONINVS.AVG.ARMENIACVS.P.M.TR. P. XIX. IMP.III. COS.III. Et L. Veri: L. VERVS.AVG. ARM. PARTH.MAX. TR.P. V. IMP.III.COS.II

Annus C ∞ XIX

Pudens II. & Pollio ab iisdem auctoribus consules suggeruntur. Eorundem meminit in Commodo Lampridius sic: Commodus Caesar nominatus est iiij. id. Octobris. Pudente & Pollione cos. Quod hic nummus exprimit L. AVRELIVS. COMMODVS.CAESAR. AVG. F. GERMANICVS. Pudens priore anno cos. fuit primum; T. Vitrasius Pollio iterum consul decennio post erit. Dum bellum Parthicum geritur, natum est Marcomanicũ, quod diu eorum qui aderant arte suspensum est, ut finito oriẽtali bello, Marcomanicũ agi posset. Haec Capitolinus in Marco. Qui suggerit, hoc anno Verũ Caesarẽ Marci filium mortuum esse,& quia ludi Iouis optimi maximi erant, interpellari eos publico luctu noluit. Intelligit autem agonem Capitolinum XXI. quem hoc ipso annno factum fuisse ex annorum supputatione intelligitur. Bello Marcomanico hoc anno inchoato, uterque princeps Imp. IIII. appellatus est, ut ex his nummis intelligitur

IMP.CAESARI.DIVI
ANTONINI. AVG
PII. FIL. DIVI. HA
DRIANI. NEP. DIVI
TRAIANI. PARTHICI
PRONEP. DIVI. NERVAE
ABNEP. M. AVRELIO
ANTONINO. AVG. AR
MENIACO. PONT. MAX
TRIB. POT. XVIIII. IMP. II
COS. III. BENACENSES

M.AVRELIVS.ANTONINVS.AVG.ARMENIACVS.P.M.TR.P.XX. COS.III. IMP. III. item M.ANTONINVS.AVG.ARMENIACVS.P.M.TR.P.XX.IMP.IIII.COS.III. Et L. Veri L.VERVS.AVG.ARMENIACVS.TR.POT.VI.COS.II.IMP.III. item L.VERVS.AVG. PONT.TR.POT.VI.COS.II.IMP.IIII.P.P. item L.VERVS.AVG.ARM.PARTH.MAX. TR.POT.VI.IMP.IIII.COS.II. a tergo VIC.PAR

Annus C ∞ XX

Verus III. & Quadratus cos. digeruntur a Cassiodoro,& libro Cuspiniani. L. Aurelius Verus III.& Quadratus a Fastis Graecis. His consulibus Marcus in Germania bellum gerere coeperat. Hic est T. Numidius Quadratus, de quo saepe mentio est in Iulio Capitolino; filius forte eius T. Numidij Quadrati, de quo Plinius libro epistolarum VI. ep. ad Maximum. Extant uero hi nummi

M.AVRELIVS.ANTONINVS.AVG.ARMENIACVS.P.M.TR.P.XXI.COS.III. IMP. IIII L.VERVS.AVG.ARM.PARTH.MAX.TR.P.VII.IMP.IIII.COS.III.P.P

Annus C ∞ XXI

Apronianus & Paullus cos. memorantur a Cassiodoro, & Fastis Graecis. Montanus & Paullus a libro Cuspiniani. Quorum in antiqua basi ita mentio est

HERCVLI. VICTORI
POLLENTI. POTENTI
INVICTO. D. D. L. M
C. VLPIVS. FRONTO
DEDIC. III. K. IVN
L. VETTIO. PAVLLO
T. IVNIO. MONTANO COS

Et hic nummus.

M.ANTONINVS.AVG.ARM.PARTH.MAX.TR.P.XXII.IMP.V. COS.III

Annus C ∞ XXII

Priscus & Apollinaris consules deinde ijsdem auctoribus fuerunt. De quibus mentio est in antiquis inscriptionibus ita

L. ACILIO. L. F. POM. CVTICLAE
NOBILI. ARCHIMIMMO
COMMVNI. MVNERE. ADIECTO
DIVRNO. PARASITO. APOLL
TRAGICO. COMICO
DEDIC. III. IDVS. AVG
SOSIO. PRISCO. ET. COS
COELIO. APOLLINARE

Q. COELIO. APOLLINARI
FANATICO. DE. AEDE
BELLONAE. PVLVIN
CVIVS. MERITO. HASTA. IN
AEDE. BELLONAE. IN
LVCO. DEDICATA. EST. PRIMA
TYCHE. CONIVGI. SVO
B. M. F

Hoc

Hoc anno L. Verus Imperator mortuus est, atque in Hadriani sepulchro super Tiberim Romae sepultus, ut ex eiusdem epitaphio, quod adhuc extat, intelligi potest

Annus C∞ XXIII

Cethegus & Clarus consules memorantur hoc anno a Damaso in vita S. Sotheris Papae, Cassiodoro, libro Cuspiniani, Fastis Graecis, & vetusta tabula superius citata. Quorum (ut opinor) in antiquis fistulis plumbeis aquae Marciae castro praetorio inseruientis, ita mentio est

CLARO. ET. SEVERO. COS. QVADRAT. SER. FEC
CASTRVM. PRAETOR. P. CC
L. IVN. CLARO. ET. AVR. SEVERO. COS. CASTRVM. PRAETORIVM. P. LXX

IMP. CAESARI
L. AVRELIO. VERO. AVG
ARMENIAC. MED
PARTIC. PONTIFIC
TRIBVNIC. POT
VIIII. IMP. V
COS. III. P. P

Annus C∞ XXIIII

Seuerus & Herennianus consules in hunc annum comparantur a Damaso in Sothere, Cassiodoro, Fastis Graecis, & libro Cuspiniani, L. Septimij Seueri II. cos. sub Marco Imp. meminit Spartianus in Seuero. Hoc anno festa decennalia prima Imp. Marci celebrara sunt. Votaque suscepta decennalia secunda, ut ex hoc antiquo nummo apparet. Imp. M. ANTONINVS. AVG. TR. P. XXV. VOTA. SVS. DECENN. COS. III. Item M. ANTONINVS. AVG. P. M. TR. POT. XXVI. COS. III. IMP. VI

Annus C∞ XXV

Orfitus & Maximus consules comparantur a Cassiodoro, libro Cuspiniani, Fastis Graecis, Lampridio in Commodo, & antiqua tabula ad Apostolos. Quorum etiam in antiquo epigrammate mentio est ita

Claudij Maximi uiri doctissimi, cuius Marcus Imp. auditor fuit meminit in eius uita Capitolinus. Cornelius Scipio appellatus est Orfitus, cuius praenomé incognitũ. Marci nummi huius anni hi extant. M. ANTONINVS. AVG. P. M. TR. P. XXVI COS. III. IMP. VI. item M. ANTONINVS. AVG. P. M. TR. P XXVI. P. P. IMP. VI. COS. III

Q. HORTENSIO
Q. F. COL
FAVSTINO
ADVOCATO. FIS
CI. PRAEF. FABR
PATRONO. NVNICIPI
COLLEGIVM. FABRVM
TIBVRTIVM. OB
MERITA
L. D. S. C
CVRANTIBVS
M. HELVIO. EXPECTATO
C. ALLIANO. TIBVRTINO
III. IDVS. MAI. MAXIMO. ET
OREITO. COS

Annus C∞ XXVI

Seuerum II. & Pompeianum consules in hunc annum comparant Cassiodorus, liber Cuspiniani, & Fasti Graeci. Claudij Seueri Marci praeceptoris Peripateticae disciplinae philosophi mentionem facit Iulius Capitolinus in Marco. Claudii uero Pópeiani Antiocheni Marci Augusti per maioré filiam Lucillam generi, iterumq; cos. ab eo designati, idem Capitolinus in Marco, Vulcatius Gallicanus in Auidio Cassio, & Herodianus libris primo & secundo. Marci nummos hoc anno cusos hos vidi. M. ANTONINVS. AVG. TR. P. XXVII. IMP. VI. COS. III. Item M. AVREL. ANTONIN. AVG. P. M. TR. POT. XXVII. COS. III. IMP. VI. P. P

Annus C∞ XXVII

Gallus & Flaccus consules memorãtur ab iisdem scriptoribus: quorum alterum Ap. Annium Trebonium Gallum esse existimo, cuius in uetustis monumentis mentio est. Hos cos. exaratos vidi in antiqua marmorea basi sic

M. AVTIVS. M. F
STEL. AGRICOLA
TAVRINVS
MISSVS. HONESTA
MISSIONE
FLACCO. ET
GALLO. COS
ARAM. GENIO
CENTVRIAE
D. D

Hoc anno bello Germanico, Quadis Christianorum beneficio uictis, Marcus Imp. VII. appellatus est, ut tradit Dio, & ex his nummis intelligitur M. AVREL. ANTONIN. AVG. P. M. TR. P XXVIII. COS. III. IMP. VI. Item. M. ANTONIN AVG. TR. P. XXVIII. VICT. GERMANICA IMP. VI. COS. III. Item. M. ANTONINVS. AVG. TR. P. XXVIII. COS. III. IMP. VII

De Romanorum Germanica siti Christianorum militum precibus impetrato imbre discussam

Taota ueterum scriptorum inuidia in Christianum nomen fuit, ut a grauissimo quidem periculo nominis huius beneficio erepti, meminisse non solum gratiae noluerint, sed eam uel magicis incantationibus, uel Marci precibus acceptam rettulerint; homines ingratos ne an impios dicam nescio: constat enim uel Antonini ipsius epistolis Christianæ legionis ope, quae deinde

Fulmi-

Fulminatrix dicta est,& fulmina in hostes ellicita,& pluuiam exercitui siti confecto impetratā, uictoriamque de Germanis inde egregiam subsequutam. Quamobrem quum ad hunc annum explicandum deuenerim, qui Christianorum militum precibus insigni uictoria de Quadeis parta, apud Romanos clarissimum & celeberrimum deinde fuit, rem Christiano scriptore dignam me facturum esse existimo, si totum eiusmodi negocium perinde ac gestum fuit demonstrauero, praesertim quum eius rei & apud profanos, & apud Christianos historicos frequens mentio fit, illis aliò, his ad ueritatem ipsam rem, ut accuratè ostendam, trahentibus. Quae omnia quum cognitu dignissima sint, eisque mirum in modum Christianae pietatis disciplinae ueritas confirmata fuerit, ut ipsa accuratius intelligi possint, dicam primum quid profani scriptores de ea re tradiderint, deinde quid nostri, postremo quid Imp. ipse Marcus super tanta re scripserit. Iulius Capitolinus in Marci uita breuissime rem hanc ita tradit: Aequitatem etiam circa captos hostes custodiuit. Infinitos ex gentibus in Romano solo collocauit. Fulmen de coelo precibus suis, contra hostium machinamentum extorsit, suis pluuia impetrata quum siti laborarent. Voluit Marcomaniam prouinciam, uoluit etiam Sarmatiam facere, & fecisset, nisi Auidius Cassius rebellasset sub eodem in oriente. Hanc uero rem Dio Cassius historiae Romanae scriptor, qui per ea tempora uixit, paulo apertius tradit in Marci uita sic: Igitur Marcus multis magnisque proeliis in Germania factis, aditisque periculis, Marcomanos & Iazygas subegit. Post haec bellum acre, proeliumque magnum, cum iis qui Quadi appellantur fuit; quo ex bello uictoria praeter spem, uel potius dei beneficio consequuta est, propterea quod Romani, quū essent in proelio, atque in maximum periculum uenissent, mirabiliter sane ac diuinitus conseruati sunt. Quum enim interclusi a Quadis in locis opportunis conferti pugnarent fortiter, atq; interim barbari differrent proelium, sperantes eos calore & siti perituros, quos circum occupatis locis omnibus sic concluserant (erant enim multo plures) ut aquam habere nullo pacto possent, atque Romani in tantas difficultates incurrissent, ut morbo, vulneribus, ardore solis, ac siti uexarentur, nec ob eas res pugnare possent, aut aliò fecedere, sed in acie stantes atque in locis constitutis arderent, nubes de repente ita coactae sunt, ut maximus imber aquae ceciderit, non sine dei beneficio. Fama est Arnuphin magum Aegyptium, qui una cum Marco erat, Mercurium illum qui est in aere, aliosque daemonas quibusdam artibus magicis inuocauisse, ac per eos pluuiam extorsisse. Quum autem primum pluuia cadere coepit, Romani in coelum, suspicientes eam in ora recipiebant, deinde scutis galeisq; subiectis inde largiter absorbuerunt, equis quoque aqua refectis. Quumque barbari in ipsos impetum facerent, bibentes simul pugnabant, & complures saucij sanguinem infusum in galeas simul cum aqua absorbuerunt. Quum aūt urgentibus hostibus grauia damna propterea quod magna ex parte in bibendo erant occupati, acciperent, uehemens grando, compluraque fulmina in hostes ceciderunt. Itaque licebat uidere in eodem loco, aquam ignemque simul de coelo cadere; atque ob eam causam ualere alij & bibere, exuri alii ac prorsus interire uidebantur. Non enim ignis Romanos attigebat. Quod si forte interdum cum eis misceretur, extinguebatur subito, neque imber iuuabat barbaros, sed eos non secus atque oleum inflammabat, ita ut aquam requirerent pluuia perfusi, infligerentque sibi uulnera, quo sanguine ignem extinguerent. Pars autem confugiebat ad Romanos, quasi illis tantummodo aqua salutaris esset, sed eorum Marcus misertus est; eoque facto a militibus septimum imperator appellatus est. Quod etsi admittere non consueuerat, priusquā esset decretum a senatu, tamen non repudiauit, quasi id diuinitus acciperet, de quo etiam facto ad senatum scripsit. Faustina quoque mater exercituum appellata est. Pertinax autem qui postea imperauit ob res eo bello praeclare gestas consul est factus. Haec ad uerbum scribit Dio. Quod autem ipse dicat eam uictoriam Arnuphis magi incantationibus Marcum adeptum fuisse, profecto deceptus est, uel inuidia tactus in Christianos homines ueritatem rei gestae afferre noluit. Nam neque Marcum magorum comercio usum, aut maleficorum hominum praestigijs delectatum, unquam traditur. Atque illud pro comperto habetur, legionem illam in qua hi Christiani militabant, quae XII. erat Fulminatricem ab eo casu deinceps appellatam fuisse, qui Romanis salutem, barbaris exitium attulit. Nam legionis Fulminatricis nunquam ante ea tempora, post Marcum uero eiusdem ubique frequens mentio est, cuius nominis originis nulla praeterea caussa traditur, quam ea quae Quadorum bello accidit, ex qua & id nomen adepta est. Res igitur haec ut ex ipsiusmet Marci Imp. epistola colligitur, ita fuit: Quū Marcus in legione XII. cohortem militum haberet, qui Melitenes (nisi in nomine error sit) dicebantur, hique omnes Christum colerent, ut plerique in exercitibus Romanis erant, atque res Romana barbaris undique ingruentibus in angusto esset, ad imperatorem nescientem in illo proelio quid consilii caperet, tū mentemque toti exercitui Romano, praefectus praetorio uenit, eique dixit. Nihil esse quod ij qui Christiani nominantur, precibus impetrare non possint, esseque in legione XII. cohortem hominum

hominum eius generis. Qua re cognita Marcus ab eis petiit ut deo suo supplicarent. Quod quũ fecissent deus eos subito exaudiuit, hostesque fulmine percussit, ac Romanos pluuia recreauit. Quibus rebus Marcus uehementer obstupefactus, edicto palam proposito Christianos magno honore affecit, ipsamque legionem in qua illi militabant Fulminatricis cognomine in eius rei memoriam honorauit. De hac re ita Tertullianus ad Scapulam Africae proconsulem non longe post id factum ita scribit: M. quoque Aurelius in Germanica expeditione Christianorum militum orationibus ad deum factis, imbres in siti illa impetrauit. Quando non geniculationibus & ieiunationibus nostris etiam siccitates sunt depulsae. Tunc & populus adclamans DEO DEORVM, & qui solus potens, in Iouis nomine deo nostro testimonium reddidit. Item in apologetico aduersus gentes cap. V. At nos (inquit) econtrario edimus protectorem. Si litterae M. Aurelij grauissimi Imp. requirantur quibus illam Germanicam sitim, Christianorum forte militum precationibus impetrato imbre discussam contestatur, sicut non palam ab eiusmodi hominibus poenam dimouit, ita alio modo palam dispersit, adiecta etiam accusatoribus damnatione & quidem tetriore. Haec ille. Eusebius quoque libro V. historiae ecclesiasticae cap. v. Igitur L. Veri temporibus M. Aurelium fratrem eius bellum inferentem Germanis, ac Sarmatis tradunt historiae, quum siti eius periclitaretur exercitus, aestuantem & quaerentem quid facto opus esset, reperisse in legione quadam milites Christianos, quibus sicut & nostris mos est, flexis genibus obsecrantibus exaudisse deum supplicationes eorum, & subito contra omnium spem largissimis imbribus profusis, exercitus quidem periclitantis, pro quo orauerant Christiani sitim sedatam, hostes uero qui iam exitialiter imminebant fulminibus crebris, & coelitus prolapsis ignibus effugatos, quod factum refertur quidem & ab historicis gentilibus, sed quod nostrorum orationibus id impetratum sit non refertur, quippe apud quos etiam cetera miracula, quae a nostris gesta sunt non habent fidem. Nostrorum uero & Tertullianus haec memorat, et apud Graecos Apollinaris, qui etiam ipsam legionem pro insignis facti miraculo mutato nomine Fulminatricem uocitatam fuisse ab Imperatore refert. Tertullianus uero Marci Imperatoris epistolas etiam nunc haberi dicit, quibus de his apertius indicatur. Et in Chronico sic scribit: Imperator Antoninus multis aduersum se nascentibus bellis, saepe ipse intererat, saepe duces nobilissimos destinabat, in quibus semel pertinaciter exercitui qui cũ eo erat, & in Quadorum regione pugnabat, siti oppresso, pluuia diuinitus missa est, quum e contrario Germanos & Sarmatas fulmina persequerentur, ut plurimos eorum interficerent. Paullus Orosius libro VII. cap. XV. Bellum Marcomanicum prouidentia dei administratum esse, quum plurimis argumentis tum praecipue epistola grauissimi ac modestissimi Imperatoris apertissime declaratum est, nam quum insurrexissent gentes immanitate barbarae, multitudine innumerabiles, hoc est Marcomani, Quadi, Vandali, Sarmatae, Sueui, atq; omnis pene Germania, & in Quadorum usque fines progressus exercitus, circumuentusque ab hostibus propter aquarum penuriam, potius sitis quam hostis periculum substineret, ad inuocationem nominis Christi, quam subito magna fidei constantia, quidam milites effusi in preces palam fecerunt, tanta uis pluuiae effusa est, ut Romanos quidem largissime ac sine iniuria refecerit, barbaros autem crebris fulminum ictibus perterritos, praesertim quum plurimi eorum occiderentur, in fugam coegerit, quorum terga Romani usque ad internicionem caedentes, gloriosissimam uictoriam, & omniũ pene antiquorum titulis praferendam, rudi paruoque militum numero, sed potentissimo Christi auxilio reportarunt. Extare etiam nunc apud plerosque dicuntur litterae Imperatoris Antonini, ubi inuocatione nominis Christi per milites Christianos, & sitim illam depulsam, & collatam fatetur fuisse uictoriam. Paullus quoque Diaconus libro VIII. eadem ex his auctoribus decerpta refert. Litterarum autem M. Aureli Antonini Augusti exemplum sequens est. Quae ex Latinis Graecae factae, iterum ex lingua Graeca accuratissime in Latinam uersae sunt. Erant autem in fine uetustissimi codicis Bibliothecae Vaticanae operum S. Iustini Philosophi & martyris, qui sub Pio Imp. uixit ab aliquo studioso additae ita

IMP. CAESAR. M. AVRELIVS. ANTONINVS. AVGVSTVS PARTHICVS. GERMANICVS. SARMATICVS. PONTIFEX MAXIMVS. TRIBVNICIAE. POTESTATIS. XXVIII. IMP. VII. COS. III. PATER. PATRIAE. PRO. COS. S. P. Q. R. S. D.

Certiores uos feci de consilij propositique mei magnitudine, & quae in Germania mihi in discrimine, atq; obsidione alia ex alijs inciderunt, quum in eius medio labore atque aestu confectus fuissem. Sane dum Carnuti es-

ſem ſpeculatores nobis indicarunt LXXIIII. hoſtium dracones prope nos nouem millibus adeſſe. Idemque Pompeianus quem bello ducem praefecimus, quod nos quoque uidebamus, renuntiauit. Quumque in noſtrorum militum exercitu haberemus tantum legiones primam Geminam, & decimam Fretenſem, hoſtium uero DCCCC & LXXVII∞ eſſent, measque ipſius copias cum ingenti barbarorum atque hoſtium exercitu comparaſſem, deos patrios uotis ſuſceptis rogaui, ſed quum ab eis negligerer, meq; ab hoſtibus praemi animaduerterem, copiarum mearum paucitatem contemplatus, eos qui apud nos Chriſtiani dicuntur accerſiui, ac rogaui, inuenique magnam eorum multitudinem, illosque minis compuli, quod minime decuerat, propterea quod poſtea illorū uim ac poteſtatem cognoui. Itaque non ad telorum praeparationem, non armorum, neque ad tubarum uſum ſe contulerunt, hoc enim illis facere dei cauſſa, & nomine, quem in conſcientia geſtant, conſuetum non eſt. Aequum igitur eſt, ut quos impios eſſe, & a deo alienos opinabamur, eos exiſtimemus deo munitos eſſe. Quum enim ſe humi proieciſſent, non ſolum precati ſunt pro me, ſed etiam pro toto hoc exercitu, ut famis ac ſitis qua urgebamur remedium aliquod adferretur, quinque enim diebus aquam non ſumpſeramus, quod ea non ſuppeteret; eramus enim in media Germania montibus vndique concluſi. Simul autem atque ſe ſe humi abiecerunt, ac deum illum precati ſunt, quem ego ignorabam, ſtatim e coelo pluuia delapſa eſt in nos quidem frigidiſsima, in Romanorum vero hoſtes grando ignis ſpecie ac ſimilitudine, & fulmina; eorumque orationibus ac precibus ſtatim praeſto deus fuit, qui neq; vinci neque expugnari poteſt. Quamobrem illinc exorſi, concedamus talibus ut ſint Chriſtiani, ne qua arma eius generis contra nos petant, et impetrent. Cenſeo autem neminem quod Chriſtianus ſit eſſe in crimen & in iudicium vocandum. Quod ſi quis inuentus fuerit, crimini dare cuipiam, quod Chriſtianus ſit, ei quidem qui in crimen vocatur, manifeſtum fieri volo, nihil aliud obiectum eſſe, quam quod Chriſtianus tantum eſt, eum autem qui Chriſtianum accuſauit, viuum exuri. Illum vero qui Chriſtianum ſe eſſe profeſſus fuerit, periculo omni quod ob eam rem ei credebatur liberatum, is cui prouincia cōmiſſa eſt, nequaquam ad penitentiam adigat, aut libertatem ei adimat. Haec autem S.C. etiam ſanciri volo, atque hoc meum edictum in foro Diui Traiani proponi, vt legi poſsit. Curae autem erit Vitraſio Pollioni praefecto vrbis vt ad omnes prouincias haec conſtitutio mittatur, neque quiſquam qui eam exſcribere, uel ipſa vti voluerit prohibeatur Valete

Annus C∞XXVIII

Piſo & Iulianus conſules deinceps fuerunt Lampridio in Commodo, Caſsiodoro, & libro Cuſpiniani teſtibus. Piſo uſque ad haec tempora Calpurniorum adhuc cognomen fuit. Alter vero cos. eſt (ut reor) M. Saluius Iulianus, Iuliani Imp. auunculus de quo Spartianus in eius vita. Hoc anno ut ex vetuſtis inſcriptionibus intelligitur Commodus Caeſar Marci filius Tribuniciam poteſtatem ſuſcepit, quod quantum ex Lampridio in eius vita cognoſcitur XIII. Kal. Februarij factum eſt, vbi ita ait: Aſſumptus in omnia collegia ſacerdotalia ſacerdos XIII. K. Inuictas

ctas, Idest Februarias (ut superius demonstraui) Pisone & Iuliano cos. Marcum hoc anno Imp. VIII. appellatum fuisse ex his nummis cognoscitur M.ANTONINVS.AVG.TR.P.XXIX.IMP.VII.CoS.III.P.P Item alius IMP.CAES.M.AVR ANTONIN.AVG.GERM.SARMAT.TR.P.XXIX CoS.III.IMP.VIII. Auidius Cassius Syriae legatus, quum a Marco rebellasset, tyrannidemque inuasisset, IIII. imperij mense occisus est Dio, Gallicanus, & Capitolinus

Annus C ∞ XXIX

Pollio & Aper ijsdem auctoribus consules deinde fuerunt, de quibus mētio est in veteri inscriptione sic

DEDICATA. VI. IDVS. AVGVSTI
T. VITRASIO. POLLIONE. II COS
M. FLAVIO. APRO. II

Lampridius in Commodo: Post haec (inquit) Commodus venia legis annariae impetrata cos. est factus, & cum patre Imp. est appellatus V. Kal. Decembris Pollione & Apro cos. & triumphauit cum patre. Item paulo post: Appellatus Imp. V. Kal. Exuperatorias, idest Decembres, Pollione II. & Apro cos. & Iul. Capitolinus in Marco. Marcus in filium Commodum cito nomen Caesaris, & mox sacerdotium, statimque nomem imperatoris, & triumphi participationem ac consulatum contulit. Si autem a V. Kal. Decembris huius anni ad diem obitus Marci tempus numeretur, totidem erunt anni, menses, & dies, quos ego in fastis Marcū & Cōmodum una imperasse scripsi: Ceterum Marci eiusmodi extat nūmus M. ANTONINVS. AVG. GERM. SARM. TR. P. XXX. IMP. VIII. COS. III

Annus C ∞ XXX

Commodus & Quinctillus cos. suggeruntur ab ijsdem auctoribus. Commodus est Marci Imp. filius, ut ex Lampridio uidimus, eius collega est Plautius Quinctillus cuius consularis & auguris meminit Spartianus in Iuliano: Marci & Cōmodi hos nūmos collegi M.ANTONINVS.AVG GERM.SARM.TR.P.XXXI.IMP.VIII.COS.III.P.P. Et Commodi L.AVREL.COMMODVS.AVG.TR.P.III.IMP.II.COS.P.P

Annus C ∞ XXXI

Lampridius in Cōmodo, Cassiodorus, Liber Cusp. & Fasti Graeci Orsitū & Rufum cos. edunt. Vetti Rufi cōsularis uiri a Comodo occisi meminit in eius vita Lampridius. Cornelius Scipioq; nota sunt Orfiti nomina. Hoc anno Marcum IX. & Commodum III. imperatores appellatos fuisse ex his nomismatibus intelligitur M.AVRELIVS.ANTONINVS.AVG.TR.P.XXXII.IMP.VIIII.COS.III.P.P. L.AVREL.COMMODVS.AVG.TR.P.III.COS.IMP.III P.P

Annus C ∞ XXXII

Cōmodus Aug. II. & Verus cōsules cōparātur hoc anno a Cassiodoro, lib. Cusp. Fastis Graecis, et Lāpridio in Cōmodo. Vespronij Cādidi Veri uiri cōsularis meminit Tertullianus ad Scapulā, et in Iuliani uita Spartianus. Hoc anno P. Heluius Pertinax, & M. Didius Iulianus, qui postea Imperatores creati sunt vna cos. suffecti fuerunt, quod ex his Capitolini verbis in Pertinace intelligitur: Pertinax mitissimus & humaniss. fuit, & ipsi Cōmodo plurimū placuit, quia ille esset II. cos. quū Pertinax factus est. Dio autē eum consulē factū fuisse scribit post victoriam de Quadis diuino beneficio consequutā. Et Spartianus in Iuliano: Fuit (inquit) cos. cū Pertinace, & in proconsulatu Africae eidem successit

Annus C ∞ XXXIII

Praesens II. & Gordianus cōsules deinde fuerūt Cassiod. et Fast. Graec. auctoribus. Liber. Cusp. Condianū legit. Alterum eorū esse existimo Bruttiū Prsentem iterū cos. eius filiū, de quo meminit Cēsorinus, qui cū Pio II. cos. fuit, alterum uero Sex. Quinctiliū Condianū Sex. Quinctilij Maximi filiū ingenio & eruditione praestantē a Cōmodo Imp. interfici iussum, de quo plura scribūt Dio, & Lāpridius in Cōmodi vita. Quare quū condemnatus fuisset nomē eius Fastis erasum est, & idcirco ab Aelio Lampridio in Cōmodo, non nisi Arrius Praesens cos. II. memoratur. Hoc anno Bello Germanico, ut Dio scribit, Marcus X. Imp. appellatus est, & Cōmodus IIII. quod etiam ex his nūmis intelligitur M.AVREL.ANTONINVS.AVG.TR.P.XXXIIII.IMP.X.COS.III.P.P. Et Commodi L.AVREL.COMMODVS.AVG.TR.P.V.IMP.III.COS.II.P.P. item M.COMMODVS ANTONINVS.AVG.TR.P.V.IMP.III.COS.II.P.P. Item in alio M.COMMODVS.ANTONINVS.AVG.TR.P.V.IMP.IIII.COS.II.P.P Eodē anno apud Syrmiū in Pānonia ut Dio & Tertullianus scribūt XVI.K. Aprilis Marcus Imp. mortuus est, imperij anno XIX. die XI. uitae uero anno LVIII. mense XI. die XX. ut idem Dio refert. Atque a Commodo filio, & successore inter diuos statim relatus

De Commodo Marci F. Imperatore

Decimus nonus post Iulium Caesarē dictatorē Romanorū Imp. fuit L. Aelius Aurelius Cōmodus Aug. Marci Imp. filius, qui post patris obitū quū se etiā M. Aeliū Aureliū Cōmodū Antoninū appellasset P.R. imperiū solus annos XII. mēses VIII. & dies XV. tenuit, totidē enim numerātur a die XVI. Kal. Aprilis ad Kal. Ianuarij tertij decimi anni post, quibus annum agens XXXI. & mēsem IIII. strangulatus est familiariū insidijs, ut Dio qui sub eo vixit, accurate scriptū reliquit

Annus C ∞ XXXIIII

Commodus III. & Burrhus consules referūtur a Cassiodoro. Liber Cusp. & Fasti Graeci Cōmodū Augustum III. & Byrrhum iterum edunt. Hic est Antistius Burrhus frater vxoris Commodi, de quo Lampridius in Commodo, & Capitolinus in Pertinace mentionem faciunt. Extat hic Cōmodi nūmus. L.COMMODVS.ANTONINVS.AVG.TR.P.VI.IMP.IIII.CoS.III.PP

apud Farnesianos

GEN. p 5
SIGNVM. GENIVM. CENTVRIAE. CVM. AEDICVLA. ET. MARMORIBVS. EX
ORNATA. ET. ARAM. SVA. PECVNIA. FECER. C. VETVRIVS. C. F. POL. RVFINVS. L. R
IDEM. EVOCATI. ET. MILITES. QVORVM. NOMINA ET. MEDICVS. COH. IN. ARA. ET. AEDICVL
DEDICATA. EST. KAL. MAI. IMP. COMMODO. III. ET. BVRRO. COS

Annus C∞ XXXV

Mamertinum & Rufum cos.ijdem auctores in hunc annum comparat.Huius ut puto Mamertini ita meminit Lampridius in Commodo:Cōmodus interemit Seruilium & Dulium Silanos, Antium Lupum,Petronios Mamertinū & Suram,filiumque Mamertini Antoninū ex sorore sua genitum,& post eos sex simul ex consularibus Allium Fuscum,Coelium Felicem,Luceium Torquatum, Lartium Eurupianum,Valerium Bassianum, Pactuleium Magnum,& in Asia Sulpiciū Crassum proconsulem : &cet. Idem quoque Trebellium Rufum consularem interfectum scribit, quem esse credo de quo in antiqua marmorea tabula hoc tempore facta, ad Apostolosque Romae posita,mētio est sic:M.STLACCIVS.ALBINVS.TREBELLIVS.SALLVSTIVS.RVFVS. Quo anno Aimilius Iuncus,& Atilius Seuerus consules in exilium acti sunt Extat hic nūmus Cōmodi hoc ipso anno signatus M. COMMODVS. ANTONINVS.AVG. TR.P.VII. IMP.IIII.COS.III.P.P

Annus C∞ XXXVI

Commodus Augustus IIII. & Victorinus ab ijsdem auctoribus consules hoc anno memorantur. Hic est Aufidius Victorinus ille qui praef.vrbis & II. cos.fuit,ut in antiquo epigrāmate superius citato uidimus, de quo in Marco ita scribit Capitolinus. Amauit ex condiscipulis praecipuos senatorij ordinis Seium Fuscianum,& Aufidium Victorinum,quem contra Cattos rebellantes cum exercitu misit. Commodi hoc extat nomisma M.COMMODVS..ANTONINVS AVG.TR.P.VIII. IMP.V.COS.III.P.P

Annus C∞ XXXVII

Marullus & Aelianus cos.comparantur a Casiodoro, Fastis Graecis, & libro Cuspiniani;de quibus in his antiquis inscriptionibus ita mentio est

SOLI . INVICTO
A CRVM. T. POM PONIVS
REPENTINVS.NOMENCLATOR
TENSAR . IVGARIS
S . P . D . D
DEDIC . XV . K . IVL
MARVLLO. ET. AELIANO COS
OB . DEDIC. SPORTVLAS
DEDIT . SINGVL.*II

HERCVLI
SANCTO . SACR
P.POMPONIVS . NOR
TVS . VOTVM . SOL
AMICOS . AC . BENE
. . . .
M.EGGIO.MARVLLO.ET COS
N. PAPIRIO. AELIANO
L.D.D.D.K.IVL

Hoc anno ut ex hoc nummo antiquo liquet Commodus Imp.VI.appellatus est M.COMMODVS.ANT.PIVS.FELIX.AVG.P.M.TR.P.VIIII.IMP.VI.COS.IIII.P.P

Annus C∞ XXXVIII

Maternus & Bradua consules referuntur hoc anno ab ijsdem auctoribus,& Damaso in S. Eleutheri papae vita; Triarij Materni senatoris Capitolinus in Pertinace meminit.M.Atilij Metilij Braduae frequens per haec tempora mentio est. Consules autem huius anni suffectos ex his ueterum scriptorum uerbis concinnaui. Dio: Neque vero (inquit) Cleander haec solum fecit, sed etiam cos.XXV.ad annum unum designauit, quod neq; ante id tempus,neque post unquam factum est. In quorum numero Seuerus, qui postea factus est princeps consulatum gessit. Spartianus in Seuero: Consulatum cum Appuleio Rufino primum egit. Commodo se inter plurimos designante. Tunc autem Commodus se V. designauit cos. in annum sequentem. Nam id aperte Dionis verba accurate legenti manifestum erit.Eodem autem anno quo Seuerus cos.fuit,Iulianum consulatum gessisse (ut necesse est)secundum,docet Spartianus in Seuero ita: Adulterij caussam dixit, absolutusque est a Iuliano proconsule,cui & in proconsulatu successit, & in consulatu collega fuit, & in imperio item successit. Eodem quoque anno Pescennium Nigerium cos.fuisse in eius vita scribit Spartianus. A Cōmodo denique Pescennius cos. declaratus Seuero praepositus est. Consulum ordinariorum mentio est in antiqua inscriptione sic

DEDIC.KAL.DECEMBR
MATERNO.ET.BRADVA COS

Annus C∞ XXXIX

Commodus V. & Glabrio ab eisdem Fastorum scriptoribus hoc anno memorantur.Glabrionis II. consulis meminit Herodianus libro II.Hic M'.Acilius Glabrio fuit,cuius pater M'.sub Hadriano consulatum gessit. De quo in hoc vetusto epigrammate (ut puto) mentio est

A CILIAE . M' . F
MANILIOLE . C . F
M'. ACILI . GLABRION
SEN . COS . PRONEPTI
M'.ACILI.GLABRIONIS
COS . II . NEPTI
M'. ACILI . FAVSTINI
COS . F
RDO . DECVRION

Damasus in vita S.Victoris Papae horum consulum meminit. Hoc anno ut ex antiquo nummo liquet Commodus Imp. VII. appellatus est. M. COMMODVS . ANTONIN.AVG.BRIT.P.M.TR.P.XI. IMP.VII. COS. V.P.P. Eodē anno Commodus agonem Capitolinum XXVI. fecit; & prima decennalia festa celebrauit, expleto decennio ex quo a patre Augustus appellatus fuerat

Annus C ∞ XL

Crispinus & Aelianus consules deinde fuerunt iisdem auctoribus. Spartianus in uita Didij Iuliani Imp. cuiusdã Tullii Crispini meminit, quẽ Iulianus praefectũ praetorii fecit. Papirii Aeli ani superius ex marmore mẽtionem fieri uidimus. Quos cõsules in antiqua ara exaratos sic uidi

M. AVRELIO. AVG. LIB
ONESIMO. CVBICVL
VI. IDVS. NOVEMBR
CRISPINO
ET. AELIANO. COS. ARA
XV. KAL. IANVAR
ISDEM. COS

Hoc anno Commodus Imp. VIII. appellatus est, ut ex hoc uetusto nummo intelligitur

M. COMMODVS. ANT. P. FEL. AVG. BRIT. P. M. TR. P. XII. IMP. VIII. COS. V. P. P

Annus C ∞ XLI

Fusciianus & Silanus cos. deinde comparantur a Cassiodoro, libro Cuspiniani, & Fastis Graecis. Fusciani II. cos. meminit Lampridius in Commodo, in cuius etiam praefecti urbis locum Pertinacem factum fuisse scribit in eius uita Capitolinus. De quo (ut reor) in uetusta marmorea tabula his temporibus facta, ita mentio est. C. ALLIVS C. F. FVSCIANVS. Dullii Silani uiri consularis a Commodo occisi meminit Lampridius

Annus C ∞ XLII

Duo Silani consules fuerunt, hoc anno iisdem auctoribus. Lampridius inter nobiles & consulares a Commodo caesos refert Seruilium & Dullium Silanos. Iunius quoq; Silanorum nomen ẽ. Hoc anno a Benacensibus haec basis cum statua Commodo Imp. erecta est, ac dedicata; basis adhuc Tusculani super lacum Benacum extat; quam inscriptionem ego ex marmore accurate descripsi

IMP. CAES. M. ANTONINI. PII. GERM. SARMATICI. FIL. DIVI. PII. NEP. DIVI. HADRIANI. PRONEP. DIVI. TRAIANI. PARTH. ABNEP. DIVI NERVAE. ADNEP. M. AVR. COMMODO. ANTONINO. PIO. FEL. AVG. SAR. GER. MAX. BRIT. P. M. TR. POT. XIIII. IMP VIII. COS. V. P. P. NOBILISSIMO. PRINCIPI BENACENSES

Annus C ∞ XLIII

Commodus VI. & Septimianus consules in hunc annum comparantur a Cassiodoro, libro Cuspin. & Fastis Graecis. Petronii Septimiani, & aliquot aliorum consulum mentio extat in antiqua inscriptione ita

P. MARCIVS. VERVS
IMP. COMMODO. VI. ET. PETRONIO. SEPTIMIANO. COS
A. P. R. C. DCCCCXLIII. X. DEC
IN. PALATIO. IN. AEDE. IOVIS. PROPVGNATORIS. IN. LOCVM. P. VERI
L. ATILIVS. CORNELIANVS. COOPTATVS
TI. SATVRNINO. ET. C. GALLO. COS
A. P. R. C. DCCCCLI. PRID. EID. DEC
IN. PALATIO. IN. AEDE. IOVIS. PROPVGNATORIS
IN. LOCVM. ATILI. CORNELIANI. VITA. FVNCTI
CL. PATERNVS. COOPTATVS (COS
TI. CLAVDIO. SEVERO. C. AVFIDIO. VICTORINO.
A. P. R. C. DCCCCLII. IIII. EID. APRIL
IN. PALATIO. IN. AEDE. IOVIS. PROPVGNATORIS
IN. LOCVM. CL. PATERNI. VITA. FVNCTI
ALLIVS. COLONIVS. COOPTATVS

Hoc anno Imp. Commodus secunda decennalia festa egit, anno decimo exacto, ex quo solus post patris obitum remp. obtinuit, uotaq; x x. suscepit, ut ex hoc antiquo nummo apparet

M. COMM. ANT. P. FELIX. AVG. GERM P. M. TR. P. XV. IMP. VIII. COS. VI. VOT. XX. S. C

Agonem quoq; Capitolinũ xxvii. fecit. De quo sub lustri nomine in antiquo hoc epigrammate mentio est

P. CORNELIVS
THALLVS
P. CORNELI. ARCHITECTI. FIL
MAG. QVINQ. COLL. FABR
TIGNAR. LVSTRI. XXVII
NOMINE
P. CORNELI. ARCHITECTIANI
FIL. SVI
ALLECTI. IN. ORDINEM. DECVRION
FIDEI. SIGN. DONVM. DEDIT

Annus C ∞ XLIIII

Apronianus & Bradua II. cos. suggeruntur ab iisdem auctoribus. Bradua semel ante cos. ordinarius fuit, nunc est II. Cassii Aproniani, Dio, & Iulius Capitolinus meminerunt

Annus C ∞ XLV

Commodus VII & Pertinax consules memorantur a Cassiodoro, Fastis Graecis, & libro Cuspiniani. Pertinax nũc II. est semel enim ante suffectus fuit, ut ex antiquae figulinae sigillo apparet sic

OPVS. DOL. Q. NONI. PRISCIANI
M. COMMODO. AVG. VII. HEL. PERTIN. II. COS

Hoc anno ut Dio, Herodianus, & Lampridius scribunt, nocte quae Kal. Ianuarias praecedebat Commodus Imp. Marciae concubinae, Laeti cubicularii, & Electi praefecti praetorio insidiis, in aedibus Vectilianis a Narciso athleta strangulatus est, aetatis anno x x x i. sepultusq; est in Hadriani sepulchro, & deinde a Seuero consecratus. Cui hoc epitaphium quod adhuc extat, positum fuit

IMPERATORI . CAESARI . DIVI . MARCI . ANTONINI . PII . GERMANICI SARMATICI . FILIO . DIVI . PII . NEPOTI . DIVI . HADRIANI . PRONEPOTI DIVI . TRAIANI . PARTHICI . ABNEPOTI . DIVI . NERVAE . ADNEPOTI L . AELIO . AVRELIO . COMMODO . AVGVSTO . SARMATICO GERMANICO. MAXIMO. BRITANNICO. PONTIFICI. MAXIMO. TRIBVNICIAE POTESTAT . XVIII . IMP . VIII. CONSVLI . VII . PATRI . PATRIAE

Ipſe vero ſe ita vocabat, ut tradit Dio in eius vita: Imp.Caeſar L.Aelius Aurelius Cōmodus Pius Felix Auguſtus Sarmaticus Germanicus Maximus Britannicus Pacator orbis terrarum Inuictus Romanus Hercules Pontifex Maximus tribuniciae poteſtatis XVIII. Imp. VIII. COS. VII. Pater patriae.Cos.Pr.Tr.pl.S.P.Q. Commodiano ſalutem. Menſibus quoque omnibus nomina mutauit, atque ex ſe nominauit, hoc ordine: Amazonius, Inuictus, Felix, Pius, Lucius, Aelius, Aurelius, Commodus, Auguſtus, Herculeus, Romanus, Superans: ita Dio

De Pertinace Imp

Interfecto Cōmodo imperatore, eadem Kal.Ianuarij nocte, ſtudio Laeti praefecti praetorio, & Electi cubicularij P.Heluius Pertinax P. Succeſsi libertini uiri filius, natione ligur, qui bis cos. fuerat, ex vrbis praefecto domi ſuae Imp.deſignatus eſt, atque in caſtra adductus, mane a militibus Auguſtus appellatus, ceteraque principatus inſignia ei a ſenatu delata ſunt, ut ex hoc antiquo nummo intelligitur IMP. CAES. P. HELV. PERTINAX. AVG. P. M. TR. P. COS. II Pertinax factus eſt ſexagenario maior imperator, prid. Kal. Ianuarias in caſtris nocte. Primus ſane omnium ea die qua Auguſtus eſt appellatus etiam patris patriae nomen recepit, necnon ſimul imperium proconſulare, & ius quartae relationis: & cet. ita Capitolinus: Idem tradunt Dio & Herodianus libro II. Adijcit Dio: Pertinacem dum vellet popularē videri, principem quoq; ſenatus uetere conſuetudine ſe cognominaſſe. Pertinacis autem hoc extat epigramma

OPI. DIVINAE. ET. FORTVNAE
PRIMIGENIAE . SACR
IMP . CAESAR . HELVI
PERTINACIS . AVG
V . S . C

Annus C∞ XLVI

Kal.Ianuarijs eo ipſo die quo pertinaci imperium delatum eſt, conſulatum inierunt Falco & Clarus auctoribus Iulio Capitolino in Pertinace, Caſsiodoro, Faſtis Graecis, & Libro Cuſpiniani: Quos Dio Soſium Falconem, & Fructum Clarum vocat. Falco cos. inſidijs Laeti praef. praetorio in mag. occiſus eſt, ut tradit Dio. Quorū cos. mentio eſt in vetuſta inſcriptione ſic

Q. SOSIO. FALCONE. C. IVLIO COS
FRVCTO . CLARO
NONIS . SEPTEMB
SVESSAE. IN. BIBLIOTHECA. M
. . . .
TI. IVLIVS. BASSVS. M. MAISIVS. Q. F
M. TVRBIVS. ADIVTOR. L. MILDIVS
L. ASINIVS. MARSIRIANVS
L . D . D . D

Eodem anno V. Kal. Aprilis, inſidijs Laeti praefecti praetorio, Didio Iuliano (ut quidam ſcribunt) conſcio, Pertinax Imperator a praetorianis in Palatio occiſus eſt, aetatis anno LXVI. menſe octauo, imperij vero menſe ſecūdo die XXVII. & poſtea a Seuero conſecratus: Dio, Herodianus, Capitolinus in Pertinace, & Spartianus in Iuliano

De Didio Iuliano Imp

Die necis Pertinacis, M.Didius M. F. Seuerus Iulianus, Flauio Sulpiciano ſocero Pertinacis vrbis praefecto competitore repulſam paſſo, a praetorianis Romae in caſtris Imp. ſalutatus eſt, quos magna pecunia & ingentibus promiſsionibus onerauerat. Quo die etiam in ſenatum venit, vbi quum ex S.C. Auguſtus appellatus eſſet, tribuniciam poteſtatem, & ius proconſulare, adeptus eſt, & in ſamilias patricias relatus. Commodi deinde nomen a militibus oblatum ſuſcepit: Haec Dio, Herodianus, & Spartianus

De Coſ. ſuffectis

Fl.Claudium Sulpicianum Pertinacis ſocerum vrbis praefectum, & Fabium Cilonem cōſules ſuffectos hoc anno fuiſſe ex Dione, Herodiano, Lampridio in Commodo, & Capitolino liquet. Quem autem alij Fl.Sulpicianum uocāt, Spartianus in Seuero Claudium Sulpicianum nominat

De Seuero, Nigerio, & Albino Imperatoribus

Seuerus in Germaniam Legatus profectus, ita ſe in ea legatione egit, vt ſamam nobilitatemque iam ante cumularet: & hactenus militarem priuatus egit. Dehinc a Germanicis uel potius Pannoniacis legionibus, ubi auditum eſt Commodum occiſum, Iulianum autem cum odio cunctorum imperare, multis hortantibus, repugnās Imp. eſt appellatus apud Carnutum Idibus Maij, ita ex Dione qui per ea tempora uixit, & non ut tradit Spartianus, Idibus Auguſti. Qui etiā de Nigro ita ſcribit. Quum Niger exercitus Syriacos iuſſu Commodi regeret, poſtea quam comperit occiſum Commodum, Iulianum Imp. appellatum, eundemque iuſſu Seueri & ſenatus

senatus occisum, Albinum etiam in Gallia nomen sumpsisse imperatoris, ab exercitibus Syriacis quos regebat appellatus est Imperator, ut quidam dicunt magis in Iuliani odium, quam in aemulationem Seueri. Et Iulius Capitolinus in Albino: Vno eodemque tempore post Pertinacem, qui auctore Albino interemptus est, Iulianus a senatu Romae, Septimius Seuerus ab exercitu Illyrico, Pescennius Niger in oriente, & Clodius Albinus in Gallia imperatores appellati sunt. Dio in Iuliano: Occiso Pertinace, & Iuliano Romae rerum potiente, tres duces qui tribus populi Rom. exercitibus praeerant Rempublicã capessunt. Albinus praeerat Britaniae, Seuerus Pannoniae, Niger Syriae. Primus omnium Niger in Syria a suis legionibus Augustus salutatus est in odiũ Iuliani, quod quũ Seuerus cognouisset, & ipse ab exercitibus quibus praeerat Imperatoré se creari procurauit. Is fortissimus & prudétissimus erat. Nam quũ cognouisset fore ut sublato Iuliano, ipse & Niger inter sese imperio cõtenderent, veritus Albini uires, ne. s. diuitiis, genere, exercitibus pugnacissimis, famaq; nominis quibus mirũ in modũ pollebat, magnis ad concupiscendũ imperiũ facibus instinctus, summam sibi rerum posceret, Romamque se bellis oriẽtalibus implicito occuparet, statuit, eum specie quadam honoris inescare. Quare eum Caesarem appellans, spem cupiditatemque eius anticipauit potestate participanda. Quibus creditis Albinus honorem libenter suscepit, laetus citra pugnam se voti compotem factũ. Quae postquã sapienter prouisa sunt, vrbe capta, & Iuliano occiso, atque de Pertinacis interfectoribus supplicio sumpto bellũ aduersus Nigrum parauit, quod anno sequenti gestum est: Haec Herodianus, & idem Dio

De Nigro Imperatore

Niger imperator ab omnibus historicis appellatur. Ceterum in tribus, quos ego uidi eiusdem nummis, ita exaratus est: IMP. CAES. C. PESCEN. NIGERIVS. AVG. COS. II. Huius pater Annius Fuscus fuit. Aduersus eum (ut dixi) Antiochiae in Suria a legionibus orientalibus Imperatorem appellatum Seuerus copias eduxit. Quem anno sequenti proelio uictum interemit, quum annum unum, menseis & dies aliquot in oriente imperasset: Haec Dio, Herodianus, & Spartianus

De Albino Imperatore

Clodius Albinus qui in eius nummis D. CLOD. SEPT. ALBINVS. CAES. COS. II exaratus est, nobili & patricio genere ortus natione Afer, ex oppido Adrumento fuit. Hic a Seuero bellum cum Nigro gesturo Caesar appellatus est, uerito ne se bello orientali implicito imperium sibi ipse arriperet, Romamque occuparet. Victo postremo & occiso Nigro, quum eũ Seuerus per insidias de medio tollere tentasset, ijsdem cognitis, bellum inter utrumque ortum est, in quo quadriennio post proelio in Gallijs a Seuero victus XI. Kal. Martij apud Lugdunum occisus est Laterano & Rufino cos. anno ex quo Caesar appellatus fuerat quarto, quum paulo ante caedem se ipse Augustum appellasset, eo scilicet tempore quo cum Seuero bello congressus est. Huius extat adhuc hoc epigramma

HERCVLI. DEFENSORI
PRO. REDITV. ET. ITV
D. CLODI. SEPTIMI
ALBINI. CAESARIS
D. CLODIVS. D. L.
FELIX
ACTOR. CAES. N. D. D

De Seuero Imp

L. Septimius M. F. Seuerus Afer genere, patria Leptitanus, Imp. (ut dixi) Idibus Maij hoc anno contra Iulianum & Nigrum appellatus est a militibus Illyricianis, & Pannoniacis, qui Augusti nomine suscepto, Pertinacis quoque cognomen in eiusdem principis memoriam, quam ab omnibus coli animaduerterat tulit, tanquam qui imperium necis eius uindicandae caussa suscepisset. Imperio autem adepto statim ex Pannonia in vrbem uenit, vbi praetorianos omnes exauctorauit, eos qui Pertinacem occiderant interfecit, Iulianum trucidari mandauit, a senatuq; die necis Iuliani, ut tradit Dio, idest Kal. Iunis omnes imperatorũ titulos obtinuit, ut tribuniciam potestatem, pontificatum maximum, proconsulatus ius, & cognomen patris patriae, ut ex antiquis scriptoribus Dione, Herodiano, & Capitolino, marmoreisq; inscriptionibus intelligitur

De Silio Messalla cos. suffecto, & Iuliano Imp. occiso

Silium Messallam consulem suffectum fuisse ea huius anni parte, qua Iulianus iussu Seueri occisus est, docet Dio. Is enim auctore Seuero a senatu hostis iudicatus, Kal. Iunijs interfectus est in Palatio, quum uixisset annos LX. menses & dies quatuor; imperasset uero menses duos & dies V. ut Herodianus, Spartianus & reliqui, uel dies LXVI. ut Dio tradit

De Aetio & Probo cos. suffectis

Occiso Iuliano, & consecrato Pertinace hoc ipso anno Seuerus quum Romam uenisset, filias suas dotatas maritis Probo & Aetio dedit. Vtrumq; generum suum statim consulem fecit, utrũque ditauit; quibus factis XXX. postquam in urbem uenerat die, aduersus Nigrum profectus est: ita Spartianus. Ego eos ex Kal. Iulijs factos scripsi, quae tum post Kal. Ianuarij celebriores ineundis consulatibus suffectis erant

Annus

Annus C∞ XLVII

Seuerum Augustum & Albinum consules in hunc annum comparant Cassiodorus, Liber Cusp.& Fasti Graeci. Seuerus Imp.nunc II. est, nam semel ante priuatus cum Appuleio Rufino fuit. Eius collega auctore Iulio Capitolino, est Clodius Albinus quem Caesarem fecerat; qui etiam & ipse est II. Hoc anno Nigerius in oriente occisus est, & aliquot Barbarorum reges qui ei auxilio fuerant a Seuero uicti, quare ipse Imp. I. II. III. & IIII. appellatus est, ut ex hoc nummo, & sequentibus inscriptionibus intelligitur. SEVERVS.PERT.AVG.IMP.II. TR.P.II. COS. II

IMP . CAES . LVCIO
SEPTIMIO . SEVERO
PERTINACI . AVG . PONT
MAX. TRIB. POT. II. IMP. III
COS . II. PRO . COS.P.P
OPTIMO.FORTISSIMO
PROVIDENTISSIMO.QVE
PRINCIPI . EX . ARG . P . X
D . IVLIO . CELSO
ET.L.PETRONIO. NIGRO
II.V . D D

IMP . CAESARI
L . SEPTIMIO . SEVERO
PERTINACI . AVG
PONTIF.MAXIM
TRIB . POT . II
IMP . IIII. COS . II
P . P
NEPESINI.OPTIMO
FORTISSIMO. QVE.PRIN
CIPI . SVO . DEVOTI

IMP . CAESARI
L. SEPTIMIO . SEVERO
PERTINACI . AVG
PONTIF. MAX. TRIBVN
POTEST II. IMP . IIII
COS . II. PRO. COS. P. P
ORDO

IMP. CAESARI.L. SEPTIMIO . SEVERO . PERTINACI
AVG.PONT.MAX. TRIB.POT. II. IMPERAT. III. COS. II
PRO . COS . P . P

Annus C∞ XLVIII

Tertullus & Clemens consules ab ijsdem auctoribus hoc anno comparantur. Q. Flaui Tertulli, & T. Flaui Clementis frequens per haec tempora mentio est. Quibus cos. Seuerus bello orientis Imp. V. & VI. appellatus est, quod ex vetustis monumentis intelligitur
SEVERVS.AVG.IMP.V.PART.ARAB. PART.ADIAB.COS.II.P.P

Annus C∞ XLVIIII

Dexter II. & Priscus consules fuerunt hoc anno ijsdem auctoribus. Huius Domitij Dextri praefecti vrbis meminit Spartianus in Seuero. Vtrorumque vero consulum mentio est in vetusto epigrammate; quibus eos. ut ex ijsdem inscriptionibus & nummis liquet Seuerus Imp. VII. & VIII. ex bello Arabico & Adiabenico appellatus est
L.SEPTIMIVS . SEVERVS. PIVS. PERT. AVG. IMP
VII. DIVI. M. PII. F. TR. P. IIII. COS. II. P. P item
L.SEPT. SEV. PERT. AVG. IMP. VIII. P. M. TR. P. IIII
COS. II. P. P. LEG. VII. CL

VIR . DIANAE . SACR
PRO . SALVTE
IMP.CAESARIS.L.SEPTI
MI . SEVERI. PERTINA
CIS. AVGVST. PONT. MAX
TRIB. POT. III. IMP . V. CoS . II
PROCOS . P . P
ORDO
CLVS

C.DOMITIO.DEXTRO.II.L.VALERIO
MESSALLA . THRASIA . PRISCO CoS
VI . IDVS . IANVAR
IN. CVRIA. BASILICAE. AVG . ANNIAN
SCRIBVNDO. ADFVERVNT. A. AQVILLIVS
PROCVLVS. M. CAECILIVS. PVBLICIVS
FABIANVS . T. HORDEONIVS . SECVND
VALENTINVS. T. CAESIVS. BASSIANVS

IMP . CAESARI
L. SEPTIMIO
SEVERO. PIO. PERTINACI. AVG. ARA
BICO . ADIABENICO . PONT . MAX
TRIB. POT. III. IMP . VII. CoS II
P . P . PROCOS. DESIGN
BENACENSES

Hoc anno Idibus Maij die natalis imperij sui, Seuerus Imp. L. Septimium Bassianum maiorem filium M. Aurelium Antoninum Caesarem appellauit: Dio, Herodianus, & Spartianus in Seuero

Annus C∞ L

Lateranus & Rufinus consules postea fuerunt Damaso in vita S. Victoris Papae, Cassiodoro, Fastis Graecis, & Libro Cuspiniani auctoribus. Quibus cos. Albinus Caesar proelio uictus XI Kal. Martij occisus est. In qua expeditione, ut credo, Seuerus Imp. IX. & X. appellatus est; quod ex his quae sequenti anno afferam cognosci poterit. Vtrorumque consulum mentio est in uetustis tribus inscriptionibus sic

MER-

MERCVRIO
CVIVS. AEDES. A. TERGO
SVNT
APPIVS. CL. LATERANVS
XV. VIR. SACR. FAC
COS. DESIGN
LEG. AVG. PR. PR
LEG. III. ITAL
V. S. L. M

M. MARIO. M. F
STEL. TITIO. RVFINO
COS
LEG. LEG. I. MINER. P. F
CVR. COL. CLAVD. AVG
AGRIPPINENSIVM
PRO. COS. PROV. SICILIAE
CVR. AMITERNOR. PRAEF
TR. PL. Q. PROV. MACEDON
SEVIR. TVRMAR. EQ. ROM
TRIB. LATICL. LEG. I. ADIV. P. F
IIII. VIRO. STLITIBVS. IVDIC

HERCVLI. INVICTO. ET
DIBVS. OMNIBVS. DEABVS
Q. SACRVM. PRO. SALVTEM
IMP. L. SEPT. SEVERI. ET
M. AVRELIO. ANTONI
NO. CAESARI. AVG. N. N
ET . . . .
. . C. V. PR. PR. ET. TRI
BVNIS . . . .
FECERVNT . . . . . .
DEDICAVERVNT
V. IDVS. IVNIAS. LATE
RANO. ET. RVFINO CoS

Annus C ∞ LI

Damasus in uita S. Zephyrini papae, Cassiodorus, liber Cuspiniani, & Fasti Graeci consules in hunc annum cõparant Saturninum & Gallum. Hi in antiqua marmorea tabula, quam superius adposui Ti. Saturninus, & C. Gallus descripti sunt. Ti. Aterij Saturnini, & aliquot praeterea uirorum consularium mentio est in uetusta tabula Romae prope Apostolorum basilicam sita. Annius & Trebonius C. Galli nomina sunt. Ambo in hac marmorea basi descripti sunt

M. AEL. M. F. RVSTICVS. RECT
IMM. II. HON. IIII
IN. DIEM. VITAE. SVAE
MESORIBVS. MACH. F. P
QVIBVS. EX. S. C. COIRE. LICET
CASTORES. D. D
ET. OB. DEDICATIONE
DEDIT. SING. * II
L. FAENIO. FIDELE
Q. Q. II
DEDIC. XV. KAL. IVN
SATVRNINO. ET. GALLO CoS

Hoc anno Idibus Maij, uel Kal. Iunis, qui dies natalis Imperij legitimi a Senatu confirmati Seueri erat, M. Aurelius Antoninus Seueri Aug. F. Caesar, Augustus a patre creatus, tribunicia potestatẽ suscepit; & P. Septimius Geta, eius natu minor filius Caesar appellatus est: quod ex his quas afferam inscriptionibus manifestum erit. Eodem anno Seuerus Imp. XI. appellatus est, re bene cõtra Parthos gesta, ut ex hoc epigrammate liquet

IMP. CAES. L. SEPTIMIO. SEVERO. PIO. PERTINACI. AVG
PONT. MAX. TRIB. POT. VI. IMP. XI. COS. II. P. P. M. AVRELIVS. MENOPHILVS
ORNATVS. IVDICIO. EIVS. EQVO. PVBLICO. SACERDOS. TVSCVLANVS
AEDIL. POLAE. CVM. MENOPHILO. PATRE. LIB. AVGG. NN
EX. PROCVRAT. INDVLGENTISSIMO. L. D. D

Annus C ∞ LII

Anullinus & Fronto consules referuntur a Cassiodoro, libro Cuspiniani, & Fastis Graecis. De quibus mentio est in antiqua basi ita

IMP. CAES. L. SEPTIMIO
SEVERO. PIO. INVIC
AVG. IVLIVS. BALBILLVS
SAC. SOL. D. D. PRID
NON. APRIL. ANVLLINO. II
ET. FRONTONE. COS
Item
DEDIC. XV. K. FEBRVARI
CORN. ANVLLINO. II. AVFID
FRONTONE. CoS

TI. IVLIO. BALBILLO. SAC. SOLIS
EVTYCHES. AVGG. LIBERTVS. OFFICI
NATOR. A. STATVIS. AMICO
OPTIMO. DEDIC. K. IAN
P. CORNELIO. ANVLLINO. II
ET. M. AVFIDIO. FRONTONE CoS

Sex. quoque Aurelius Victor in uita Seueri ita scribit: Fuit Seuerus beneuolentia quo ineli nasset mirabili ac perpetua; ad quaerendum diligens, ad largiendum liberalis, in amicos inimicosque pariter uehemens. Quippe qui Lateranum, Cilonem, Anullinum, Bassum, ceterosque alios dicaret. &c. De eisdem & Dio scribit

Annus C ∞ LIII

Seuerus & Victorinus consules suggeruntur ab iisdem auctoribus; de quibus etiam in duabus antiquis basibus mentionem ita extare uidi

PRO.

DEDIC. L. SEPTIMIO . SEVERO . III
M. AVRELIO . ANTONINO AVGG. CoS

Annus C∞ LVI

Getam & Plautianum consules in hunc annum comparant ijdem auctores. Hic Geta Seueri Imperatoris frater fuit P. Septimius appellatus, qui & spem imperij ceperat. Quem ut submoueret Bassianum filium Antoninum Caesarem dixit: ita Spartianus in Seuero. Plautianus autem Seueri amicissimus fuit, quem sordidis natalibus ortum in tantum extulit, ut tanquam alter imperator coleretur, cum primo praefectũ praetorio fecit, ornamentisq; consularibus insignitũ cõsulem II. pronuntiauit, eius filiam Plautillam filio Antonino in vxorem dedit. Qui postremo ab Antonino conniuente Seuero affectatae tyrannidis reus, occisus est. Multa de eo scribunt Dio, Herodianus, & Spartianus in Seuero. Hoc anno decennalia Imp. Seueri celebrata sunt, & vota vicennalia suscepta. In Zophoro porticus Agrippae ante Pantheon eiusmodi extat inscriptio

IMP.CAES.L.SEPTIMIVS.SEVERVS.PIVS.PERTINAX.ARABICVS. ADIABENICVS
PARTHICVS MAXIMVS.PONTIF.MAX.TRIB.POT.X. COS.III. P.P.PRO. COS.ET
IMP.CAES.M.AVRELIVS.ANTONIN.PIVS.FELIX.AVG.TR.POT.V.COS.PRO.COS
PANTHEVM.VETVSTATE.CORRVPTVM.CVM.OMNI.CVLTV.RESTITVER(VNT

Annus C∞ LVII

Cilo & Libo consules suggeruntur a Cassiodoro; Fastis Graecis, & libro Cuspiniani. Cilonis meminit Sex. Aurelius Victor in Seuero: Primũ cos. suffectus fuit Falcone & Claro cos. ut tradit Lampridius in Commodo, nunc est II. Eius mentionem etiam facit idem Lampridius in Caracallo, ubi eum II. consulem & praefectum vrbi vocat. De eo quoque plura tradit Dio. Censorinus in libello de Die natali: Octauos (inquit) ludos saeculares fecerunt Impp. Seuerus & Antoninus Cilone & Libone cos. Anno vrbis C∞ LVII. De quibus ludis plura scripsi, in libro quem de ludis saecularibus edidi. Libo est M. Annius Libo Marci Imp. propinquus, eius ut existimo patruelis Libonis filius, tam Fabij Cilonis, quam Imperatorum aliquot extant inscriptiones hoc anno factae. SEVERVS.PIVS.AVG.P.M.TR
P.XII.COS.III.LVD.SAEC.FEC
Item ANTONINVS.PIVS.AVG.P
TR.P.VII.COS.LVD.SAEC.FEC

L. FABIO.M.F.GAL. CILONI.SEPTI
MINO . CATINIO . ACILIANO . LE
PIDO . FVLGINIANO . COS
COMITI . IMP . L . SEPTIMI . SEVERI . PII
PERTINACIS . AVG . ARAB . ADIAB . P. P
SODAL . HADRIANALI . CVR . MIN . LEG
AVG . PRO . PR . PROVINC . PANN.ET. MOE
SIAE. SVP . BITHYN . ET . PONTI . DVC . VE
XILL . PER . ITALIAM . EXERCITVS . IMP
SEVERI . PII . PERTINACIS . AVG . ET . M
AVRELI . ANTONINI . AVG . PRAEPO
SITO . VEXILLATION . PERINTHI . PER
GENTIB . LEG . AVG . PR . PR . PROVIN . GA
LAT.PRAEF.AERAR.MILITAR.PRO.COS.PROV
NARBON . TRIB . QVEST
PROV . CRET . CYR. TRIB. MIL.LEG.XI.CL
X . VIR . STLIT . IVDIC . CVR . R . P . NICO
MEDIENSIVM . NARTIVM . ITEM . GRAVI
SCANORVM
TI . CL . AMBRELIANVS . . LEG . V
MACEDONICAE . OB . MERITA

Item

L . FABIO . M . FILIO
GALER.SEPTIMINO
CILONI . PRAEF . VRB
C . V . COS . II
M . VIBIVS . MATERNVS
PLVRENSIS . MILITIIS
CANDIDATVS . EIVS

In Arcu Seueri Romae

IMP.CAES.LVCIO.SEPTIMIO.M.FIL.SEVERO.PIO.PERTINACI.AVG.PATRI.PATRIAE.PARTHICO.ARABICO.ET
PARTHICO . ADIABENICO . PONTIFIC . MAXIMO . TRIBVNIC . POTEST . XI . IMP XI . COS . III . PRO . COS . ET
IMP . CAES . M . AVRELIO . L . F . ANTONINO . AVG . PIO . FELICI . TRIBVNIC . POTEST . VI . COS . PRO . COS . P . P
OPTIMIS . FORTISSIMIS . QVE . PRINCIPIBVS
OB . REMPVBLICAM . RESTITVTAM . IMPERIVM . QVE . POPVLI . ROMANI . PROPAGATVM
INSIGNIBVS . VIRTVTIBVS . EORVM . DOMI . FORIS . QVE . S . P . Q . R

Annus C∞ LVIII

Antoninus II. & Geta consules in hunc annum comparantur ab ijsdem scriptoribus. Et Spartianus in Seuero: Getae (inquit) minori filio togam virilem dedit. Maiori Plautiani filiã vxorem iunxit. Filios deinde consules designauit, Getam fratrem extulit. Huius consulatus, & tribuniciae potestatis mentio est in antiquis monumentis fori Boari, sic

C . VIBIO . C . F . L . N . TRO
GALLO . PROCVLEIANO
PATRONO . PERVSINORVM
DEDIC . IDIB . IVL
IMP.M.AVRELIO.ANTONINO.AVG.PIO.FEL.II
P. SEPTIMIO . GETA . ANTONINO . N . CAES Cos

IMP.CAES.L.SEPTIMIO SEVERO.PIO.PERTINACI.AVG.ARABIC.ADIABENIC.PARTH.MAX. FORTISSIMO . FELICISSIMO
PONTIF.MAX.TRIB.POTEST.XII.IMP.XI.COS.III.PATRI.PATRIAE.ET
IMP.CAES.M.AVRELIO.ANTONINO.PIO.FELICI.AVG.TRIB.POT.VII.CoS.II.P.P.PRO.COS.FORTISSIMO.FELICISSIMOQVE.PRINCIPI.ET
IVLIAE.AVG.MATRI.AVG.N.ET.CASTRORVM.ET.SENATVS.ET.PATRIAE.ET.IMP.CAESAR.M.AVRELI. ANTONINI.PII.FELICIS.AVG
PARTHICI.MAXIMI.BRITANNICI.MAXIMI
ARGENTARI.ET.NEGOTIATORES.BOARI.HVIVS.LOCI.QVI.DEVOTI.NVMINI.EORVM
INVEHENT

Annus

Annus C ∞ LVIIII

Albinus & Aemilianus consules deinde fuerunt Cassiodoro, Fastis Graecis, & Libro Cuspiniani auctoribus. Vlpianus XXIIII.I.XXXII. Imp. noster Antoninus Augustus ante excessum diui Seueri patris sui Fuluio Aemiliano, & Nummio Albino cos. De quibus mentio est in his antiquis inscriptionibus

DEO . HERCVLI
M.NVMMIO . CEIONIO
ANNIO . ALBINO . PR
AETOR . VRBAN . V : C
DEDICANTE

Item

IOVI SERENO
NVMMIVS . ALBINVS
EX . VOTO

Item

TI . CLAVDIVS
CHRESIMVS . HON
QVINQVENNALITATIS
COLLEGIO . DENDROPHOR
ROMANORVM . QVIBVS . EX
S . C . COIRE.LICET.ARGEN
TI . P . X . HS. X. MILLIA . N
REDDIDIT
QVAE . DIVISA . SVNT. POPVLO. PER. GRADVS
N . COLLEGI . K . AVG
NVMMIO . ALBINO . ET . FVLVIO . AEMILIANO
COS

Hoc anno ut ex annorum supputatione intelligi potest, Seuerus & Antoninus Impp. agonem Capitolinũ XXXI. celebrarunt

Annus C ∞ LX

Aper & Maximus ab ijsdem auctoribus consules in hunc annum comparantur. M. Flauij Apri superius aliquoties mentio fuit. Q. Alli Maximi meminit uetus inscriptio, quae nunc ad manus non est. Extat & hoc Seueri epigramma

IMP.CAESARI.L.SEPTIMIO.SEVERO.PIO.PERTINACI.AVG
PARTHICO.MAXIMO.ARABICO.ET.ADIABENICO. PONTIF. MAXIM
TRIB.POT.XIIII.IMP.XI.COS.III.P.P.COLONIA.HELVIA.RICINA
CONDITORI . SVO

Item

IMP . CAESAR
L . SEPTIMIVS . SEVERVS . PIVS . PERTI
NAX . AVG . ARABIC . ADIAB . PARTHIC . MAX
PONTIF.MAX. TRIB.POT.XV. IMP.XII.COS . III. ET
IMP . CAESAR . IMP . CAESARIS . L . SEPTIMI
SEVERI . PII . PERTINACIS . AVG . ARABICI
ADIAB . PARTH . MAX . FILIVS
M . AVRELIVS . ANTONINVS . AVG
PIVS . FELIX . PONTIF. TRIB. POT. X. IMP. II. COS. III. DES
FORTISSIMVS . AC . SVPER
OMNES . FELICISSIMVS
PRINCEPS
VIAM . QVAE . DVCIT . IN . VILLAM . MAGNAM
SILICE . SVA . PECVNIA . STRAVARVNT

Hoc anno Antonini Augusti decẽnalia celebrata sunt

Annus C ∞ LXI

Antoninum III. & Getam II. cõsules deinde ijdem auctores memorant. Hi Seueri Imp. filij fuerunt. De quorum consulatu mentio est in antiquis nummis, & basi sic P . SEPTIMIVS . GETA CAES.PONT.COS.II. PRINC IVVENTVTIS

PRO . SALVTE . D. D. N. N. AVGG
HERCVLEM . DEFENSOREM
GENIO . CENTVRIAE . EX . VOTO . POSVIT
L . DOMITIVS . VALERIANVS
DOMO . KAPITOLIA . DE . STIPE . XVIII
MIL . COH . X . PR . P. V. 7 . FL . CARALITANI
LECTVS . IN . PRAETORIO D. D. N. N
EX . LEG . VI . FERR . F.F.C
MISSVS . HONESTA . MISSIONE
VII . IDVS . IANVAR . D. D. N. N
IMP . ANTONINO . PIO . AVG . III . ET
GETA . NOBILISSIMO . CAESARE . II
CoS

Hoc anno die natali Seueri Augusti, Geta minor filius Imperatoris Augustus appellatus, tribuniciam potestatem suscepit. Quod ex antiquis nummis, quorum exempla afferam intelligitur

Annus

Annus C ꝏ LXII

Pompeianus & Auitus consules deinde fuerunt Cassiodoro, Fastis Graecis, & libro Cuspinia auctoribus. Claudii Pompeiani Marci imperatoris ex Lucilla filia nepotis bis consulis a Caracallo postea occisi, meminit Spartianus in eius uita. De quo mentio est in antiqua basi, quam anno Cꝏ LXVI. afferam. Lolliani uero Auiti Capitolinus in Pertinace meminit. Getae hic extat nummus IMP.CAES.P.SEPTIMIVS.GETA.PIVS.AVG.PONT.TR.P.II.COS.II

Annus Cꝏ LXIII

Faustinus & Rufinus consules memorantur a Cassiodoro, & Fastis Graecis: Faustinus & Rufus a Libro Cuspiniani. Hos consules esse puto de quibus mentio est in antiquis inscriptionibus, quarum alteram superius anno Cꝏ XXXIX. citaui, altera uero sequẽs est Seueri quoq; Imp. eiusmudi extat inscriptio hoc anno ut uideri potest ei Camerini dedicata Getae etiam Imp. hic nummus extat

IMP. CAES. L. SEPTIMIO. SEVERO
PIO. PERTINACI. AVG. ARABICO
ADIAB. PARTHICO. MAX. BRIT. MAX
PON. MAX. TR. POT. XVIII. IMP. XII
COS. III. PRO. COS. P. P. ET
IMP. CAES. M. AVRELIO. ANTONINO
PIO. FELICI. AVGVSTO. PONT. TRIB
POT. XIII. IMP. II. COS. III. PRO. COS. P. P
IMP. CAES. L. SEPTIMI. SEVERI
PII. PERTINACIS. AVGVSTI. FILIO
DEVOTI. NVMINI. ET. MAIESTATI. EOR
COH. II. VIG

P.SEPT.GETA.PIVS.AVG.BRIT.TR.P.III.COS.II.P.P.VICTORIAE.BRIT. Item P.SEPTIMIVS.GETA.PIVS.AVG.BRIT TR.P.III.COS.II.FORT.RED

IMP. CAESARI
L. SEPTIMIO. SEVERO
PIO. PERTINACI. AVG
ARABIC. ADIAB. PARTHICO
MAX. BRIT. MAX. TR. POT
XIIX. IMP. XII. COS. III. P. P
CAELESTI. EIVS. INDVL
GENTIA. IN. AETERNAM
SECVRITATEM. ADQVE
GLORIAM. IVRE. AE
QVO. FOEDERIS. SIBI
CONFIRMATO
CAMERTES

Item

C. CAESONIO. C. F. QVIR. MACRO. RVFINIANO
CONSVLARI. SODALI. AVGVSTALI. COMITI. IMP
SEVERI. ALEXANDRI. AVG. CVR. R. P. LANVVINOR. II
PRO. COS. PROV. AFRICAE. CVR. AQVAR. ET. MINIC
LEG. AVG. PR. PR. GERM. SVPERIORIS. CVR. ALVEI
TIBERIS. CVR. R. P. TEANENS. LEG. AVG. PR. PR. PROV
LVSITAN. CVR. R. P. TERRACINENS. PRO. COS. PROV
ACHAIAE. LEG. LEG. VII. CLAVD. CVR. R. P. ASCVLAN
LEG. PROV. ASIAE. PR. LEG. PROV. BAETIC. TRIB. PL
QVESTORI. PROV. NARBON. TRIB. LEG. I. ADIVTRIC
DONATO. DONIS. MILITARIBVS. A. DIVO. MARCO
III. VIRO. CAPITALI
PATRI. DVLCISSIMO. ET. INCOMPARABILI
CAESONIVS. LVCILLVS. FILIVS
CONSVLARIS

Annus C ꝏ LXIIII

Gentianus & Bassus cõsules comparãtur hoc anno ab ijsdẽ auctoribus. Põponij Bassi praefecti vrbis meminit Spartianus, quẽ Dio ab Alagabalo cum Silio messalla interfectũ fuisse scribit. Ad Gentianũ ueto de quo mentionẽ facit Capitolinus in Pertinace, hãc inscriptionẽ pertinere puto

Q. EPIDIO. L. F. POL. RVFO
LOLLIAN. GENTIANO
AVGVRI. COS. PRO. COS. PROV
ASIAE. LEG. LEG. PR. PR. PROV
LVGDVNENSIS. COMITI
IMPP. SEVERI. ET. ANTONINI
AVGG. LEG. LEG. XX . . . . .

Hoc anno ut scribit Dio, Seuerus Imp. Eboraci in Britannia mortuus est, prid. nonas, Februarij aetatis anno LXV. mẽse VII. die XVIII. imperij vero anno XVII. mẽse VIII. die III. postquam Iulianus interfectus fuerat; a die uero qua primum Carnuti in Pannonia Imp. appellatus fuerat, anno XVII. mẽse VIII. die XXI. ibiq; funeratus. Cineres Romam à filiis relati in sepulchro Hadriaui cunditi sunt, ipseq; ab eisdem inter diuos relatus est. Quod qua ratione fieri consuetum fuerit, modo aperiam

De antiqua ratione consecrandi imperatores, quum post mortem inter diuos referrentur

Opportunus hic locus esse uisus est, de ritu quo inter diuos mortui imperatores a successoribus referrebantur, differendi; quum elegantissime Seueri hoc loco consecratio ab Herodiano illorum temporum scriptore libro III. historiarum accurateque referatur, quam superstites filij Antoninus & Geta patri fecerunt. Romanis enim mos erat ab Augusto Caesare primum institutus, deinde a Tiberio instauratus eos consecrare imperatores, qui superstitibus filiis uel successoribus moriebantur, quiq; eo erant honore affecti, inter diuõs relati dicebantur. Sic primus omnium Augustus Iuliũ Caesarem, Tiberius Augustum, Nero Claudium, Titus Vespasianũ patrem, Domitianus fratrem Titum, Traianus Neruã, Hadrianus Traianum, Pius Hadrianũ, Marcus Pium patrem, & fratrem L. Verum, Commudus Marcum, Seuerus Pertinacem & Cõmodum, ac nunc Antoninus & Geta patrem Seuerum mortuos consecrarunt. Quam ut dixi consecrandi rationem primus Augustus inuenit, quum patrem Caesarem consecrauit. Verum ea primo simplex & sine tot ritibus & caerimoniis erat, postremo quum multa sensim in singulis imperatorum consecrationibus addita fuerint, in hanc fere formam facta est, quam nunc accurate quantum ex veterum monumentis colligere potui, tradam: Quum imperator uita functus consecrandus erat, tota vrbe primum quasi luctus quidam esse videbatur, festae celebritati promiscuus. Quippe functum uita corpus ritu hominum sumptuoso funere sepeliebant; ceream deinde imaginem defuncto quam simillimam fingebant, eamque in palatij uestibulo propositam supra eburneum lectum maximum atq; sublimem, vestibus instratum

aureis locabāt. Et quidem imago illa ad egroti ſpeciem pallida recumbebat. Circa lectum uero utrinque magnā partem diei ſedebant a leua quidem ſenatus omnis ueſtibus atris amictus, a dextera uero matronae, quas uirorum aut parentum dignitas honeſtabat. Harumque nulla uel aurū geſtans uel ornata monilibus conſpiciebatur, ſed ueſtibus albis exilibus indutae moerentiū ſpeciem praebebāt: haec ita per ſeptem dies continuos faciebant, medicis ad lectum quottidie accedentibus, inſpectumque ueluti aegrum deterius ſe habere ſubinde pronuntiantibus. Dein ubi iam uiſus eſſet obijſſe diem, lectum humeris attollebāt equeſtris ſenatoriiq; ordinis nobiliſſimi ac lectiſſimi iuuenes, perq; viam ſacram in vetus forum deſerebant, vbi magiſtratus Romani deponere imperium conſueuerant. Extructum autē erat in ipſo Romano foro coloris lapidei tribunal ligneum, ſuper quod aedificium quodam ſabrefactū erat, quod columnae undiq; ſubſtinebant, eratq; ebore varie ornatū & auro: eò allatus fuerat alius lectus cōſimilis, cui ſtragulis purpureis atq; auro intextis ornato erant circum capita belluarum terrae mariſq;; in eoq; ſtatuā ceream principis conſecrandi ut dixi, ex palatio allatam ornatu triumphali collocabant, a qua puer egregia forma ita ut ſi Imperator dormiret, pennis pauonis muſcas abigebat. Ea ita iacente ſuperſtites imperatores, & ſenatus, ſenatorumq; vxores ueſtibus ijſdem induti accedebant pone lectum, dum in forum ipſi deueniſſent. Vbi mulieres quidem in porticibus, ſenatus vero ſub dio ſedebāt. Ab utraq; autē fori parte, gradus quidam erant ad ſcalarū ſimilitudinem extructi, in quibus altera ex parte puerorū chorus erat, e nobiliſsimis atq; patricijs, altera foeminarū illuſtriū hymnos in defunctum poeanasq; canentium, uerendo ac lamentabili carmine emodulatos. Quibus ita diſpoſitis, ſunebris pompa in foro inchoabatur extra Vrbem in campum Martiū tēdens. Primum ante ferebantur ſtatuae omniū ueterum Romanorū illuſtrium qui unquā ab ipſo Romulo, vſque ad eius conſecrationis tempus fuiſſent. Deinde prouinciarū & nationū omniū quae Romano imperio ſubiectae erāt aenea ſimulachra, variis diſtincta ornamētis, ut erat cuiusq; gentis patria conſuetudo. Sequebantur poſt varia genera ciuium, lictorū, ſcribarū, preconum, & qui ſunt eiuſdem generis. Sequebantur deinceps ſigna diuerſorum illuſtrium uirorū, quos praeclare feciſſe aliquid aut excogitaſſe, aut in aliquo ſtudio floruiſſe conſtaret. Veniebant poſtea equites ac pedites armati, certatores equi, atque ea quae ad parentandū pertinebant, quae ab ipſis principibus & ſenatoribus, eorū uxoribus, & a clariſsimis equitibus, ac populis, & a ciuiū cōgregatio ne miſſa fuerant. Poſtremo ferebatur altare inauratū ornatumq; ebore & lapillis indicis. Quae poſtquā tranſierant imperator uiuus roſtra aſcēdebat, defunctumq; imperatorē laudabat. Quūq; oraret crebro a ſenatoribus adſtantibus exclamabatur, partim laudantibus defunctum, partim lugentibus; ſed oratione habita multo magis id factitabāt, ac tandem quū lectus de loco in quo erat moueri oporteret, omnes ſimul ſenatores lamentabātur ac flebāt. Quibus peractis iterum lectū a tribunali tollebant pontifices & magiſtratus non modo qui tum erant, ſed etiā hi qui in ſequentem annū deſignati fuerant, eundemque poſtea tradebant nonnullis equitibus ferendū. Pars ſenatorū lectum anteibat, ex quibus multi dolere ſe ſimulabant querulas uoces emittendo, multi canebant flebile carmen ad tibias. Imperatores poſtremi ſequebantur. Ita extra vrbem in Martiū campū ueniebant. Vbi qua latiſsime campus patet, rogus ſiue ſuggeſtus quidam ſpecie quadrangula, lateribus aequis aſſurgebat, nulla praeterquā lignorum ingentium materia cōpactus in tabernaculi formam, id quidem interius totū erat aridis ſomitibus oppletum, extra autem intextis auro ſtragulis, atque eboreis ſignis, uariiſq; picturis exornatum; ſupra vero alterum minuſculū quidem tabernaculum poſitū erat, ſed forma & ornatu perſimile portis ianuiſq; patentibus. Tertium item, & quartum ſemper inferiore tabernaculo contractius, ac deinceps alia donec ad extremum quod eſt omnium breuiſsimū perueniebatur. In ſummo eius currrus inauratus quo mortuus imperator olim uehebatur collocatus erat. Poteſt eius edificii forma comparari turribus his (inquit Herodianus) quae portibus imminentes, noctu igne praelato naues in tutas ſtationes dirigunt, Phari vulgo appellantur. Eius quoq; tabernaculi formā adhuc in antiquis nomiſmatibus Marci, L. Veri, & Pertinacis iam conſecratorum aliquando uidi. Igitur lecto in ſecundum tabernaculum quod primo contractius eſt ſublato, aromata & ſuffimenta omnis generis, fructus, herbaſque, & ſuccos omnes odoratos conquiſitos acceruatim effundebant. Quippe neq; gens erat, neque ciuitas, neque qui honore ullo aut dignitate praecelleret, quin certatim pro ſe quiſq; ſuprema illa munera principis honori deſerrent. Vbi vero ingens aromatum, ac eorum quae parentandi cauſſa allata fuerant ſuſtim ētorum aceruus magnus aggeſtus eſt, ac locus omnis oppletus, Imperator ſuperſtes, ceterique imperatoris mortui propinqui eius ſtatuam oſculabantur, quo facto princeps in tribunal conſcendebat ſenatores uero exceptis magiſtratibus, in tabulata parata aſsidebant, ut toto ſimul & commode ſpectarent quae gerebantur. Magiſtratus & ceteri ex ordine collocabantur ut cuiuſq; dignitas poſtulabat. Tum circa aedificiū illud adequitabāt vniuerſi equeſtris ordinis certa quadā lege ac recurſu motuq; pyrrhichio, numeroq; in orbem decurrentibus

decurrẽtibus,pedites quoq; circum ipsum rogũ cursus vrbanos & confictos peragebãt. Currus itẽ circumagebãtur inlesti purpuratis rectoribus,qui personas ferebãt ducum omniũ Rom.principũq; illustriũ. Quae vbi celebrata erãt,facem capiebat imperij successor,eamq; tabernaculo admouebat,tũ cõsules primo,ceteriq; omnes magistratus, & alij ordines vndiq; ignẽ subijciebant, cunctaq; illico fomitibus illis aridis odoramentisq; referta igni valido corripiebantur, mox ab extremo minimoq; tabernaculo tanquã e fastigio quodã,simul cũ subiecto igni aquila dimittebatur,quae in coelũ ipsam principis animã deferre credebatur. Ac iam ex illo una cũ ceteris numinibus imperator defunctus colebatur. Haec autem ex Pertinacis & Seueri cõsecrationibus a Dione,& Herodiano descriptis ad verbũ exscripsi.Quibus quo omnia accuratius percipiaotur, Augusti quoq; consecrationẽ adijciam a Dione descriptã ita:Postquã eiusmodi praecepta recitata funt,funus Augusti ducitur.Erat lectus ex ebore &auro factus stratus,atq; stragulis purpureis auroq; intextis ornatus,subter quẽ tanquã in ferretro corpus eius iacebat occultũ. Ante omnia vero statua eius cerea uestitu triũphali uidebatur,eaq; ex palatio ferebatur ab ijs qui in iosequentẽ annũ magistratus designati fuerãt,deinde ex curia altera aurea,tertia curru triumphali uehebãtur, ferebanturq; statuae maiorũ ipsius atq; propinquorum,qui e uita discesserãt,vno tantũ Caesare excepto,propterea quod iam esset in deorũ numerum relatus;portabantur deinde statuae ciuium Romanorũ omniũ,quicunq; in magistratu unquam,ab ipso Romulo ad ea usq; tempora fuissent. Sed & quaedam Pompeij Magni statua ferri visa est. Aderant etiam omoes prouinciae atq; nationes pictae,quae partae ab eo fuerant,& deuictae. Post haec lecto in foro super tribunali posito,quum Drusus pro rostris nonnulla legisset,Tiberius pro rostris Iulijs eum ad populum ex S.C.laudauit. Tum qui lectum antea tulerant eundem porta triumphali portarunt,ut senatus decreuerat. Aderat autem senatus praesens mortuũq; pariter efferebat, aderant quoque omnes equestris ordinis eorumq; vxores.Intererant praetoriani milites,ceteriq; omnes fere qui tum in urbe erant.Quũq; esset impositus in rogum in campo Martio extructum,eum primo cuncti circumierunt sacerdotes, deinde equites,post ij qui magistratu fungebãtur, postremo ceteri milites qui vrbis praesidio erant,concurrebant,praemiaq; victoriae quae ob res praeclare gestas dum in eius exercitu militarent meruerant,in eum rogum conijciebant. Quem centuriones postea admotis facibus incenderunt,qui dum cũbureretur,aquila ex rogo demissa,quasi animã Augusti in coelum efferret,euolauit. His rebus peractis omnes abierunt. Ceterũ Liuia ibi cum primarijs equitibus mansit dies quinq;,ossaq; eius collecta sepeliuit. Viri in lucto fuerunt per paucos dies ut erat consuetudo,matronae eum decreto senatus annum luxerunt. Haec Dio.Hac propemodum ratione mulieres Augustas quae consecrabantur,inter diuas referri crediderim, neq; enim alia mulierum consecrandi ratio tradita est. Prima autem omnium Liuia Augusta consecrata est.Porro autem tam imperatoribus,quam eorum vxoribus,uel filijs,aut sororibus cõsecratis flamen,& sodales,qui ab eo nomen acciperent,ex S.C. addebantur,tẽplumq; in quo hi hymnos in eius honorem compositos canerent,construebatur. Nam Diuo Iulio etiam viuenti haec facta fuisse tradit his verbis Tranquillus: Non enim honores modo nimios recepit,ut contiouũ consulatum,perpetuam dictaturam, praefecturamq; morũ,insuper praenomen imperatoris,cognomen patris patriae, statuam inter reges, suggestum inter orchestra, sed & ampliora humano fastigio sibi decerni passus est; sedem auream in curia, & pro tribunali tensam, & ferculum circensi pompa,templa,aras,simulachra iuxta deos,puluinar,flaminem, lupercos,appellationem mensis e suo nomine. Post mortem quoque consecratus est, quod ipse Suetonius sic refert: Funere indicto rogus extructus est in Martio campo, iuxta Iuliae tumulum,& pro rostris aurata aedes ad simulachrum templi Veneris Genetricis collocata,intraq; lectus eburneus auro ac purpura stratus,& ad caput trophaeũ cum veste,in qua fuerat occcisus:praeferẽtibus munera,quia suffecturus dies nõ videbatur,praeceptũ est,ut omisso ordine,quibus quisque uellet itineribus vrbis portaret in campũ. Inter ludos cantata sunt quaedam ad miserationem & inuidiã caedis eius accommodata, ex Pacuuij armorum iudicio   Men' seruasse ut essent qui me perderent? Et ex Electra Attij ad similem sententiam.Laudationis loco cos. Antonius per praeconẽ pronuntiauit S.C.quo omnia ei diuina simul atq; humana decreuerat,item iusiurãdũ quo se cũcti pro salute vnius astrinxerãt.Quibus perpauca a se uerba addidit.Lectũ pro rostris in forũ magistratus, & honoribus functi detulerũt.Quẽ quũ pars in Capitolini Iouis cella cremare,pars in curia Pompeij destinaret,repente duo quidã gladijs succincti ac bina iacula gestantes, ardentibus cereis succẽderũt,cõfestimq; circunstantiũ turba virgulta arrida,& cũ subsellijs tribunalia,quicquid praeterea ad manũ aderat congessit,deinde tibicines,& scenici artifices,uestem quã ex instrumẽto triumphorũ ad praesentem vsum induerãt,detractã sibi atq; discissam ioiecere flãmae, ueteranorũ militũ legionarij arma sua quibus exculti funus celebrabant,matronae etiam pleraeq; ornamenta sua quae gerebãt,& liberorũ bullas,atq; praetextas. In summo publico luctu exterarũ gentiũ

multitudo circulatim ſuo quaeq; more lamētata eſt,praecipueq; Iudaei,qui etiam noctibus cōtinuis buſtum frequentauerunt. Plebs vero ſolidam columnā prope XX. pedū lapidis Numidici in foro ſtatuit,ſcripſitq; PARENTI.PATRIAE. apud eam lōgo tēpore ſacrificare,uota ſuſcipere,controuerſias quaſdā interpoſito per Caeſarē iureiurādo diſtrahere perſeuerauit. Perijt ſexto & quinquageſimo aetatis anno,atque in deorū numerū relatus eſt,non ore modo decernentium, ſed & perſuaſione uulgi. Si quidē ludis quos primos conſecrato ei haeres Auguſtus edebat,ſtella crinita per ſeptē dies cōtinuos fulſit exoriens circa vndecimā horam,creditumq; eſt animā eſſe Caeſaris in coelum recepti,& hac de cauſſa ſimulachro eius in vertice additur ſtella: & cetera. Templū autem in foro ei factum eſt, additusque flamen cum ſodalibus. Et de Auguſto a Tiberio conſecrato Tacitus lib. I. Idem annus nouas caerimonias accepit addito ſodalium Auguſtaliū ſacerdotio. Sorte ducti e primoribus ciuitatis unus & viginti, Tiberius,Druſusq;,Claudius & Germanicus adijciuntur. De flaminibus diuorū Iulij & Auguſti,eorūq; ſodalibus multa mētio eſt in antiquis marmoreis inſcriptionibus. Aelius Spartianus in Hadriano: Hadrianus rogante Antonino diuus a ſenatu appellatus eſt. Qui templum ei pro ſepulchro apud Puteolos conſtituit, & quinquennale certamen, & flamen, & ſodales, & multa alia, quae ad honorem quaſi numinis pertinerent. Quare multi putant Antoninum Pium dictū. Item Iulius Capitolinus in Pio: Tertio anno imperij ſui Fauſtinam uxorem perdidit, quae a ſenatu conſecrata eſt, delatis circenſibus,atq; templo, flaminicis,& ſtatuis aureis atque argenteis, quū ipſe etiam hoc conceſſerit,ut imago eius cunctis circenſibus poneretur. Et de eo mortuo,& conſecrato loquens. Meruit (inquit) flaminē & circenſes, templū,& ſodales Antoninianos. Idem in vita Marci Imp. Marcus Fauſtinā vxorem mortuā diuā a ſenatu appellatā gratulatus eſt, nouasq; puellas Fauſtinianas inſtituit in honorem vxoris mortuae. Idem de eo mortuo & inter diuos relato uerba faciens ſic ſcribit: Vnde etiam templum ei conſtitutum eſt, dati ſacerdotes,& flamines, & omnia quae de ſacratis decreuit antiquitas. Idem in Pertinace ait: Per ſenatū & populū Pertinax inter deos relatus eſt. Sub Seuero autem imperatore cum ſenatus ingens teſtimonium habuiſſet Pertinax,funus imaginariū ei & cenſoriū ductum eſt,& ab ipſo Seuero funebri laudatione honoratus eſt. Ipſe autem Seuerus amore boni principis a ſenatu Pertinacis nomen accepit. Filius Pertinacis patri flamen eſt factus. Marciani ſodales qui diui Marci ſacra curabant,Heluiani ſunt dicti propter Heluiū Pertinacem. Circenſes & imperij natalis additi,qui a Seuero poſtea ſublati ſunt,& genitiali qui manent. Item Spartianus in Caracallo: Antoninus a Macrino,qui eum occiderat,timore militum, ac maxime praetorianorū,inter deos relatus eſt. Habet templum, habet flamen,habet ſodales Antoninianos. Lampridius quoque in Alexandro: Senatus eum inter diuos rettulit. Coenotaphium in Gallia,Romae ſepulchrum ampliſſimum meruit. Dati ſunt & ſodales,qui Alexandrini appellati ſunt: Addita & feſtiuitas matris nomine atq; ipſius,quae hodieq; Romae religioſiſsime celebratur natali eius die. Imperatoribus igitur inter diuos relatis poſt conſecrationē tales exhibebātur honores. Porro nullus quod ſciam priuatus cōſecratus eſt praeter Antinoum ab Hadriano,Diocletianū,& Maximianū a Licinio & Maxentio,quorum primus neq; Caeſar neq; Auguſtus fuerat,duo vero ſequentes ex Auguſtis quū imperio ſponte abdicaſſent,priuati mortui ſunt. Conſecrationis autem honor diu quidem manſit. Nam Honorium, Theodoſium iuniorem, & Placidiū Valentinianum III. diuos appellatos fuiſſe legimus. Quod quidem factum hac ratione exiſtimo, ut funus tantum,& pompa illa ſolemnis eis facta fuerint, ſacrificijs tamen, templis,ſodalibus, & flaminibus poſt Conſtantinū, omnino ſublatis,uel fieri deſitis. Qui autem Imperatores,aut Auguſtae inter diuos relati, aut a quibus conſecrati fuerint, quibusque ex locis id didicerim,nunc ſupereſt ut demōſtrem. Nam pleroſq; eorum ex nummis aureis,argenteis,& aeneis, pleroſq; ex lapideis inſcriptionibus,pleroſque etiam ex ueterum ſcriptorum monumētis didici. Nihil enim praeterire decreui quo ea afferrem,quae veterum monumentorum ſtudioſos ſubleuare quaqua ratione poſſent. Imperatorum uero & Auguſtorum inter diuos relatorum index eiuſmodi eſt

IMPERATORES . CAESARES . ET . AVGVSTAE
QVI. INTER. DIVOS. EX. S. C. RELATI. SVNT

DIVOS . IVLIVS	ab	Auguſto Caeſare. Nummi aerei. Lapides. Tranquillus capite XXCVIII. Dio libro XLVI
DIVVS . AVGVSTVS . PATER	a	Ti. Caeſare Auguſto. Nummi aerei. Lapid. Tacitus libro. I Trāquill. cap. C. Dio libro LVI. Eutropius lib. VII. Victor
DIVA . AVGVSTA	a	Claudio Imp. Nummus aereus. Tranq. in Claudio cap. XI
DIVA . DRVSILLA	a	Caio Caligula Imp. fratre. Tranquill. in Caio. cap. XXIIII.
DIVVS . CLAVDIVS	a	Nerone Imp. Num. argēteus. Tacit. L. XII. Trāq. cap. XLV Eutropius libro VII

DIVA

DIVA.CLAVDIA.POPPAEA	a Nerone Imp. patre. Tacitus libro XVI. & Tranquillus
DIVVS.AVGVSTVS. VESPASIANVS	a Tito filio. Num. Lap. Tranquillus C.XXIII Statius Lib. Silua r.I. Eutropius libro VII
DIVVS.TITVS.AVGVSTVS	a Domitiano fratre. Num. Lap. Tranquillus in Tito,& Domit. cap.II. Statius libro Siluarum I. Eutropius Libro VII
DIVA.DOMITILLA	a fratre Domitiano. Statius libro Siluarum I
DIVA.IVLIA.DIVI.TITI.FILIA	a patruo Domit. Imp. Nummi argent. & aurei Stat. lib. Silu. I
DIVVS. CAESAR. IMP. DOMIT. AVG. F alias DIVVS.DOMITIANVS	a patre Domitiano Imp. Num. argent.& aureus
DIVVS.NERVA	a Traiano Imp. Numm.arg. Lap. Eutrop. L.VII.
DIVA.AVGVSTA.MARCIANA	Traiani Imp. soror, a Traiano. Num.arg. Lapides
DIVVS.TRAIANVS.PARTHICVS	ab Hadriano Imp. Num.argēt. Lap. Eutr. L.VIII
DIVA.PLOTINA	Traiani Imp. vxor, ab Hadriano. Num.arg. Lapid Dio, & Spart. in Hadriano. Sex. Aurel. Victor
DIVVS.ANTINOVS	ab Hadriano. Spartianus in Hadriano
DIVA.SABINA	Hadriani vxor, ab Hadriano. Num.& Lap. Spart in Hadriano
DIVVS.HADRIANVS.AVGVSTVS	a Pio Imp. Num.arg.& Lap. Spartianus. Capitolinus in Pio. Eutrop. Lib. VIII
DIVA.AVGVSTA.FAVSTINA	Pij Imp. uxor, a Pio. Num. argent. & aereus. Lap Capitolinus in Pio
DIVVS.ANTONINVS.PIVS	a Marco Imp. Numm. arg. & aer. Lap. Capitolinus in Pio. Victor,& Eutropius lib. VIII
DIVVS.VERVS.PARTHICVS	a Marco Imp. Nummi aerei. Capitol. in Marco Eutrop. Lib. VIII
DIVA.FAVSTINA.PIA	a marito Marco Imp. Nummi argentei & aerei Capitolin. in Marco
DIVVS.M.ANTONINVS.PIVS GERMANICVS.SARMATICVS	a Commodo Imp. Nummi,& lapides. Capitolin Eutropius Lib.VIII
DIVVS.COMMODVS	a SEVERO Imp. Num.& Lap. Lampridius, & in Seuero Spartianus.
DIVVS.PERTINAX.PIVS.PATER	a Seuero Imp. Num.aer. Dio, Iulius Capitolinus & Sex. Victor
DIVVS.SEPTIMIVS.SEVERVS.PIVS	a Caracallo & Geta Impp. filijs. Num. & Lapid Herod. L.IIII. Spartianus, Eutropius libro viij
DIVVS.GETA	a Caracallo Imp. fratre Spartianus
DIVVS.ANTONINVS	a Macrino Imp. Spartianus
DIVA.IVLIA.AVGVSTA	Seueri Imp. vxor ab Alagabalo. Num. aereus Ex Herodiano
DIVA.IVLIA.MAESA	Auia imp. Alexandri, ab ipso consecrata Herodianus L.VI
DIVVS.ALEXANDER	a S.P.Q.R. Lampridius
DIVA.IVLIA.MAMMAEA	Alexandri imp. mater. a S.P.Q.R. Lamprid. in Alexandro
DIVA.PAVLINA	Vxor Maximini, ab ipso. Num. aereus
DIVVS.GORDIANVS.AFRICANVS DIVVS.GORDIANVS.AFRICANVS	a S.P.Q.R. Herodian. L.VIII. Iul. Capitolinus
DIVVS.GORDIANVS.AVGVSTVS	a Philippo Imp. Iul. Capitolin. Eutropius LIX
DIVVS.PHILIPPVS.SEN DIVVS.PHILIPPVS.IVN DIVVS.DECIVS	a S.P.Q.R. Eutropius libro IX
DIVVS.VALERIANVS	a Gallieno filio Imp. Trebellius Pollio in Gallie(no
DIVA.MARINIANA	a Gallieno. Nummi arg.& aereus
DIVVS.CAESAR.VALERIANVS	a Gallieno patre. Nūmus Argenteus. ex Pollione

DIVVS.CLAVDIVS	ab Aureliano Imp. Numm.aereus. Trebellius Pollio. Eutrop.Libro IX. Victor
DIVVS.AVRELIANVS	a Tacito Imp. Fl.Vopiscus. Eutrop.libro IX
DIVVS.CARVS	a filijs Carino & Numeriano Impp
DIVVS.NVMERIANVS	a Diocletiano Imp. Lapis antiquus
DIVVS.NIGRINIANVS	Nummus aereus
DIVVS.CONSTANTIVS.PIVS PRINCEPS	a Constantino Imp. filio. Nummus aereus. & Lapides. Eutropius Libro X
DIVVS.MAXIMIANVS.SEN FORT.IMP	a Maxentio Imp.filio. Nummus aereus
DIVVS.ROMVLVS	a patre Maxentio Imp. Nummus aereus
DIVVS.MAXIMIANVS	a Licinio Aug. Nummus aereus
DIVVS.DIOCLETIANVS	a Constãtino,& Licinio Impp. Eutropius L.IX
DIVA.HELENA	a filio Constantino Imp
DIVVS.AVG.PIVS.CONSTANTINVS MAX	a filijs Constantino, Constantio, & Constante Augustis. Numm. aereus. Eutrop. Lib. X Codex Theodosianus
DIVVS.CONSTANTINVS.IVN	a fratribus Constantio & Constãte Augustis Codex Theodosianus
DIVVS.CONSTANS	a fratre Constantio. Eutropius Libro X Symmachus Libro I. Epist. XXXIX
DIVVS.CONSANTIVS	a Iuliano Imp.Eutrop.L.X. Symmachus ibidẽ Codex Theod
DIVVS.IVLIANVS	a Iouiano Aug. Eutrop. Lib.X. Symmachus ibidem. Cod.Theodosianus
DIVVS.IOVIANVS	a Valentiniano, & Valente Impp. Eutropius Lib.X. Codex Theodos
DIVVS.VALENTINIANVS.MAGNVS	a Gratiano filio &, Valente fratre Impp Marcellinus Comes
DIVVS.VALENS	a Gratiano, & Valentiniano Iuniore Impp Codex Theodosianus
DIVVS.GRATIANVS	a Theodosio, & Valentiniano Iuniore Impp Codex Theodosianus. Symmachus libro I. Epist.XXXIII. & XXXIX
DIVVS.VALENTINIANVS.IVN	a Theodosio Imp. Codex Theodosianus
DIVVS.THEODOSIVS	a filijs Arcadio, & Honorio. Cod.Theodosian
DIVVS.ARCADIVS	a filio Theodosio Iuniore Aug. Codex Theod
DIVVS.HONORIVS	a Valentiniano III.Aug. Cod.Theodosianus
DIVVS.THEODOSIVS.IVNIOR	a Valentiniano III.Imp. ex Cod.Iustiniani
DIVVS.PLACIDIVS.VALENTINIANVS	Ex Codice Iustiniani

De Antonino Caracallo & Geta Imperatoribus Seueri Augusti filijs

Post mortem Seueri Antoninus & Geta eius filij Dione,& Herodiano auctoribus, Romanum susceperunt imperium pari potestate administrandum. Antoninus a vestis genere Caracallus appellatus, quum fratrem Getam primo imperij anno & die XXII. obtruncasset, rerum solus potitus est annos quinque, menses tres, & dies XXII. Haec ex Dione, Herodiano, & Spartiano collegi. Hoc anno factũ fuit hoc epigrãma

IMP.CAES.M.AVRELIO.ANTONINO
PIO.FEL.AVG.PARTHIC.MAX
BRITT.MAX.PONT.MAX.TRIB
POT.XV.COS.III.IMP.II.P.P

Annus C ∞ LXV

Primo Caracalli & Getae imperij anno duo Aspri consules fuisse memorantur a Cassiodoro, Fastis Graecis,& libro Cuspiniani. Horum alterum esse existimo, de quo mentio est in antiqua marmorea inscriptione ita

M.POMPEIO.M.F.ANI.ASPRO
7.LEG.XV.APOLLINAR.7.COH.III.PR
PRIMOP.LEG.III.CYREN.PRAEF.CASTR
LEG.XX.VICTR
ATIMETVS.LIBERTVS.PVLLARIVS
FECIT.ET.SIBI.ET....

Hoc anno ut ex Dione intelligitur, Geta Imp. a fratre Antonino occisus est V.Kal.Martij, annum agens XXII. mensemque IX. atque in Septizonio sepultus est

Annus

Annus C ∞ LXVI

Antoninus Augustus IIII. & Balbinus II. consules comparantur in hunc annum a Cassiodoro, libro Cuspiniani, & Fastis Graecis. Cuius consulatus mentio est in antiqua marmorea basi ita

GENIO.SANCTO
M.AVRELIVS.CL.POMPEIANVS
MIL.LEG.VIII.ANTONINIANAE
AVG.P.F.COS.K.IANVAR.IMP
D.N.ANTONINO.AVG.IIII.ET.BAL
BINO.II.COS

Hic Balbinus eius Balbini forte nepos est, qui sub Hadriano cos. fuit, eiusque D. Balbini, qui post imperauit frater. Tribuniciae quoque potestatis huius anni hic extat nummus M.AVRELIVS.ANTONINVS AVG.PIVS.P.M.TR.P.XVI.IMP.II.COS.IIII.P.P item IMP.CAES.M.AVREL.ANTONINVS.PIVS.AVG.BRIT.P.M.TR.P.XVI.IMP.II.CoS.IIII

Ceterum M.Antonium Gordianum qui post imperauit in Africa, hoc anno cõsulem suffectum fuisse in eius vita docet Iulius Capitolinus, qui tradit eũ primum consulatũ iniisse cũ Caracallo, secundum cum Alexandro: suffectus autem in vtroque fuit. Heluij quoque Pertinacis consulis suffecti & a Caracallo occisi meminit Spartianus in eius vita.

Annus C ∞ LXVII

Messallam & Sabinum consules referunt liber Cuspiniani, Cassiodorus, & Fasti Graeci. Silij Messallae consulis meminit Dio in Iuliano, & Alagabalo. Q. Aquillij Sabini antiquus tubulus. Cuius inscriptionem in secundo huius Sabini consulatu afferam. De tribunicia uero potestate Caracalli hi nummi extant

ANTONINVS.PIVS.AVG.GERM.P.M.TR.P.XVII.COS.IIII.P.P. Item M.AVRELIVS.ANTONINVS.PIVS.AVG.GERM.P.M.TR.P.XVII.COS.IIII.IMP.III.P.P

Annus C ∞ LXVIII

Laetus & Cerealis postea consules fuerunt ijsdem auctoribus. Aimilij Laeti, & Anicij Cerealis meminerũt Dio, Spartianus in Caracallo, & alij. Quorum etiam extat mentio in hac antiqua inscriptione

TERENTIAE.FLAVOLAE.V.V.MAX
TI.IVLIVS.BALBILLVS
SAC.SOLIS.OB.PLVRA.EIVS.IN.SE.MERITA
D.D.PRID.NON.APRIL
LAETO.II.ET.CEREALE.COS

Tribuniciae uero potestatis eiusmodi nummum uidi

IMP.CAES.M.AVR.ANTONIN.GERM.P.M.TR.P.XVIII.COS.IIII.IMP.III.P.P

Annus C ∞ LXIX

Sabinus II. & Anullinus consules comparantur a libro Cuspiniani, & Fastis Graecis. Cassiodorus pro Anullino, Venustũ edit nõ sine errore, quod ex hoc antiquo tubulo plumbeo liquet

Q.AQVILLIO.SABINO.II. COS CASTR-PRAET.L.VRVAS.OFF.PED.CCCCLXXXIII
SEX.AVR.ANVLLINO AQVA.MARC

Annus C ∞ LXX

Damasus in vita S. Zephyrini papae, Cassiodorus, Fasti Graeci, & liber Cuspiniani, consules in hũc annum comparant Praesentem & Extricatum. Bruttij Praesentis superius saepe mentionem fieri uidimus. Hoc anno eiusmodi extat Antonini nummus

IMP.CAES.M.AVREL.ANTONINVS.P.F.AVG.P.M.TR.P.XIX.COS.IIII.P.P.IMP.III

Eodem anno (ut Dio, & Aelius Spartianus tradunt) Antoninus Caracallus in Mesopotamia inter Edessam, & Carras die natalis sui, idest VI. Idus Aprilis, insidijs Macrini praef. praetorio interfectus est, quum uixisset annis XXIX. imperassetque annos sex, menses II. dies V. ut tradit Dio. Eo occiso fuit interregnum dierum quattuor, dum milites bonum quaererent imperatorem, vellentque altero ex praefectis praetorio Audentio summam rerum tradere, qui senium & malam valetudinem excusans, effecit ut Macrinum alterum praefectum praetorio Imperatorem statim crearint: ita Herodianus libro V. *De Macrino Imperatore*

M. Opelius Macrinus natione Maurus, ex urbe Caesarea Sitifi obscuris parentibus natus, uirtutis ergo per omnium militarium ordinum gradus ascendens, postremo praefectus praetorio a Caracallo factus est. Quo eius insidijs occiso, his potissimum tribunis adiuuantibus qui insidiarum conscij fuerant, quatriduo post Caracalli mortem idest III. Idus Aprilis Imp. & Augustus acclamatus est ab exercitu, qui filio Diadumeno Antonini nomine indito eoque Caesare appellato Romanum suscepit imperium, cui etiam absenti a senatu cuncta principibus solita decreta sunt, vt ex his antiquis nummis intelligi potest.

IMP.CAES.M.OPEL.SEV.MACRINVS.AVG. Item M.OPEL.SEV.MACRINVS.AVG.PONTIF.MAX.TR.P.COS.P.P S. C

DIVA

Filij uero, qui Caesar creatus pro Diadumeno, Antoninus Diadumenianus uocitari coeptus est, hic nummus extat M.OPEL.ANTONINVS.DIADVMENIANVS.CAES

Et Iulius Capitolinus in Macrino: Lectis in Senatu litteris Opelij Macrini, ipsum Senatus libertatem publicam curaturum sperans, primum in patricios allegit nouum hominem, & qui paulo ante procurator priuatae rei fuisset. Eundem quum scriba pontificum esset, quos hodie pontifices minores uocant, pontificem maximũ appellauit, Pij nomine decreto; ei quoque & proconsulare imperium, & potestatem tribuniciam detulerunt. Filium sane suum, quum ipse Felicis nomen recepisset, ut suspicionem occisi à se Antonini remoueret Antoninum uocauit, Diadumenum antea dictum. De quo in eiusmodi inscriptione mentio est, ita

M. OPELI . ANTONINI
DIADVMENIANI . CAES
PRINCIPIS.IVVENTVTIS
C. PERPENNIANVS.V.C
PRAEF. VRB. D. D

De Cos. suffectis

Hoc anno ex Kal. Maij, quae & ipse solemnes ineundo consulatui erant; Macrinum II. cum filio Diadumeno consules factos fuisse ex his quae afferam, & hoc nummo liquet IMP . CAES . M . OPEL . SEV . MACRIN . AVG . COS . II

Annus C ꝏ LXXI

Antoninus II. & Aduentus consules hoc anno memorãtur a Damaso in vita S. Callisti Papae, Casiodoro, Fastis Graecis, & libro Cuspiniani. Is est M. Opelius Antoninus Diadumenianus Caesar Macrini Augusti filius, qui superiore anno primum cos. cum patre II. fuit. Cuius hunc nummum extare uidi. M.OPEL.SEV.MACRIN.AVG.TR.P.II.COS.II.P.P

De Antonino Alagabalo Imp. & Macrini filijque Diadumeni caede

Maesa Iuliae Augustae soror, quae Seuero nupserat, duas filias habuit Soemiadem & Mammaeam; ex ijsque nepotes duos masculos, harum altera Varo Marcello nupserat, altera Genesio Marciano Syris hominibus. Eutychianus autem quidam Antonini Caracalli libertus, non ignarus odij quod milites in Macrinum conceperant, res nouas moliri coepit, alterumque ex Maese nepotibus Lupum Imperatorem creare constituit in Syria. Finxit igitur eum esse Antonini Caracalli filium, illumque ab auia & matre clam ablatum, io castra quae Romani in Phoenice habebant nocte intulit. Et XVI. Kalend. Iunij prima luce militibus quaerentibus studiose occasionem rebellandi, persuasit ut ab Imperatore deficerent, puerumque quem Antoninum uocauerat Augustum acclamarent. Quo facto milites statim ei imposito Antonini nomine Imperatorem designarunt, bellumque duce Eutychiano qui & Comazon dictus est Macrino Antiochiae moranti intulerunt. Qui hoc anno, VII. Idus Iunij, qui in posterum dies natalis imperij obseruatus fuit, proelio victus, fugiens incognitus Romamque versus tendens, quum Chalcedone venisset, a satellitibus Antonini qui eum persequebantur agnitus & captus, interfectus est circa Kal. Iulias, quo tempore & eius filius Diadumenus Alagabali & Comazonis iussu occisus fuerat. Imperauit autem Macrinus, vsque ad pugnae qua victus est tempus, annum vnũ menses duos, diebus tribus minus, vixit autem annos LIIII. Diadumenus uero XVI. Haec ex Dione, Herodiano, Iulio Capitolino, & Aelio Lampridio

De consulibus suffectis

Ex antiquis inscriptionibus & nummis intelligitur hoc ipso anno Antoninum Alagabalum, (quod cognomen a sacerdotio dei Solis, quem Phoenices Alagabalum vocant) traxit, cum Comazone consules suffectos fuisse. Nam Senatus audita Macrini caede, Antonlnique victoria ei cuncta principibus Romanis solita decreuerat. Ita Aelius Lampridius. Subijcit Dio: Antoninus tres tantummodo nonos, menses nouem, & dies quattuor principatum tenuit. Quod tempus ego numero ex quo proelio facto omnem potentiã adeptus est, & Eutychianus qui κωμάζων dictus est (idque nomen ei ex histrionum & scurili ioco fuit) praeesse coepit praetorianis cohortibus, quum aote in nulla praefectura praeterquam exercitus cognitus fuisset, deinde non semel tantum, sed iterum ac tertium consul factus est, quod ante acciderat nemini. Est autem legendum Alagabalus non Heliogabalus quod ex vetustis his inscriptionibus liquet. De agone Capitolino hoc anno celebrato mentionẽ facit Dio, io quo

TI. IVLIO. BALBILLO
S . SOL . ALAGABALI
EVDAEMON . LIB
PATRONO . OPTIMO

AQVILA . SOLI
ALAGABALO
IVLIVS.BALBILLVS

Aelix athleta primus omnium Romae lucta & pancratio vicit, ut idem tradit in Alagabali vita

Annus C ꝏ LXXII

Antoninus II. & Sacerdos consules in hunc annum comparãtur a Casiodoro, Fastis Graecis, & libro Cusp. Is est Antoninus Alagabalus Imp. II. quod ex sequentibus inscriptionibus cognosci poterit

Annus

Annus C ∞ LXXIII

Antoninus IIII. & Comazon deinde consules fuerunt ut Cassiodorus, & reliqui duo tradunt. Comazon est M. Aurelius (Caracalli enim libertus fuit) Eutychianus, qui sub Alagabalo III. cos. fuit. Nummus Alagabali IMP.CAES.M.AVREL.ANTONINVS.P.F.AVG.P.M.TR.P.III.COS.III.P.P

Annus C ∞ LXXIIII

Gratum & Seleucum consules deinde ijdem auctores subijciunt. Claudij Seleuci meminit Dio. Ceterum Alagabali hic nūmus extat hoc anno cusus IMP. CAES. M. AVREL. ANTONINVS.PIVS.AVG.P.M.TR.P.IIII.COS.III.P.P Hoc anno die natalis imperij sui, id est vt t. Idus Iuni, Alagabalus patruelem Alexandrum Mammaeae filium adoptauit, Caesaremque auiae Iuliae Maesae suasu appellauit. Dio, Herodianus, & Lampridius auctores

Annus C ∞ LXXV

Antoninus IIII. & Alexander consules deinde fuerunt testibus Damaso in uita S. Callisti papae, libro Cuspiniani, & Fastis Graecis; quos Alexandrum & Augustum uocat Cassiodorus. Huius consulatus mentio est apud Herodianum, & Lampridium, & in antiquis inscriptionibus ita

SERAPI.SACR
IMP.CAES.M.AVREL
ANTONINVS AVG
PIVS.FELIX.COS.IIII
P.P
a tergo
DEDIC.ID
APR.IMP
CAES.ANT
PIO.IIII.ET
M.AVR.ALE
XANDRO
CoS

COLLOCATA.V.IDVS.MART
IMP.CAES.M.AVRELIO.ANTONINO
PIO.FELICE.AVG.IIII.ET CoS
M.AVR.ALEXANDRO.NOBILISSIMO.CAES
item
L.AVRELIO.L.F.PAP.FAVORI
VETERAN.LEG.III.PARTHIC.P.F
ET.A.LOCIS.AEGRIS.CVST
LEG.EIVSDEM ....
L.AVRELIVS.STEPHANVS
PATRONO.SANCTISSIMO
ARA.POS.K.IAN.
M.AVRELIO.ANTONINO.AVG.IIII CoS
ET.AVR.ALEXANDRO.CAES
IN.FR.P.III.A.RET.PED.III.S

Item

HERCVLI. INVICTO
PRO.SALVTE.D.D.N.N.IMP.CAES
M.AVR.ANTONINI.P.F.AVG.ET
M.AVR.ALEXANDRI.NOBILISSIMI.CAES.TOTIVS.Q.DOMVS
DIVINAE.EORVM.COH.X.PR.P.V.ANT.7.MARCIANI
MASCVLINVS.VALENS.B.F.PR.D.R.FEMININA
ET.AVR.FABIANVS.SIGNIFER.ET
VAL.FIRMINVS.OPTIO.7.QVOD
PROFICISCENTES.EXPEDICTIONIBVS
SACRIS.VOVERANT.REGRESSI
CVM.COM MANIPVLIS.LIBENTES
VOTVM.SOLVERVNT

Hoc anno VI. idus Martij, ut tradit Dio, Alagabalus cum matre Iulia Soemiade tumultu militari occisus est, atque in Tiberim proiectus, aetatis anno XVIII. Dio, Herodianus, Lampridius, & Iulius Capitolinus.

De Alexandro Imperatore

Occiso Alagabalo XXVII. post Caesarem dictatorem Romanum imperium suscepit M. Aurelius Seuerus Alexander eius consobrinus, a quo diu ante Caesar appellatus fuerat. Cuius rei ita meminit in eius vita Lampridius: Interfecto Vario Alagabalo Aurelius Alexander vrbe Arcena genitus, Varii filius, Maesae Variae nepos, & cōsobrinus ipsius Alagabali accepit imperiū, quū ante Caesar a senatu esset appellatus, Augustique nomen recepit, addito ut & patris patriae nomen, & ius proconsulare, & tribuniciam potestatem, & ius quintae relationis deferente senatu uno die assumeret. Certatimque omnia decreta sunt, & nominum genera & potestatum. Primus denique omnium cuncta insignia, & honorificentiae genera simul recepit suffragante sibi met Caesaris nomine, quod ante meruerat: ita ille. Eadem afferunt Dio, & Herodianus

Annus C ∞ LXXVI

Damasus in vita S. Vrbani Papae, & reliqui consules in hunc annum comparant Maximum & ... Ae-

Aelianum. Papirij Aeliani superius mentionem fieri vidimus. Alexandri vero uetus haec extat inscriptio hoc anno (ut opinor) facta, & hic nũmus IMP. C.M.AVR. SEV. ALEXAND.AVG.P.M TR.P.CoS

IMP. CAES.M. AVRELIVS. SEVERVS
ALEX. AVG. PONT. MAX. TR. POT
COS. PATER. PATRIAE

Annus C ∞ LXXVII

Iulianus & Crispinus consules deinde fuerunt libro Cuspiniani, Casiodoro, & Fastis Graecis auctoribus. Claudij Iuliani meminit Spartianus in Alexandro, Crispini vero viri consularis Herodianus LVIII. historiarum, qui cum Menophilo a senatu Aquileiam missus est contra Maximinum. Hanc veterem Alexandri inscriptionem aliquando collegi

IMP. CAESAR. DIVI
ANTONINI. PII. FIL
DIVI. SEVERI
NEPOS. M. AVRELI
VS. SEVERVS. ALE
XANDER. PIVS
FELIX. AVG.
PONTIF. MAX.
TRIB. POT. III. COS
P. P. RESTITVIT

Annus C ∞ LXXVIII

Fuscus & Dexter consules hoc anno comparantur a Casiodoro, Fuscianus & Dexter a Fastis Graecis; Faustinus & Maximus a libro Cusp. Rei huius veritas ex hoc antiquo epigrámate erui potest, quod est Tibure Alexandri quoq; eiusmodi extat nũmus IMP. C. M. AVR. SEV. ALEXAND AVG.P.M.TR.P.IIII.COS.P.P

HERCVLI. SAXANO. SACRVM
SER. SVLPICIVS. TROPHIMVS
AEDEM. ZOTHECAM. CVLINAM
PECVNIA. SVA. A. SOLO. RESTITVIT
IDEMQ. DEDICAVIT. K. DECEMB
L.TVRPILIO.DEXTRO.M.MAECIO.RVFO.CoS
EVTYCHVS.SER.PERAGENDVM.CVRAVIT

Annus C ∞ LXXIX

Alexandrum Aug. II. & Marcellum consules suggerunt Casiodorus, & Fasti Graeci. Liber vero Cuspiniani cum Alexandro II. Dextrum edit. C.Quinctilij Marcelli Alexandro Imp. gratissimi meminit Lampridius in Alexandro. Qui hoc anno ut ex Censorino paulo post intelligi poterit, agonem Capitolinum XXXVI. celebrauit

Annus C ∞ XXC

Balbinus & Maximus II. cos. suggeruntur a Fastis Graecis; Albinus, & Maximus a Casiodoro; Albinianus & Maximus a libro Cuspiniani. Hos esse existimo Balbinum II. & Maximum qui postea una imperatores creati sunt contra Maximinum; quorum Balbinus II. Maximus uero semel consul fuisse dicitur a Iulio Capitolino, & Herodiano libro VIII. At de his latius paulo post. Alexandri Imp. hunc nummum hoc anno cusum uidi: IMP. C. ALEXANDER AVG.P.M.TR.P.VI.CoS.II.P.P

Annus C ∞ XXCI

Modestus & Probus consules deinde fuerunt ijsdem auctoribus, de quibus in antiquo epigrammate ita mentio est

SCHOLA. SPECVLATORVM. LEGIONVM. I. ET. II. ADIVTRICVM
PIARVM. FIDELIVM. SEVERIANARVM. REFECTA. PER
EOSDEM. QVORVM. NOMINA. INFRA. SCRIPTA. SVNT. DEDICANTE
FL. AELIANO. LEG. AVG. PR. PR. KAL. OCTOBRIS
MODESTO. ET. PROBO. COS

Vettii Modesti meminit saepe in epistolis Plinius lib.I. Et huius anni hic nummus extat ALEXANDER.AVG.TR.P.VII.COS.II.P.P

Annus C ∞ XXCII

Alexander III. & Dio consules referuntur a Casiodoro, & Fastis Graecis: Liber Cuspiniani Alexandrum III. & Dionysium consules edit, ita quoque in antiqua figulina notatum est: ALEXANDRO.AVG.III. ET DIONYSIO. COS. INSVL. L. SATRI. FELIC. Huius Alexandri consulatus meminit Lampridius in Alexandro ita; Consulatum ter iniit tantum ordinarium ac primo nũdino sibi alios semper suffecit. Extat antiquus hic nummus. IMP. SEV. ALEXANDER. AVG. P.M. TR. P. VIII. COS. III. P.P. Ceterum eius collega Dio est historiae Romanae illustris scriptor, qui ab vrbe condita, ut ipse refert, ad hunc usque annum eam perduxit, in quo ipse II. cum Alexandro III. consul fuit, ut ipsemet tradit in fine operis sui. Ipse Cassius Dio appellatus fuit, cuius pater ex eius testimonio Apronianus dicebatur

Annus C ∞ XXCIII

Agricola & Clementinus consules suggeruntur a libro Cuspiniani, & Damaso Papa in vita S. Papae Vrbani. Pro Clementino, Clementem edunt Fasti Graeci: Casiodorus inepte alios consules profitetur. Calpurnij Agricolae meminit in Marco Iulius Capitolinus. Et huius anni hic nummus extat: IMP. ALEXANDER.AVG.P.M.TR.P.VIIII.COS.III.P.P

Annus

Annus C ∞ XXCIIII

Pompeianum & Felicianum consules subijcit Cassiodorus, Damasus in uita S. Pontiani papae, Fasti Graeci, & liber Cuspiniani Pompeianum, & Pelignianum edunt. Ego Felicianum magis probaui, quod eius saepius mentionem extare uiderim. Hic Pompeianus forte Marci Imp. ex filia Lucilla pronepos fuit. Hic hoc anno cusus extat nummus IMP.SEV.ALEXANDER.AVG.P.M.TR.P.X.COS.III.P.P

Annus C ∞ XXCV

Lupum & Maximum consules deinde suggerunt Cassiodorus, Fasti Graeci, & liber Cuspiniani. Iulij Lupi uiri consularis meminit Lampridius. Hoc anno festa decennalia Imp. Alexandri celebrata fuere

Annus C ∞ XXCVI

Maximus II. & Paternus consules ab ijsdem auctoribus memorantur. Oninij Paterni frequens per haec tempora mentio erit. De huius anni tribunicia potestate hunc nummum uidi IMP.C.M.AVR.SEV.ALEXANDER.AVG.P.M.TR.P.XII.COS.III.P.P

Annus C ∞ XXCVII

Maximus & Vrbanus consules postea fuere ut ijdem auctores tradunt. Ex quibus liber Cuspiniani Maximũ III. Cassiodorus II. Fasti Graeci IIII. edunt: ueritas in obscuro est per haec tempora, quibus & librorum & lapidum auxilio destitutus sum. Hoc anno ut Herodianus tradit bellum a populo Romano cum Artaxerxe Persarum Rege susceptum est. Is Artabano Parthorum rege uicto, & occiso, Orientis imperium Persis restituit. Nam Parthorum deinceps imperium obliuione mandatur, Persis post haec tempora Romanis pro Parthis negocium facientibus. Eadem tradit & Dio

Annus C ∞ XXCVIII

Seuerus & Quinctianus consules memorantur a Damalo in uita Pontiani papae, & Fastis Graecis. Cassiodorus pro Quinctiano Quinctilianum edit. Seuerum ego L. Carilium Seuerum esse existimo, de quo in Alexandri uita meminit Lampridius. Quinctianum uero eius filium cuius uetus haec extat inscriptio

HERCVLI.CONSERVATORI
PRO.SALVTE
L.RAGONI.L.F.PAP.VRINATI
LARTI.QVINCTIANI.VIR.COS
SODAL.HADRIANAL.LEG.LEG
XIII.GEM.DONIS.MILIT.DONAT
AB.IMP.COMMODO.ANTONINO
AVG.PRO.COS.PROV.SARDINIAE
IVRIDIC.PER.APVLIAM.PRAEF
I.D.PRAET.AED.PL.Q.PR.AFRIC
V.VIR.AVG.EX.TESTAMENTO
M.ANTIVS.ENNIVS.SERGIANVS
AMICO.V.CVR

Hoc anno XV. Kal. Aprilis, ut ex Lampridio, & Dione intelligitur Alexander Imperator Moguntiaci in Germania tumultu militari insidijs Maximini occisus est, imperij anno XIII. die IX. ual ut ait Eutropius VIII. Aetatis uero xxix. mense xii. die vii. Cum quo & Mater Mãmaea interfecta est. Herodianus, & Lampridius huius caedis formam latissime perscribunt

De Maximino Imperatore

Post Alexandrum cum matre interfectum XV. K. Aprilis, sine senatus decreto primus ex corpore militari, nondum senator, imperium Romanum inuasit Maximinus Thrax, obscurissimis natalibus ortus, patre Micea Gotho, matre Ababa Alana, uir sanguinarius, immanis, & patrio instituto caedis auidissimus. Is ubi primum Augustus a militibus appellatus est, filium Maximinum iuniorem Caesarem fecit; Imperauit autem, ut quidam tradunt biennio, uel ut alij triennio, uel annos duos & menses sex. Visque & metu a senatu militum consensum qui se imperatorem creauerant confirmare iussit, sibique omnia imperatorum insignia, & titulos decernere uoluit. In antiquis monumentis ipse C. Iulius Maximinus, filius uero tam in nummis quàm in lapidibus aliquando C. Iulius Verus Maximus, aliquãdo Maximinus Iunior appellatur. In nummis autẽ ita legi IMP.MAXIMINVS.PIVS.AVG.GERMANICVS. & de filio C.IVLIVS.VERVS.MAXIMVS.CAESAR item MAXIMINVS.IVN.CAESAR item MAXIMVS.CAES.GERM

Annus C ∞ XXCIX

Maximus & Africanus consules in hunc annum comparantur a Damaso in uita Anteri papae, libro Cuspiniani, & Fastis Graecis. Cassiodorus uero & idem Damasus in uita S. Fabiani, Maximinum & Africanum edunt. Est enim Maximinus imp. consul cum Iulio Africano, ut ex hoc nummo liquet IMP.MAXIMINVS.PIVS.AVG.P.M.TR.P.II.COS.II.P.P

Annus C ∞ XC

Perpetuus & Cornelianus consules digeruntur a Cassiodoro; Perpetuus & Cornelius a libro

bro Cuspiniani,& Fastis Graecis. Horum consulum (ut credo) in his duobus vetustis epigrammatibus mentio est, ita

L. OVINIO . L. F. QVIR . RVSTICO
CORNELIANO . COS . DESIGN
PR. INTER. TRIBVNICIOS. ADLECTO
CVRATORI. VIAE. FLAMINIAE
LEG. LEG. VII. C L. IN. MYS. INFERIOR
CVRAT . VIAE . TIBVRTINAE
CVR. R. P. RICINENSIS
RVSTICA . OVINIA . CORNELIANA . F
PATRI . PIENTISSIMO

P . TITIO . PERPETVO . V . C
CONSVLARI. TVSCIAE. ET. VMBRIAE
OB. SINGVLARIA. EIVS. ERGA
PROVINCIALES . BENEFICIA
ET. OB . MODERATIONEM . DOCV
MENTO . ETIAM . POSTERIS
RELINQVENDAM. AETERNAM
STATVAE. MONVMENTVM
TVSCI . ET . VMBRI
PATRONO . PRAESTANTISS . CONL

De consulibus suffectis, & duobus Gordianis Impp. appellatis

Mense Maio consules suffecti memorantur hoc anno a Iulio Capitolino in Maximinis, Iulius Silanus; ab Herodiano uero Gallicanus; qui Messius Gallicanus ab eodem Capitolino appellatur. Quo mense quum Romani auaritiam, crudelitatem, & saeuitiam Maximini ferre amplius non possent ab eo defecerunt, rei initio in Africa orto; ubi Maximini procuratore homine nefario interfecto, Tysdri M. Antonius Gordianus qui iterum cos. fuerat, ex procõsule Africae, imp. appellatus est, eique uel quod in Africa creatus esset, uel quod a Scipionibus originem ducere crederetur, Africani cognomen inditum. Is statim filium Gordianum uirum consularem qui eius legatus erat, Augustum, atque etiam Africanum appellauit, ut eorum uetusta nomismata testantur ita inscripta IMP. CAES. M. ANT. GORDIAN. AFR. P. F. AVG. Et filij IMP. CAES. M ANT. GORDIANVS. AFRIC. AVG. Senior autẽ Gordianus M. Maecij Marulli, & Vlpiae Gordiane filius fuit, originem paternam ex Gracchorum gẽere trahens. Vbi autem Romae nũtiatum est eum cum filio in Africa Impp. factos, statim omnibus Maximini amicis occisis, a senatu duo Gordiani Augusti appellati sunt. Hoc autem S. C. factum fuit (ut refert Iulius Capitolinus) VI. Kal. Iunias in aede Castorum Iulio Silano cos. referẽte. Verum post eorum creationem uix men se exacto, a Capelliano Mauritaniae procuratore, Maximini studioso bellum in Africa duobus Gordianis Impp. illatum est, in quo quũ Gordianus iunior victus & occisus fuisset, senior Gordianus sibi ipse mortem consciuit, annum agens octuagesimum, finisque hic eius senis fuit, ante acta uita felicis, & in quadam principatus imagine extincti. Quo Romae audito, duo noui alii imperatores contra Maximinum ex S. C. creati sunt Maximus & Balbinus, duo uero Gordiani inter diuos relati, quum mensem & dies sex imperassent: ita Herodianus, & Capitolinus

De Maximo & Balbino imperatoribus

Rome cognita Gordianorum nece senatus trepidus, & Maximinũ suapte natura ferum, tunc uero etiam incitatum timens, in templum Iouis Capitolini frequens conuenit, ut quando semel in periculum uenerat, bellum adhuc contra Maximinum compararet, duosq; eligendos esse imperatores pari potestate decreuit. Tunc selectis qui aetate, ac dignitate ceteros anteirent de quibus suffragia ferrentur, duo ex omni numero, Maximus atque Balbinus plurimus suffragãtibus vij. Idus Iuli imperatores creati. Horum Maximus saepe exercitibus praefuerat, consulatum semel ceperat, ac tunc praefectum urbis summa cum laude gerebat. Balbinus patricij generis homo consulatu iterum gesto, multis pronunciis sine ulla querela praefuerat. Ita creati principes, & Augusti appellati ac S. C. quum omnibus imperatorijs honoribus affecti essent, supra ueteres Romanorum principum titulos, nouo patris Senatus cognomine honestati sunt, ut ex antiquis nummis liquet, sic

IMP. CAES. PVPIEN. MAXIMVS. AVG. a tergo PATRES. SENATVS. Item in alio IMP. CAES. M. CLODIVS. PVPIENVS. AVG. Item Balbini IMP. CAES. D. COELIVS BALBINVS. AVG. Ex quibus nomismatibus illud quoq; quod Iulium Capitolinũ maxime torsit intelligitur, eundem qui Maximus à Graecis dicitur, Pupienum esse à Latinis appellatum, eaque duo unius M. Clodij cognomine fuisse. Creatus quoque cum ipsis Caesar fuit adulescentulus Gordianus Gordiani maioris ex filia nepos, Gordianorum amicis ac necessarijs suggerentibus. Imperatores autem & Augusti appellati imperauerunt annum plus minus vnum. Nam anno sequenti circa Kal. Iulias a praetorianis interfecti fuerunt. Haec ex Herodiano Graeco illorum temporum scriptore, & Iulio Capitolino concinnaui

De consulibus alijs suffectis, & caede Maximinorum

Claudij Iuliani, & Celsi Aeliani consulum in huius anni parte suffectorum, circa initia imperij Maximi & Balbini mentio est in epistola eiusdem Claudij Iuliani gratulatoria Maximo & Balbino

Balbino ob imperium, quam in eorum uita refert Iulius Capitolinus. Ceterum ex duobus imperatoribus Balbinus Romae remansit, Maximus rei militaris peritissimus ad bellum contra Maximinum profectus, Rauennam usque peruenit. Nam Maximinus adhuc in Pannonia agens quae in Africa primum, deinde in Italia gesta erāt, cognouerat. Quae quum audiisset, profectione in Italiam edicta, Aquileiam vsque cum Germanico Pannonicoque exercitu peruenerat, quae senatus populique Romani nomine a Crispino, & Menophilo uiris consularibus tenebatur. Aquileienses autem in senatus fide permanentes, Maximino portas occluserant, in cuius obsidione quum diu mansisset, irati milites Pannonii se pro eo decertare, contra quem totus orbis Romanus conspirasset, illum cum filio hoc anno circa Kal. Octobris interemerunt, Maximiq; & Balbini ac Gordiani Caesaris imagines ac signa suscepere, senatusq; & Populi Romani fidem auctoritatemque sequuti sunt. Maximinus senior uixit anos LXV. filius uero XXI. Ita Herodianus, Capitolinus, & ceteri *Annus* CIↃ XCI

Vlpium & Pontianum consules in hunc annum comparant Censorinus in libro de die natali, & Fasti Graeci; Pium & Pontianū liber Cuspiniani. Cassiodorus vero Pium & Proculum. Quare alterum ex his esse existimo M. Vlpium Crinitum de genere Traiani Imperatoris, qui post II consul fuit sub Valeriano imperatore, ut tradit Trebellius Pollio. Alter vero est Proculus Pontianus. Hoc anno ludis Capitolinis ut Herodianus & Capitolinus tradunt, circa Kal. Iulii Maximus & Balbinus Imperatores tumultu militari a praetorianis caesi sunt. Puerq; Gordianus qui anno superiore Caesar appellatus fuerat, quum esset annorum ferme XIII. a militibus & senatu Augustus appellatus, ceterisque imperatoriis nominibus auctus, Romanum suscepit imperiū. Ita Herodianus & Capitolinus. Hoc autem circa K. Iulias factū fuisse ex eo conieci, quod constitutiones his consulibus Gordiani Imperatoris in codice. II. IX. II. extant, mense Iunio, idest X. Kal. Iulii datae. Quo etiam tempore agon Capitolinus celebrabatur, quod dum ageretur duo imperatores interfecti sunt. De qua re ita scribit Herodianus: Quum itaque ludi Capitolini celebrarentur, deditis festo ac spectaculis omnium mentibus, repente dissimulatum diu sensum milites indicarunt, Namque ira instincti, ac vesano quodam motu unanimiter ad regiam concurrentes, senes principes ad necem deposcebant. Qui impetu in aulam facto, senem utrunque correptos, atq; ex aula abstractos, nulloq; non ludibrio prius affectos, media uia contrucidarūt. Hoc uero anno agonem Capitolinum celebratum esse, ipsumq; XXXIX. a primo a Domitiano instituto fuisse docet his verbis Censorinus. Itaq; hoc nunc anno Vlpio & Pontiano cos. qui celebratus est agon, vnus de quadraginta numeratur, a primo quem Domitianus instituit suo XII. & Ser. Cornelij Dolabellae consulatu. Quae quum ita sint, satis intelligi potest, a Domitiani tempore annorum seriem ad hunc usque annum accuratissime fuisse descriptam, quum agonū quaterniones a primo ad eum qui hoc anno celebratus fuit, ad amussim respondeant. Idem quoque Censorinus in libello de die natali hunc annum indicem & metam statuit computationis diuersorum annorum, temporum, & aetatum, quae omnia ut ab ipso referuntur, his meis Fastis quam maxime quadrant, ita ut in aliquo nulla sit haesitatio: Ita enim scribit: Hic annus cuius velut index & titulus quidam est Vlpii & Pontiani consulatus, secundum Varronis rationem ab olympiade prima ooest & XIIII. ex diebus duntaxat aestiuis, quibus agon olympicus celebratur. A Roma autem condita DCCCCXCI. & quidem ex Parilibus, unde anni vrbis numerantur. Eorum annorum quibus Iulianis nomen est CCLXXXIII. ex Kal. Ianuarii unde Iulius Caesar anni a se constituti fecit principium, isque annus consurgit ex IIII. Caesaris consulatu. At eorum qui vocantur anni Augustani CCLXV. perinde Kal. Ianuarii Augusto VII & Agrippa III. cos. Sed Aegyptii quod biennio ante in potestatem ditionemque P. R. uenerunt habent annum Augustanum CCLXVIII. Annorum uero quos Nabonagarii nominant, quod a primo eius imperii anno consurgunt, annum agunt DCCCCXXCVI. Eorum qui ab excessu Alexandri Magni numerantur, annus DLXII. Sed horum initia a die primo mensis eius sumuntur cui apud Aegyptios nomē est Tohoth, qui hoc anno fuit ante diem VII. Kal. Iulii. At vero ante centū annos Pio II & Bruttio Praesente cos. fuit XII. K. Augusti. Quo tempore solet canicula in Aegypto facere exortum. Haec Censorinus. Quae omnia meae annorū rationi in his Fastis digestae ita hactenus respondēt, ut ne in die quidem aliqua discrepantia sit. Idemq; ut facerē me in posterioribus annis laborasse, singillatim pro ut occasio se se offeret, demōstrabo *Annus* CIↃ XCII

Gordianus & Auiola consules hoc anno digeruntur a Fastis Graecis, libro Cuspiniani, & Cassiodoro. Gordiani Augusti collega est M'. Acilius Auiola, de quo Iulius Capitolinus mentionem facit. Ceterum hoc anno (ut puto) Gordiano eiusmodi basis cum statua dedicata est

IMP . CAESARI
M. ANTONIO. GORDIANO
PIO . FELICI . INVICTO
AVGVSTO
PONTIF . MAX . TRIB . POT . II
COS . PRO . COS . P . P
NVMISIVS . QVINCTIANVS . V . P
AB . EPISTOLIS . LATINIS
DEVOTVS . NVMINI
MAIESTATIQVE . EIVS

Ii *Annus*

Annus C∞ XCIII

Sabinus & Venustus consules deinde fuerunt iisdem auctoribus. Quorum etiam Capitolinus in Gordiano meminit, qui in Maximo & Balbino Vettii Sabini ex familia Vlpiorum clarissimi ciuis mentionem facit. Hunc consulatum etiam in duabus antiquis basibus ita exaratum inueni

CAMPIAE . SEVERINAE . V . V . MAX
DEDIC . III . IDVS . MAIAS
SABINO . II . ET . VENVSTO . CoS

DEDIC . VIII . IDVS . SEPT
SABINO . II . ET . VENVSTO CoS

Gordiani uero haec antiqua inscriptio adhuc extat.

Annus C∞ XCIIII

Iulius Capitolinus in Gordiano, Cassiodorus, Fasti Graeci, & Liber Cuspiniani cos. memorant Gordianum Aug. II & Pompeianum. Hunc Pompeianũ esse existimo ex genere M Aurelii Antonini Imp. atque M. Aurelium Claudium Pompeianum uocatum. Gordiani uero hunc nummum uidi IMP. CAES. GORDIANVS. P. F. AVG. P. M. TR. P. IIII COS. II. P. P

IMP . CAESARI
M . ANTONIO
GORDIANO . PIO
FEL . AVG . PONT
MAX . TRIB . POT . III
COS . P . P . OPTIMO
FORTISSIMO . Q . PRINCIPI
COL . VEN . LENIA . AVG
ALEXANDRIA . ANT
APELLINATIVM

Annus C∞ XCV

Atticus & Praetextatus consules in hunc annum ab iisdem auctoribus comparantur. De quibus in duobus antiquis epigrammatibus mentionem fieri inueni. Quorum alterius in aenea tabula exarati mihi copiã fecit Frãciscus Diaz ciuis Romanus suauissimi ingenii & egregie indolis iuuenis, Romanarumq; antiquitatũ studiosissimi; a quo praeterea multorum nomismatum lapidumq; vetustorum inscriptionibus, quas summo studio, accuratissimeq; vndique collegit mirum in modum subleuatus sum, ita vt inter eos quibus praecipue huius laboris partem acceptam refero, vnus neque in postremis sit. Epigrammata autem eiusmodi sunt

CLOELIAE . CLAVDIANE
V . V . MAX
RELIGIOSISSIMAE . BENIGNISSIMAE . QVE . CVIVS . RITVS . ET . PLENAM .
SACRORVM . ERGA . DEOS
ADMINISTRATIONEM
VRBIS . AETERNAE . LAVDIBVS
S . S . COMPROBAT . OCTAVIA
HONORATA . V . V . DIVINIS
EIVS . ADMONITIONIBVS
SEMPER . PROVOCATA
COLLOCATA . XII . KAL . APRIL
C . AVFIDIO . ATTICO
C . ASINIO . PRETEXTATO CoS

C . VETTIO . ATTICO . ET
C . ASINIO . PRAETEXTATO COS
PR . IDVS . APRIL
PELTVINI . VESTINIS . IN . CVRIA . AVG . ORDINEM . HABENTIBVS . T . AVIDI
ACCO . RESTITVTO . ET . T . BLAESIO . NATALE . AEDD . QQ . SCRIBVNDO . AD
FVERVNT . QVOD . VNIVERSI . VERBA . FECERVNT

Annus C∞ XCVI

Arrianum & Papum consules deinde fuerunt Iulio Capitolino, Cassiodoro, Fastis Graecis, & libro Cuspiniani auctoribus. C. Iulij Arriani mẽtio est in vetusta inscriptione superius prolata. Gordiani vero hic nummus extat IMP. C. M. ANT. GORDIANVS P. F. AVGVSTVS. P. M. TR. P. V. COS. II. P. P. Horum consulum nomina in antiqua basi exarata fuisse ita inueni Romae ad S. Vitum in Macello Liuiae

FL . EVRYCLES
EPITYNCANVS . V . C
PRAEF . VRB
CONDITOR . HVIVS
FORI
COLL . X . KAL . FEBR
ARRIANO . ET . PAPO CoS

Annus C∞ XCVII

Peregrinus & Aemilianus nouissimo Gordiani Imp. anno cos. fuerũt, Cassiodoro, Fastis Graecis, & libro Cuspiniani testibus. Fuluij Aemiliani superius mentionem fieri uidimus. Hoc anno mense Martio Gordianus Imp. cuius felicibus incrementis facile nomen Persicum deleri poterat, insidiis circunuentus impie & nefarie a Philippo praefecto praetorio in Persidis finibus interfectus est. De mense, ex eo liquet, quod his consulibus in codice III. XLII. VI. Idibus Martii constitutiones datae a Philippo Imperatore extant. Imperauit Gordianus, ut Capitolinus scribit, annos VI. vel potius annos V. & menses VIII

De

De Philippo Imperatore

Romae audita Gordiani morte, Senatus Marcum quendam Imp. creauit, quo paulo post mortuo, in eius locum statim lectus Seuerus Hostilianus, qui quum repente incidisset in morbum, paulo post occubuit. Interea litterae Philippi afferuntur queis militum consensus nuntiabatur, quare senatus Philippum Augustum appellauit, Gordianum uero adolescentem inter diuos rettulit. Is M. Iulius Philippus dicebatur natione Arabs ex Colonia Vostra patre, latronum duce ortus, qui post Misithaei praefecti praetorio, & Gordiani soceri mortem, praefectus praetorio ipse factus, ingratus Gordiano primum abrogauit imperium, deinde ipsum occidit. Quum uero Augustus ipse ab exercitu appellatus esset, filium Gallum Iulium Saturninum, M. Iulium Philippum Caesarem nominauit, atque una imperarunt annos plus minus V. Haec ex Capitolino in Gordiano, Victore, Eutropio, Orosio, & Zonara decerpsi

Annus C ∞ XCVIII

Philippus Augustus & Titianus consules deinde suggeruntur a Cassiodoro, libro Cuspiniani, & Fastis Graecis. Ti. Fabii Titiani horum temporum consularis mentio est in antiqua marmorea inscriptione, quam paulo post afferam. Philippi Augusti hic nummus extat. IMP. PHILIPPVS. AVG. P. M. TR. P. II. COS. P. P

Annus C∞ XCIX

Praesens & Albinus ab iisdem auctoribus consules in hunc annum comparantur. Bruttij Praesentis, & Nummij Albini saepius superius mentionem fieri uidimus, ut horum consulum patres uel aui fuerint

Annus ∞

Duo Philippi pater Augustus & filius Caesar, consules memorantur ab iisdem Fastorum cõsularium auctoribus. Quod etiam ex his antiquis nummis liquet IMP. M. IVL. PHILIPPVS. AVG. COS. II. Item Philippi iuuenis M. IVLIVS. PHILIPPVS CAESAR. AVG. F. COS. PRINC. IVVENTVT. Qui hoc anno Augustus a patre appellatus est, quod ex nummis sequentis anni intelligi poterit

Annus ∞ I

Philippus Augustus senior III. & Philippus Augustus iunior II. consules hoc anno iisdem auctoribus fuerunt. In quo millesimo vrbis anno finito, mense Martio die natali imperii Philippi Augusti, ludi saeculares noni celebrati sunt, quod tam ex Iulio Capitolino in Gordiani uita, quam ex antiquis hisce Philipporum nummis intelligitur IMP. CAES. M. IVL. PHILIPPVS. AVG. P. M. TR. P. IIII COS. III. P. P. Item. IMP. CAES. PHILIPPVS. AVG. COS III. AVGG. SAECVLARES. Item in alio PHILIPPVS. AVG. COS III. AETERNITAS. AVGG. in alterius tergo MILLENARIVM. SAECVLVM. Filij uero IMP. M. IVLIVS. PHILIPPVS. COS. II. SACR. SAECVL. In alio SAECVLARES. AVGG. In alio MARCIA. OTACIL. SEVERA. AVG. a tergo III. ET. II. COS. PIETAS. AVGG. Verum de his ludis latius in libro quem de eorum origine conscripsi, disputaui. Placet autẽ in antiquariorum gratiam & hanc inscriptionem subijcere

PRAESENTIAE
MATRIS. DEVM
P. SEPTIMIVS
FELIX
OB. CORONAM
MILLESIMI
VRBIS. ANNI
DEDICATA
III. NON. IAN
AEMILIANO. II. AQVILINO. CoS
P. SERGIO. MAXIMO
M. LOLLIO. SABINIANO
II. VIR. Q. Q
CVRA. AGENTE
VERENTIO. IANVARIO. LIB. ARK

Annus ∞ II

Aemilianus II. & Aquilinus consules ab iisdem auctoribus referuntur. Quorum alter Fuluius Aemilianus II. cos. est, alter uero Vettius Aquilinus, quemadmodum ex hac antiqua inscriptione intelligi potest

SACRVM
RESTITVTAE. POST. ANTIQVISSIMAM. VETVSTATEM
ORDO. VEIENTIVM

Philippi nummus IMP. CAES. PHILIPPVS. AVG. P. M. TR. P. V. CoS III. P. P

Hoc anno quum Decius in Pannonia imperium contra Philippum inuasisset, ipseq; bello comparato contra Decium pergeret, Veronae a Decii satellitibus interfectus est imperii anno sexto, uel ut alii quincto, post cuius caedem etiam Philippus iunior Romae a praetorianis interfectus est: ita Sex. Aurelius Victor, Eutropius, Orosius, Zonaras, & alii. Hũc Eusebius primũ Christianũ ex Imperatoribus Romanis tradit fuisse, cuius testimonio Philippi in primis mores & perfidia si-

dem facile abrogare possunt. Ambo tamen Philippi pater & filius a senatu inter diuos relati ab Eutropio traduntur

De Decio Imp

Philippis utrisque de medio sublatis IXXXVI. post Caesarem dictatorem rerum summae praefuit Cn. Messius Quinctus Traianus Decius (ita enim in antiquis nummis descriptus est) uir consularis nobilissimis parentibus Bubalia inferioris Pannoniae vrbe ortus. Qui a Philippo ad comprimendas Mpesiacas rebelliones missus, ut primum prouinciam attigit imperator & Augustus omnium consensu appellatus est. Quo facto Philippis caesis, Romam quum ue nisset, filios vel ut aliis placet filium & generum Caesares renuntiauit. Imperauer untque una annos duos, & menses diesque aliquot. Eutropius, Victor, & Zonaras

Annus ∞ III

Decius Aug. II. & Gratus consules memorantur a libro Cuspiniani. Cassiodorus iterati honoris notam in Decio praeteriit, Fasti Graeci pro Grato Gratianum edunt. Eorundem consulum meminit & Damasus in vita S. Fabiani Papae

Annus ∞ IIII

Damasus in vita S. Cornelii Papae, Fasti Graeci, & Liber Cuspiniani cos. edunt Deciũ Augustum III. & Decium Caesarem Augusti filium, Cassiodorus Decium II. & Rusticum mendose pro Etrusco, nam Decius iunior Etruscus quoque appellatus est, ut ex his vetustis nummorum inscriptionibus liquet. Nummi Decii patris ΓN. MEC. KY. TPAIANOC. ΔEKIOC. CEBACT. Item IMP. C. M. Q. TRAIANVS. DECIVS. AVG. Item AVT. K. ΓN. KY. TPA ΔEKIOC. CEB. Item IMP. CAES. MESS. Q. DECIO. TRAI. AVG. Decii filii. Q. HER. ETR MES. DECIVS. NOB. CAES. Item Q. HER. HOST. ETRVSC. MESSIVS. TRAIANVS NOB. CAESAR. Item Q. HER. HOST. ETRVSC. MESSIVS. TRAIANVS. NOB CAESAR. Extant alterius cuiusdam primum Caesaris, deinde Augusti nummi, & inscriptiones ita C. VALENS. HOSTIL. MES. QVINT. ET. AVG. Item IMP. CAES. CN HOSTILIVS. MES. QVINTVS. ETRVSCVS. Item C. VALENS. HOSTIL. MES. QVINTVS. AVG. & in antiquis lapidibus in Hispania Valentiae

HERENNIAE. SALLVSTIAE. BARBIAE. ORBIANAE. AVG. CONIVGI. D. N. AVG
VALENTINI. VETERANI. ET. VETERES

Item

Q. HERENNIO. ETRVSCO. MESSIO. DECIO. NOBILISSIMO. CAESARI. PRINCIPI. IVVENTVTIS
VALENTINI. VETERANI. ET. VETERES

Item

C. VALENTI. HOSTILIANO. MESSIO. QVINTO. NOBILISSIMO. CAESARI. PRINC
IVVENTVTIS. VALENTINI. VETERANI. ET. VETERES

Quum autem ex omnibus auctoribus constet Decium Imp. unum tantum filium habuisse Decium Caesarem, propterea hanc rem ita interpretatus sum: Decium seniorem ex vxore Barbia Orbiana Augusta filios tulisse Decium iuniorem, & Herẽniam Etruscillam (cuius multi nummi adhuc extant) quam Augustam appellauit, cuius maritus, Deciique imperatoris gener fuerit ipse C. Valens Hostilianus, qui primum Caesar, deinde Augustus scribi videtur in vetustis monumentis; est enim adulescentis facies. Quod etiam hoc antiquo nomismate ita inscripto con firmatur, inquo ab vno latere est ipse, ab alio uero Herennia Etruscilla uxor Decii filia, ita

PIETAS	. AVGG
HOSTILIVS	HERENNIA
MES. QVIN	ETVRCIL
TVS . ETR	LA . AVG
VSC . AVG	

His consulibus (ut Trebellius Pollio in Valeriano tradit) Valerianus ipse qui paulo post imperauit nouissimus omnium tam principum, quam priuatorum censuram cepit, eam sibi imperatore Decio ex S. C. deferente. Quo anno quum aduersus Gothos Moesiam vastantes exercitum eduxisset, atque audacius potius quam consultius cum ijsdem pugnaret, caesus cum toto exercitu ab ijs est, corpusque paludis uoragine absortum, nusquam inueniri potuit. Obiit autem superstitibus filio & genero, ut tradit Zosimus, ex quo haec & alia pleraque decerpsi

De Gallo & Volusiano Impp

Post caedem Decii Gallus & Volusianus in insula Danubij Menynge imperium adepti, infelicissime illud per annum & menses sex obtinuere. Nam populus Romanus sub his primum imperatoribus tributo annuo denariorum centum cum Scythis transegit. Horum eiusmodi extant nomismata IMP. CAES. C. VIBIVS. TREBONIANVS. GALLVS. P. F. AVG. Filii vero. IMP. CAES. C. VIBIVS. VOLVSIANVS. P. F. AVG. Sub his impp. Hostilianus Perpenna ut Victor tradit, vel potius M. Perpenna Licinianus imperator appellatus, non multo post pestilentia consumptus est. Adiicit Zosimus, eos ut primum Augusti ab exercitu

Moesiaco appellati sunt, Decium iuniorem Augustum primum appellasse, deinde non longe post occidisse, quod & Valenti Hostiliano altero Caesari accidisse credo. Nihil enim praeterea de eo scriptum inueni

Annus ∞ V

Gallus II. & Volusianus Impp. consules digeruntur a Fastis Graecis, & libro Cuspiniani: Cassiodorus iterati honoris notam in Gallo omittit. Eorundem meminit Damasus in Lucio Papa. & vetus inscriptio ita

ACTVM . PR . KAL. AVG . IMPP. DD. NN. GALLO . AVG. II
ET . VOLVSIANO . AVG . COSS. ISDEM . COSS. EADEM
DIE. STATIA. IRENE. I. L. H. DONATIONI. MONVMENTI
S. S. SICVT. SVPRA. SCRIPTVM. EST. CONSENSI. SVB
SCRIPSI . . . . . . ET. ATSIGNAVI. ACTVM

Annus ∞ VI

Volusianus Aug. II. & Maximus consules deinde fuerunt Damaso in vita S. Stephani Papae, Cassiodoro, libro Cuspiniani, & Fastis Graecis auctoribus. Hic extat Volusiani nummus IMP. CAES. C. VIB. VOLVSIANO. AVG. P. M. TR. P. II. P. P. COS. II. Hoc anno quum ambo imperatores contra Aemilianum in Moesia Augustum appellatum ex vrbe egressi proficisceren tur, ab ijs quos Aimilianus miserat prope Inter amnam interfecti sunt. Pater uixit annos XLVII. Haec Victor, Eutropius, Zosimus, & Zonaras

De Aemiliano Imp

C. Iulius Aemilianus (ut ex eius nummis intelligitur) Maurus obscurissime ortus, uerum peritia rei militaris illustris, Gallo & Volusiano interfectis Romanum inuasit imperium. Caesis enim ad internitionem Gothis ab exercitu Moesiaco cui praeerat Augustus est appellatus. Cuius imperij mense IIII. Valeriano viro nobilissimo ab Alpino exercitu Imperatore creato, qui Aemiliano fauerant, ne ciuili bello Remp. conflictarent Aelianum necant. Soloque eius capite res peracta est. Vixit annos XL. Victor, Eutropius Zosimus. Huius Aemiliani mentionem extare uidi in antiquo epigrammate sic

D. N. C. AEMILIANO. FOR
TISSIMO . PRINCIPI
HERCVLI. CONSERVATORI
L. VIRIVS. PAVLLINVS. V. C
COMES . DOMESTICORVM
PRAEF. VRB. D. N. M
Q. EIVS

De Valeriano, & Gallieno Impp

Valerianus a militibus Rhetis & Noricis Imp. appellatus, post Aemilianum caesum alterum e filijs Gallienum Augustum, alterum vero Valerianum iuniorem Caesarem a senatu creari procurauit. Hic parentibus splendidissimis ortus, patre Valerio, censor antea, & princeps senatus, ac per omnium dignitatum gradus suis temporibus ad supremum imperij culmen ascendit. Imperauit uero cum filiis Augusto, & Caesare annos plus minus VII

Annus ∞ VII

Valerianus Augustus II. & Gallienus Augustus consules hoc anno memorantur a Cassiodoro, libro Cuspiniani, & Fastis Graecis. Vtriusque nomenclatura ex eorundem nummis intelligipotest. Valeriani nummus IMP. C. P. AVREL. LICINIVS. VALER. VALERIANVS. P. F AVG. Item IMP. C. P. LICIN. VALERIANVS. P. F. AVG. Gallieni uero. IMP. CAES. P. LICIN. GALLIENVS. P. F. AVG. Valeriani auté iunioris P. LIC. VALERIANVS. CAES. Cuspinianus in suo in Cassiodorum commentario, dum hunc ipsum annum exponit, se reperisse scribit paruum quendam sine auctoris nomine antiquissimum, & manuscriptum libellum, in quo ab hoc anno ad Constantij imperium, singulorum annorum consules cum vrbis praefectis digesti sunt, quem integrum suo commentario inclusit. Ita autem incipit VALERIANO. II ET. GALLIENO. COS. LOLLIANVS. PR. VRB. FVIT. & sic deinceps per singulos annos. Ego itaque quum hoc opus uetustú sit, & quod magis refert ab horum uel paulo posteriorum temporum auctore accuratissime conscriptum, ipsum ad hos ipsos meos Fastos confirmandos citabo, integrumque meo huic commentario litteris maiusculis, quo cognosci possit, includam, praesertim quum eius auxilio multa inuenerim, mutauerim, & confirmauerim quae in alijs Fastorum auctoribus non exponuntur. Duos annos quibus tota haec annorum series titubabat ex huius in primis libelli auctoritate exemi, ita ut quae maxime sibi repugnare uidebantur, nunc aptissime inter se respondeant. Haec autem dixisse volui, ut per quos profecerim omnes Intelligant, & vnicuique honos suus reddatur, atque ut vno verbo huius opusculi uim complectar, opus certe indignú est, quod tam diu in tenebris delituerit, eiusque auctoris nomen incognitú adhuc sit. Cuius rei ut multarum praeterea aliarum gratia Ioanni in primis Cuspiniano referéda est. Qui ipsum cum plerisq; alijs a situ & tineis incredibili studio & diligentia uindicauit

Annus ∞ VIII

VALERIANO.III.ET.GALLIENO.II.COS.VALERIVS.MAXIMVS.PR.VRBI.FVIT Ita auctor incertus de praefectis. Eorundem consulum & non sine menda Cassiodorus, & Fasti Graeci; Liber vero Cuspiniani, & Damasus in vita S. Stephani Papae recte mem inerunt

Annus ∞ IX

MAXIMO.II.ET.GLABRIONE.COS.NVMMIVS.ALBINVS.PR.VRBI.FVIT. Ita incertus auctor. Eosdem cõsules Damasus in vita S.Papae Xysti Iunioris, Cassiodorus, Liber Cuspin. & Fasti Graeci memorant. Maximus nunc.II. cos. est, primum enim cum Volusiano Imp. fuit: hic est qui anno superiore praef. vrbi fuerat. Glabrionũ praenomina & cognomina nota sunt M'.& Acilius. Antonini & Galli consulum huius anni parte suffectorum meminit Fl. Vopiscus in Aureliano, vbi epistolas duas de Aureliano Valeriani Imp. edit, alteram Ceionio Albino praef. vrbis, alteram vero Gallo & Antonino cos. missas

Annus ∞ X

VALERIANO.IIII.ET.GALLIENO.III.COS.IVNIVS.DONATVS.PR.V.FVIT. Hos ipsos consules sed non sine menda Castiodorus, Fasti Graeci, & Liber Cuspiniani comparant. Vlpij Criniti, qui a Traiano Imp. originẽ ducebat, & L. Domitij Aureliani eiusdẽ Vlpii adoptiui filii, qui postea Augustus appellatus est, cõsulum hoc ipso anno in Kal. Iunias in locum Valeriani & Gallieni suffectorũ meminit Flauius Vopiscus in vita Aureliani Imp. Hic Vlpius Crinitus nunc II. est, ptius enim sub Maximo & Balbino Impp. fuit

Annus ∞ XI

FVSCO.ET.BASSO.COS.CORNELIVS.SAECVLARIS.PR.V.FVIT. Hos consules Damasus in S.Xysto Papa, Cassiodorus, fasti Graeci, & liber Cusp. Tuscum & Bassum vocant, Verũ Trebellius Pollio in Ingenuo, & Fl. Vopiscus in Aureliano Fuscum & Bassum. Horum alter Aurelius Fuscus dicitur a Trebellio Pollione in XXX. Tyrãnis, a Fl. vero Vopisco in Aureliano Memmius Fuscus consul ordinarius appellatur, ita ut sit M. Aurelius Memmius Fuscus. Pomponii Bassi saepe mentio facta est. Hoc anno Antiochiae in Syria Cyriades primus ex XXX. tyrannis Imp. appellatus, quum Valerianus Augustus ad bellum Persicum proficisceretur, anno sequenti occisus est. His etiam consulibus Ingenuus ex legato consulari Pannoniarum a legionibus Moesiacis Augustus renuntiatus, proelio a Gallieno uictus se ipse interfecit: ex Trebellio Pollione, & Fl. Vopisco

Annus ∞ XII

AEMILIANO.ET.BASSO.II.COS.CORNELIVS.SAECVLARIS.PR.V.FVIT. Eosdem cos. Damasus in vita S.Dionysij Papae, Cassiodorus, Liber Cusp. & Fasti Graeci edunt. Aemilianus Fuluij nomen tulit, ut Bassus qui superiore anno primum cos. fuit Pomponij. De Pomponio Basso in Claudij uita mentionem facit Sex. Victor

Annus ∞ XIII

SAECVLARE.II.ET.DONATO.COS.CORNELIVS.SAECVLARIS.P.V.FVIT. Eosdem cos. profitentur Cassiodorus, Fasti Graeci, & Liber Cuspiniani. Ambo ex libro de praefectis vrbis descripti sunt. Hoc anno Valerianus Imp. a Sapore Persarũ rege acie uictus, (quod siue dolo suorum, siue eius imprudentia acciderit, nam utrunque traditur) captus est, annum aetatis agens LXXVII. miserabilique captiuitate apud Persas obijt. Ita Trebellius Pollio, Victor, & Eutropius. Hoc anno Valeriano Imp. capto, Odenatus decurio Palmyrenus in Syria imperium suscepit, Zenobiam vxorem, filios Herodem, Herennianum, Timolaum & Vhabalathum Augustos secum appellauit, Persas memorabili proelio uicit, demum sexto imperii anno insidijs consobrini sui Moeonij interfectus est. Ex Trebellio Pollione. Quo anno ut ex eodem Pollione intelligitur, Aureolus in Illyrico a legionibus Augustus salutatus est, qui quũ Gallienũ Imp. interfecisset, imperij anno octauo a Claudio Aug. & ipse occisus est. Ex Victore, & Pollione

De Gallieno Imp. & eius filijs

Capto a Persis Valeriano Imp. Gallienus sub Augusti nomine cum fratre Valeriano iuniore Caesare imperium Romanum adeptus, duos filios Caesares appellauit, quorum alter Saloninus Valerianus, alter vero Saloninus Gallienus a nomine matris Corneliae Saloninae appellati sunt. Vtrorumque aperte meminit Sex. Aurelius Victor in Gallieno, eosdem in unũ Trebellius Pollio & reliqui scriptores confundunt, quum tamen eos duos fuisse tam ex nummis quam ex lapidibus constet. Valeriani siquidem Gallieni ipsius filij hi nummi extant LIC. COR. SAL. VALERIANVS.N.CAES.PRIN. IVVENT. Item SALON. VALERIANVS CAES. PRINC IVVENT. Nam Valerianus alter Gallieni frater verum ex altera matre ortus, nunquam Cornelius Saloninus dicitur, sed P. Licinius Valerianus, Cornelij enim & Salonini nomina habuerunt tantum Gallieni Augusti filij Valerianus tertius, & Gallienus iunior a matre Cornelia Salonina

Augusta Gallieni vxore. Gallieni iunioris vitam scribit Trebellius Pollio, quem ut dixi, cum hoc tertio Valeriano fratre confundit, Nam vtriusque etiam antiqua extant epigrammata

Valeriani tertij. Nepet

P. LICINIO. SALONINO. VALE
RIANO. NOB. CAES. PRIN. IVVEN
VALERIANI. AVG. NEPOTI
GALLIENI. ET. SALONINAE. AVG
FILIO
MATER PIENTISSIMA

Gallieni vero iunioris

IMP. Q. IVLIO. FILIO. GALLIENI
AVG. ET. SALONINAE. AVG

IVLIAE. NOBILISS
PVELLAE. FIL. GAL
LIENI. AVG. ET. SALON
AVG

ORDO. POPVLVS. QVE. SVESSANVS. PARENTIBVS
EORVM. PVBLICE. PRIVATIM. QVE. DEVOTI

Hic autem est quem Postumus suae curae traditum in Gallijs interfecit, atque a patre consecratus fuit, ex Trebellio, Victore, & nummis. Quum autem P. Cornelius Saloninus Valerianus Caesar, anno sequenti in

Item ex Pollione, Romae in eiusdem statuae basi

SALONINO. GALLIENO. MINORI

Hic autem cum patre & patruo Valeriano iuniore occisus est

Gallijs a Postumio. tyranno cuius curae commendatus a patre fuerat interfectus esset, ab eodẽ Gallieno consecratus est, cuius adbuc multi argentei supersunt nummi cum pueri facie & consecratione sic inscripti DIVO. CAESARI. VALERIANO. A tergo uero CONSECRATIO alter uero Filius Gallienus minor cum patre & patruo Valeriano iuniore interfectus est

Annus ∞ XIIII

GALLIENO. IIII. ET. VOLVSIANO. COS. NVMMIVS. ALBINVS. P. V. FVIT. De his cos. Trebellius Pollio in Gallieno, Cassiodorus qui eius collegam Gentianum uocat, Fasti Graeci, & liber Cuspiniani mentionem faciunt. Gallieni hic argenteus nummus extat. IMP. GALLIENVS. P. F. AVG. P. M. TR. P. VIIII. COS. IIII. P. P.. His cos. Macrianus in Asia contra Gallienum imp. appellatus, in Illyricum uenit, ubi quum filios Macrianum iuniorem, & Quietum Augustos creasset biennio post a Gallieno praelio uictus, cum filijs, & Balista, qui & ipse imperium cum Macriano arripuerat, interfectus est. Macriani filiorum hos nummos argẽteos uidi IMP. C. FVL. MACRIANVS. P. F. AVG. Itẽ IMP. C. FVL. QVIETVS. P. F. AVG Eodem anno Valens ex pro consule Achaiae in Macedonia, & L. Calpurnius Piso Frugi Thessalicus in Thessalia, Aemilianusque Alexander in Aegypto Augusti appellati, non longe post omnes trucidati sunt. Ex Pollione, Victore, Eutropio, & Zosimo. Hoc ipso anno C. Cassius Postumius Labienus (eius enim nomenclatura ita in eius nummis est) ex praefecto limitis Rheni, occiso Valeriano tertio Caesare Gallieni imp. filio, cuius curator erat, cum filio eiusdem nominis in Gallijs assumpsit imperium. Qui vt 1. anno imperij insidijs Lolliani cum filio interfectus est. Ex ijsdem auctoribus

Annus ∞ XV

GALLIENO. V. ET. FAVSTINO. COS. NVMMIVS. ALBINVS. P. V. FVIT. Hos consules Pollio in Gallieno, & reliqui Fastorum scriptores ita ediderunt. Quo anno Regillianus qui in Pannonia, Saturninus qui in Aegypto purpuram assumpserant contrucidati sunt. Trebellius Pollio. Horum consulum alterum esse existimo Ap. Pompeium Faustinum; de quo in antiquo marmore mentio est ita

AP. POMPEIVS
FAVSTINVS
V. C. PRAEF. VRB
D. D

Hoc anno agon Capitolinus XLV. Romae factus est, quemadmodum ex annorum quaternionibus intelligitur. Nam Romae usque ad Constantini Imperatoris tempore, quarto quoque anno celebratus est

Annus ∞ XVI

ALBINO. II. ET. DEXTRO. COS. NVMMIVS. ALBINVS. P. V. FVIT ita Fasti Graeci, & liber Cuspiniani. Cassiodorus uero Albinum & Maximum edit. Trebellius Pollio Ceionij Albini sub Valeriano praefecti urbis meminit, quem hunc esse existimo, ita ut hi cos. sint Nummius Ceionius Albinus, & Maximus Dexter. Hoc anno Trebellianus in Isauria & Celsus in Africa Augusti appellati, paulo post ab his a quibus creati fuerant occisi sunt. Pollio. Eodem anno decennalia Gallieni Imp. facta sunt; de quibus in eius uita Trebellius Pollio mentionem facit

Annus ∞ XVII

GALLIENO. VI. ET. SATVRNINO. COS. PATERNVS. P. V. FVIT. Hos ipsos consules Trebellius Pollio in Gallieno, & reliqui Fastorum consularium auctores memorant. Amulij Saturnini Scythici limitis sub Valeriano imp. ducis meminit Fl. Vopiscus in Aureliano imp. Hoc anno Claudius Censorinus in Italia imp. cõtra Gallienũ appellatus septimo die occisus est, ita Trebellius Pollio

Annus ∞ XVIII

VALERIANO. II. ET. LVCILLO. COS. PATERNVS. P. V. FVIT. Eosdem cõsules Trebellius Pollio in Gallieno, liber Cuspiniani, & Fasti Graeci edunt: Cassiodorus iterati honoris notam in Valeriano omittit. Hic est Valerianus Caesar Valeriani Augusti à Persis capti filius, Gallieni

lieni ex alia matre frater, ut Trebellius Pollio tradit; cuius consulatus mentio est in antiquo arcu Veronae, qui pro urbis porta aliquando in usu fuit, diciturque nunc porta Bursarea, ita

COLONIA.AVGVSTA.VERONA.NOVA.GALLIENIANA.VALERIANO.II.ET.LVCILLO.CONS MVRI. VERONENSIVM. FABRICATI. EX. DIE. III. NON. APRILIVM DEDICATI. PR. NON. DECEMBRIS. IVBENTE. SANCTISSIMO. GALLIENO. AVG N. INSISTENTE. AVR. MARCELLINO. V. P. DVC. DVC. CVRANTE. IVL. MARCELLINO

Gallieni uero imp. eiusmodi uidi epigramma

MAGNO . ET
INVICTO
GALLIENO.AVG
COS . VI
DESIGNATO.VII

Lucilli uero alterius consulis uetus haec extat inscriptio

L. CAESONIVS. C. F. QVIRINA. LVCILLVS
MACER . RVFINIANVS . COS . FRATER . ARVALIS
PRAEF. VRBI. ELECTVS. AD. COGNOSCENDAS. VICE. CAESARIS
COGNITIONES. PRO. COS. PROV. AFRICAE. INTER. XX. VIROS. EX. SENATVS
CONSVLTO. R. P. CVRANDAE. CVRATOR. AQVARVM. ET. MINICIAE
CVR. ALBEI. TIBERIS. ET. CLOACARVM. VRBIS. LEGATVS. PROV
AFRICAE. EODEM. TEMPORE. VICE. PRO. CONSVLIS. CVRATOR. R. P
TVSCOLANORVM . CVRATOR . R . P . SVESSANORVM
PRAETOR . KANDIDATVS . QVESTOR . KANDIDAT
ELECTVS . IN . FAMILIAM . PATRICIAM . X . VIR
STLITIBVS . IVDICANDIS

Annus ∞ XIX

GALLIENO. VII. ET. SABINILLO. COS. PATERNVS. P. V. FVIT. Hos consules & reliqui Fastorum auctores profitentur. Quo anno agon Capitolinus XLVI. a Gallieno celebratus est

Annus ∞ XX

PATERNO. ET. ARCESILAO. COS. PETRONIVS. VOLVSIANVS. P. V. FVIT. Iidem consules & ab aliis auctoribus digeruntur. Quorum alter est Ouinius Paternus, de quo in hoc ipso de praefectis libro mentio est. Hoc anno Valerianus Caesar Gallieni Imp. frater Augustus appellatus tribuniciam potestatem suscepit, ut ex Trebellio Pollione intelligitur. Eodem anno in Gallijs occisis Postumiis, Lollianus, post Lollianum Aelianus, post quem Victorinus Augusti appellati sunt. Lolliani Trebellius Pollio, Aeliani Victor meminerũt. Quibus interfectis quũ M. Aurelius Victorinus cũ filio Victorino, imperiũ contra Gallienũ arripuisset, biennio post interfectus est. Victorini uxor fuit Victoria quae ab animi magnitudine castrorum mater dicta fuit. Ceterum Victorinus M. Aurelius uocatus est, quemadmodum ex hoc antiquo nummo liquet IMP. C. M. AVR. VICTORIN. AVG. Marius etiam quidam qui olim faber fuerat, qnum imperium & ipse in Galliis inuasisset, tertio die occisus est. Ex Pollione

Annus ∞ XXI

PATERNO. II. ET. MARINIANO. COS. PETRONIVS. VOLVSIANVS. P. V. FVIT Eosdem Cassiodorus, & reliqui profitentur. Hoc anno ut ex Trebellio Pollione intelligitur, Gallienus cum fratre Valeriano, quem Augustum appellauerat, & filio Gallieno iuniore apud Mediolanum insidiis Aureoli, qui contra eum tyrannidem inuaserat a suis occcisus est, imperii anno XV. ex quibus VII. eum patre, octo post eum captum Imperauerat: aetatis uero anno quinquagesimo. Ita Trebellius Pollio, Victor, Eutropius, Zosimus, & Zonaras

De Claudio Imp

Gallieni morientis sententia, Claudium imperatorem designatum fuisse Victor tradit; ad qnem Ticini tunc morantem per Salonium Basilium indumenta regia misit. Hunc natione Dalmatam, aut ut alii Dardanum, vel ut quidam putant Gordiano adulescente Imperatore satum, ostenderunt potius terris numina quam concesserunt, nam imperii biennio nondũ completo decessit. Natalis autem imperii dies fuit XII. Kal. Aprilis, ut in eius vita ex Trebellio Pollione ellicitur. Huius extat antiquum epigramma Benaci, qnod ego quum aliquando illic diuer sarer exscripsi, ita. in nummis autem FL. CLAVDIVS. appellatur

IMP . CAES
M . AVR . CLAVDIO
P . F . INVICTO
AVGVSTO
BENACENSES

Annus ∞ XXII

CLAVDIO. ET. PATERNO. COS. FLAVIVS. ANTIOCHIANVS. P. V. FVIT. Hos consules Damasus in S. Felice Papa, & veteres Fastorum, quos cito auctores Claudium & Paternum

Paternus, quemadmodum ex antiquo lapide intelligitur sic

IMP.CAES.FL.CLAVDIO. PIO.FELICI
INVICTO.AVG. PONT. MAX.TRIB
POT.II. COS. II.P.P.PRO.COS

Annus ∞ XXIII

ANTIOCHIANO.ET.ORFITO.COS.FL.ANTIOCHIANVS.P.V.FVIT. Hos consules Cassiodorus, Fasti Graeci,& liber Cuspiniani, & in Claudij uita Trebellius Pollio memorant. Hi ut ex libro de praefectis liquet, Flauius Antiochianns & Furius Orfitus nominati fuerunt. Hoc anno caesis Victorinis, Terricus cum filio in Gallijs tyrannidem inuasit. Qui triennio post ab Aureliano uicti, eis incolumitas concessa est, quum ipsos prius in triumphum duxisset. Eodem anno pridie Nonas Februarij, ut ex Fl. Vopisco in Aureliano intelligitur, Claudius imp. Aquileiae mortuus est, atque a senatu inter diuos relatus. Trebellius Pollio, Flauius Vopiscus, Victor, & Eutropius.

De Quinctillo Imperatore

M. AVRELIVS. QVINCTILLVS (ita enim in eius nummis legitur) post fratris Claudij mortem imperium suscepit, atque decimo septimo imperij die, hoc est X. Kal. Martij tumultu militari occisus est, quum Aurelianum imp. creatum auditum esset. Ex Victore, Eutropio, Trebellio Pollione,& Flauio Vopisco

De Aureliano imperatore

L. Domitius Aurelianus, ut est in lapidibus, uel ut ex nummis,& Vopisco intelligitur, M. Aurelius Valerius Aurelianus Syrmio (uel ut alii tradunt) Dacia ripensi oriundus, post Quinctillum imperium suscepit, quod annos fere quinque cum ingenti bellicarum rerum gloria obtinuit. Dies aūt natalis imperij eius, ut ex Flauio Vopisco in eius uita ellicitur, fuit X. Kal. Martias, a quo ad necis diem, quae quinquennio post VII. K. Februarii accidit tot anni, menses, & dies numerantur, quot ego ex eius uitae scriptoribus Vopisco, Aurelio Victore, & Eutropio concinnaui. Augustus autem ab exercitu appellatus cuncta imperatorum insignia, & titulos a senatu statim impetrauit. Eum autem Victor annos quinque minus paucis diebus imperasse scribit

Annus ∞ XXIIII

AVRELIANO.ET.BASSO.COS.POSTVMIVS.VARVS.P.V.F. ita omnes Fastorū scriptores praeter Cassiodorum, qui pro Aureliano Valerianum edit. Pomponii Bassi clarissimi ciuis, & summi senatoris meminit in Claudio Sex. Aurelius Victor

Annus ∞ XXV

QVIETO.ET.VOLDVMIANO.COS.FLAVIVS.ANTIOCHIANVS.PR.VRB.FVIT. Eosdem consules & reliqui auctores profitentur. Consulis uerò suffecti Maecii Faltonij Nicomachi in Aureliano, & Tacito meminit Flauius Vopiscus

Annus ∞ XXVI

TACITO.ET.PLACIDIANO.COS.FVRIVS.ORFITVS.P.V.FVIT. sic Cassiodorus, & Fasti Graeci; Liber uero Cuspiniani Placidum edit. Horum alter est M. Claudius Tacitus, qui postea imperator occiso Aureliano appellatus est. Placidus uero est M. Maecius Memmins Furius Balburius Caecilianus Placidus, quemadmodum ex uetusta inscriptione, quam paulo post afferam, intelligitur. Aureliani quoque hic nummus extat

IMP.CAES.M.AVR.AVRELIANVS.AVG.P.M.TR.P.IIII.IMP.II

Annus ∞ XXVII

AVRELIANO.II.ET.CAPITOLINO.COS.FVRIVS.ORFITVS.P.V.FVIT. ita Damasus in uita S. Felicis papae, liber Cuspiniani, & Fasti Graeci: nam Cassiodorus notam II. omittit. Aurelianus imp. II. cos. est, primum enim suffectus sub Valeriano fuit. Eius collega est, C. Iulius Capitolinus, de quo mētio est in uetusto hoc epigrammate

DED . X . KAL . IVLI
D.N.AVRELIANO.AVG.II
C.IVLIO. CAPITOLINO CoS

Annus ∞ XXVIII

AVRELIANO.III.ET.MARCELLINO.COS.POSTVMVS.SYAGRIVS.P.V.F. sic liber Cuspiniani, Fasti Graeci, & Damasus in uita S. Eutychiani papae. Cassiodorus suo more numeri notam inuertit. Huius cōsulatus Aureliani A. & alterius cōsulis mentio est in his uetustis epigrāmatib.

Aureliani uero eiusmodi paulo ante Romae inscriptio inuenta est, quam ad me misit Horatius Vrsinus acumine ingenii, multiplici eruditione, uitaeque probitate iuuenis mirum in modum praestans

IMP . CAES . L . DOMITIO
AVRELIANO . PIO . FELICI
INVICTO . AVG . PONTIF . MAXIMO
GOTHICO . MAX . GERMANICO . MAX
TRIB . POT . V. COS . DESIG . III . IMP . III.
P.P. PRO . CONS . RESTITVTORI . ORBIS
INVICTISSIMO . ET . VICTORIOSISSIMO
PRINCIPI
FVRIVS . ORFITVS . V . C . PRAEF . VRB
DEVOTVS. NVMINI. MAIESTATI.QVE.EIVS

DEDIC . KAL . FEBR
AVRELIANO . AVG . III CoS
ET. MARCELLINO
Item
T. AVONIO. MARCELLINO
V.C.CONS.CAMPANIAE.PATRO
NO.DIGNISSIMO . OB . IN
SIGNIA . BENEFICIA . QVI
BVS . LONGA . POPVLI . TAB
DIA.SEDAVIT. VNIVER
SA.PLEBS.BENEVENTA
NA.CENSVIT.PO
NENDVM

MAGNO
AVGVSTO
PRINCIPI . MAX
IMP.FORTISSIMO
CONSERVATORI. ORBIS
L.DOMITIO.AVRELIANO
P.F.PONT.MAX.TRIB.POT.V
P.P.COS.III.PRO.COS.GOTH.MAX
PALMYR.MAX . GERM. MAX
ORDO.BRIXIANORVM

Hoc anno IIII.Kalend.Februarii Imp.Aurelianus fraude serui sui, manu Maucaporis apud Zenophorium mansionem inter Byzantium & Heracleam interfectus est,anno imperij V.atque a senatu inter diuos relatus est. Eo occiso fuit interregnum, hoc est Resp.sine imperatore menses VII.& dies XXVIII.fuit.Ita Fl.Vopiscus, Victor,Eutroplus, Orosius, Zosimus, & Zonara

De Interregno,consulibus suffectis, & Tacito Imp.creato

Aureliano Aug.III. & Marcellino cos.occiso ut dixi ipso principe Aureliano IIII. Kal. Februarii, quod post excessum Romuli factum fuisse memoriae proditum est, idem hoc anno accidit, ut interregnum dum post bonum principe bonus alius quaeritur, iniretur; quod habito inter senatum exercitumque Romanum non inuido,non tristi, sed grato religiosoque certamine septem totis mensibus protractum est. Exercitus enim de Imperatore deligendo rettulit ad senatum, quod nullum ex his faciundum putabat, qui tam bonum principem occiderant. Senatus vero ipsam lectionem ad milites reiecit, sciens milites non libenter accipere principes a senatu datos. Denique id tertio factum est. Littere autem exercitus hae fuerunt FELICES.AC. FORTES.EXERCITVS. S.P.Q.R. S.Aurelianus Imp.noster per fraudē unius hominis, ac per errorē bonorū ac malorū interēptus est. Hunc inter deos referte sancti, & domini P.C. & de uobis aliquem,sed dignū uestro iudicio principem mittite. Nos enim de iis qui uel errauerunt,uel male fecerunt imperare nobis, neminem patimur. Rescriptum S. C. Quum die III. Nonas Februarii senatus ampliss.in curiam Pompilianam conuenisset, Aurelius Gordianus cos.dixit: Referimus ad vos P.C.litteras exercitus felicissimi: Quibus recitatis Tacitus primae sententiae senator, qui post Imp.est appellatus,ita locutus est. Sic Fl.Vopiscus in Aureliano. Idem in Tacito: Sexto mense post necem Aureliani peracto, die VII.Kal. Octobris quum in Curiam Pompilianam ordo amplissimus conuenisset, Vettio Cornificio Gordiano referente ex S.C. Tacitus vir consularis primae sententiae senator Augustus appellatus est, eique cuncta principibus solita decreta. Imperauit autem menses sex,dies XX.uel ut tradit Victor dies CC

Annus ∞.XXIX.& de Floriano Imp

TACITO.II. ET.AEMILIANO.COS.OVINIVS.PACATIANVS.P.V.FVIT. Hos consules liber Cusp.& Fasti Graeci memorant.Cassiodorus praeterit. Ita ut uere suspicandum fit hoc loco annum superfluum interiectum esse, quod tamen non hoc anno,sed sequenti (ut ostendam) factum puto. Hic est Tacitus Imperator. Qui in nummis ita exaratus est IMP.C.M. CL TACITVS.P.F.AVG.COS.II. Hoc anno ut Sex. Victor tradit,Idibus Aprilis ducentesimo imperii die,Tacitus imp.Tharsi Ciliciae febri acuta correptus obiit,uel ut alii scribunt tumultu militari occisus est aetatis anno LXXV. Quo mortuo statim eius frater germanus, qui in nummis dicitur IMP.C.M.ANN.FLORIANVS.AVG. imperium arripuit,non ex senatus auctoritate, sed suo motu, quasi haereditarium esset imperium. Qui imperii mense altero, & die XX. idest V.nonas Iulii Tharsi Ciliciae a militibus,qui Probum ab omni exercitu lectum imperare cognouerant, occisus est. Ex Fl.Vopisco, Victore, Eutropio, Zosimo, & Zonara

De Probo Imp

IMP.CAES.M.AVRELIVS.PROBVS.P.F.AVG. ut in nummis exaratus est, uel M. Aurelius Valerius Probus, ita enim a Fl. Vopisco appellatur, Romanum imperium caeso Floriano V.nonas Iulii pacifice obtinuit,imperauit,ut omnes tradunt,annos quinque & menses quattuor. Is e Pannonia ciuitate Syrmio oriundus per omnes honorū gradus ad imperium ascendit. Quū autem esset rei militaris peritissimus praeter barbaros saepe victos, Saturninum quoque qui in oriente, Proculum & Bono sum qui in Galliis imperium inuaserant oppressit. Aelii Scorpiani cōsulis suffecti primis principatus Probi diebus meminit in eius vita Fl. Vopiscus.Ex quo,& Victore, Eutropio, & Zosimo ista quoque decerpsi

De consulibus suffectis

Probum Augustum, & Anicium Paullinum consules suffectos hoc anno fuisse, qui pro ordinarijs a libro de Praefectis, Cassiodoro, & Fastis Graecis, a libro uero Cusp.omittuntur;& temporum

porum ratio, & anni imperij Probi, qui tantum quinque memorantur, aperte docent. De qua annorum controuersia latius in commentariis libri tertij, quum ad Valentiniani imperium explicandum peruenero, dicam

Annus ∞ XXX

PROBO. II. ET. LVPO. COS. RVFIVS. LVPVS. PRAEF. VRBI. FVIT. Eosdem Fasti Graeci, & liber Cusp. edunt. Cassiodorus pro Lupo Paternum affert. Horum alter est Probus imp. alter uero Furius Lupus, qui etiam praef. urbi erat

Annus ∞ XXXI

PROBO. III. ET. PATERNO. COS. FVRIVS. LVPVS. PR. V. FVIT. ita reliqui auctores Hic est Ouinius Paternus, qui & ipse praef. urbi aliquando fuit. Hoc anno Probus Aug. agonem Capitolinum XLIX. fecit, ut temporum ratio aperte docet

Annus ∞ XXXII

MESSALLA. ET. GRATO. COS. FVRIVS LVPVS. P. V. FVIT. Eosdem & reliqui Fastorum scriptores cos. profitentur. Iunij Messallae Fl. Vopiscus meminit

Annus ∞ XXXIII

PROBO IIII. ET. TIBERIANO. COS. OVINIVS. PATERNVS. PR. V. FVIT. ita Cassiod. Liber Cuspiniani, & Fasti Graeci. Probi imp. collega est C. Iunius Tiberianus, qui post II. cos. sub Diocletiano fuit

Annus ∞ XXXIIII

PROBO. V. ET. VICTORINO. COS. POMPONIVS. VICTORINVS. PR. VRB. FVIT. Is consul Victorinus idem est, qui & praefectus urbi dicitur. Hoc anno IIII. Nonas Nouembris Syrmij Probus imp. tumultu militari occisus est, imperij anno quinto, ut tradit Fl. Vopiscus, uel VI. ut Aurelius Victor

De Caro, Carino, & Numeriano imperatoribus

Carus post Probi caedem quinquagesimo a Dictatore Caesare loco Romanum suscepit imperium. Is Augustus ab exercitu appellatus, bellum Persicum quod Probus parabat aggressus est. Liberisque Carino & Numeriano Caesaribus nuncupatis, Carinum quidem ad Gallias tuendas destinauit, Numerianum uero secum contra Persas duxit. Carus a Fl. Vopisco Carus Manlius Aurelianus appellatur, in nummis uero & lapidibus M. AVRELIVS. CARVS dicitur. Imperauit autem annum, & dies aliquot

Annus ∞ XXXV

CARO. II. ET. CARINO COS. TITVRIVS. ROBVSTVS. P. V. FVIT. Horum consulum Damasus in Eutychiano, Cassiodorus, liber Cuspiniani, & Fasti Graeci meminerunt. Cuius anni parte alter Cari Imp. filius Numerianus consul fuit cum Matroniano, quemadmodum ex Fl. Vopisco, & antiquis monumẽtis intelligitur. Horum autem trium principum has inscriptiones in Hispania extare didici

VICTORIOSISSIMO	FORTISSIMO. ATQVE	VICTORIOSISSIMO
PRINCIPI. IVVENT	CLEMENTISSIMO	PRINCIPI. IVVENTVT
M. AVRELIO. CARINO	IMP. CAES. M. AVRELIO	M. AVR. NVMERIANO
NOBILISS. CAESARI	CARO. INVICTO. AVG	NOBILISS. CAESARI
COS. PRO. COS	P. M. TR. POT. II. COS. II	PRO. COS
	P. P. PRO. COS	

M. AVRELIVS. VALENTINIANVS. V. C. LEG. AVG. PRO. PR. PROVINCIAE
HISPANIAE. CITERIORIS. D. N. M. Q. EORVM

Hoc anno Carus imp. dum cum Persis bellum gereret, apud Ctesiphonta fulmine ictus interiit, uel ut alij tradunt, morbo decessit. Cui eius filij ex Caesaribus Augusti appellati successerunt in imperio: ex Fl. Vopisco, Victore & Eutropio

Annus ∞ XXXVI

CARINO. II. ET. NVMERIANO. II. COS. CEIONIVS. VARVS. P. V. FVIT. hos ipsos consules, & reliqui Fastorum auctores memorant. Numeriani uero imp. hunc nummum uidi. IMP. CAES. NVMERIANVS. AVG. COS. II. Hoc anno mense Aprili Numerianus imp. Cari filius, quum oculorum dolore correptus in lectica ueheretur, insidijs Arrij Apri soceri sui, & praef. praetorio occisus est in Persidis finibus. In cuius locum exercitus de Perside uictor rediens, Parilibus XI. Kalend. Maij Diocletianum Augustum appellauit, domesticorum scholam tunc regentem. Carinus uero qui in Gallijs, Italia, & Illyrico post patris mortem sub Augusti nomine imperabat, bellum aduersus Diocletianum comparauit, a quo uno & altero praelio uictus, nouissime anno sequenti apud Murtiam profligatus, manu tribuni interfectus est, cuius dicebatur coniugem polluisse. Atque ita solus rerum potius est Diocletianus. Ex Vopisco, Victore, Eutropio, & Zosimo

Annus

De Diocletiano Imp

Diocletianus Dalmata Anullini senatoris libertinus, matre pariter atq; oppido nomine Dioclea, quorũ uocabulis donec imperiũ sumeret Diocles appellatus est, ubi imperium cepit Graeco nomine in Romanum modum uerso, se C. Aurelium Valerium Diocletianum appellauit. Eũ enim victor de Perside exercitus rediens, quum Carum Augustum fulmine, Numerianum vero Imp. insidiis amisisset, Romanum principem creauit, uirum ut dixi obscurissimis parentibus ortum. Qui quum Parilibus ipsis, idest XI. Kal. Maii (ut ex incerti auctoris panegyrico constat) imperium suscepisset, statim manu sua Aprum occidit, cuius insidijs Numerianus Imp. interfectus fuerat. Imperauit autem annis XX. Ita Victor, & Eutropius. Porro autem Diocletiani hic nummus extat IMP.CAES.C.VAL.DIOCLETIANVS.P.F.AVG. Hoc anno Diocletianum & Annium Bassum cõsules suffectos fuisse (forte in Kal. Mai) ellicitur ex Fastis Graecis, qui eos pro ordinariis Carino & Numeriano suggerunt. Quibus abdicantibus ut ex antiquis inscriptionibus demonstrabo, alij consules suffecti fuerunt, Maximianus qui postea Imperator appellatus fuit, & Iunius Maximus. Hi (ut uero simile est) Kal. Iuli magistratum inierunt

Annus ∞ XXXVII

DIOCLETIANO. II. ET. ARISTOBVLO. COS. CEIONIVS. VARVS. P. V. FVIT Eosdem consules edunt & reliqui Fastorum auctores. Horum consulum meminit Ammianus Marcellinus historiarum libro XXIII. Hoc anno Carinus aliquot proeliis a Diocletiano uictus, tribuni manu (ut dixi) occisus est: Victor, & Eutropius. Eodem anno XI. Kalend. Maii, quũ rustici tumultum in Gallia concitassent, & factioni suae Bacaridarum nomẽ inuenissent, ducesq; Amandum & Aelianum haberent, Diocletianus contra eos Maximianum genere Pannonium, apud Syrmium ortum, antiquum in militia socium Caesarem creauit, atque ualido cum exercitu misit, qui eis domitis pacem Galliae attulit. Eusebius, Eutropius, Victor. Maximiani adhuc Caesaris hos nummos uidi M. VAL. MAXIMIANVS. NOB. CAES. Itẽ AVREL. VALER. MAXIMIANVS. NOB. CAES

Annus ∞ XXXVIII

MAXIMO. ET. AQVILINO CoS. IVNIVS. MAXIMVS. P. V. F Hos ipsos consules & reliqui profitentur, de quibus in antiqua inscriptione mentio est ita

CLOELIAE. CLAVDIANAE. V. V. MAX
SANCTISSIMAE. AC. SVPER. OMNES. RETRO. MAXI
MAS. RELIGIOSISSIMAE. CVIVS. SANCTIMONIA
A. CVNCTIS. PRAEDICATVR. NVNC. CERTE
PERTINET. ESSE. TE. TALEM. CVIVS. LAVDEM
NVMEN. QVO. QVE. VESTAE. TE. HONORAVIT. FL
EVCHARISTVS. SEPTIM. EPITECTVS. ET
AVRELIVS. OPTATVS. SAC. SANCTAE. VESTAE
V. S. S. L. S. D. EXPRIM
DEDICATA. K. MARTIIS. M. IVNIO
MAXIMO. II ET. VETTIO. AQVILINO
COSS. CVRANTE. FL. MARCIANO

Hoc anno Parilibus necessitate bellica exigente, quum Carausius in Britanniis, & Achilleus in oriente purpuram sumpsissent, Quinquegentiani Africam infestarent, atque Persarum Rex Narseus bellum orienti inferre minaretur, Diocletianus Imp. Maximianum Herculeum ex Caesare Augustum creauit, eique tribuniciam potestatem concessit, ut ex antiquis lapidibus cognosci poterit. Id quoque Eusebius, Victor, Eutropius, Zosimus, & incertus auctor in panegyricis ad Diocletianum, & Maximianum Augustos docent

Annus ∞ XXXVIIII

DIOCLETIANO. III. ET. MAXIMIANO. II COS. IVNIVS. MAXIMVS. P. V. FVIT. Eosdem consules referunt Cassiodorus, Fasti Graeci, & liber Cusp. sed non sine menda in numerorum notis. Hoc anno agon Cap. LI. celebratus est. Maximiani hic extat nummus: MAXIMIANVS. AVG TRIB. POT. II. COS. II. Diocletiani autem hãc basim statuae Romae vidi

MAGNO. ET. INVICTO
IMP. CAES. C. VAL. AVREL
DIOCLETIANO. PIO. FEL
INVICTO. AVG. PONT. MAX
TRIB. POTEST. COS. III. P. P. PRO. COS
D. N. CORPVS. CORARIORVM
MAGNARIORVM. SOLAIARIORVM
DEVOTI. NVMINI. MAIESTATIQ
EIVS
DEDICATAE. KAL. IAN. DD. NN
DIOCLETIANO. III. ET. MAXIMIANO CoS
CVRANTE. THESIO. SECVNDO. R. C
CORARIORVM

Annus ∞ XL

MAXIMO. II. ET. IANVARIO. COS. III. KAL. MART. POMPONIVS. IANVARIVS. PR. VRBI. ELIGITVR. Ceteri Fastorum auctores cum Pomponio Ianuario Maximianum Aug. II. cos. edunt. Quibus tamen antiquus nummus, & Marcellini testimonium repugnat, Marcellinus .n. libro XXIII. asserit post Diocletianum Augustum & Aristobulum nullum imperatorem priuato collega consulem fuisse, usque ad Iuliani Augusti IIII. & Salustii consulatũ. Alter ergo est M Aurelius Maximus, quem sub Diocletiano cos. fuisse antiqua docet inscriptio; Alter uero consul est Pomponius Ianuarius, qui ex consulatu quem bimestrem gessit, urbis praefecturam iniit

Annus ∞ XLI

BASSO.II. ET. QVINCTIANO.COS. POMPONIVS. IANVARIVS. P.V.FVIT. Hos ipsos cōsules & ceteri Fastorū scriptores profitētur, quorū alter est Annius Bassus, qui cū Diocletiano primū cos. fuit, alter vero L. Ragonius Quinctianus eius vt puto filius, qui nouissimo Alexandri Imp. anno consul fuerat *Annus* ∞ XLII

DIOCLETIANO.IIII.ET. MAXIMIANO.III. COS. TVRRANIVS. GRATIANVS. P.V FVIT. ita Cassiodorus, & reliqui. Huius consulatus in his inscriptionibus mentio est ita

MAGNO . INVICTO . AC SVPER . OMNES . RETRO PRINCIPES . FORTISSIMO IMP . CAES . M . AVRELIO MAXIMIANO . PIO . FEL INVICTO . AVG. COS. III P. P . PRO . COS SEPTIMIVS.VALENTIO.V.C AVG . PRAEF . PRAET D . N . M . Q . EIVS

MAGNO. ET INVICTO . IMP CAES . C . AVR . VAL DIOCLETIANO PIO . FEL . AVG BASILIVS DONATIANVS. V. P RATIONALIS.D.N.M.Q EIVS

IMP.CAES.M.AVRELIVS VALERIVS.MAXIMIANVS INVICTVS . AVGVSTVS . SARM MAX.GOTHIC.MAX.PONT.MAX IMP . VIII. COS.III. P.P. PRO. COS ITER. REPARAVIT

Annus ∞ XLIII

TIBERIANO.II. ET. DIONE. COS.XII.KAL. MART. IVNIVS. TIBERIANVS. P.V FVIT. Eosdem Cassiodorus, & reliqui scriptores referunt. Huius Tiberiani praefecti vrbis meminit Flauius Vopiscus in Aureliano. Cassius Dio forte Dionis historici filius, vel nepos est. Hoc anno quum ingentia undique bella & seditiones imminerent, Kal. Martijs Diocletianus & Maximianus Augusti, quemadmodum ex historia ecclesiastica Eusebij, Codice Iustiniani, & Galerij iam imperatoris edictis colligitur, Constantium Chlorum, & Galerium Maximianum Caesares creauere, eisque tribuniciam potestatem concesserunt. Ex quibus Chlorus Quinctili fratris Claudij Imp. ex filia nepos fuit, Galerius vero Dacia ripensi haud longe a Serdica ortus, bellica laude illustris, imperij dignitatem ob merita consequutus est. Quum autē coacti essent priores uxores repudiare, Constantius quidem Theodoram Herculij Maximiani priuignā, Maximianus vero Valeriam Diocletiani filiam duxerunt. Imperarunt autem Caesaris nomine cum duobus Augustis annos XIII. mensem I. dies XXI. horum extant haec epigrammata

IMP . CAES . VALER IO . DIOCLETIANO . ET AVRELIO . VALERIO MAXIMIANO . PIIS . FE LICIBVS . SEMPER. AVGG ET . FLAVIO . VALERIO CONSTANTIO . GALERI O.VAL.MAXIMIANO.NOBB ET.INVICTISSIMIS.CAESARIBVS

AETERNI . IMPE RATORES . DIOCLE TIANVS . ET . MAXI MIANVS . AVGVS TI . ET . PERPETVI CAESARES CONSTANTIVS ET . MAXIMIA NVS . PONTEM METAVRO

Annus ∞ XLIIII

HANNIBALIANO. ET. ASCLEPIODOTO. COS. III. NONAS. AVGVSTI. CLAVDIVS.MARCELLVS.PR.VRBI.FVIT. Hos consules Cassiodorus, liber Cusp. & Fasti Graeci profitentur. Afranij Hannibaliani, qui etiam praefectus urbi fuit, meminit incertus auctor de praefectis. M. Aurelij Asclepiodoti uetustus lapis. Hic Asclepiodotus praefectus praetorio Britannias decimo anno post rebellionem anno, caeso Allecto recepit. Eusebius, Eutropius, & Victor auctores *Annus* ∞ XLV

DIOCLETIANO.V.ET.MAXIMIANO.IIII.CoS.III.IDVS.MART.SEPTIMIVS.ACYNDINVS.PR.VRBI. FVIT. Iidem comparantur a reliquis Fastorum scriptoribus. Huius anni mentio est in uetusto lapide Constantiae in Germania ita

Annus XLVI

CONSTANTIO.ET.MAXIMIANO . COS . SEPTIMIVS ACYNDINVS.PR.VRB.FVIT Hi sunt duo Caesares idest Fl. Valerius Constantius, & Galerius

IMP. CAES. C. AVREL. VALER. DIOCLETIANVS .... SARM. MAX. PONT. MAX. TRIB. POT. X. .... IMP. CAES. M. AVREL. VALER. MAXIMIANVS .... GERM.MAX.PERSIC.MAX.PONT.TR.POT.IIII.COS ..... IMP. VIII. FL. VALERIVS. CONSTANTIVS.ET. GALERIVS.VAL .... NOBB. CAESARES MVRVM ....

Valerius Maximianus, qui Cai praenomē habuit ut ex antiquo lapide, & nūmis liquet. Eum Victor Armentarij cognomine affecit, qui ab aliquibus Maximinus dicitur, quū Maximianus potius sit dicendus, nam eius sororis filius, ab ipso postea Caesar lectus, Maximinus dictus est, Herculij cognomine, & Galerij nomine a Maximiano Augusto distinctus. Hoc anno decennalia Imp Diocletiani more maiorum celebrata sunt

 Annus

Annus ∞ XLVII

TVSCO.ET.ANNVLINO.COS.III.IDVS.IAN.ARISTOBVLVS.PR.VRBI.FVIT Horum conſulum Caſſiodorus, & reliqui meminerunt. Quorum alter Nummius Tuſcus, alter uero Annius Cornelius Annulinus appellati ſunt, quemadmodum ex hoc ipſo de praefectis libro intelligi poterit, Eorum quoque mentio eſt in antiqua inſcriptione ſic

L.CORNELIVS.SCIPIO.OREITVS
V.C.AVGVR . TAVROBOLIVM
SIVE . CRIOBOLIVM . FECIT
DIE . IIII . KAL . MART
TVSCO.ET.ANNVLINO . COS

Annus ∞ XLVIII

DIOCLETIANO.VI.ET.CONSTANTIO.II. COS.XII. K.MARTIAS. CASSIVS. DIO. PR.VR FVIT. Eoſdem conſules Damaſus in vita ss.Caij & Marcellini pontificum, Caſſiodorus, & Faſti Graeci memorant. Quorum alter eſt Fl.Valerius. Conſtantius Caeſar. Hoc anno decennalia Imp.Maximiani Herculii celebrata ſunt

Annus ∞ XLVIIII

MAXIMIANO.V.ET.MAXIMIANO.II.COS.AFRANIVS.HANNIBALIANVS. P.V FVIT. Eoſdem profitentur liber Cuſp.& Faſti Graeci. Ceterum Caſſiodorus Maximianum II Maximum vocat mendoſe. Eſt enim Galerius Maximianus Caeſar

Annus ∞ L

FAVSTO.II.ET.GALLO.COS.ARTORIVS.MAXIMVS.PR.VRBI.FVIT. Liber Cuſp. & Caſſiodorus eoſdem conſules comparant; Faſti Graeci, Anicium Fauſtum, & Seuerum Gallum edunt

Annus ∞ LI

DIOCLETIANO.VII.ET.MAXIMIANO.VI.COS.ANICIVS.FAVSTVS.PR.VRBI FVIT. Eoſdem Faſtorum reliqui ſcriptores referunt. Hoc anno ut ex quadriennij ſupputatione intelligi poteſt, agon Capitolinus LIIII. factus eſt

Annus ∞ LII

CONSTANTIO.III.ET.MAXIMIANO.III.COS.KAL.MART. POMPEIVS.FAVSTINVS.PR.VRB.FVIT. ita lib.Cuſp.& Faſti Graeci. Nam Caſſiodorus pro Maximiano mendoſe Maximum edit, quod uel ex hac antiqua inſcriptione intelligi poteſt

DEDICAT . XIIII . KAL . IAN . CONSTANTIO . III. ET
MAXIMIANO . III. COSS . CVRANTE . AVR . NICETA

Annus ∞ LIII

TITIANO.II.ET.NEPOTIANO.COS.AELIVS.DIONYSIVS.PR.VRB.FVIT. Eoſdē conſules memorant ſine iterati honoris nota ceteri Faſtorum ſcriptores. Horum alter eſt Poſtumius Titianus ut ex libro de praefectis intelligitur, alter uero Fl. Popillius Nepotianus pater eius Nepotiani, qui ſub Conſtantio Imp. tyrannidem inuaſit, qui in antiquis nummis FL.POP. NEPOTIANVS ſcribitur. De quibus in antiquo epigrāmate mentio eſt ſic

TERENTIAE . RVFILLAE
V . V . MAX
DED . PRID . NON . MAI
TITIANO.II.ET.NEPOTIANO
COS
CVR . AVRELIO . NICETA

Hoc anno Caeſarum decennalia celebrata. Quorum in antiqua marmorea baſi mentio eſt ita CAESARVM.DECENNALIA

Annus ∞ LIIII

CONSTANTIO.IIII.ET.MAXIMIANO.IIII.COS. XI.KAL. MARTI. NVMMIVS. TVSCVS.PR.VRBI.FVIT. Eoſdem conſules liber Cuſp. Faſti Graeci, & cum menda in Maximiani nomine ſuggerit Caſſiodorus

Annus ∞ LV

DIOCLETIANO.VIII.ET. MAXIMIANO.VII.COS.PRID.ID. SEPT.IVNIVS.TIBERIANVS.PR.VRBI.FVIT. Eoſdem edunt & reliqui Faſtorum ſcriptores

Annus ∞ LVI

DIOCLETIANO.IX.ET. MAXIMIANO.VIII. COS.PRID.NON.IANVAR.HERACLIVS.RVFINVS.PR.VRBI.FVIT. Eoſdem Damaſus in S.Marcellini Papae uita, & ceteri Faſtorum ſcriptores tradiderunt. Hoc anno quemadmodum ex panegyricis incertorum ſcriptorum intelligitur, XI.Kal.Mai Parilibus, die quo quondam Diocletianus imperium adeptus fuerat, quū ingraueſcente aeuo parum ſe idoneum Diocletianus moderando imperio eſſe ſentiret, auctor Herculio fuit, ut in priuatam vitam concederent, & ſtationē tuendae Reip. iunioribus ipſis Caeſaribus mandarent, cui quamquā aegre quū collega obtemperaſſet, nihilominus uterq; ipſo die, Diocletianus quidē Nicomediae, Maximianus uero Mediolani purpuram depoſuit. Atq; Diocletianus Salone, Maximianus in Lucanos conceſſit. Hoc autem factum eſt poſt triumphum inclytum quē Romae ex diuerſis gentibus egerāt pompa ferculorū illuſtrē, in quo Diocletianus Iouii, Maximianus uero Herculii cognomina ſuſceperant. Diocletianus autem quū

poſt

post imperii abdicationem prope nouem annis uixisset, tandem senex in propriis agris LXVIII. aetatis anno mortuus est, solusque omnium ex priuatis inter deos relatus. Maximianus uero quum imperium quod inuitus propemodum deposuerat, recipere conatus esset, atque ob eam caussam Constantino genero insidias fecisset, ab eo captus Massiliae strangulatus est. Ex Eutropio, Victore, Eusebio, Zosimo, & Zonara

De Constantio & Maximiano Iuniore Augg

Diocletiano & Maximiano abdicantibus, in administrationem Reip. Constantius & Galerius ex Caesaribus Augusti creati successerunt, diuisusque est inter eos orbis Romanus, vt Hispanias, Britanniam, Galliam, Germaniam, Italiam, & Africam Constantius: Illyricum, Asiam & reliquum orientem Galerius obtineret. Ex his Constantius imperauit sub Augusti nomine annos II. menses III. & dies V. Galerius uero annos sex, & menses plus minus quinque

Annus ∞ LVII

CONSTANTIO . V. ET. MAXIMIANO. V. COS. POSTVMIVS. TITIANVS. PR. VRBI FVIT. Eosdem cõsules Cassiodorus, liber Cusp. & Fasti Graeci profitentur. Sunt autem duo iuniores Augusti ex Caesaribus anno superiore creati

Annus ∞ LVIII

CONSTANTIO. VI. ET. MAXIMIANO. VI. COS. XIIII. APRILIS. ANNIVS. ANNVLINVS PR. VRBI. FVIT. Eosdem & ceteri edunt. Hoc anno quum Constantius dignitate Augusti contentus, Italiae atque Africae administrandae solicitudinem recusasset, easque Galerio collegae Augusto reliquisset, Galerius statim duos Caesares creauit sororum filios C. Galerium Maximinum cui orientem, & M. Aurelium Seuerum cui Italiam, & Africam moderandas concessit, ipse in Illyrico mansurus. Caesares autem hoc anno creati sunt Kal. Martii, die natali imperii Maximiani, quemadmodum ex panegyricis, Eusebio, & Zosimo liquet. Quorum hae extant inscriptiones

CONSTANTIVS . ET . MAXIMIANVS . INVICTI . AVGG
SEVERVS . ET . MAXIMINVS . CAESS
THERMAS . ORNAVER . ET. ROMANIS. SVIS . DEDICAVER

Seueri nummus

M . AVR . SEVERVS . NOB . CAES . PRINC . IVVENT

D . N . C . GALERI
O . MAXIMI
NO . NOB
CAES
PRINCIP . IVV
R . P . NEPESINO
RVM

De cos. suffectis, morte Constantii Imp. Constantino, & Maxentio Augustis appellatis

Huius anni patre Maximinum & Seuerum Caesares a Galerio creatos consules fuisse ex libro de praefectis, & Zosimo intelligitur; qui etiam P. Cornelium Annulinum praeter hos consulem hoc anno suffectum fuisse refert, eumque in magistratu occisum a Maxentio, qui Romae tyrannidem inuaserat, tradit. Quo anno VIII. Kal. Augusti olympiadis CCLXXI. anno primo, quod & meae annorum summae ad amussim quadrat, ut in historia ecclesiastica Socrates cap. II. libri primi edit, Eboraci in Britannis obiit Imp. Constantius, in cuius locum omnium militum suffragijs, & praecipue Croco Alemannorum rege adnitente, exclusis legitimis Constantii liberis, Constantinus ex obscuriore matrimonio natus, uel ut alii tradunt Constantii filius nothus Augustus appellatus est, ipso paternae mortis die VIII. K. Augusti. Quod quum Romae nuntiatum esset, Maxẽtius Herculii & Eutropiae Syrae mulieris filius, per tumultum a praetorianis Augustus appellatus, imperium inuasit. Contra quem quum Italiae Caesar Seuerus cum exercitu ut seditionem comprimeret initio sequentis anni uenisset, militum scelere desertus, atque Maxentio proditus, ab eo quum Rauennam fugisset occidi iussus est; quare auctis Maxentii opibus imperium in vrbe, & Italia sibi confirmatum annos sex tenuit. Maxentius autem ut ex panegyricis didici, circa VII. Kalend. Octobris diem, imperi stationem inuasit, consulatum quoque suffectum iniit ut paulo post ostendam: atque ita uno tempore imperium Romanum sub tribus Augustis Galerio, Constantino, & Maxentio, ac uno Caesare Maximino erat. Ex his Galerius Illyricum; Constantinus Gallias, Hispaniam, & Britanniam; Maxentius Italiam, & Africam; Maximinus vero orientem obtinebant. Ex Eutropio, Victore, Eusebio, Socrate, Zosimo, & Zonara auctoribus

Annus ∞ LIX

Fasti Graeci consulem tantũ unum in hũc annũ profitentur Fl. Constantinum Augustum solum, Maximianum Herculium collegam (ut credo) ideo praeteriti, quod priuatus eum consulatum titulo tenus tantum gesserit. Cassiodorus mendose Diocletianum IX. pro Maximiano IX. & Constantinum edit. Liber vero Cusp. recte Maximianum Herculium IX. & Constantinum. In libro de praefectis quamquã nõ sine mendo sic apud Cuspinian. legitur MAXIMIANO. VII ET. MAXIMINO. COS EX. MENSE. APRILI. FACTVS. EST. SEXTVS. CONSVLATVS QVOD. EST. DIOCLETIANO. NOVIES. ET. CONSTANTINO. VI. K. SEPTEMBR IVSTEIVS. TERTVLLVS. PREF. VRBI. FVIT. Hoc anno (ut dixi) circa Kal. Maij Seuerus

qui a Galerio Caesar per Italiam & Africam creatus fuerat, quum aduersum motum praetorianorum, atque Maxentii Romam cum exercitu uenisset, militum suorum scelere desertus, ipseque fugiens altero imperij anno Rauennae interfectus est, ut tradit Eutropius, uel potius ut Victor refert, Romae a Maxentio occisus; funusque eius Gallieni sepulchro illatum est, quod uia Appia lapide ab vrbe nono aberat. Sunt qui scribant eum quũ aduersus Maxentium cũ exercitu ueniret, se ipsum Augustum appellasse. Maxentium Aug. II. & Maximinum Caesarem II. cos. suffectos hoc anno fuisse ex Damaso, & libro de praefectis intelligitur

Annus ∞ LX

COSS. QVOS. IVSSERVNT. DD. NN. AVGG. EX. VII. KAL. MAI. FACTVM. EST. MAXENTIO. ET. ROMVLO. QVOD. EST. DIOCLETIANO. X. ET. MAXIMIANO. VII. COSS. IDIBVS. APR. STATIVS. RVFINVS. PR. VRBI. FVIT. Cassiodorus, & liber Cuspiniani Diocletianum X. & Maximianum VII. edunt. Maxentium hoc anno cum Romulo consulem suffectum fuisse docet liber de praefectis, hunc uero tertium consulatum esse Damasus refert, qui anno sequenti in S. Miltiade papa, Maxentium IIII. & Maximum consules profitetur. Hic Romulus Maxentii filius est M. Aurelius dictus, quem Caesarem appellauit eumque mortuum consecrauit, quemadmodũ ex antiquo nũmo aereo sic inscripto liquet IMP. MAXENTIVS. DIVO. ROMVLO. NV FILIO. Maxentij uero eiusmodi extat in agri Veronensis uilla Coloniola inscriptio, & nũmus IMP CAES. M. VAL. MAXENTIVS. P. F. AVG

IMP. CAESARI. M. AVRELIO
VALERIO. MAXENTIO. PIO
FELICI. INVICTO. AVGVSTO
IMP. XI

Annus ∞ LXI

Cassiodorus hoc anno pro consulibus haec verba suggerit: Post cõsulatum Diocletiani X. & Maximiani VII. Liber Cuspiniani, Damasus in vita S. Marcelli papae: Post consulatum decimum & septimum. Fasti Graeci hunc annum uel sequentem omittunt, quod & liber de praefectis facit. Maxentii Aug. IIII. et Maximi consulum hoc annõ suffectorum meminit Damasus in uita S. Miltiadis Papae. Quorum alter est Iunius Maximus, qui praefectus vrbi fuit. Quum deinceps frequens mentio futura sit annorum fine cos. quos per haec tempora post consulatus appellabant, non alienum ab re erit pauca quaedam de his annis tradere. Per haec tempora, ut ex antiquis inscriptionibus, codice Theodosiano, & Iustiniani, reliquisque uetustis monumentis cõstat, tempora & anni per consulatuum seriem digerebantur, pro ea numerandi ratione quã nos millesimum hac aetate vocamus. Tempora enim computari per annos Christi adhuc in usu nõ erat, per consulatus itaque computabantur, & post Constantini tempora consulatibus in perducenda annorum serie, indictiones additae, ut paulo post ostendam. Saepe igitur accidebat ut ob bella ciuilia, vel externa, principum caedes, pestilentias, uel alias caussas annus fine consulibus ordinariis esset, qui anno & Fastis nomen dare solebant, quod hoc anno propter Maxẽtii tyrannidem, qui in vrbe vbi consules designari, & consulatus auspicari mos erat, imperabat, factũ fuisse existimo: tunc huic anno ij consules qui superiore anno fuerant nomẽ dabant. Nam quod antiqui dixissent, Annus fine consulibus; horum temporum homines dicere ceperunt Anno post consulatum Diocletiani X. & Maximiani VII. qui superiore anno cos. ordinarij fuerant. Quod si duo uel tres aut plures anni fine cos. ordinariis essent, addebatur ita annus II. post consulatũ Diocletiani X. & Maximiani VII. ut anno sequẽti fuit, uel Annus IIII. aut V. post consulatũ, & ita deinceps donec noui consules ordinarii creari contigisset, qui anno nomen darent. Quũ igitur dicitur post consulatum, tantum est ac si dicas annus fine consulibus, qui fuit post cõsulatum Diocletiani X. & Maximiani VII. Quoties autem & cur, plures fine consulibus anni deinceps fuerint, post consulatum appellati, suis locis animaduertam

Annus ∞ LXII

II. hoc est, iterum post consulatum Diocletiani X. & Maximiani VII. scribit Cassiodorus. Liber Cuspiniani ita refert; Annus II. post consulatum X. & VII. auctor uero de praefectis COSS QVOS. IVSSERVNT. DD. NN. AVGG. EX. MENSE. SEPTEMBRIS. FACTVM. EST RVFINO. ET. EVSEBIO. VI. KAL. NOVEMBR. ANNIVS. ANNVLINVS. XXXIII. PR. VRB. FVIT. III. KAL. HERACLIVS. RVFINVS. II. PR. VRBI. Hoc annn XI. K. Mai. Maximianus Galerius Imp. Licinium Dacia oriundum notum ei antiqua cõsuetudine, & bello quod aduersus Narseum Persarum regem gesserat strenue militia functum, Carnuti in Pãnonia Augustum appellauit, Illyricoq; praeposuit; quo audito Maximinus qui iam triennio Caesar per oriẽtem fuerat, se ipse Augustum appellauit. Ita Victor, Eusebius, Eutropius, Socrates, & Zosimus Consules huius anni suffectos ex libro de praefectis concinnaui

Anus ∞ LXIII

Maximus VIII. mendose pro Maximiano, & Licinius cos. comparantur a Cassiodoro. Liber uero Cuspiniani Maximianum VIII. fine collega edit. Ego Maximianum octauum consulatum

solum

solum iniisse existimo, & postea Licinium anni parte collegam assumpsisse, atque ita & Cassiodorus, & liber Cuspiniani conuenient. Eiusdem consulatus & consulum suffectorum Volusiani & Rufini meminit Damasus in vita S. Miltiadis Papae a Cuspiniano citata, nam quae vulgo circumfertur alios cōsules quos attuli, profitetur: ita autem scribit: Miltiades sedit annos III menses VI. dies VIII. Ex die VI. nonas Iulias a consulatu Maximiani VIII. solo, quod fuit mense Septembri Volusiano & Rufino cos. vsque in III. Idus Ianuarii Volusiano & Anniano cos. Ceterum Volusianus ex antiqua, quam paulo post afferam inscriptione, Rufinus vero ex libro de praefectis, & codice Theodosiano, VIII. IX. I. ut post ostendam, formati sunt. Extat autem apud Eusebiū in historiae ecclesiasticae lib. VIII. cap. XVII. rescriptum Galerii Maximiani pro Christianis hoc anno paulo ante quam e vita excederet editum, ex quo tam eius, quam Constantii Imperii titulos concinnaui, ita

IMP. CAESAR. GALERIVS. MAXIMIANVS. P. F. INVICTVS. AVGVSTVS
PONT. MAX. THEBAICVS. MAX. SARMATICVS. MAX. V. PERSIC. MAX
GERMANIC. MAX. AEGYPTIACVS. MAX. II. CARPIC. MAX. VI. ARMENIAC. MAX
MEDICVS. MAX. ADIABENICVS. MAXIMVS. TRIB. POT. XX IMP. XIX
COS. VIII. P. P. PRO. COS. ET
IMP. CAES. FL. VALERIVS. CONSTANTINVS. PIVS. FELIX. INVICTVS. AVGVSTVS
PONT. MAX. TRIBVNIC. POTESTAT. V. IMP. V. COS. P. P. PRO. COS

Hoc anno circa mensem Septembrem Galerius Maximianus Augustus consumptis genitalibus defecit, imperii anno altero & XX. quod partim Caesar, partim Augustus obtinuerat. Quare respub. tum a quattuor imperatoribus tenebatur. Constantino & Maxentio filiis Augustorum, Licinio & Maximino nouis hominibus. Ex quibus Constantinus omnia trans alpeis; Maxentius vrbem, Italiam, & Africam; Licinius Illyricum; Maximinus orientem tenebant. Ita Victor, Socrates, Eusebius, Eutropius, & Zosimus. Ceterum Licinii hic extat nummus IMP. CAES. C. VAL. LICIN. LICINIVS. P. F. AVG

Annus ∞ LXIIII

Constantinus II. & Licinius II. Impp. consules digeruntur a Cassiodoro, libro Cuspiniani, codice Theodosiano, & Fastis Graecis. Hoc anno quum Constantinus imp. bellum ciuile aduersus Maxentium Augustū mouisset, in Italiam ex Galliis maximo cū exercitu ueniens, copias Maxentij multis proeliis fudit, ipsum postremo Romae aduersus nobiles saeuientem, apud pontem Miluium vicit. Qui dum aduersus Constantinum congreditur paulo superius ab ipso ponte Miluio, in alium nauigiis compositum pontem ab latere ingredi festinans, lapsu equi in Tiberim decidit, corpusque thoracis pondere limo absortum uix postea repertum est, atque ita Constantinus Italia omni & Africa potitus est. Occisus autem fuit Maxētius VIII. K. Octobris, pridie quam septimum imperii annum inchoaret. Ex panegyrico ad Constantinum, Zosimo, Victore, Eutropio, Socrate, & Eusebio

De Indictione, Labaro, & Constantini ad Christi fidem conuersione

Ita clarus & apertus est Indictionis usus, omnibusque publicis scribis, notariis, & ut vocant, tabellionibus; item iuris peritis, atque adeo omnibus antiquitatis studiosis eius nomen manifestum est, ut in omni Romana post Caesarum imperium uetustate, nihil eo fere illustrius esse constet. In omnium enim cuius uis generis instrumentorum, rescriptorum, constitutionum diplomatum, & priuilegiorum tam imperialium quam pontificiorum fine, eius anni quota sit indictio semper addi solet. Quae quamquam tam hoc tempore, quam antiquitus ita frequenter in usu fuerit, eius tamen origo obscurissima est, atque omnium quod sciam antiquitatum incertissima. Quum autem multi & sane docti viri tum nostra uel patrum, tum prisca illa aetate laborarint, ut eius originis caussas, & tempora aperirent, rem abstrusissimam alio quā deriuata erat detorquentes, in aniles errores & fabulas inciderunt, ut nihil minus quam eius originis certum tempus & rationes consequuti fuerint. Quam ob rem quum ad hunc annum explicandum deuenerim, in quo eam tum primum institutam fuisse pro indubitato comperii, rem utilem omnibus antiquitatis studiosis me facturum existimaui, si etiam huius rei a nullo hactenus quod sciam scriptae, a paucis vero admodum cognitae, & intellectae originem, & caussas aperirem, ut & res cognitu dignissima facile ab omnibus intelligatur, & meo huic commentario gratia aliqua, & ex penitus abstrusae rei elucidatione dignitas accrescat. Accedit illud etiā quod indictionis quaestio, disputationem de imperiali signo quod Labarū vocabant, & Constantini ad Christi fidem conuersione secum trahit, res quae cognoscantur dignissimae. De indictione autem disputaturus dicam primum quid alii de hac re scripserint, deinde quid ego sentiam. Veteres quidam qui ante mille annos fuerunt scriptores, quos postea sequentium & nostrorum temporum sequuti sunt doctiores, quum animaduertissent INDICTIONIS uocabulo certum tributi uel exactionis genus, quod a principibus populis indicebatur, hoc est imperabatur, interpretarij (Pedianus. n. IIII. in Verr. Omne genus (inquit) pensitationis in hoc capite positū est

canonis, oblationis, indictionis. Et Plinius iunior in panegyrico gratias inter cetera agit, laudatque Traianum Imperatorem; quod sub eius principatu prouinciae nouis indictionibus attritae, aut uexatae non fuerant) indictionemque quintodecimo quoque anno rursus inchoari, existimauerunt indictionem dictam ab eo quod Romani quum rerum potirentur, tributum subiectis nationibus singulo quinquennio soluendum indicebant. Alij addunt; Romanos, quũ haud facile ex longinquis regionibus subditae nationes ad tributa soluenda Romam uenire possent, statuisse ut singulis lustris ea deferrent: & primo quidem lustro ferrum, alio argentum, alio aurum;& quoniam semper ab auro ad ferrum redibant, ideo indictiones XV. annorũ constitutas, qui circulus quasi quidam esset. Cuius tamen rei nulla apud veteres auctores memoria extat. Bedas libro de natura rerum cap. XLVII: Quidam autem putant (inquit) quia quondam in republica post censum quinto anno peractũ, vrbs Roma lustrabatur, ad indicium ternae lustrationis, & census, indictiones esse conditas. Adijcit Dionysius Exiguus abbas Romanus qui ante mille annos vixit; Indictiones ab Augusto Caesare ante Christi aduentum institutas fuisse, olympiadis CXCIIII. anno primo, VIII. Kal. Octobris. Nam indictione quarta D.N. IESVM. CHRISTVM. natum scribit, quod & Bedas ipse affirmat. Chyrius Fortunarianus V.C Afer, cuius Hieronymus, & ab eo Sophronius meminere, rationem inueniendi indictiones annuas conscribens, nullam earum originis mentionem facit. Mirum quoque & Isidorum tam accuratum scriptorem ne verbum quidem de indictione fecisse. Haec aurem omnia quae hactenus de indictione allata sunt, haud recte dicta fuisse ostendam. Si quidem indictiones non sub Augusto Caesare, sed longo tempore post sub Constanrino Augusto inuentae sunt, neque ad tributi uel pensitationis usum, sed ad temporum rationem digerendam, erroresque rollendos, qui circa tempora & annos oboriri poterant. Quod quo tempore, qua ratione, & a quibus factum fuerit, atque unde ego illud acceperim demonstraturus, cogor ante pauca proponere de laudibus eius, cuius potissimum industria, rem obscurissimam, ac tenebris antiquitatis oppressam, atque a nemine hactenus cognitam illustraui, & in lucem produxi. Etenim ingenui ac grati animi esse existimo, unde aliquid acceperis, per quem profeceris indicare, neminemque iusto laudis praeconio spoliare, & praesertim eum hominem a quo omnium quae in toto hoc opere elaborate, accurate, perfecteque concinnaui, initia hauserim. Hic est aurem P. OCTAVIVS. PANTAGATHVS. qui nisi hoc nomen haberet, praenomen merito habere potuisset, cuius de laudibus, & si pauca aut obiter dicere nefas esse existimo, vix enim integris uoluminibus explicari possent, tamen ob singularem meam erga illum obseruantiam, hoc loco mihi temperare non potui, in quo ea explicanda sunt, quae de illius praecipue ingenii acumine, iudicii acrimonia, recondiriorisq; eruditionis varietate, atq; praestantia, tanquam purissimo fonte manarunt, quin breuiter de tanto viro, & vere quae sentiam dicam; ut et qui eum nouerunt, quod eũ nouerint in magna felicitatis parte ponãt, qui autem ignorant ij hominis quũ optimi, tum doctissimi notitiam a me accipiant. Sic enim sentio, neminem nostra aetate, vel ingenio, vel diligentia, uel doctrina praestantiorem haberi. Nihil est enim apud Graecos, Latinosue, sacros, profanosq; scriptores, quod non ille accuratissime legerit, nihil in his reconditũ quod nõ peruestigarit, adierit, inspexerit, & cũ incredibili quadã iudicii dexteritate examinauerit, nihil postremo difficile quod non aut ingenio, aut firmissima coniectura dissoluerit. Adeo ut ne Varronem quidem illum, quem tantopere antiquitas admirata est, huic anteponendum esse putem, qui iure mihi nostrorum temporum Varro appellandus esse videatur. Neque enim hic solum antiquitatem omnem veterem, recentiorem, sacram, profanam, Latinam, Graecam, & barbaram habet cognitam, sed omnes etiam Grammatices, Poetices, Rhetoricae, Philosophiae, & Theologiae partes cognitione & scientia comprehendit, ut in qua vna arte aliis versari difficile sit, in vniuersis ipse facile excellat. Magna certe me loqui intelligo, atque haec quidem multis fore admirationi credo, qui ipsum non nouerunt, praesertim vero quum ipse Socratis illius exemplo nihil dum ediderit, neque se editurum esse profiteatur: sed me vera de eo praedicantem, multorum facile quos scio ei familiarissimos fuisse testimonio comprobari possem. Quãta deinde humanitate, ac facilitate abstrusissimum quodque, quod per se sine ulla magistrorum opera perdidicit, amicis suis studiosissime confert. Nihil est ita arduum & difficile, quod non facile & libentissime rogantibus aperiat, elucidet, & interpretetur. Qua ratione omnium fere hominũ qui litterarũ studio dediti sunt, volũtates ac studia sibi mirũ ĩ modũ deuinxit: praesertim vero quum ad eximiam doctrinam, & humanitatem, eam vitae integritatem, innocentiã, modestiam, & tantae doctrinae decentem summam religionem adiunxerit, ut eruditior ne, an melior sit, ne facile quidem dijudicare familiares eius possint. Sed demum intelligo me modũ praescripti mihi termini egressum, dum me loquendi de viro longe optimo dulcedo diutius tenuit. Ad institutum igitur nostrum de indictione reuertamur. Cuius quaestionis initia fateor

teor me ab hoc tanto viro, cui dum Romae uixi familiarissimus fui, dum uiuam autem omni honore atq; obseruãtia colam, accepisse. Quũ ego accuratissime animaduertissem, obseruassemq; ante Cõstantini A. imperiũ nullibi, neq; apud publicos neq; apud priuatos scriptores, vnquã indictionis mentionẽ fieri, ea ratione qua nunc usurpatur, sub eiusdem uero imperio, & paulo post vbiq; & passim, pro annorũ digestione indictionis uocabulũ tã in publicis, quã in priuatis actionibus frequentari; in eam demum deueni sententiam, ut crederem indictionis initia sub Constantino Imp. fuisse; verum quo potissimum anno, aut quam ob caussam incertus diu fui. Ad singula itaque eius gesta examinanda conuersus, tandem a P. Octauio de signo crucis illi viso, victoriaque deinde ad pontem Miluium contra Maxentium ab eo obtenta admonitus, incredibile dictu, quantum mihi lucis rem obscurissimam pertractanti, hoc animaduerso accesserit. Nam statim recta indictionum computatione facta, inueni eo anno quo Maxentius a Constantino victus est, indictionem primam inchoatam fuisse. Is erat annus Christi CCCXIII. Quare statim in eam deueni sententiam, ut indictio qua ad nostram usque aetatem pro annorum numerandi ratione vtimur, eo potissimum anno exordium habuerit. Meam vero hanc opinionem maxime confirmauit quod ex Socrate ellicitur, ex incerti uero auctoris panegyrico aperte intelligitur; Maxentium VIII. Kal. Octobris pridie quam septimum imperii annum inchoaret a Cõstantino uictum in Tiberim cecidisse, quo praesertim die indictio auspicari solet, vt Fortunatianus, Beda, & vsus docet. Verum ut omnis haec res facilius explicari & intelligi queat, quae de bello ciuili inter Constantinum & Maxentium exorto, Constantini diuina visione, & victoria, Maxentii uero interitu a scriptoribus traduntur breuiter aperiam. Diocletiano Iouio & Maximiano Herculio imperio (ut dixi) abdicantibus, ex Caesaribus in eorum locum Augusti creati sunt Constantius & Galerius Maximianus, diuisusque est inter eos Romanus orbis, vt Galliam, Italiam, Africam Constantius; Illyricum, Asiam, orientemque Galerius obtineret. Constantius postea dignitate Augusti contentus, Italiae atque Africae administrandae solicitudinem recusauit. Quibus Galerii imperio adiunctis, duos sororum filios Galerius Caesares creauit, Seuerum cui Italiam, & Africam; & Maximinum cui orientem concessit, ipse in Illyrico mansurus. Interim Carthagine in Africa contra Seuerum Alexander, & in Illyrico contra Galerium Valens imperatores appellantur. Haud multo post, Constantius Augustus Eboraci in Britannia moritur, cui cunctis qui aderãt, & praecipue Croco Alemannorum Rege, qui auxilij gratia ad Constantium uenerat, adnitentibus, legitimis exclusis filiis, Constantinus ex obscuriore matrimonio eius & Helenae filius, suffectus est XI. K. Augusti. Quo Romae nũtiato praetoriani tumultu excitato, Maxentium Herculij Maximiani filium, qui sexto ab urbe lapide in uilla sua, via Lauicana sita morabatur, Augustum & ipsi nuncupauerunt. Maxentium ferunt rei indignitatem haud passum fuisse, quum nõ solum noui homines Seuerus, Maximinus, Alexander, & Valens, sed & spurius Constãtinus fratribus legitimis praelatus, ad imperii fastigium euecti essent, ipse uero imperatore nobilissimo genitus, omnibus postpositus, priuatam agere uitam cogeretur. His igitur magnis ad concupiscendum imperium facibus instinctus, Romae (ut dixi) a praetorianis Imp. appellatus, purpuram contra Seuerum Caesarem cui Italia a Galerio commissa erat, assumpsit. Aduersum Maxentii & praetorianorũ motũ Seuerus Caes. Romam a Galerio missus, cum exercitu ualido uenit, obsidensque vrbem, militum suorum scelere desertus est, a quibus proditus iussu Maxentii necatus. Ita auctae Maxentio opes, confirmatumque in omni Italia usque ad Alpes est eius imperium. Qui quum contra Alexandrum qui in Africa tyrannidem arripuerat bellum mouisset, eo caeso Africam suo adiunxit imperio. Galerius uero non longe post Seueri Caesaris mortem, Licinium militiae socium Augustum creauit, a quo Valens in Illyrico caesus est. Verum Galerio Maximiano per ea tempora mortuo, quum Maximinus in oriente se ipse Augustum creasset, Romanum imperium a quattuor Augustis tum tenebatur: Hispaniae, Galliae, Britannia, & Germania a Constantino; Italia, & Africa a Maxentio; Illyricus a Licinio, & oriens a Maximino. Primus omnium Constantinus quinto imperii sui anno aduersum Mexentium bellum ciuile commouit, copias eius aliquot proeliis fudit, ipsumque postremo Romae aduersus nobiles omnibus exitiis saeuientem, septimo imperii anno Christi vero CCCXIII. apud pontem Miluium, mense Septembri, hac ratione nõ sine manifesto dei beneficio uicit. Quum (ut ex secundo Eusebii Pamphili libro de vita Constantini; Socrates historiae Ecclesiasticae libro I. cap. II. & Sozomenus libro I. cap. II. & III. tradũt) Maxentius inaudita tyrannide Romanos opprimeret, ita ut nobilium, & senatorum vxores constupraret, aduersantes occideret, bona & facultates omnium raperet, atque ciues sine discrimine sexus, aetatis, uel dignitatis acerrime caedibus, proscriptionibus, exiliisque persequeretur, Constantinus qui trans alpes imperabat in Italiam ab iis qui Maxentii tyrannidem ferre non poterant, quinto imperii sui anno accersitus, solicite cogitare coepit, qua nam ratione sine ciuili sanguine nefarium tyrannum

num e medio tollere posset, nam ualidissimas ciuitates in alpium faucibus munierat, maximeq; apparatu ingentes exercitus instaurare nuntiabatur. Et quum in eiusmodi cura pius imperator uersaretur, animo secum euoluebat; quem nam sibi deum potissimum ad eam pugnam protectorẽ inuocaret, uel Romanorum ueteres deos, uel ipsum deum quem Cõstantium patrem coluisse cognouerat; cuius beneficio ceteris imperatoribus felicius & prosperius omnia ei contigissent: (religioni enim Christianae admodum addictus fuerat imp. Constantius, quamquam baptismi sacramenta eum suscepisse non constet.) Haec autem oranti, ac indesinenter eidem supplicanti, diuinum quodam ostentum, summaque admiratione dignissimum (quemadmodum ipse postea iure iurando narrare solebat) apparuit. Nam die quadam paulo post meridiem, sole iam declinante, ipsis se dicebat oculis in coelo supra solem, crucis signum e luce adornatum & constructum, ac scripturam additam uidisse sic dicentem IN.HOC.VIN C E. Eum quoq; a toto exercitu admirabundo & stupente uisum affirmabat. Quo miraculo attonitus, & cogitabundus, quum de eo quod uiderat plurima in animo uolueret, eum nox apprehendit. In qua dormienti sibi Christum una cum crucis symbolo quod in cœlo uiderat apparuisse, ac praecepisse dicebat, ut signum sibi iuxta formam eius quod in coelo uiderat compararet, illoq; contra hostium exercitus, uexilli & signi loco uteretur. Mox die exorto amicis congregatis totam rem exposuit. Quorum consilio admonitus, Christi sacerdotes ad se statim accersiuit, a quibus de Christi doctrina, pietate, & religione ad amussim instructus est. Quare aurificibus conuocatis signi quod uiderat imaginem pinxit, praecepitque ut auro, ac lapidibus pretiosis gemmis, margaritis, unionibusq; exprimeret. Signum aũt quemadmodũ ex Cõstãtini nũmis intelligitur erat sic ⳨ uel sic ☧ in quibus in eius rei memoriam circa id signum scriptum est HOC.SIGNO.VICTOR.ERIS. Quattuor autem apud ueteres Romanos post oppressam Rempublicã, ut ex Cornelio Tacito, & alijs eorum temporum scriptoribus didici, signorum seu uexillorum genera in castris fuisse inueni. Nam manipulorum & equitum uexilla, cohortium signa, legionũ aquilae, totius uero exercitus, siue ipsius imperatoris Labarum uocabatur, Res autem quae Labarum dicta est, Augusti temporibus, Labari uero uox ab Hadriano, ut puto, inuenta est. Nam quod recentiores Labara uocauerunt, antiquiores Caesarũ, & Augustorum signa, & imagines uocabant. Fuit autem Labarum hac ratione formatum. Erat hasta in sublime erecta, & aureis laminis circũdata, in cuius pene extremitate cornu habebat transuersum, ad formam crucis factũ, superne uero in extremo uertice corona ex lapillis, & auro cõtexta circundata erat, intra quam imp. imago stabat. Quam eo loco detraxit Cõstãtinus, atque in eius locum hoc signum crucis adposuit ⳨ uel sic ☧ in transuerso autem cornu, quod hastae appensum erat, uelamen quodam pendulum suspensum erat e purpura, quae uarietate gemmarum inter se cohaerentium, ac splendore lucis fulgentium, auroque multo inserto cooperta, miram exhibebat spectantibus pulchritudinem. Itaque uelum hoc uexilli forma de cornu pendens moderatam quandam habebat, tam longitudinis, quàm latitudinis circumscriptionem; quod commodissime comparari poterit his religiosorum hominum uexillis, quae uulgo confalones, uel cruces appellantur, atque ad supplicationes ante singula sodalitia efferuntur. In ipsa uero hasta sursum erecta, ad initium inferius admodum protracta, superne uero in sublime producta, sub ipsam crucem, ad extremum lembum uexilli circumiecti, imaginẽ suam ad pectus usque auream e sumitate detractam una cum liberorum imaginibus adposuit. Hoc itaque salutari signo in qualibet deinde expeditione perpetuo usus est Costantinus imperator; atque aliquanto tempore post cunctis legionibus pro aquilis, illius similitudine signa praeferri praecepit, cohortium quoque signa, turmarum equitum, & manipulorum uexilla ad eam formam uerti iussit. Labarum igitur, ut dixi, erat signum illud castrense uniuersi exercitus, reliquis longe praestantius & dignius, quod perpetuo imperatorem praecedere, adorarique a militibus solebat. Existimandum autem Constantinum nobilissimum hoc Romani imperij signum, ob id potissimum in crucis symbolum uertisse, ut iugi illius aspectu, & ueneratione subditi, patrijs ritibus paulatim desuescerent, & hunc solum deum esse reputarent, quem imperator & coleret & ducem auxiliatoremque contra hostes in bellis haberet. Etenim signum hoc perpetuo exercitibus suis praemittebat, & laborantibus in proelio aciebus adesse iubebat, & nobiles ex omni militia deputauit, quorum id muneris esset, ut singilatim per uices signum hoc humeris suis ferrent, & acies hostium circuirent. De Labaro antiquior omnium quod sciam mentionem facit Tertullianus capite XVI. apologetici ita: Sed & qui crucis nos religiosos putat, consecraneus noster erit. Quum lignum aliquod propitiatur uiderit habitus, quum materiae qualitas eadem sit uiderit forma, dum id ipsum dei corpus sit. Et tamen quanto distinguitur a crucis stipite Pallas Attica, et Ceres Farrea, quae sine effigie rudi palo, & informi ligno prostãt? pars crucis est omne robur quod erecta statione defigitur, nos si forte integrum &

totum

totum deum colimus. Diximus originem deorum vestrorum a plastis de cruce induci. Sed & victorias adoratis, quum in trophaeis cruces intestina sint trophaeorum. Religio Romanorum tota castrensis, signa ueneratur, signa iurat, omnibus diis praeponit, omnes illi imaginum suggestus insignes, monilia crucium sunt; Sypara illa uexillorum, & Labarorum stolae crucium sunt. Laudo diligentiam noluistis nudas & incultas cruces consecrare. Et Minucius Felix in dialogo Octauio; Cruces etiam nunc colimus, nec optamus, uos plane qui ligneos deos consecratis, cruces ligneas deorum uestrorum partes forsitam adoratis? Nam & ipsa signa, & Labara, & uexilla castrorum quid aliud quam inauratae cruces sunt & ornatae? trophaea uestra uictricia non tantum simplicis crucis faciem, uerum & affixi hominis immitantur. Et Prudentius qui Cōstātini facti meminit libro priori in Symmachū de Labaro, & Constantini per crucis signū victoria, sic mentionem facit

Hoc signo inuictus transgressis alpibus ultor
Seruitium soluit miserabile Constantinus
Quum te pestifera premeret Maxentius aula
Lugebas longo damnatos carcere centum
Vt scis ipsa patres, aut spon sus foedera pactae
Intercepta gemens, diroque satellite rapta
Immersus tenebris, dura inter uincla luebat
Aut si nupta thorum regis conscendere iussa
Coeperat impurum domini oblectare furorem
Morte maritalis dabat indignatio poenas
Plena puellarum patrumque ergastula saeui
Principis, abducta genitor si uirgine mussans
Tristius ingemuit non ille impune dolorem
Prodidit, aut confessa nimis suspiria traxit
Vim libertatis nimiae, patriumque dolorem
Testis Christicolae ducis aduentantis ad vrbem
Miluius, exceptum Tiberina in stagna tyrannum
Praecipitans, qua nam victricia uiderit arma
Maiestate regi quod signum dextera vindex
Praetulerit, quae tali radiarint stemmata pila
Christus purpureum gemmāti textus in auro
Signabat labarum, clypeorum insignia Christus
Scripserat, ardebat summis crux addita cristis
Ipse senatorum meminit clarissimus ordo
Qui tunc concreto processit crine, cathenis
Squalens carcereis, aut nexus compede vasta
Complexusque pedes victoris ad inclyta flendo
Procubuit vexilla iacens, tunc ille senatus
Militiae ultricis titulum, Christique verendum
Numen adorauit, quod collucebat in armis
Et alibi
Seu vos procinctus maneat, seu pace quietas
Dictemus leges, seu debellata duorum
Colla tyrannorum media calcemus in urbe
Agnoscas regina lubens mea signa necesse est
In quibus effigies crucis aut gemmata refulget
Aut longis solido ex auro praefertur in hastis

Ambrosius quoque ad Theodosium Augustum libro V. Ep. XXIX. Habebis (inquit) imperator comitem praeuaricatorē, & huic vexilla comittes victricia, huic Labarum, hoc est Christi sacratum nomine, qui synagogam instauret, quae Christum nescit. Iube Labarum synagogae inferri, videamus si non resistunt. Atque hactenus de Labaro. Hoc igitur salutari signo munitus Constantinus ad bellum ciuile se praeparabat. Superatisque alpibus firmissima propinquarum vrbium praesidia expugnauit, triplici deinde proelio eius copias profligauit, bienniique spatio totam Italiam pristinae maiestati asseruit. Quum autem ad vrbem venisset in quam se toties victus tyrannus concluserat, castra in pratis Quinctiis, iuxta pontem Miluium e regione vrbis locauit. Contra quem quum alio ponte nauibus super Tiberim paulo supra pontem Miluium de industria in dolo facto, Maxentius exiisset, atque pugna inchoata fugam simulans in vrbem reuerteretur

uerteretur per eundem pontem, tum non fine diuina uirtute, laxatis tabularum fibulis, nexibusque, in dolum quem Constantino parauerat, incidit; Tiberis enim gurgitibus quum plerisque suorum satellitum absortus est. Corpusque pondere thoracis limo infixum uix postea reperiri potuit. Atque ita dei uirtute, & salutaris signi opera, Constantinus citra ciuilem sanguinem quod semper optauerat egregia uictoria potitus, urbem Romam a saeuissima, atque immani tyrannide liberauit, Italiamque atque Africam suo adiunxit imperio. Statim autem ubi Vrbem imp. ingressus est, faustis acclamationibus senatus populique Romani exceptus, qui a crudeli tyrannide liberati paululū respirare coeperant, in curiam uenit, omnesq; oratione habita bono animo esse iussit. Tum deo liberatori gratias agens, magna pictura, & titulis salutare signum crucis media urbe trophaeo erecto locauit, inscripsitque SALVTARI. HOC. SIGNO. ROMANVS. PRINCIPATVS. ET. VNIVERSVM. IMPERIVM. CVSTODITVR. Confestim etiam sublimem in crucis forma hastam constructam manibus imaginis suae eo loco ubi a tyranno hominum proscriptiones, & publicationes bonorum fieri solebant collocatae, fixit, elogiumque hoc addidit. SALVTARI. HOC. SIGNO. TANQVAM. VERAE. FORTITVDINIS. ARGVMENTO. VRBEM. VESTRAM. IVGO. TYRANNI. ERREPTAM LIBERAVI. S. P. Q. R. AVCTORITATI. PRISTINAE. DIGNITATI. QVE. RESTITVI. Senatus uero in eius rei memoriam eximiae structurae arcum in Subura sub Palatij radicibus uersus montem Coelium construxit, eique dedicauit, atque hoc elogio ornauit

IMP. CAES. FL. CONSTANTINO. MAXIMO
P. F. AVGVSTO S. P. Q. R
QVOD. INSTINCTV. DIVINITATIS. MENTIS
MAGNITVDINE. CVM. EXERCITV. SVO.
TAM. DE. TYRANNO. QVAM. DE. OMNI. EIVS
FACTIONE. VNO. TEMPORE. IVSTIS
REMPVBLICAM. VLTVS. EST. ARMIS
ARCVM. TRIVMPHIS. INSIGNEM. DICAVIT

LIBERATORI. VRBIS FVNDATORI. QVIETIS

Quo tempore Maximinus qui orientem tenebat, persequutione in Christianos mota, quum a Licinio puniendus esset Tharsi mortuus est, atque ita uniuersi orbis Romani monarchia in duos deuenit Licinium atque Constantinum. Porro autem Constantini de Maxentio uictoria fuit, ut Socrates & Sozomenus cum Eusebio scribunt, septimo imperij sui anno, ipso II. & Licinio II. cos. Anno Christi CCCXIII. atque ut auctor incertus in panegyrico scribit, circa VIII. Kal. Octobris, pridie quā tyrannus septimum imperij annum inchoaret. In cuius rei memoriam ego primam indictionem institutam fuisse existimaui; quae & VIII. Kal. Octobris singulis annis inchoatur, & hoc anno prima fuisse intelligitur, ex earundem diligenti supputatione. Indictionem autem quasi indicationem dictam esse mihi persuasi, ab indicta uel indicata uictoria de tyranno per signum crucis a Constantino uisum. Quae quamquam hoc anno, ut ostendam, non instituta fuerit, sed aliquot annis post, eius tamen initium ad hunc potissimum annum in eius rei memoriam relatum fuit. Quando uero & cur instituta fuerit, nunc ostendā. Omnes sacri profanique scriptores, ut Marcellinus, & Zosimus in hoc unum conueniunt, Cōstantinum abnegato palam idolorum cultu, Christianam puritatem amplexum fuisse. Qui disciplina Christiana edoctus, paulatim coepit antiquos ritus, sacra, caerimonias, & superstitiones abolere, omnia enim simul tollere non potuit, maiori hominū parte adhuc in ueteri superstitione obligata. Quare primo legibus Christianis admodum fauorabilibus datis, multa in Christianorum commoda sanxit, inter quae illud praecipuum fuit, ut quod antea non licebat, libere liceret unicuique & aperte Christum colere, oratoria & templa more Romano eidem dedicare. Licere Christianis omnes Romanas dignitates, quibus ad eam diem mulctati fuerant, obtinere; deinde publice Christi fidem praedicari ab omnibus posse. Sacerdotes Christianos opibus, & redditibus auxit, Christianorum tēplis egregia donaria intulit. Deinde Christiana religione satis, ut uidebatur stabilita, animum ad ueterem superstitionem paulatim tollendam adiecit, atque inter cetera datis rescriptis, gentilium templa cludere iussit, profana sacrificia interdixit, oracula Delphicū & Dodonaeum substulit, ludos olympicos in Graecia, agonem Capitolinum Romae amplius celebrari prohibuit. Deorum ferias, epulas, & solemnia omnia palam fieri uetuit. Sacerdotiorum tamen redditus non omnino fisco applicauit, quod postea Theodosius fecit. Inter ea autem quae pro tollenda ueteri superstitione, & noua Christiana religione firmanda fecit illud unum rettuli, ut ex Zosimo intelligitur, quod ludos Olympicos per quos tempora apud Graecos digerebantur amplius celebrari non permisit, ludi enim non

fine

ſine ſacrificijs edebantur. Quare ne ſine publica annos numerandi ratione orbis eſſet, nouus hic numerandi modus per indictiones ſcilicet in concilio Niceno inuentus eſt. Inſtitutas, ut inquit Bedas & recte, ad cauendum errorem qui de temporibus forte oboriri poterat. Dum enim uerbi gratia, quilibet imperator medio anni tempore uita, uel regno decederet; poterat euenire ut eundem annum vnus hiſtoricus eiuſdem regis adſcriberet temporibus, eo quod eius partem regnaſſet, alter vero hiſtoricus eundem ſucceſſori illius potius attitulandum putaret, eo quod & hic partem aeque eius haberet in regno. Verum ne per huiuſcemodi diſſonantiam error temporibus inoleſceret, ſtatuerunt indictiones (nondum enim anni Chriſti in uſu erãt) quibus uterque ſcriptor, immo etiam uulgus omne temporum curſum facillime ſeruaret, quas pro facilitate quoque calculandi XV. eſſe uoluerunt, ut planiſſimo numero, & ad multiplicandum promptiſſimo, compendioſius tranſacti temporis ſtatus in memoriam poſſet reduci. Ita Bedas. Sublatis igitur olympiadibus commodiſſima apud Graecos numerandi ratione, pro ijs in concilio Niceno Indictiones inſtitutae fuere. Quarum initium eſſe uoluerunt ab eo potiſſimum anno & die, quo victo & occiſo Maxentio tyranno, nobiliſſimaque victoria parta per Conſtantinum imp. eccleſijs Chriſti pax reddita eſt. Haeque conſurgunt ex ante diem VIII. Kal. Octobris Conſtantino II. & Licinio II. Aug. coss. Anno Chriſti CCCXIII. Huius rei in Canone concilij magni Niceni mentio eſt. In quo praecipitur, ut ſingulis Epiſcoporum diplomatibus anni, menſes, dies, & quota ſit indictio addatur. Indictiones autem ſingulis annis ab VIII. Kal. Octobris, in eundem diem reuoluto anno mutantur; ita ut toto hoc anno fuerit indictio prima, ſequenti ſecunda; tertio, tertia; quarto, quarta; & ſic deinceps uſque ad XV. finita quintadecima rurſus inchoatur prima, & ſic deinceps. Harum indictionum uſus aperte intelligitur quum multis locis, ut ex actionibus conciliorum, codice Iuſtiniani, Caſſiodoro, & alijs; tum ex codicis Theodoſiani libro XI. tit. XXVIII. paragr. VIII. Impp. Honorius & Theodoſius Augg. Seleuco P.P. Nauicularijs intra Africam ex XIIII. Indictione cõſulatus Valentiniani Auguſti III. & Eutropi V.C. uſque ad indictionem IIII. conſulatus noſtri VII. & Theodoſi II. omnia reliqua indulgemus Dat. III. Nonas Aprilis Rauennae, Conſtantio & Conſtante coss. Et paragr. VIIII Per omnes prouincias orientis ex indictione XI. Valentiaca, in quintam uſque nuper trãſactam indictionem annorum ſcilicet XL. ideſt ex conſulatu Diuorũ Valentiniani & Valentis II. Augg. uſque ad conſulatum inuictiſſimi Honorij patrui mei VII. & meum II. omnium generalium titulorum ſub aequa lance tam curijs, quam collatori priuato, & patrimoniali conceſſimus reliqua, ita ut nihil arcae noſtrae debeatur. Sequentis temporis debitis ex indictione VI. uſque ad praeſentem XII. emergentibus neceſſitatibus reſeruatis. Dat. Conſtantinop. V. Id. Aprilis, Conſtantio & Conſtante conss. Item parag. X. Iidem. Augg. Aureliano P.P. Indulgentiam quam ex XI. indictione Valentiaca in quintam uſque nuper tranſactam generaliter ſparſimus, nonnulli nixi ſunt in ſuum commodum rapinamque conuertere &cet. Dat Conſt. V. Id. Iuli, Honorio X. & Theodoſio VI. Augg. coss. Item Paragr. XVI. Iidem. Augg. Tauro P.P. A ſexta indictione ad quam ſuperior indulgentia vſque proceſſit, ad vndecimam nuper tranſactam, ſub aequa dimenſione tam curijs, quam poſſeſſori priuato ac patrimoniali, diuinae quin etiam domui ex omni iure munifico, necnon & in ſpeciebus cellarienſibus reliqua indulgemus, ita ut quae in iſtis uiginti annis a ſexta qua dictum eſt indictione, undecimam uſque per omnes titulos debentur, nomine reliquorum omnibus conceduntur. Dat. X. Kal. Maij, Theodoſio Augg. XIIII. & Maximo V.C. coss. Et parag. XVII. Iidem AA. Iſidoro P.P. Debita ſuſceptoribus ante decimam indictionem congregata, quae ſedes praeexcelſa pretijs humanioribus adaerauit, ex parte dimidia condonamus, arcae cetera inferre praecipimus. Dat. Prid. Idus Iul. Conſtantinopoli, Iſidoro & Senatore coss. Hic itaque erat veterum indictionum uſus. Reperitur quoque apud Caſſiodorũ conſulatum, & reliquos magiſtratus in illam & illã indictionem, a principibus decretos fuiſſe. Illa indictione tale quid factum, tali indictione legatos miſſos. Si quis autem quota ſit ſingulis annis indictio inuenire uellet, hoc argumento cognoſcere id poterit. Accipe annos a Chriſti natiuitate, quot quot fuerint, vt hoc anno, qui eſt ∞ DLVIII. his adde ſemper tres annos, ita ut ſint ∞ DLXI. haec partire per XV. hoc facto, remanet unus. Igitur hoc anno prima eſt indictio. Si nihil remanſerit erit quinta decima, ut fuit anno ſuperiore ∞ DLVII. Quum haec omnia de indictionis initio ſcripſiſſem, quamquam haec ſibi inuicem maxime correſpondere uidebantur, mihi tamen ipſi multum non ſatisfaciebã, quũ omnia puris, & ſi firmiſſimis coniecturis firmata eſſent. Veteris igitur alicuius ſcriptoris, auctoritatem quamlibet leuem deſiderabam, quumque omnia euoluiſſem inueſtigaſſemque, nihil poſtremo inueni, quod ad rem faceret. Tandem re prorſus deſperata Faſti Graeci, quorum ſine nomine auctor circiter mille annos ante fuit ad manus meas uenerunt, quos quum accurate examinarem, tandem hoc ipſo anno ſub Conſtantini & Licinij Augg. ſecundo conſulatu haec ipſa verba notata ſic inueni

IN-

ΙΝΔΙΚΤΙΟΝΩΝ.ΚΩΝCΤΑΝΤΙΝΙΑΝΩΝ.ΕΝΤΕΥΘΕΝ.ΑΡΧΗ. Id est: Hinc indictionum Constantinianarũ exordium. Quo animaduerso incredibile dictu est, quanto gaudio affectus fuerim. Quum ad hanc ipsam meam coniecturam firmandam nihil firmius, apertius, & commodius cótingere potuisset. Omnis igitur si qua remanserat haesitatio penitus sublata; omnia quae de indictione dixi firma, rata, certaque habenda sunt; quũ & temporum rationi respondeat, & apertissimum uetustissimi scriptoris testimonium habeant. Graecus enim Fastorum consularium scriptor, eam Indictionem Constantinianam uocauit, quod sub Constantini imperio instituta esset. Haec itaque sunt quae de indictione, & indictionis occasione de Labaro, & Constantini Imp. pietate, ex Eusebio, Socrate, Theodorito, Eutropio, Victore, Zosimo, & ceteris antiquis scriptoribus inuenire potui

Annus ∞ LXVI

CONSTANTINO.III.ET.LICINIO.III.COS.VI.IDVS.DECEMBER.RVFIVS.VOLVSIANVS.PR.VRBI.FVIT. Hos ipsos consules Cassiodorus, liber Cuspiniani, & Fasti Graeci profitentur. Quo anno bellum ciuile inter Licinium & Maximinum exortum, mors Maximini finiuit. Is enim mense Iunio Tharsi Ciliciae dum bellum ciuile compararet contra Licinium, morte naturali sublatus est, imperij anno septimo, quod partim Caesar, partim Augustus obtinuerat: Ita Eutropius, Eusebius, & Victor

Annus ∞ LXVII

VOLVSIANO.ET.ANNIANO.COS.RVFIVS.VOLVSIANVS.PR.VRBI.FVIT. Eorundem cos. ceteri Fastorum auctores, & Damasus in uita S. Siluestri papae meminerunt. Hoc anno Crispus & Constantinus iunior Magni Constantini imp. filij, & Licinius iunior Licinij imp. & Constantiae sororis Constantini filius, Caesares appellati. Eodem anno Diocletianus quondam imp. qui multis annis post abdicationem uixerat Salonis mortuus est. Cui contigit quod nulli post homines natos, ut quum priuatus obijsset inter diuos tamen referretur. Tam Caesarum, quam alterius consulis Volusiani haec extant epigrammata, & nummi. C.VAL.LICINI.LICINIVS.NOB.CAESAR

FLAVIO.VALERIO.CRISPO
NOBILISSIMO.CAESARI.FILIO.D.N
CONSTANTINI.MAXIMI
ADQVE.INVICTI.SEMPER.AVG
ET.NEPOTI.DIVI.CONSTANTI
OVINIVS.GALLICANVS.V.C
PRAEF.VRBI.ET.IVDEX.SACRARVM
COGNITIONVM.DEVOTVS
N.M.Q.EIVS

item

PIISSIMO.AC.FORTISSIMO
FVNDATORI.PACIS
AC.PVBLICAE.LIBERTATIS
AVCTORI.D.N.FL
VALERIO.CONSTANTINO
NOBILISSIMO.CAESARI
VALERIVS.HONORATVS.V.P
D.N.M.Q.EIVS

. . . .
RELIGIOSISSIMO.QVE
C.CEIONIO.RVFIO.VOLVSIANO.V.C
CORR.ITALIAE.PER.ANNOS.OCTO
PRO.CONSVLI.AFRICAE.COMITI.D.N
CONSTANTINI.INVICTI.ET
PERPETVI.SEMPER.AVGVSTI
PRAEFECTO.VRBI.IVDICI.SACRARVM
COGNITIONVM.CONSVLI

Annus ∞ LXVIII

CONSTANTINO.IIII.ET.LICINIO.IIII.COS.XIII.KAL.SEPTEMBER.VETTIVS.RVFINVS.PR.VRBI.FVIT. Hos consules Cassiodorus, Liber Cusp. & Fasti Graeci commemorant. Hoc anno agon Capitolinus LVIII. Romae celebratus est

Annus ∞ LXIX

SABINO.ET.RVFINO.COS.PRID.NON.AVG.OVINIVS.GALLICANVS.PR.VRBI.FVIT. Hos consules ijdem Fastorum auctores suggerunt, quibus cos. Constantini imp. decennalia celebrata sunt. Horum cos. in uetustis monumentis mentio est ita

M.D.M.IDEAE.ET.ATTIDI.MINOTAVRANO
NOBILIS.IN.CAVSSIS.FORMA.CELSVSQ . . . . . .
HIC.PATER.INVICTI.MYSTICA.VICTOR.HABET
SERMO.DVOS . . . . RESERVAT
ET.VENERANDA.MOVET.CYBELES.TI . . . .
AVGENTVR.MERITIS.SYMBOLA.TAVROBOLII
RVF.CEIONI.CAE.SABINI.F.V.C
PVL.PR.Q.PATER.SACRORVM.INVICT.MITHRAE.TAVROBOLINVS

Hic in alia inscriptione Fl. Rufius Ceionius Sabinus V.C. appellatur

VALERIO.PROCVLO.V.C.PRAESIDI.PROVINCIAE.VAL. BYZAC

DD. NN. CRISPO. ET. CONSTANTINO. IVNIORE
NOBILISSIMIS. CAESS. COSS. IIII. KAL. SEP
MVNICIPES. MVNICIPII. AEL. HADRIANI. AVG. CIVI
LITANI. Q. ARADIVM. RVFINVM. VALERIVM. PROCVLVM
C.V. LIBEROS. POSTEROS. QVE. EIVS. SIBI. LIBERIS. POSTE
RIS. QVE. SVIS. PATRONO. COOPTAVERVNT. TESSERAM
QVE. HOSPITALEM. CVM. EO. FECERVNT
Q. ARADIVS. RVFINVS. VALERIVS. PROCVLVS. LIBERI
POSTERI. QVE. EIVS. MVNICIPES. MVNICIPII. AEL. HA
DRIANI. AVG. CIVILITANI. LIBEROS. POSTEROSQ. EORVM
IN. FIDEM. CLIENTELAMQ. SVAM. RECEPERVNT

HIC. BIS. PRAEFECTVS. PATRIAE
PRAEFECTVS. ET IDEM
HIC. LYBIAE. IDEM. LYBIAE
PRO. CONSVL. ET. ANTE
TER. VICE. QVI. SACRA
BIS. CINXIT. IVRGIA. IVDEX
CONSVL. ET. AETERNO
DECORAVIT. NOMINE. FASTOS
CAETERA. QVO. MEMOREM
TANTO. SVB. IVDICE. GESTA
CVM. PROCVLVM. VIDEAS
TOTO. QVI. NATVS. HONORI. EST
COLLEGIVM. SVARIORVM. PATRONO
PRAESTANTISSIMO

Annus ∞ LXIX

COSS.QVOS IVSSERVNT.DD.NN.AVGG.EX.DIE.XIII.KAL.MART.GALLICANO.ET.BASSO. IDIBVS. MAI. SEPTIMIVS. BASSVS. PRAEFECTVS. VRBI. FVIT. Cassiod.mēdose pro Gallicano Gallienū edit.Fasti GraeciGallicanū &Symmachū.Liber Cusp. Gallicanū & Bassum;& recte:sunt.n.Ouinius Gallicanus & Septimius Bassus,quorum Bassus in praefectura vrbis Gallicano successit *Annus* ∞ LXX

LICINIO.V.ET.CRISPO. CAES.COSS. EX.DIE.III. IDVS.IVLI.IN. IDVS.AVG.VICE.ILLIVS.COGNOTIT. IVLIVS. CASSIVS.EO. QVOD.AD.AVGVSTVM. PROFECTVS.EST.SEPTIMIVS.BASSVS.REGRESSVS.PR.V. FVIT. Ipsos consules & reliqui scriptores profitentur *Annus* ∞ LXXI

CONSTANTINO.V. ET.LICINIO.CAES.COSS.KAL.SEPT.VALERIVS.MAXIMVS BASILIVS.PR.VRB.FVIT. Eosdē consules in hunc annum Cassiod.& ceteri comparant.Quo anno agon Capitol. LIX.celebratus est *Annus* ∞ LXXII

CONSTANTINO.VI.ET.CONSTANTINO.CAESARE.COSS.VALERIVS.MAXIMVS.PR.VRBI ERAT. Ipsos consules Cassiodorus & ceteri suggerunt. Quibus cos.Licinij Imp.decennalia celebrata *Annus* ∞ LXXIII

CRISPO.II.ET.CONSTANTINO.II.CAES.CONSS.VALERIVS.MAXIMVS.PR.VRBI.FVIT. Eorundem consulum liber Cuspin. Fasti Graeci, & Cassiodorus meminerunt. Et in antiqua aenea tabula ita exarati sunt DD.NN.CRISPO.ET.CONSTANTINO. NOBILISS.CAESS.II.COSS.V.IDVS.APR *Annus* ∞ LXXIIII

PROBIANO. ET. IVLIANO. COSS. VALERIVS. MAXIMVS. PRAEF. VRBI. FVIT Hos cos.& reliqui Fastorum scriptores profitentur. De quibus in alia antiqua aenea tabula sic mentio est PETRONIO. PROBIANO. ET. ANICIO.IVLIANO.COSS. PRID. KALENDAS.APRILES. Ceterum Petronius Probianus Flauij praenomen habuit,ut ex codice Theodosiano intelligitur *Annus* ∞ LXXV

SEVERO.ET.RVFINO.COSS.IDIB.SEPT.LVCER.VERINVS.PR.VRBI.FVIT. Eosdem consules Cassiodorus,& Fasti Graeci commemorant. Acilij Seueri,& Fl.Iuni Rufini mentio est in libro de praefectis, & codice Theodosiano L.IIII.tit.XI.p.I.in Constantini imp.rescriptis. Hoc anno agon Capitolinus LX.celebratus est. Post quem (ut ego existimo) plane Romae fieri desiere. Scribit enim Zosimus libro II.Constantinum imp. Christianae religioni addictum, antiqua sacra & caerimonias abrogare uoluisse, verum senatum ei contradixisse, qua re non obstante sacrum tamen certamen, quod Ioui Capitolino singulo quadriennio celebrabatur ipsum omnino fieri amplius prohibuisse, quum aras & sacra omnia euertisset, pecuniasq; quae praemijs victorū destinatae erant fisco applicasset.Per haec tempora,& ludi olympici omnino fieri desierunt,religione Christiana omnia iam obtinente.Hoc ipso anno ut ex lib. XV.Ammiani Marcellini intelligitur,Fl.Iulius Constātius Constantini imp.filius Caesar appellatus est V.Idus Octob.Idem Eusebius,Victor & Eutropius tradidere

Annus ∞ LXXVI

CRISPO.III.ET. CONSTANTINO. III.CAES. COSS. LVCER. VERINVS. PRAEF VRB. FVIT. Ipsos Cassiodorus, & Fasti Graeci profitentur. Ab hoc consulatu Socrates Scholasticus,& Hermius Sozomenus Salaminius historias ecclesiasticas scribere coeperūt.Quo anno quum Licinius triplici proelio in Pannonia,apud Cibalas,& postremo nauali apud Nicomediam a Constantino uictus esset, coactus purpuram deposuit,atque salute,per uxorem Constantiam sororem Constantini pacta, Thessalonicam priuatus missus est. Qui anno sequenti cū Martiniano officiorum magistro,quem Licinius Caesarem creauerat, contra sacramenti ius iussu Constantini iugulatus est. Quod, ut Eusebius tradit, rebellionem moliretur; aetatis anno plus minus LX.imperij uero XV. Ita Eusebius, Eutropius, Victor, & Socrates

Annus Vrbis conditae ∞ LXXVII. *Christi uero* CCCXXV

PAVLLINO.ET.IVLIANO.COSS.PRID.NON.IANVARI.ACILIVS.SEVERVS.PR VRBI.FVIT. Eosdem consules Cassiodorus,& Fasti Graeci edunt. Hoc anno (ut dixi) Licinius priuatus Thessalonicae contra sacramenti fidem iussu Constantini interfectus est. Eodem

LI anno

anno,ut tradit in chronico Diuus Hieronymus,ineunte anno uigesimo imperii Cōstātini prio ra vicennalia eiusdem principis Nicomediae acta,nam sequenti anno ineunte imperii uigesimo primo Romae celebrata sunt, more ueteri. Eodem anno magna & uniuersalis prima synhodus Nicena CCCXVIII.episcoporū,contra Arrium haereticum congregata fuit,sub S.Siluestro Papa & Constantino imp.Quod his verbis docet Socrates lib.I.historiae ecclesiasticae cap.XIII Et tempus (inquit) synhodi Nicenae sicut in annotationibus consulatus Paullini & Iuliani reperimus,XX.die mensis Maij fuit,Anno DCXXXVI.a regno Alexandri Regis Macedonū.Quae omnia quam maxime respondent ijs,quae hoc anno facta traduntur. Nam in codice Theodosiano libro primo tit.II.paragr.III. extat constitutio Constantini imp.Seuero pr.vrbi missa. Cuius data est X.KAL.IVNI.NICEAE.PAVLLINO.ET.IVLIANO.CONSS.Si quidem & ipse Constantinus toti Synhodo interfuisse ab Eusebio, Rufino, Socrate, Theodorito,& Sozomeno traditur. Adijcit Socrates ex Eusebio: Synhodo episcoporum Niceae congregata,Constantinus imp.quum triumphale festum contra Licinium absoluisset,uenit & ipse Niceam;vbi Licinium paulo ante victum & caesum intelligitur. Suggerit Sozomenus lib.I.cap.XXV. historiae ecclesiasticae: tempore concilij Niceni contigisse celebrari vicennalia imp. Constantini quorū celebritati Synhodum interfuisse scribit. Quibus finitis omnes episcopos muneribus multis honoratos, ad proprias dioeceses dimisisse,quae omnia maxime consentiunt hoc anno qui erat CCCXXV. a natali Christi, synhodum primam Nicenam celebratam fuisse. Ceterum Paullini & Iuliani consulum huius anni hae vetustae extant inscriptiones

HERCVLI . INVICTO
M.IVNIVS.CAESONIVS
NICOMACHVS.ANICIVS
FAVSTVS . PAVLLINVS

P . PVBLILIO . CEIONIO
IVLIANO
CORRECTORI. TVSCIAE. ET.VMBRIAE
OB.INSIGNIA.EIVS. GESTA.ET. INLVS
TRE.NOMINIS.ET.RATIONIS. MERITVM
ORDO.NARNIENSIVM.VNA.CVM
CIVIBVS.STATVAM.COLLOCAVE
RVNT . PATRONO . DIGNISSIMO

Annus ∞ LXXVIII

CONSTANTINO.VII.ET.CONSTANTIO.CAES.COSS. IDIB. NOVEMBR. ANICIVS.IVLIANVS.P.V.FVIT. Eosdem consules Cassiodorus,& Fasti Graeci edunt. Hoc anno Constantinus Imp.Fausta coniuge (ut putant) suggerente, Crispum filium quem ex Mineruina cōcubina susceperat,Polae in Hystria interfici iussit,Deinde uxorem Faustam in balneas ardentes coniectam interemit,quum eum mater Helena ardore nimio nepotis increparet.Egregiū deinde iuuenem sororis filium Liciniū iuniorē interfecit; ita Eusebius,Victor,Eutropius & alii

Annus ∞ LXXIX

CONSTANTINO.ET.MAXIMO . COSS. ANICIVS. IVLIANVS. PR. VRBI. FVIT Cassiodorus alterum consulem Constantium uocat,Fasti Graeci Caesarem addunt,& male. Est enim Constantinus quidam,neque Caesar,neque imp.ut ex antiquis lapidibus colligitur. Verū eum esse credo Constantinum filium Constantini fratris Constantini imp.ex alia matre.Constātinus enim imp.tres ex eodem patre filios habuit, sed ex alia matre, idest Theodora Herculij Maximiani priuigna,ex qua & Cōstantio nati sunt Cōstantinus pater Constantini hoc anno, & Constantij octauo anno post consulum. Constantius pater Galli Caesaris & Iuliani apostatae imp.& Hannibalianus pater Delmatij Caesaris. Ipse enim ex concubina Helena ut quidam tradunt,uel ut alij legitima Constantii uxore natus est. Qua propter hunc consulem Fl. Valerium Constantinum appellaui. Alter cos.est.Fl.Valerius Maximus Basilius, qui aliquot annis antea praf.vrbi fuit.Ex Eusebio,Victore, Eutropio, Socrate,Sozomeno, & Theodorito

Annus ∞ XXC

IANVARIO.ET.IVSTO. COSS.ANICIVS.IVLIANVS.PR.VRB.FVIT. Eosdem cos. Cassiodorus,& Fasti Graeci memorant. Fl.Magni Ianuarij saepe mentio est in codice Theodosiano,in rescriptis Constantini imp.Parmae prope fores basilicae S.Mariae de Steccata eiusmodi extat lapidea inscriptio in columnae fragmēto Constantini imp.litteris satis barbaris & ineptis

D . N . IMP . CAES . FL . CONSTANTINO . P . F
VICTORI . AVG . PONTIFICI . MAXIMO
TRIBVN . POTESTAT . XXIII . IMP . XXII
COS . VII . P . P . PRO . COS
RERVM . VMANARVM . OPTIMO . PRINCIPI
DIVI . CONSTANTI . FILIO . B . R . P . NATO

Annus ∞ XXCI

CONSTANTINO.VIII.ET.CONSTANTINO.CAES.IIII.COS.VII.IDVS.SEPTEMBR.PVBLIVS. OPTATIANVS.PR.VRBI.XXXI.ITEM.VIII. IDVS.OCTOBR.PETRONIVS.PROBIANVS.PREF.VRBI.FVIT. Hos ipsos consules liber Cuspiniani, Castiodorus, & Fasti Graeci cõmemorant

Annus ∞ XXCII

GALLICANO.ET.SYMMACHO.COSS.PETRONIVS.PROBIANVS.PR.VR.FVIT Ita liber Cuspiniani, & Fasti Graeci. Nam Cassiodorus pro Gallicano Constantium edit, qui forte suffectus esse potuit. Constantini triennio ante consulis frater, qui quinquẽnio post cos. ordinarius erit

Annus ∞ XXCIII *In quo Constantinopolis condita est*

BASSO.ET.ABLABIO.COSS.PRID.IDVS.APRIL.ANICIVS.PAVLLINVS.PR.VRB FACTVS. Ita Cassiodorus, liber Cuspiniani, & Fasti Graeci. Ablabij Aegyptij praefecti praetorio, & consulis sub Constãtino imp. meminit Suidas. Qui cum plerisque nobilibus caesus est eo anno quo Delmatius Caesar. Hoc anno ut ex Marcellino V.C. Comite facile ellicitur, Byzantium antiqua vrbs a Seuero bello ciuili Nigriano euersa, a Constãtino uero restituta, atq; de suo nomine appellata Constantinopolis, V. Idus Maij dedicata est, ut tradit Zonaras. S. Hieronymus in chronico: Hoc ipso anno Constantinopolis (inquit) dedicatur pene omniũ vrbiũ nuditate. Et Cassiodorus qui id factũ & falso anno sequenti asserit, ita ait: Ciuitas quae prius Byzantiũ dicta est mutato nomine a Constãtino Constãtinopolis dedicatur. Zonaras: Vrbem porro ex oraculo de suo nomine cõditurus, primũ in Serdica extruere in animo habuit, deinde in Sigaco promontorio Troadis, ubi etiã fundamẽta iecisse fertur. Deniq; Chalcedone opere inchoato, aquilas deuolasse memorant, fabrorũq; funiculos raptos freto superato iuxta Byzantiũ deiecisse. Quod saepius factũ & imperatori nuntiatũ, quũ nõ temere esse, sed a numine portendi aliquod uideretur, ipse Byzantium se cõfert, locũ cõtemplatur, probat, mutat cõsiliũ, fabros Chalcedone illuc transfert, vrbẽ studiose cõdit, a se Constãtinopolim vocat, & matri dei cõsecrat. Vbi ad V. Idus Maij absoluta, natalem eius seu dedicationem celebrat: ita Zonaras. Byzãtium autem primum in angustissimo Europae Asiaeq; euripo posuere Lacedemonij Pausania duce, Ligos ante dictũ, quod variante deinde fortuna, dũ incerti iuris possessio adhuc esset, Atheniẽsibus Spartanisq; id sibi certatim vindicãtibus, tandẽ libertatem sibi asserere, & dum neuter populus tanquã propriã vrbem auxilijs iuuat, libere cõditionis esse coepit. Quae longo tẽpore admodũ floruit, agro foecũdo, feraciq; in primis, & mari admodũ oportuno, unde uectigalia, uectigalibusq; eorũ augẽdis, pisciũ uis ingẽs ad eorũ littora deferebatur. Romanorum primo socia ciuitas, deinde colonia Latina facta, postea ciuitate donata est. Cuius opera forti fedelique plurimis in bellis usi sunt Romani. Quousq; Seuerus imp. occupatam a Pescennio Nigro qui in oriente imperiũ inuaserat, eo occiso, funditus euertit, & in uici formã redactã, eius agrum Perinthijs adiudicauit. Hanc postea Constantinus (ut dixi) cupiditate & ambitione nouae condendae vrbis captus, uel aliã ob caussam, nã multae traduntur, ampliore moeniũ circuitu cõstruxit, Romae operibus etiã & nomine aemulã futuram: quam quum varijs signis & monumentis undiq; conquisitis ornasset, dedicauit. Dicta quoque haec vrbs est & noua Roma, nam eam omnibus quae Roma ad eam diem habebat priuilegiis, & immunitatibus, dignitatibusq; donauit, ut abunde explicaui in praefatione Fastorum libri tertij. Principes a Constantino quum diuersa fortuna, tum rerum vario successu multi praefuere; magna tamen eorum pars ambitiosi, crudeles, auari, & obscurissimi, & quod omnium grauissimum fuit a vera catholica S.R.E. fide abhorrentes, aut etiam infesti. Donec urbs terraemotibus, incendijs, seditionibus intestinis obnoxia, postremo in libidinem nefariae gentis Turcicae centesimo anno ante decidit. Quorum primus fuit Mahometes, inde Baiazetes filius, post Selymus Baiazete genitus, & qui nũc imperium gentis tenet Selymi filius Solimanus. Hoc autem anno qui est natalis Christiani ∞DLVIII. Constantinopolis ex Marcellini Comitis, qui sub Iustiniano imp. uixit computatione, annũ suae conditionis agit ∞CCXXVIII. Ex quibus ∞CXXIII. Sub Christianis imperatoribus fuit, reliquis sub Turcis

Annus ∞ XXCIIII

PACATIANO. ET. HILARIANO. COSS. ANICIVS. PAVLLINVS. PRAEFECTVS VRBI.FVIT. ita Cassiodorus, & Fasti Graeci. Horum consulum mentio est in libro de praefectis, & codice Theodosiano IX.XIX.I. ex quibus formati sunt

Annus ∞ XXCV

DELMATIO.ET.XENOPHILO.COSS.VII.IDVS.APRIL.PVBLIVS.OPTATIANVS PR. VRBI. FVIT ita & reliqui Fastorum auctores. Hic Delmatius in nummis FL. VAL. DELMATIVS. a Sex. uero Aurelio Victore, & Ammiano Marcellino Hannibalianus ex patris nomine appellatur. Fuit enim Hannibaliani fratris Constantini Imp. ex patre tantum, filius, qui a patruo moriente testamento Caesar appellatus est. Verum non longe post Constantini

Cassiodorus profitentur. Titiani eiusmodi extat uetus inscriptio. Hoc anno Constantinus Imp. quum bellum pararet in Persas, in Ancyrone uilla publica suburbij Nicomediensis, XI. Kal. Iunij, die sancto Pentecostes mortuus est, anno uitae LXVI. Imperij uero XXX. mense IX. & die XXVII. Cadauer Constantinopoli sepultum est in basilica apostolorum, atq; inter diuos relatus est. Qui ante quam moreretur, testaméto tribus filijs imperij haeredibus Augustis appellatis, quartũ adiũxit fratris filiũ Delmatiũ Caesaré. Qui nõ longe post Cõstantij patruelis imp. insidijs occisus est. Ita Eusebius in libro de uita Cõstãtini, S. Hieronym. in chronico, Socrates in hist. lib. I. cap. XXXIX. & XL. Sozomenus lib. II cap. XXXIIII. et Eutropius. Sex. auté Aurelius Victor ita ait: Quumq; liberis, filiou; fratris Delmatio Caesaribus cõfirmatis, VI. & LX. annis uixisset, ex quibus XXXI. omnino, XIII. solus imperauit, morbo consumptus est. Corpus Constãtinopoli sepultũ. Quo mortuo Delmatius militũ ui necatur. Ita ad tres orbis Romani administratio redacta est, Cõstantinum, & Cõstantiũ iuniores & Constãtem. Constantinus iunior cuncta trans Alpes obtinuit; Constantius a freto Propontidis, Asiam atque orientem; Constans Illyricum, Italiam, Africam, Dalmatiam, Thraciam, Macedoniam, & Achaiam. Hunc autem annum esse natalis Christi CCCXXXVII. facile intelligi potest ex tabula magna Dionysij abbatis, ex qua manifestissime cognoscimus quibus diebus omnium annorum ex Lunae & Solis cursibus, festa quae uos mobilia uocamus, celebrari debeant. In ea enim tabula dies Pentecostes anno Christi CCCXXXVII die XXII. Mai, idest XI. Kal. Iunij notatus est, quo die mortuum fuisse Constantinum, Eusebius & Socrates scriptum reliquerũt

TI. FABIVS. TITIANVS
V. C. COS. ORDIN
PRAEF. VRBI
CVRAVIT

De ijs quorum opera, inscriptionibus, & nummis hos commentarios conscripsi

Non sum ignarus multos futuros qui paulo maiorem a me desiderabunt diligentiam, praesertim in citandis lapidum, uel inscriptionum, & nummorum testimonijs. Nam raro admodum eorundem loca, uel penes quos sunt demonstrani. Quod tamen iustis de caussis ex instituto feci. Nam magnum inscriptionum totius orbis opus adorno, quod quam primum deo auspice euulgabitur, in quo omnia singillatim inscriptionum loca accuratissime descripta sunt; ex quo si quis forte eius rei desiderio capietur, omnia facile intelligere poterit. Deinde quũ lapidum & nũmorum quam plurima testimonia saepe attulerim, ueritus sum ne toties repetita inani locorum commemoratione, lectoribus potius fastidium afferrem quã delectationem, eius praesertim rei cuius fidei meo omnino testimonio standum esset. Postremo illud feci, quod ipse mihi constituerim, hoc loco eos omnes quam breuissime repetere, a quibus, aliquid in hoc opere didicerim, uel nummos, aut inscriptiones aliquas acceperim

Quorũ omnium principem locũ obtinet ANTONIVS. AVGVSTINVS. HISPANVS. DOMO. CAESAREA. AVGVSTA diuini humaniq; iuris consultissimus, a Paullo III. Pont. Max. inter XII. viros stlitibus iudicandis, quos Rotae auditores uocãt, ob insigné doctrinã, & uitae integritaté cooptatus: qui postea sub Iulio III. legatione Britãnica honestissime functus est. Quem postremo Paullus Papa IIII. Episcopum Allifanum creatum, Apostolicae sedis nuntium ad plentissimum Imperatorem Ferdinandum misit. Hic praeter iuris scientiam, in qua maxime excellit; cuius rei ipse in libris emendationum id specimen dedit, quod dare non potuisset nisi is homo, qui in omnium iure consultorum libris assidue uersatus esset: antiquitatis quoque omnis tum sacrae tum profanae peritissimus est. In qua illustranda tot lucubrationes, & labores edidit ut maxime mirum uideri possit, qua nam ratione ipse laboriosissimo, & assiduo iudicandi munere distentus, potuerit tot & tanta admiratione digna antiquitatis monuméta in unum collegisse. Nihil enim est in ea tam abstrusum de quo non aliquid scripserit, nihilque tam reconditum de quo non egregie disputauerit. Huic deinde studio incredibilem ueterum nummorum colligẽdorum curam adiunxit, quos tantos & tales collegit, optimeque interpretatus est, ut ipse ingenij acumine, eius uero musaeum nulli nostrae aetatis peritissimorum antiquariorum cedere uideatur. Postremo quod haud dubie uniuersis reliquis rebus praestat, his omnibus tanta uitae probitas, & sanctimonia, morum elegãtia, humanitas quoque, iustitia, & religio accesserunt, ut etiam sine doctrina miraculo esse omnibus posset ac stupori. Munere inuidiosissimo functus, nunquã inuenit a quo tenui quamuis criminis suspicione perstringi posset, quod a recto ne latum quidem ut dicitur unguem, deflectere non sustinuit, in se ipsum enim acrior semper fuit, quam in alios iudex. Ab hoc igitur maxime memorabili uiro, praeter maximam quam mihi suppeditauit ueterum nummorum copiam, quibus liber II totus concinnatus est, in uniuerso quoque hoc commentario maxime subleuatus sum: me enim consilio, diligentia, uigilijsque suis, & mutuis colloquijs humanissime habitis multum & maxime iuuit. Cuius dum uiuam laudes quantum

exigua mea in dicendo facultas permiserit, semper predicabo

Post eum quem dignitatis caussa praeposui, quautum P.OCTAVII.PANTAGATHI.BRIXIANI auxilio & virtute profecerim, superius quamquam anguste admodum, si eius merita considerentur, demonstraui

BENEDICTI.QVOQVE.AEGII. SPOLETINI viri quũ optimi, tum Graece Latinaeq; linguae peritissimi, atque totius Romanae antiquitatis consultissimi opera, & consilio multum profeci, non solum in hisce commentarijs, sed & in plerisque aliis laboribus meis & vigilijs, quas passim ut occasio sese obtulerit publicandas curabo

Neminem hactenus uel cognoui, uel fuisse unquam audiui, qui acutiore ingenio, vel actiore iudicio antiquorũ auctorũ scripta, librariorũ culpa, aut temporũ iniuria deformata, tum firmissimis coniecturis, tum ueterũ codicum ope in pristinum splendorem restitui posse demonstrauerit, quam GABRIEL.FAERNVS.CREMONENSIS, uir profecto sine controuersia ut eruditissimus, ita (ut uno verbo multa eius animi ornamenta complectar) optimus, cuius industria, & ingenio, haud pauca non solum in hisce Fastis, uel eorundem commentariis, sed passim in alijs meis lucubrationibus aut concinnaui, aut in melius restitui. Quare in horum serie & ipse enumerandus fuit, posteaquam hac saltim commemoratione, his doctis uiris gratiam tot suorum erga me meritorum referre statuerim; quando maior accepti beneficij compensandi ratio mihi concessa non fuerit

De CAROLO.SIGONIO Mutinensi quem postremum omnium Venetiis cognoui, non est quod hic multa dicam, quũ superius saepe tum ex instituto, tũ obiter de eius diligentia, doctrina, & probitate verba fecerim. Fateor autem & ex eius lucubrationibus excusis, & ex ijs disputationibus quas cum eo familiariter Venetijs habui, multum in tota antiquitate Romana profecisse, cuius ille mirum in modum peritissimus est

Veterum lapidum ut templorum, porticuũ, ararum, basium, tabularum, cipporum, vrnarum, sepulchrorum, arcuum, aquaeductuum, thermarum, viarum, pontium, & ceterorum eiusmodi, item tabularum aenearum inscriptiones, elogia, & epigrammata antiqua quanta potui diligentia tam ex publicis quam priuatorum monumentis, per vrbem Romam collegi, atque ex aliis tum Italiae, tum Hispaniae locis studiose conquisiui, & ut in ipsis marmoribus uel tabulis aeneis legebantur descripsi. Romae autem aute omnia magnum veterum epigrammatum copiam habui, ex his quae in publico sunt monumentis formata, quae omnibus manifesta sunt. Priuatorum uero loca praecipua a quibus inscriptiones hauserim haec ferme sunt

Ante omnia IVLII.III.PONT.MAX. vinea siue horti, quos ille dũ vixit maxima impẽsa prope vrbem, haud longe a Tiberi uia Flaminia extruxit, in quos ex tota vrbe ingẽtes veterum inscriptionum acceruos transportari curauit. Hac vinea multum subleuatus sum, praesertim in eis epigrammatibus, quae pnst Augusti tempora consulatus, uel tribunicias potestates continerent

HORTVLI.COLOTIANI ad aquam Virginem siti maxima ueterum monumentorum copia instructissimi, quae primis illis temporibus quibus antiquitatis studium caput extollere coepit, unus Angelus Colotius sanctissimus & doctissimus uir eo in loco summa cum diligentia hinc inde collegit, maguam mihi inscriptionum multitudinem suppeditarunt. Quibus per varia loca spatsis meos commentarios maxime exornaui

Multum mihi etiam adiumento in hisce commentarijs concinnandis fuit RODVLPHI. PII CARPENSIS.EPISC.CARDINALIS. PORTVENSIS musaeũ & vinea, quae antiquis lapideis epigrãmatibus, & statuis refertissima domi & in Quitinali habet. Quo viro neminẽ uetustorũ monumentorum studiosiorem, proborum & doctorum hominum amantiorem unquam cognoui, quos acri illo & quo plurimum pollet perspicaci iudicio, tanquam sagacissimus indagator facillime subnlet. Vitae deinde integritate, morum suauitate, & elegautia, in prouidendis rebus consilio, in exequendis dexteritate, in omnibus modetatione, aequitate, & fide cum paucis admodum est comparandus; ita ut uere de eo dici possit, eum esse unum ex his praecipuis cardinibus, super cuius uirtute Catholica Romana ecclesia tot improborum hominum malitia exagitata praecipue rotetur & circumuehatur

Domus & horti CAESII.A.PAVLLO.CARDINALE viro optimo magna veterum inscriptionum & statuarum supellectile instructi, a fratre uero eius etiam CARDINALE.FRIDERICO eidem antiquitatis studio admodũ addicto, locupletati, non parum subsidij & ornamenti meis his Fastorum commentarijs attuleruut, quum ex his plura & elegantissima exscripserim epigrammata, quibus ut dixi mirum in modum refertissimi sunt

Magnam & veterum lapidum, & nummorum copiam Romae mihi fecit humanissimus & omni laude dignus vir GENTILIS.DELPHINIVS.CIVIS.ROMANVS antiquitatũ omniũ Romanarum (ut ita dicam) heluo, qui incredibili propemodum studio, multa & varia uetusta monu-

monumenta inuestigauit, inuenit, & in lucem edidit. Cuius potissimum diligentia praeclarae illae tabulae consulares lapideae M.VERRII.FLACCI inter forum & sacram uiam erutae, in area Palatii conseruatorum in Capitolio concinnatae sunt, quae a loco Capitolinae postea vocari sunt coeptae

Multis deinde per varias ciuium Romanorũ ut MAFFEIORVM. PORCIORVM. MATTHAEIORVM. MANGANORVM. CECCHINORVM. SANCTACRVCIVM. POMPONII. LAETI. IN. QVIRINALI & aliorũ eiusmodi domus, inscriptionibus sparsis adiutus sum, quas vicatim accurare, & quanta potui diligentia aliquot annorũ interuallo quibus in Vrbe vixi, collegi & descripsi. Quae omnia cũ vno ingenti illo quidẽ, & admiratione digno PYRRHI LIGORII. NEAPOLITANI omniũ antiquariorũ facile principis studio, concludam. Is enim quum animum ad veterum monumenta cuiusuis generis conquirenda, antiquitatemque omnem illustrandam conuerterit, incredibili quadam diligentia omnes qui hactenus in his studiis laborarunt longe post se reliquit: omitto quod ex tota Vrbe, Latio, Volsceis Equeis, Hernicis, Campania, Tuscis, Sabinis, Vmbria, Piceno, & reliqua denique Italia ingentẽ inscriptionum & epigrammatum uim non sine maximis laboribus in grandia volumina congesserit, infinitum prope veterum nummorum tam Graecorum, quam Latinorum numerum collegit, delineauit, (pingendi enim & formandi artes optime callet) & quod maius est elegantissime interpretatus est: quo labore historiam omnem Graecam, & Latinam ab vrbe condita usque ad Iustiniani Imp. tempora peritissime & accuratissime illustrauit, & obscurissima quaeque tanta cum iudicii acrimonia, ingeniique acumine elucidauit, ut hac nostra memoria neminem esse existimem, qui in hoc studio ei praeponi possit. Quum autem & architecturae etiam bene peritus sit, aliũ laborem superioribus propinquum suscepit, ut vrbis Romae imaginem, & veterem situm cum antiquis aedificijs uetustate, & uarijs casibus deformatissimum pictura restitueret, & oratione illustraret; quod quantum rei obscuritas passa est, optime praestitit. Vrbem enim, Vrbis regiones, montes, templa, aedes, aediculas, porticus, ianos, atria, areas, aras, signa, statuas, hippodromos uel circos, obeliscos, theatra, amphitheatra, fora, basilicas, septa, castra, thermas, balnea, lymphea, lauacra, lacus, bibliothecas, arcus, columnas, septizonia, sepulchra, emporia, macella, horrea, pistrina, domus, insulas, & cetera eiusmodi aedificia ex his quae supersunt fragmentis, vel architecturae regulis accurate formauit, & eruditione plenis, multiplicique rerum cognitione refertis commentarijs explicauit. Ab hoc igitur tam erudito viro ingentem epigrãmatum, nummorum, inscriptionumque cumulum mutuatus sum, quibus & in meo commentario Fastorum seriem confirmaui, & commentarium ipsum mirum in modum exornaui

Veteres aurei, argentei, & aenei nummi quos Romae, Venetijs, Veronae, Parmae, & ubi sese occasio obtulit studiose conquisiui, non parum me in tribunicijs potestatibus imperatorum, ceterisque imperij titulis concinnandis subleuarunt, quam ob rem suus & ijs honos reddi debet, & ij potissimum a quibus eorum mihi copia facta est aperiendi, & demonstrandi sunt

Romae quidem praeter ANTONIVM. AVGVSTINVM. GENTILEM. DELPHINIVM ET. PYRRHVM. LIGORIVM. ACHILLES. MAFFEIVS. ROMANVS. CIVIS optimis suauissimisque moribus, & affatim doctus uir, quique incredibili Romanae uetustatis studio tenetur, multos mihi nummorum aceruos commodauit, quos sibi cum magna statuarum multitudine studiose comparauit, & eos quidem exquisitissimos & elegantissimos, quibus adiutus maximam secundi Fastorum libri partem, quae obscurior & difficilior erat satis accurate digessi

HANNIBAL. CARVS uir ingenio, iudicio, varia eruditione, diligentia, probitate, morumque suauitate praestantissimus, Romanae quoque uetustatis non mediocriter peritus, multorum etiam mihi ueterum nummorũ copiam fecit; quos studiosissime hinc inde, & incredibili propemodum diligentia in unũ collegit. Ceterum in huius uiri laudibus ueluti in vastissimo pelago erit aliud tempus, quo uela pandere licebit, & nos totos prosperrimae aurae committere, scribereque de eo quum multa tum maxima, obiter enim de eius uirtute uerba facere, nefas pene esse existimo

ANGELVS. QVOQVE. MASSARELLVS. SANSEVERINAS. quẽ eximiae uirtutis ergo Paullus IIII. Pont. Max. Telesinum episcopum creauit, multam mihi & magnam numismatum supellectilem commodauit. Hic reconditioris cuiusdam sanctiorisque rerum sacrarum antiquitatis consultissimus est, de cuius hominis ingenio, & eius erga me beneficijs tempus aliud expecto, quo commodius licebit, quae ego uerissime & certissime sentiam, ceteris quoque palam facere & aperire

Venetiis trium spectatae virtutis ciuium musaea nummis, statuis, tabulis aeneis, inscriptionibus lapideis, et ijs omnibus quae peritissimorũ antiquariorum gymnasia exornare solẽt vetustis monumentis refertissima, mihi meos Fastorum commentarios reuoluenti & emendanti

semper

ſemper patuerunt. Quorum primus eſt IOANNES. GRIMANVS. AQVILEIENSIS. PATRIARCHA de omni litterarum,& litteratorum genere benemeritus, cuius inclyta humanitas, & magnificentia ceteras quae in eo virtutes ſunt mirum in modum illuſtrant

Alter eſt STEPHANVS.MAGNVS Senator integerrimus, cuius illa praecipua laus & cura fuit,ut veterum imperatorum ſeriem integram & accuratam conſtitueret. In qua re praeſtanda, quantum ego cognoui,ceteros omnes antiquarios ſuperaſſe uiſus eſt

Tertius porro eſt ANDREAS.LAVREDANVS.BERNARDINI.FILIVS alter noſtrorum temporum Atticus,qui quum morum humanitate,& ingenii dexteritate praeſtantiſſimus ſit, idem quoque antiquitatum Romanarum,quas vndique ex omni Graecia, Aſia,& Syria ſtudioſiſſime,& magnis ſumptibus ſibi conquiſiuit,ad ſtuporem uſque accuratiſſimus eſt perueſtigator. Cuius felicitati nequid omnino quod beatum illum redderet,deeſſet,par filiorum ipſo parente dignum acceſſit, quorum uirtute & probitate celebris illa familia procul dubio illuſtriſſima reddi poteſt

Veronae etiam (ampliſſimum enim ciuem iuſto laudis praeconio ſpoliare nefas eſſe duxi) HIERONYMI.TVRRIANI muſaeum omnium monumentorum quos fert antiquitas refertiſſimum,multos mihi aereos argenteosque nummos ſuppeditauit, quos uir ille ob uitae integritatem,innocentiam ſingularem,& morum maieſtatem omni laude digniſſimus, undique incredibili ſtudio ſibi comparauit. De cuius hominis praeſtantia loqui, me ad eum hiſtoriarũ librum reijcio, quem de origine & incrementis noſtrae vrbis ſcribere inſtitui

Venetijs quoque AENEAE.VICI.PARMENSIS opera multum meis commentariis & ceteris lucubrationibus profuit.Mihi enim multorum ueterum nummorum exempla commodauit; quos ille diuina procul dubio arte,& pluſquam humano ingenio aereis typis delineat,& quod maius eſt diligentiſſime interpretatur. Cuius ingenium,moreſque iucundiſſimos,& cetera egregia animi ornamenta attingere ob id potiſſimum vereor,quod me imparem in eius virtute exprimenda omnino eſſe intelligam. Duodecim Caeſarum,& Auguſtarum nummi diuine formati,cum docta illa accurataque interpretatione,& cetera quae ille palam diu ante induſtriae ſuae monumenta vulganit,& alia quae nunc haud minori ſtudio adornat, facile ſine mei ipſius teſtimonio, qui uir ille ſit fidem facere omnibus poſſunt

Brixiam etiam,ex hac noſtra Italia ciuitatem, quae multum adhuc uerecundiae ac frugalitatis antiquae retinet ac ſeruat,IO.ANDREAE.AVEROLDI egregiae probitatis & humanitatis ciuis muſaeum antiquis monumentis inſtructiſſimũ exornat. Quo viro neminem unquam uidi, qui auidius & diligentius ueteres nummos perquireret, quaeſitosque maioribus impenſis ſibi compararet; quare incredibili eius ſtudio effectum eſt, ut inter cetera terrae Italiae antiquariorum praecipua gymnaſia,eius quoque mirum in modum excellat

Piaculum me feciſſe crediediſſem,ſi ALEXANDRI.CORVINI Romani ciuis,optimi,honeſtiſſimi,& laudatiſſimi uiri memoria hoc potiſſimum loco praeterita eſſet, quo tot egregiorum hominum album propoſui; quorum induſtria mihi meos Faſtos conſtituenti praeſto fuit. Ab ipſo enim ut a ceteris multorum nomiſmatum copia mihi facta eſt, quae exquiſitiſſima magna impenſa ſibi hinc inde,& ſumma diligentia comparauit

Quum autem quantum exigua mea in dicendo facultas paſſa eſt, debitus honos ſummorum virorum coetui ſit redditus,bono omine ad tertij Faſtorum libri commentarium accedamus

COMMENTARIORVM . IN . LIBRVM . FASTORVM SECVNDVM . FINIS

ONVPHRII PANVINII VERONENSIS. FRATRIS EREMITAE. AVGVSTINIANI IN.FASTORVM.LIBRVM.TERTIVM COMMENTARII

PRAEFATIO



X obscuris & difficillimis temporibus egressi, clariora deinceps & illustriora saecula ingrediemur. Quum enim inter Augusti Caesaris, & Constantini imperatoris principatus omnium fere eorum qui in historia conscribenda floruerunt monumenta, misero certe illorum temporum & funesto casu, omnino extincta sint, praeter pauca quaedam, quae aut trunca & lacerata, aut foedissimis librariorum uitio mendis deformata supersunt, longe difficilius mihi fuit secundum Fastorum librum, quam totum reliquum opus constituere. Cuius restitutio nisi ueteres inscriptiones, & nummi extitissent, quibus subleuatus maiorem eius partem concinnaui, deplorata procul dubio fuisset. Ceterum post haec maiore veterum librorum copia, & praesertim eorum qui ad hunc potissimum laborem pertinent instructus, reliqua huius operis parte facillime defunctus sum. Quam commode admodũ & apte a Constantini obitu inchoandam esse duxi, quod hoc tempore Constantinopoli, paulo ante condita, & pietate Christiana abnegato simulachrorum cultu, a Constantino suscepta, animaduersione & memoria admodum dignae in Romano imperio mutationes, de quibus in huius libri praefatione uerba feci, acciderunt. Nam quod unum erat in duo a Constantino diuiso, orientalis tunc primum & occidentalis imperii nomina audiri coepta sunt. Occidentis Roma, orientis uero Constantinopolis Romae aemula capita fuere. Orbis Romanus qui prius antiqua superstitione laborabat, libere purissimam Christi disciplinam suscepit. In imperij igitur & religionis statu, quae duo suprema sunt, quibus orbis terrarum regitur & gubernatur maximae mutationes hoc tempore factae. Quum autem Constantinopolis priuilegijs omnibus, & dignitate par antiquae Romae facta fuisset, ita ut ad eius instar, orbis Romani partem, imperatorem, senatum, consules, urbis praefectum, reliquosque qui ad eam diem tantum Romae fuerant magistratus, & ipsa obtinuisset, dedi operam ut tertio hoc Fastorum libro, in quo consules cum imperatoribus digesti sunt, qui post Constantinum fuerunt usque ad Caroli Magni imperium, ut ex una parte orientis, ex altera uero occidentis imperia perducerem, & qui consules in occidente Romae, & qui in oriente Constantinopoli fuissent, cognoscerentur. Nam id de imperatoribus facile admodum fuit demonstrare, de consulibus non ita. Quum aliquando uterque consul Romae, aliquando uterque Constantinopoli, quandoque nusquam, quandoque quod & saepius contigebat, alter in occidente, alter uero in oriente crearentur. Quos vt distinguerem, (id enim a nemine unquam factum est) hunc ordinem sequutus sum. Si principes consules erunt facile admodum cognosci poterit, qua nam orbis parte consulatum inierint, clarissimum enim est, qui nam eorum Romae, uel in occidente, & qui Constantinopoli, uel in oriente fuerunt. Si uero priuati fuerunt, id ego in primis ex Ammiani Marcellini, Socratis, Sozomeni, Theodoriti, Euagrij, Nicephori, Marcellini Comitis, & quorundam sine nomine scriptorum historiis decerpsi, ubi haec desunt ex codicibus legum Theodosiano & Iustiniano. Illos enim quos aperte prouinciarum orientalis uel occidentalis imperij praefectos praetorio, uel urbis, praetores, praesides, duces, & comites esse ex principum rescriptis, & constitutionibus, uel eorundem datis cognoui, postea quum consules creatos uideo, illius potissimum imperij consules fuisse existimaui in quo descripti sunt. Bases quoque & statuarum elogia Romae, & in Italia reperta maximum huic rei cognoscendae auxilium praebuerunt, quae omnia suis locis prout occasio dabitur singillatim ostendam

De

De Constantino, & Constantio iunioribus, Constanteq; Augustis

Tres Constantini Maximi imp. filij Constantinus, & Constantius iuniores, atque Constans Augusti Romanum post patris obitum susceperunt imperium, uariis locis distincti administrãdum. Constantinus enim in Gallia; Constans in Italia; Constantius uero in Asia, & oriente imperii iura tenuerunt. Ceterũ tempora imperij singulorum inferius aperiam

Annus ∞ XC

VRSO. ET. POLEMIO. COSS. IDIBVS. IANVARIS. MECILIVS. HILARIANVS PRAEFECTVS. VRBI. FVIT. Eosdem consules Cassiodorus, & Fasti Graeci commemorãt. Quum autem saepe diuerso ordine, quo ab his Fastorum auctoribus cõsules digerũtur, in meis Fastis eosdem consules concinnauerim; ut quos illi dignitatis, aut temporis ratione habita praeponunt, ego ad imperium respiciens postponam; alium laborem suscepi, atque a Iulio Caesare usque ad Iustinianũ imp. consulum tantum nuda nomina, sine tribunicijs potestatibus, & reliquis quae ornatus caussa in his Fastis singulis imperatoribus adieci, digessi; ubi eos accurate sic dispofui ut a Fastorum auctoribus referuntur. Ita ut facillime quemadmodum G. Haloander fecit, atque uno fere intuitu integra haec consulum series perspici poterit. In commentario quoque id obseruare non omittam. Nam quos ego imperii orientalis & occidentalis habita ratione Polemium & Vrsum exaraui, Vrsum & Polemium notari a reliquis Fastorum auctoribus do cui, quod mihi hoc libro custodire curae non fuit, quum imperiorum ordinem sequar. Porro autem in tertio libro dextera parte quemadmodum index docet, imperium Constantinopoli in oriente, cum suis imperatoribus & consulibus notaui; laeua uero Romae & occidentis eadem ratione perduxi. Polemius igitur hoc anno orientalis, Vrsus uero occidentalis consul fuit; quemadmodum ex codice Theodosiano, & Iustiniani manifestum est; ubi Polemius P. V. Constantinopolis, Vrsus vero praefectus praetorio Italiae exarati sunt. Quum enim quattuor praefecti praetorio a Constantino creati fuissent, Galliarum, & Italiae, imperio occidentali; Illyrici uero & orientis imperio orientali adiudicati sunt. Ceterum de his coss. mentio est in antiqua marmorea basi ita

DEDIC. XVIII. KAL. FEBR
VRSO. ET. POLEMIO. CoS

Annus ∞ XCI

CONSTANTIO. II. ET. CONSTANTE. COSS. PRID. IDVS. IVLIAS. L. TVRCIVS APRONIANVS. PR. VRB. FVIT. ITEM. VIII. KAL. NOVEMBR. TI. FABIVS. TITIANVS. PR. VR. FVIT. Ita Cassiodorus, & Fasti Graeci. Ex his quae diximus satis intelligi potest Constantium orientalis, Constantem vero occidentalis consulis loca obtinuisse

Annus ∞ XCII

ACYNDINO. ET. PROCVLO. COSS. EX. DIE III. NONAR. MAI. IN. IIII. IDVS. IVNIAS. IVNIVS. TERTVLLVS. COGNOVIT. EO. QVOD AD. AVGVSTV M. PROIECTVS. EST. FABIVS. TITIANVS. QVI. POSTEA. REVERSVS. PRAEFECTVS. VRBI FVIT. Hos consules Cassiodorus, Fasti Graeci, Socrates libro II. cap. V. profitentur. Septimii Acyndini mentio est in libro de praefectis. Alter consul in occidente fuit L. Aradius Rufinus Valerius Proculus biennio ante vrbis Romae prafectus Q. Aradij anno ∞ LXIX. cõsulis filius, cuius antiqua aenea tabula meminit sic

L. ARADIVS. VALERIVS. PROCVLVS. COLONOS
COL. AEL. HADRIANNE. AVG. ZAMAE. REG. IPSOS. LI
BEROS. POSTEROSQ. EORVM. SIBI. LIBERIS. POSTERIS
QVE. SVIS. IN. CLIENTELAM. SVSCEPIT

Hoc anno auctore Socrate, Constantinus iunior dum latrocinij specie incautus foedeq; temulentus, in fratris Constantis partes irruit, a militibus Constãtis obtruncatus est, cadauer in fluuiũ Alsa haud longe ab Aquileia proiectum: atque ita Resp. ad duos Augustos redacta est, Constantẽ qui in occidente, & Constantium qui in oriente imperitarunt. Sic Victor, & Eutropius. Ceterum quod hoc anno in Fastis notaui Post consulatũ Constãtij & Constantijs Augustorũ, consulesq; Acyndinũ & Proculũ ex K. Februarij ex cod. Theodosiano adposui, saepius mihi faciundũ fuisset; quũ enim uel ob principũ negligentiam, uel ob bellorũ tumultũ saepe accidisset, ut Kal. Ianuarij consules adhuc creati nõ essent; is annus post consulatũ superioris anni consulũ dicebatur, ut hoc anno factũ est, atq; ita uq; ad nouorũ consulũ creationem uocabatur, nouis uero cõsulibus creatis hi anno nomẽ dabat: quod si eo anno cõsules nec in oriẽte, nec in occidẽte fuissent, toto anno post consulatũ dicebatur superiorum consulũ. Si vero in occidẽte tantũ, uel in oriẽte ambo consules fuissent, atque altera imperii pars siue altero cõsule esset, qui consul, uel consules in oriente erãt, ab occidẽtalibus quoq; notabãtur, & sic e cõuerso fiebat, uel post consulatũ eius, uel eorũ cõsulũ dicebatur, qui nouissimi in oriẽte, uel occidẽte fuissent. Quae omnia suis exemplis quũ ad ea loca deueniã, confirmabo. Illud quoq; est animaduersione dignũ, singulo uersiculo numerũ annorũ imperii extrinsecus habẽte, annũ integrum designari, qui uero uersus numerorum nótas additas nõ habent ijs superioribus uersiculis aptari, qui suis numeris [illegible] exempla toto hoc Fastorũ tertio libro manifesta sunt

Annus

Annus ∞ XCIII

MARCELLINO.ET.PROBINO.COSS.V.KAL.MART.AVRELIVS. CELSINVS.P.V.FVIT. Hos conſules Socrates libro II.cap.VII. Caſſiod.& Faſti Graeci edunt, quem annum Socrates quintum a morte Conſtantini eſſe commemorat. Antonij Marcellini, & Coelij Probini meminit codex Theodoſianus. Probinus pr.urbis Romae fuit, ergo & occidentalis conſul

Annus ∞ XCIIII

CONSTANTIO.III.ET.CONSTANTE.II. COSS.KAL.APRIL.MAVORTIVS.LOLLIANVS.P.V.FVIT.MENS.III.ITEM.PRID.NON.IVL.ACO.CATVLLINVS.PHILONIANVS.P.V.FVIT. Hos conſules Socrates libro II.cap.XIII. Caſſiodorus,& Faſti Graeci in hunc annum comparant

Annus ∞ XCV

PLACIDO.ET.ROMVLO.COSS.ACO.CATVLLINVS.PR.VR.FVIT. ita Caſſiodorus,& Faſti Graeci. Hoc anno in oriente poſt conſulatum fuit Conſtantii Aug. III. nam ambo cos.in occidente creati ſunt, quod ex eorum baſibus Romae,& Neapoli cum his inſcriptionibus repertis liquet. FL.PISIDIO.ROMVLO.COS.ORD.PR.VRB.

Item Neapoli

M.MAECIO.MEMMIO.FVRIO.BALBVRIO
CAECILIANO.PLACIDO.C.V
PONTIFICI.MAIORI.AVGVRI.PV
BLICO.P.R.QVIRITIVM.QVINDECEM
VIRO.SACRIS.FACIVNDIS.CORREC
TORI.VENETIARVM.ET.HYSTRIAE
PRAEFECTO.ANNONAE.VRBIS
SACRAE.CVM.IVRE.GLADII.COMITI
ORDINIS.PRIMI.COMITI.ORIENTIS
AEGYPTI.ET.MESOPOTAMIAE.IVDI
CI.SACRARVM.COGNITIONVM
TERTIO.IVDICI.ITERVM.EX.DE
LEGATIONIBVS.SACRIS.PRAE
FECTO.PRAETORIO.IVDICI
TERTIO.CONSVLI.ORDINARIO
PATRONO.PRAESTANTISSIMO
REGIO.PALATINA
POSVIT

Annus ∞ XCVI

LEONTIO.ET.SALVSTIO.COSS.ACO.CATVLLINVS.PR.VRB.FVIT.SED.III.IDVS.APRILIS.Q.RVSTICVS PRAEF.VRBIS. Eoſdem Faſti Graeci, & Caſſiodorus commemorant, Nummum uidi aereum ita inſcriptum. SALVSTIVS. AVTOR, quem hunc eſſe exiſtimo, Dometij Leontij praef. praet. mentio eſt in codice Theod. libro IX. tt.i. Conſul hic occidentalis fuit, nã auctore Marcellno libro XIIII. praefectus urbem Romam adminiſtrauit.

Annus ∞ XCVII

AMANTIO.ET.ALBINO.COSS.Q.RVSTICVS.PR.VRB.III.NON.IVL.RVFINVS.PRAEFECTVS.VRBIS.FVIT. ſic Faſti Graeci, liber Cuſpiniani, & auctor libri de praefectis: uerum Caſſiodorus Conſtantium IIII. & Conſtantem III. Augg. & conſules hoc anno Saluſtio & Leontio ſuggerit; in qua re haud dubie errat, nam & a tribus Faſtorum auctoribus omnino omittuntur,& a Faſtis Graecis anno poſt memorantur. Hunc autem conſulatum hoc potiſſimum loco tollendum eſſe, ratio temporum, anni imperij Conſtantij, qui certi ſunt, tabula magna Dionyſij, & omnes praeterea hiſtoriarum, & Faſtorum ſcriptores requirunt. Albinus occidentalis conſul eſt, Ceionius Rufius Albinus uocatus, ut ex inſcriptione Romana quam anno ∞ XXCVII. attuli ſatis liquet

Annus ∞ XCVIII

P.C.AMANTI.ET.ALBINI.PROBINVS.PRAEF.VRB.FVIT. VII.KAL.IANVAR. PLACIDVS.PR.VRB.FVIT. Caſſiodorus,& liber Cuſpiniani cum auctore libri de praefectis hoc anno conueniunt; nam & ipſi hoc anno P.C. Amanti & Albini edunt. Faſti Graeci Conſtancium IIII. & Conſtantem Aug. III. in hunc annum comparant; & omnes recte. Nam maior huius anni pars ſine conſulibus fuit. Quod ſeditiones aliquot & diſcordiae inter duos fratres imperatores exortae, ut Socrates docet, effecerunt. Circa uero anni medium Conſtantius IIII. in Oriente,& Conſtans III. in occidente conſulatum inierunt, ut ex Faſtis Graecis animaduerti

Annus ∞ XCVIIII

RVFINO.ET.EVSEBIO.COSS.PLACIDVS.PR.VRB.FVIT.PRID.IDVS.IVNIAS.LIMENIVS.PR.PRAETORIO.ET.VRBIS. Sic Caſſiodorus, Faſti Graeci,& liber Cuſpiniani. Socrates uero lib. II. cap. XX. ait: Vndecimo anno poſt obitum Conſtantini imp. cos. erant Rufinus & Euſebius. Fl. Euſebius Conſtantij cubiculi praepoſitus auctore Theodorito lib. II. fuit, ergo & orientalis conſul. Igitur Rufinus occidentalis

Annus

Annus ∞ C

PHILIPPO.ET.SALLIA.COSS.VLPIVS.LIMENIVS.PR.PRAETORIO.ET.VRBIS. FVIT.ita Caſſiodorus,& Faſti Graeci.In antiquo uero lapide Salleas dicitur ita Fl.Philippi Thraciae prouīciae praeſidis,& forte praefecti urbis Conſtantinopolis meminit Socrates libro II.cap.XVI

QVIESCIT.IN.PACEM.DEPOSITVS.DIEM.QVAR
TVM.NONAS.AVGV
STAS.FLAVIO.PHILIPPO
ET.FLAVIO.SALLEA.CON
SVLIBVS.PATER.SERBA
TIVS.FECIT.

Annus ∞ CI

LIMENIO.ET.CATVLLINO.COSS.LIMENIVS.PR.PRAET.ET.VRBIS.FVIT.CESSAVERVNT.PAEFECTVRAE.DIES.XLI.A.DIE.VI.IDVS.APRILIS.VSQ.IN.XV.KL.IVNI.XIIII.KAL.IVNI. HERMOGENES.PR.PRAETORIO.ET.VRBI. Hos conſules Caſſiodorus cum Faſtis Graecis profitetur. Quo anno in oriente poſt conſulatum Philippi fuit; ambo enim conſules in occidente creati fuerūt. Horum alter eſt Vlpius Limenius praefectus praetorio,& Vrbis; alter uero Aco Fabius Catullinus Philonianus,& ipſe aliquando vrbis Romae praefectus, de quo in antiqua inſcriptione mentio eſt ſic

FABIAE.ACONIAE.PAVLLINAE.C.F
FILIAE.ACONIS.CATVLLINI.V.C
EX.PRAEF.ET.CONSVLIS.ORDIN
VXORI.VETTI.PRAETEXTATI
V.C.PRAEF.ET.CONSVLIS.DESIGNATI
SACRATAE.APVD.ELEVSI
NAM.DEO.BACCHO.CERERI
ET.CORAE.SACRATAE.APVD
AEGYNAM.DEABVS.TAVROBOLI
TAE.ISIACAE.HIEROPHAN
TRIAE.DEAE.HECATE
GRAECO.SACRATAE.DEAE
CERERIS.

Annus ∞ CII

SERGIO.ET.NIGRINIANO.COSS.HERMOGENES PR.PRAETORIO. ET. VRBIS. FVIT.III.KAL.MARTIAS.TI.FABIVS.TITIANVS.PR.VRBIS. Hos conſules Caſſiodorus, Faſti Graeci, liber Cuſpiniani,& Socrates libro II.cap.XXVI.profitentur. Eos autem ambos in occidente fuiſſe intelligitur ex codice Theodoſiano. Hoc anno paulo ante Kal. Martij,Imp. Conſtans Auguſtus in Gallijs ſub Pyrenaeo, in oppido cui Helene nomen eſt, conſpiratione eius ducum Magnentij, Chreſti,& Marcellini, manu Gaiſonis interfectus eſt anno XIII. Auguſtae dominationis, nam Caeſar triennio fuerat, aetatis XXX.ut D. Hieronymus,& Eutropius tradunt,uel XXVII.vt Victor. Poſt cuius mortem,quum Magnentius apud Auguſtodunum in Gallijs,& Hiſpania imperium inuaſiſſet,duos fratres ſuos Decentium,& Deſiderium Caeſares creauit.Eodem tempore Conſtantis nece audita,Vetranio magiſter militum imperium in Pannonia apud Syrmium corripuit. Quem Conſtantius non poſt multos dies regno exuit, eique aetate grandaeuo non uitam modo,ſed etiam uoluptarium ocium conceſſit.Iiſdem quoque diebus Romae Fl.POPIL.NEPOTIANVS(ita enim eſt in nummis) Eutropiae ſororis Conſtantini imp. filius, Romae per tumultum, gladiatorum factione tyrannidem inuaſit. Qui ſaeuis exordijs dignum exitum natus eſt, uigeſimo enim atque octauo imperii die a Magnentianis ducibus oppreſſus, poenas dedit,eiusque caput pilo per vrbem circunlatum eſt.Grauiſsimae proſcriptiones & nobiliū caedes fuerūt;ita Magnentius praeter Gallias & Hiſpaniam, Italia quoque omni,& Africa potitus eſt. Aduerſus quem dum Conſtantius Imp. bellum ciuile praepararet; ipſe interim imperij iura cum fratribus Caeſaribus in occidente annos tres & menſes VI. vel vt tradit Victor,menſes XLII. tenuit. Hoc ipſo anno quum Conſtantius Imp. ſolus in imperio eſſet,atque tot tyrannis vna vrgeretur, Fl.Conſtantium Gallū patruelem ſuum Conſtantii fratris Conſtantini Imp. filium Caeſarem appellauit, eiq; ſororem ſuam Conſtantinam vxorem dedit,atque imperium tradidit orientis; ipſe vero bellum occidentale cum Magnentio interim adornabat. Ita Victor, Eutropius, Socrates libro II. Zoſimus,et D. Hieronymus

Annus ∞ CIII

MAGNENTIO. ET. GAISONE. COSS. FABIVS. TITIANVS. PR. VRB. ITERVM. KAL. MARTII. AVRELIVS. CELSINVS. PR. VRB. II. IIII. IDVS. MAIAS COELIVS PROBINVS. PR. VRB. II. VII.IDVS. IVNIAS.CLODIVS. ADELPHIVS.PR.VRBI.XV. KAL. IANVAR.VALERIVS.PROCVLVS.PR.VRBI. ita auctor incertus libri de praefectis.

Horum

Horum alter est Magnentius tyrannus, alter vero Fl. Gaiso cuius manu Constans conciderat. Verum liber Cusp. & Cassiodorus, horum consulatus rationem non habentes, post consulatum Sergij & Nigriniani suggerunt, & recte: nam in oriente fuit post consulatum, in occidente uero hi coss. fuerunt. Socrates quoque libro II. cap. XXIX. Isti (inquit) post consulatum Sergij & Nigriniani, quo anno propter bellicos tumultus nemo consuetum consulatum administrabat, conuenerunt

Annus ∞ CIIII

DECENTIO. ET. PAVLLO. COSS. VALERIVS. PROCVLVS. PR. VRB. II. V. IDVS SEPT. SEPTIMIVS. MNASEA. PR. VRB. VI. KAL. OCTOBR. NERATIVS. CEREALIS. PR. VRB. Sic incertus auctor libri de praefectis. Hi enim sunt consules occidentales Magnentianae factionis, quorum Decentius Caesar est Magnentij frater, Paullus eius dux. Ceterum reliqui Fastorum auctores consules comparant occidentales factionis Constantianae, idest ipsum Constantium Augustum V. & Constantium Gallum Caesarem

Annus ∞ CV

CONSTANTIO. VI. ET. CONSTANTIO. GALLO. II. COSS. NERATIVS. CEREALIS. PR. VRB. FVIT. V. IDVS. DECEMBRIS. VITRASIVS. ORFITVS. PR. VRB. FVIT. Ita auctor libri de praefectis: eosdem consules Cassiodorus, Fasti Graeci, & liber Cusp. memorant. Hi cos. orientales fuerunt, occidentem enim Magnentius adhuc occupabat. Quo anno ipse Magnentius occidentis imp. seu potius tyrannus aliquot proeliis uictus, nouissime quũ apud Mursam Galliarum oppidum insigni pugna a Constantio superatus esset, Lugdunũ fugit, vbi XVIII. Kal. Septembris fratre Desiderio prius occiso, gladio deinde in latera adacto, se ipse interfecit, imperij anno III. mense VI. aetatis anno L. Cuius morte audita Decentius frater laqueo sibi gutur elidens apud Senonas uitam finiuit; atque ita totus Romanus orbis sub vnius Constantij imp. ditionem libere occisis tyrannis deuenit. Quare hoc anno ab Vrbis praefecto Neratio Cereale Romae haec basis cum statua Constantio imp. errecta fuit, ac dedicata.

RESTITVTORI. VRBIS. ROMAE. ATQVE. ORBIS
EXTINCTORI. PESTIFERAE. TYRANNIDIS
D. N. FL. IVL. CONSTANTIO. VICTORI. AC. TRIVMFATORI
SEMPER. AVGVSTO
NERATIVS. CEREALIS. V. C. PRAEFECTVS. VRBI
VICE. SACRA. IVDICANS. D. N. M. Q. EIVS

Alterius quoque praefecti Orfiti eiusmodi extat epigramma ita

APOLLINI. SANCTO
MEMMIVS. VITRASIVS
ORFITVS. V. C
BIS. PRAEF. VRBI. AEDEM. PROVIDIT
CVRANTE. FL. CLAVDIO
EVANGELO. V. C. COMITE

Ab hoc anno ea quae supersunt Ammiani Marcellini monumenta initium habent, atq; usque ad Valentis imp. interitum pertinent. Qui scribit hoc anno VI. Idus Octobris annum imperii Constantij XXX. terminatum

Annus ∞ CVI

CONSTANTIO. VII. ET. CONSTANTIO. III. COSS. VITRASIVS. ORFITVS. PR. VRB. FVIT. Ita auctor de praefectis, qui ad hunc usque annum opus suum perducit. Quem deinde ego ex Ammiano Marcellino, & codice Theodosiano usque ad primum imperij Theodosij annum supplere curabo. Eos cõsules in hunc annum comparant Marcellinus libro XIIII. Socrates libro II. cap. XXXIIII. Cassiodorus, & Fasti Graeci, quorum Cõstantius Aug. in occidente, Gallus Caesar in oriẽte fuit. Ab hoc anno antiquissimus & litteris maiusculis in mẽbranis manuscriptus Masseiorũ codex cuius index est RATIO. uel COMPVTVS. PASCHAE. initium habet, qui ad imperiũ Heraclij Augusti, & annũ Christi DCX. pertinet. Huius libri testimonio quoties opus erit in his commẽtarijs utar, ipsum deinde integrum interim in studiosorum gratiam cum aliquot praeterea alijs uetustis monumentis publicare curabo. Exemplar Romae est apud optimum & doctiss. uirum Achillem Masseum antiquitatum omnium asylum. Huius Orfiti praefecti vrbis Ammianus libro XIIII. meminit. Quo anno ijsdem auctoribus tradentibus, Gallus Caesar multis inciuilibus rebus gestis a Constãtio imp. Polae in Istria interfici iussus est, anno imperij IIII. uitae XXIX. Ita Socrates, & Marcellinus, Eutropius, & Victor. Eodem anno, ut ijdem auctores sunt, quũ Siluanus quidam in Gallijs Coloniae Agrippinae tyrannidem inuasisset XXVIII. imperii die occisus est

Annus ∞ CVII

Arbetione & Lolliano coss. Vitrasius Orfitus pr. vrbi fuit. Item Dometius Leontius praef. vrbi fuit. Ita Ammianus Marcellinus libro XV. hos consules Cassiodorus, Fasti Graeci, & Masseiorum, Socratesque libro II. cap. XXXIIII. profitentur. Hoc anno VIII. Idus Nouembris Mediolani Iulianus Galli Caesaris frater, Constantij imperat. patruelis, ab ipso Constantio

Caesar appellatus est, eique soror altera Constantij Helena in matrimonium data, atque occidentis imperium concessum, quum ipse in orientem regredi pararet. Ceterum uterq; consul hoc anno in occidente creatus fuit, ut ex Marcellino liquet, quorum alter est Mauortius Lollianus quondam praef. vrbi, ad quem Iulius Firmicus Maternus scribit libros octo astronomicorum: alter vero est Arbetin dux Constantij per Gallias. Quam ob rem in oriente post consulatum fuit Constantij Galli III Annus ∞ CVIII

Constantio VIII. & Iuliano coss, Memmius Vitrasius Orfitus praef. vrbi II. fuit. ita Marcellinus libro XV. Cassiodorus, Fasti Graeci & Maffeiorum, Hunc consulatum Iulianus apud Vienam Galliae iniit, tradente Marcellino

Annus ∞ CVIIII

Constantio IX. & Iuliano II. coss. Memmius Vitrasius Orfitus II. pr. Vrbi fuit. ita Marcellinus libro XV. qui Senonis Iulianū hunc consulatum iniisse tradit. Eosdem consules & reliqui Fastorum auctores memorant. Huius praefecti, & Caesaris Iuliani métio est in antiqua basi sic

DOMINO . NOSTRO
CLAVDIO . IVLIANO
NOBILIISSIMO . AC
FORTISSIMO . CAESARI
MEMMIVS. VITRASIVS. ORFITVS. V. C
ITER. PRAEF. VRBI. IVD. SAC. COG
TERTIVM. D. N. M. Q. EIVS

Annus ∞ CX

Titiano & Cereale coss. Vitrasius Orfitus II. praef. vrbi fuit. Ita Marcellinus libro XVII. & ceteri Fastorū auctores. Vterq; consul hoc anno in occidente fuit, in oriente uero post cōsulatum Constantij. imp. IX. Nam Ti. Fabius Titianus alter est, alter vero Neratius Cerealis ambo ut vidimus vrbis Romae praefecti. Huius ut puto Titiani haec extat inscriptio

FABIO . TITIANO . V . C
CORRECTORI . FLAMINIAE
ET . PICEN . CONSVLARI
SICILIAE . PRO . CONSVLI
PROVINCIAE . ASIAE
IVDICI. SACRARVM. COG
NITIONVM . COMITI . PRIMI
ORDINIS . CONSVLI . ORDI
NARIO . PRAEF . VRBIS
PEREGRINVS
SERVVS. DOMINO. PRAESTANTISSIMO

Annus ∞ CXI

Eusebio & Hypatio coss. Vitrasius Orfitus II. praef. vrbi fuit. Quo anno in locum Orfiti Bassus pr. vrbi factus, in mag. mortuus est. Pro eo pro praefecto cognouit Vicarius vrbis Artemius. Eodem anno Anicius Tertullus praefectus vrbi fuit. Ita ex cod. Theodosiano, & Marcellino libris XVII. XVIII. & XIX. cōcinnaui. Horum consulum Socrates libro II. cap. XXXVII. & reliqui Fastorum auctores meminerunt. Quos Eusebiae vxoris Constantij fratres germanos fuisse tradit Marcellinus lib. XXI. Hos autem potius orientales quam occidentales consules fuisse credide rim: tum enim Constantius in orientalis imperii partibus morabatur Annus ∞ CXII

Constantio Augusto X. & Iuliano Caesare III. coss. Anicius Tertullus pr. vrbi fuit. Sic Marcellinus lib. XX. Eosdē Socrates lib. II. cap. XLIII. Cassiodorus, Fasti Graeci, & Maffeiorum cōsules in hunc annū cōparant. His consulibus Honoratus ex praefecto praetorio Galliarū primus Cōstantinopoli vrbis praefectus esse coepit: ita Cassiodorus, D. Hieronymus, Socrates libro II. cap. XLI. Hoc anno militum seditione in Gallijs Iulianus ex Caesare Augustus appellatus est. Marcellinus Annus ∞ CXIII

Tauro & Florentio coss. Anicius Tertullus pr. vrbi fuit. In eius locum Anicius Maximus praef. vrbi. Ita ex Marcellino libro XXI. Hos consules Socrates libris II. & III. Cassiodorus, & reliqui commemorant: quorum Florentius praefectus. praetorio Illyrici consul orientalis fuit, Taurus vero pr. praetorio Italiae occidentalis. Hoc anno ut ijdem auctores sunt, quum Iulianus inuito Constantio in Gallijs Augustus per militarem tumultum appellatus fuisset, Constātius aduersus eum ex Perside rediens bellum ciuile parabat. Qui quum inter Cappadociam & Ciliciam, Mopsuestiam ad radices Tauri montis sitam venisset, apoplexia correptus uitam finiuit III. Nonas Nouembris, imperij & aetatis anno XL. & aliquot mensibus, Iulianum imperij successorem futurum designans. Ita Marcellinus libro XXI. Socrates uero capite XLVI. libri II. Vixit annos XLV. quum imperasset XXXVIII. nam una cum patre imperauerat annos XIII. post mortem eius annos XXV. Fuerunt autem ut ex diebus initi finitique imperij liquet, anni XXV. menses V. dies XIII. Victor autem: Constantius (inquit) magis magisque ardens dolore, se a Iuliano negligi, in radicibus Tauri mōtis, apud Mopsocrenem febri acerrima correptus, interijt anno aeui IIII. & XL. imperij IX. atq; XXX. uerum Augustus IIII. atq: XX. octo solus, cum fratribus atq; Magnentio XVI. XV. Caesar

De

De Iuliano Imp

Hic Constantij fratris magni Cõstantini imp. & Basilinae filius fuit, Constãtinopoli natus, Galli frater germanus, Constantij uero patruelis, a quo post Galli caedem Caesar appellatus, quũ rebus egregie in Gallijs contra Germanos gestis a militibus Gallicanis Augustus pronuntiatus esset, bellum ciuile & ipse contra Constantium comparabat. Quem ut mortuum cognouit Constantinopolim III. Idus Decembris ingressus, pacifice utriusque imperij principatum obtinuit, annumque & menses VII. ac dies XXVII. imperauit. Sic Eutropius, Marcellinus, Victor, & Socrates. Iuliani vero imp. eiusmodi extant inscriptiones

IMP. CAESARI. D. N
FL. CLAVDIO. IVLIANO
P. F. VICTORI. AC. TRIVM
SEMPER. AVGVSTO
PONT. MAX. TRIB. POT
IMP. VII. COS. III. BONO
REIP. NATO. PATRI
PATRIAE. PRO. COS

AETERNO. PRINCIPI
D. N. FLAVIO. CLAVDIO
IVLIANO. VBIQVE. VENE
RANDO. SEMPER. AVG
BONO. REIP. NATO
ORDO. POSSESSORES. QVE

Annus ∞ CXIIII

Mamertino & Neuitta coss. Anicius Maximus pr. vrbi fuit. Sic Marcellinus libris XXI. & XXII. & reliqui omnes Fastorum auctores. Ambo consules in oriente fuerunt, Constantinopolique consulatum auspicarunt, quare occidens hoc anno fine coss. fuit, ut ex ipso Marcellino intelligitur. Ex his Mamertinus praefectus praetorio Illyrici erat. Neuitta uero magister equitus per Rhetias

Annus ∞ CXV

Iuliano Augusto IIII. & Salustio coss. L. Turcius Apronianus pr. vrbi fuit. De quo in antiqua marmorea basi mentio est sic

ASTERII
L. TVRCIO. APRONIANO. V. C
FILIO. L. TVRCI. APRONIANI. V. C
PRAEFECTI. VRBIS. NEPOTI
L. TVRCI. SECVNDI. V. C. CONSVLIS
QVAESTORI. PRAETORI. QVINDECEM
VIRO. SACRIS. FACIVNDIS. CORREC
TORI. TVSCIAE. ET. VMBRIAE. OMNI
VIRTVTE. PRAESTANTI. STATVAM
EX. AERE. ORDO. SPOLETINORVM
AD. MEMORIAM. PERPETVI. NOMINIS
CONLOCAVIT
CVRANTIBVS. FLAVIO. SP. F. V. P
ET. CODONIO. TAVRO. IVN

POST. AMANTI. ET. ALBINI. CONS

Ita ex codice Theodosiano, & Marcellino libro XXIII. qui ita ait: Iulianus uero iam ter consul ascito in collegio trabeae Salustio praefecto per Gallias, quater ipse amplissimum inierat magistratum. Et uidebatur nouum adiunctum esse Augusto priuatum, quod post Diocletianum & Aristobulum nullus meminerat gestum: & cet. Hos cõsules & reliqui Fastorum auctores edũt. Quorum Iulianus imp. in oriente, Salustius uero quem Marcellinus Secũdum Salustium Promotum uocat in occidente, Galliarum enim praefectus praetorio erat. Hoc anno Iulianus imp. ingenti apparatu Persis bellũ intulit, multa oppida Persarum in deditionem accepit, castra apud Ctesiphontem statiua aliquandiu habuit, remeansque victor dum se inconsultius proelijs inserit, hostili manu interfectus est VI. Kal. Iulii, imperii anno VII aetatis altero & trigesimo. Victor uero: Iulianus (inquit) nimis gloriae cupidus in Persas proficiscitur, illica transfuga quodam in insidias deductus, ab vno ex hostibus conto percussus, circa noctis medium decessit. Eadem refert Marcellinus libro XXV

De Ioviano Imp

Altero post obitum Iuliani die V. Kal. Iulii, dum exercitus duces in Persidis regione de creando principe consultarent, omnium suffragijs Salustius Galliarum praefectus praetorio, & consul ceteris praelatus est. Quo morbos & senectutem excusante, Iouianus ut ex eius nummis constat, non Iouinianus ut perperam a plerisque scribitur, Varroniani comitis filius, domo Siginduno, genere Pannonius, militumque tribunus omnium sententia Augustus acclamatus est. Qui imperio suscepto ignominiosaque cum Persis pace facta, incolumen exercitum ex Persarum regione in Romanum solum reduxit. Imperauit uero menses VII. & dies XXII

Annus ∞ CXVI

Iouiano Augusto & Varroniano coss. Apronianus praef. vrbi fuit. Eodem anno in Aproniani locum C. Ceionius Rufius Volusianus praef. vrbi factus est. Eodem anno post Volusianum,

Q Aurelius Symmachus Pr. vrbi fuit. Ex codice Theodosiano, & Marcellino lib. XXVI. Hos consules Ammianus Marcellinus libro XXV. Socrates libro III. cap. XXVI. Cassiodorus, Fasti Graeci, & Masseiorum profitentur: qui ambo in oriente fuerunt. Varronianus autem Iouiani Augusti filius est, adhuc infans, & in cunis vagiens consul creatus. Imperatorum autem filii antequã Caesares appellati essent, nobilissimi pueri per haec tempora appellari coepti sunt, si Caesares uero essent nobilissimi Caesares dicebantur. Nota igitur N.P. uel NOB.P. nobilissimus puer interpretanda est, perinde ac si quis diceret imperatoris filius. Hoc anno quum Iouianus imp. ex Perside rediens Constantinopolim ire pergeret, apud oppidum Dadastana, inter Galatiam & Bithyniam, cruditate prunarum quas nimias adoleri iusserat, uel noxio odore cubiculi calce recenter illiti, nocte diei XIII. Kal. Martij mortuus est, aetatis anno XXXIII. ipso & Varroniano filio coss. quo mortuo fuit interregnũ dierum decẽ. ita Marcellinus libris XXV. & XXVI Eutropius libro X. qui hoc anno finem scribendi facit, Socrates libro III. cap. XXVI. Et Sex. Aurelius Victor

De Valentiniano & Valente Impp

Mortno apud Dadastanam Iouiano imperatore, exercitus, sine principe diebus X. fuit. Qui quum Niceam Bithyniae uenisset, nulla discrepante sententia Fl. Valentinianum apud Ancyram Galatiae absentem, agentem tum scholam Scutariorum secundam, Gratiani Funarii filium, genere Pannonium apud Cibalas ortum Augustum acclamatũ, cunctis imperatorijs nominibus ornauit. Qui praeproperis litteris accitus in castra venit apud Niceam VII. Kal. Martij, neque die sequenti quod bissextilis dies forte tum esset, imperij insignia suscipere voluit, bissexti diem tanquam infaustum uitans. Die uero sequenti V. Kal. Martij quum imperium omnium uotis & acclamatione adeptus esset, primo Nicomediam uenit, ubi Kal. Martijs fratrem Valentem stabulo suo cum tribunatus dignitate praefecit, deinde quum Constantinopolim ingressus fuisset, Kal. Aprilis eundem Valentem omnium ducum votis consentientibus Augustum appellauit, ac diademate redimitum omnibus imperatoriis honoribus auxit. Ceterum transacta huius anni. hyemis parte, imperium & prouincias Romanas comitesque rei militaris inter se sortiti sunt, Si quidem Valenti imperium orientale cum vrbe regia Constantinopoli; Victor, Arintheus, Lupicinus magister militum per orientẽ, & Equitius Illyriciano exercitui praepositus obuenere. Valentinianus uero occidentale imperium, Ioninum, & Dagalaiphum cooptauit. Quibus ita comparatis, Valentinianus Mediolanum, Constantinopolim Valens discessere. Ita Marcellinus libro XXVI. Socrates libro IIII. cap. I. & Victor. Hic annus tanquam fixus quidam, maximusq; clauus, & index totius meae huius annorum digestionis est. Nam quum eum pro comperto habeamus ex claris Ammiani Marcellini verbis libro XXVI. citatis, bissextilem fuisse, necesse est hunc esse quadringentesimum octauum a IIII. C. Caesaris dictatoris consulatu, ex quo anni Iuliani ad cursum Solis emendati consurgunt. Si enim post eum annum singulo quadriennio annum bissextilem numerabis, quemadmodum fieri iussit Caesar dictator, & id non obseruatum egregie reformauit Augustus, inuenies annum ab eo consulatu CCCCVIII. bissextilem omnino esse debere. Quum autem hũc annũ & bissextilẽ fuisse certo referatur a Marcellino, qui eo tẽpore uixit, & CCCCVIII. sit a quarto C. Caesaris dictatoris consulatu, ut accurate annos hos computãti manifestum erit, reliquum est ut omnis haec annorum summa, quae inter Caesarem dictatorem, & Valentinianum est, optime perfecteq; digesta sit. Porro autem si hos CCCCVIII annos, DCCVIII. aliis addideris, qui ab vrbe condita quartum Caesaris consulatum sine ulla cõtrouersia praecesserunt, inuenies hoc anno, annum vrbis conditae ex Varronis sententia omnino ∞ CXVI. esse, ut ego accurate notaui

Eadem ratio est de annis a Christo nato, nam si a proximo anno bissextili qui fuit Anno Salutis ∞ DLVI. retrogrediamur numerando omnes annos bissextiles qui singulo quadriennio interseruntur, inueniemus annum Christi CCCLXIIII. bissextilem fuisse. Quare quum annum quo Iouianus & Varronianus consules fuerunt bissextilis tradatur a Marcellino, egoque eum ex mea temporum ratione CCCLXIIII. esse accurate demonstrauerim, qui & ipse bissextilis necessario fuit per quaternionum regulam, iccirco recte admodum, & accurate omnis haec annorum summa sibi inuicem correspondet, ita ut ne in minimo quidem temporum error ullus sit. Hactenus autem ob magnam auctorum in digerendis consulatibus inconstantiam, multa fuit annorum post Christum natum titubatio; quae unius & alterius superflui consulatus, non sine ueterum auctorum expresso testimonio, expunctione, omnino sublata est, omniaque rata & firma certaque ad hunc usque annum facta. Post quem usque ad nostra tempora, nulla amplius est annorum turbatio, quae non facillime admodum solui possit. Quae omnia, & indictionum firmissima regula, & cycli magni tabulae computi Dionysii certissima ratione, singillatim deinceps ut occasio se se offeret demonstrare curabo

Annus ∞ CXVII

Anno quo Valentinianus Mediolani, Valens vero Constantinopoli primum cōsulatum inierunt, Symmachus praefectus vrbi fuit. In cuius locum eodem anno Volusianus iterum, post quem Lampadius praefecti vrbi facti sunt. Ex Marcellino libro XXVI. & codice Theodosiano Volusiani praefecti Vrbis II. eiusmodi extat inscriptio

VICTORIIS. D. D. N. N
C. CEIONIVS . RVFIVS
VOLVSIANVS.
V. C. PRAEF. VRBI. ITERVM
IVDEX . SACRARVM
COGNITIONVM

Eosdem consules Socrates libro IIII. cap. III Cassiodorus, & reliqui Fastorum auctores profitentur. Sunt enim duo Augusti Valentinianus & Valens

Annus ∞ CXVIII

Gratiano nobilissimo puero Valentiniani Augusti filio adhuc priuato, & Dagalaipho consulibus, Lampadius praef. vrbi fuit; post quem eodem anno Viuentius Pannonius ex quaesitore sacri palatij pr. vrbi factus est. Hos ipsos consules Ammianus Marcellinus libro XXVII. Socrates libro IV. cap. V. Cassiodorus, Fasti Graeci, & Maffeiorum memorant. Horum uterque ut ex Marcellino intelligitur, in occidente consul; oriens uero fine consulibus fuit: Dagalaiphus autem olim magister equitum erat. Eodem anno Procopius qui Constantinopoli tyrannidem contra Valentem arripuerat, in Bithynia occisus est

Annus ∞ CXVIIII

Lupicino & Iouino coss. Viuentius Pannonius praef. vrbi fuit. Post quem Vettius Praetextatus praef. vrbi factus est. Ita Socrates, Cassiodorus, & ceteri. Lupicinus magister eq. orientis, Iouinus uero mag. armorum occidentis consules fuerunt, ut ex Ammiano intelligitur. Hoc anno in Gallijs Ambianis XIIII. Kal. Septembris Gratianus Valentiniani filius Caesar Augustus a patre appellatus, cum eo una imperauit annos VIII. menses II. dies XXVIII. Ex Marcellino lib. XXVII Victore, & Socrate libro IIII. cap. X.

Annus ∞ CXX

Valentiniano II. & Valente II. Augustis coss. Vettius Praetextatus praef. vrbi fuit. Post quem Q. Clodius Hermogenianus Olybrius praef. vrbi factus est. Ex Marcellino libris XXVII. & XXIIX. & codice Theodosiano. Horum consulum & Socrates libro IIII. cap. X. Cassiodorus, Fasti Graeci, & Maffeiorum meminerunt

Annus ∞ CXXI

Valentiniano & Victore consulibus, Olybrius praefectus vrbi fuit. Hos consules Cassiodorus, Liber Cuspiniani, Fasti Maffeiorum, & Graeci in hunc annum comparant. Horum alter est Iulius Felix Valentinianus, de quo in antiquo lapide Romae sic mentio extat

IVLIVS . FELIX . VALENTINIANVS . V . C
EX . SILENTIARIO . SACRI . PALATII . EX . COM
CONSISTORII . COM . DOM . QVI . VIX
ANN . LXVII . M . IIII . D . XXV . DEP . IN . PAC

Alter (ut credo) est Sextus Aurelius Victor historiae Caesarum scriptor, & celebris historicus, de quo multa scribit Marcellinus, ex quo etiam intelligitur illum consulem orientalem fuisse

Annus ∞ CXXII

Valentiniano III. & Valente III. Augg. coss. Olybrius praef. vrbi fuit, post quem eodem anno Ampelius Antiochenus ex mag. officiorum praef. vrbi factus est. Horum consulum meminit Marcellinus libro XXVIII. Socrates libro IIII. cap. XIIII. Cassiodorus, Fasti Graeci, & Maffeiorum. Hoc anno eiusmodi inscriptio Romae in ponte Insulae transtiberim uertente facta est

DOMINI . NOSTRI . IMPERATORES . CAESARES
FL. VALENTINIANVS . PIVS . FELIX . MAXIMVS . VICTOR . AC . TRIVMF . SEMPER . AVG . PONTIF . MAXIMVS
GERMANIC. MAX. ALAMANN. MAX. FRANC. MAX. GOTHIC. MAX. TRIB. POT. VII. IMP. VI. COS. II. P. P. P. ET
FL. VALENS. PIVS. FELIX. MAX. VICTOR. AC. TRIVMF. SEMPER. AVG. PONTIF. MAXIMVS
GERMANIC. MAX. ALAMANN. MAX. FRANC. MAX. GOTHIC. MAX. TRIB. POT. VII. IMP. VI. COS. II. P. P. P. ET
FL. GRATIANVS. PIVS. FELIX. MAX. VICTOR. AC. TRIVMF. SEMPER. AVG. PONTIF. MAXIMVS
GERMANIC. MAX. ALAMANN. MAX. FRANC. MAX. GOTHIC. MAX. TRIB. POT. III. IMP. II. COS. PRIMVM . P. P. P
PONTEM. FELICIS. NOMINIS. GRATIANI. IN. VSVM. SENATVS. AC. POPVLI. ROM. CONSTITVI. DEDICARI. QVE. IV(SSERVNT

Annus ∞ CXXIII

Gratiano Augusto II. & Probo coss. Ampelius praef. vrbi fuit. Ita Socrates libro IIII. cap. XX Cassiodorus, & ceteri. Hoc anno oriens sine consulibus fuit, nam uterq; consul in occidente creatus est. Quorū alter est Gratianus Augustus II. alter vero est uir omnium priuatorum maximus, atque post Augustos primus Sex. Petronius Probus, de quo frequens apud Marcellinum, & Ausonium horum temporum scriptores mentio est. Itemq; in antiquis duabus basibus quae adhuc Romae in domo Caesia extant sic

SEXTO . PETRONIO . PROBO . V. C
PRO . CONSVLI . AFRICAE
PRAEFECTO . PRAETORIO
QVATER . ITALIAE . ILLYRICI
AFRICAE . GALLIARVM
CONSVLI . ORDINARIO
PATRI . CONSVLVM
ANICIVS . PROBINVS . V. C
CONSVL . ORDINARIVS
ET . ANICIVS . PROBVS . V. C
QVAESTOR . CANDIDATVS . FILII
MVNVS . SINGVLARI . RELIGIONE
DEBITVM . DEDICARVNT

SEXTO . PETRONIO . PROBO
ANICIANAE . DOMVS
CVLMINI . PROCONSVLI
AFRICAE . PRAEFECTO
PRAETORIO . QVATER
ITALIAE . ILLYRICI . AFRI
CAE . GALLIARVM . CON
SVLI . ORDINARIO . CON
SVLVM . PATRI . ANICIVS
HERMOGENIANVS
OLYBRIVS . V. C . CONSVL
ORDINARIVS . ET . ANI
CIA . IVLIANA . C. F. EIVS
DEVOTISSIMI . FILII
DEDICAVERVNT

Annus ∞ CXXIIII

Modesto & Arintheo coss. Ampelius praef. vrbi fuit. In eius locum eo anno Claudius praef. vrbi factus est. Hos praefectos codex Theodosianus, & Ammianus: consules vero Cassiodorus, Fasti Graeci, & Maffeiorum hoc anno profitentur. Quorum Modestus praef. vrbis Constantinopolis fuit, ut docet Socrates libro VII. cap. XVI. & praef. praet. orientis ut ex cod. Theod. XI. XXVI. VI. & alibi intelligitur, & ideo orientalis consul. Arintheus quoque teste Marcellino in orientalibus partibus consulatum gessit

Annus ∞ CXXV

Valentiniano & Valēte IIII. Augg. coss. Claudius praef. vrbi fuit. Ita Marcellinus libro XXIX. Eosdem Cassiodorus, Fasti Graeci, & Maffeiorum una quartum consules commemorant

Annus ∞ CXXVI

Gratiano Augusto III. & Equitio coss. Eupraxius pr. vrbi fuit. Ex codice Theodosiano. Ipsos consules in hunc annum suggerunt Ammianus libro XXX. Cassiodorus, & reliqui. Quorum Equitius orientalis consul, teste Marcellino fuit

Annus ∞ CXXVII

Post consulatum Gratiani Augusti III. & Equitij, Eupraxius praef. Vrbi fuit. Ita Cassiodorus, Fasti Graeci, & Maffeiorum, codexque Theodosianus. Quo anno propter bellorum tumultus neque in oriente, neque in occidente consules fuerunt. Eodem anno Brigetione in Pannonia Imp. Valentinianus apoplexi correptus obijt XV. Kal. Decembris, aetatis anno quinquagesimo quinto, imperij uero undecimo, mense VIII. die XXII. Cadauer Constantinopolim delatum cū ceteris principibus Romanis conditū est, ipseq; consecratus. Ita Socrates libro IIII. cap. XXXII. Marcellinus libro XXX. Et Aurelius Victor in eius vita

De Valente, Gratiano, & Valentiniano Iuniore Imppp

Mortuo Valentiniano, Valens quidem Constantinopoli orientale regebat imperium; occidentalis uero iura ad Gratianum solum deuenisse uidebantur. Quando sexto post Valentiniani obitum die, idest X. Kal. Decembris, apud villam Murocinctam in Pannonia, Valentinianus iunior Valentiniani mortui filius, Gratiani ex alia matre frater, instante Iustina matre adhuc quadriennis, auctoribus Equitio, & propinquis Cereale, & Merobaude imperator appellatus est, & Augusti nomine, atq; insignibus ornatus. Quam creationem Gratianus ratam habens, una occidētale imperium annos VII. menses IX. & dies IX. tenuerunt. Ex Marcellino, Socrate, & Victore

Annus ∞ CXXVIII

Valente V. & Valentiniano iuniore Augg. consulibus, Eupraxius praef. vrbi fuit. Post quem eodem anno Probianus pr. vrbi factus est. Horum consulum Socrates libro IIII. cap. XXXV. Cassiodorus, Fasti Graeci, & Maffeiorum meminerunt

Annus ∞ CXXIX

Gratiano Augusto IIII. & Merobaude consulibus, Probianus praef. vrbi fuit. Ex codice Theodosiano. Ipsos consules Cassiodorus, Fasti Graeci, & Maffeiorum in hunc annum comparant. Quorum vterque, ut ex Marcellino liquet, in occidente fuit. De quibus frequens in antiquis lapidibus Romae mentio est

Annus ∞ CXXX

Cassiodorus, Fasti Graeci, & Maffeiorū, Socrates libro IIII. cap. XXXVII. & Ammianus Marcellinus consules in hunc annum comparant Valentem imperatorem VI. & Valentinianum iuniorem Augustum II. Quo anno lacrimabili bello in Thracia cum Gothis gesto, Romanae legiones

giones ad internicionem usque caesae sunt. Imp. Valens qui proelio interfuerat, quum sagitta saucius fugeret, & ob dolorem nimium saepe equo laberetur, ad cuiusdam uillulae casam deportatus est, quo persequentibus barbaris, & incensa domo viuus crematus est V. Idus Augusti, anno uitae quinquagesimo, imperii uero quarto decimo, mense quarto, die nono: ex quibus cū fratre duodecim fere, tres uero post illius mortem imperauit. Ex D. Hieronymo, Ammiano Marcellino libro XXXI. cuius historia in hunc annum desinit. Socrate libro IIII. cap. XXXVIII. & Sex. Aurelio Victore

De Gratiano & Valentiniano iuniore Impp

Mortuo Valente imperatore res Romana ad eius fratris filios Gratianum & Valentinianum iuniorem deuenit, qui menses V. & dies VIII. utriusque imperij iura tenuerunt

Annus ∞ CXXXI

Cassiodorus, Fasti Graeci, & Maffeiorum, Socrates libro V. cap. II. consules in hunc annum comparant Ausonium & Olybrium. Ambo hi consules in occidente fuerunt, in oriente enim post consulatum Valentis Aug. $\overline{VI}$. notatum est. Horum alter est D. Ausonius Magnus Poeonius Gallus patria Burdegalensis, elegantissimus ille poeta, cuius adhuc hodie extāt ingenij plura monumenta; qui quum Gratiani imp. praeceptor fuisset, ab eo hoc anno consul ordinarius renuntiatus est. Extat etiam eius panegyricus quem in consulatu Gratiano dixit, in quo ei dignitatis acceptae gratias agit. Alter uero est Hermogenianus Olybrius qui praefectus vrbi fuit, de quo mentionem fieri uidi in antiqua hac inscriptione sic

TYRANNIAE. ANICIAE
IVLIANAE. C. F. CONIVGI
Q. CLODI. HERMOGENIANI
OLYBRI. V. C
CONSVLARIS. CAMPANIAE
PRO. CONSVLIS. AFRICAE
PRAEFECTI. VRBIS
PRAEF. PRAET. ILLYRICI
PRAEF. PRAET. ORIENTIS
CONSVLIS. ORDINARII
FL. CLODIVS. RVFVS. V. P
PATRONAE. PERPETVAE

Ab hoc anno in quem Eusebij primum, deinde D. Hieronymi de temporibus liber desinit, tres chronicorum auctores chronica sua auspicantur. Quorum primus est Marcellinus Comes V. C. qui sub Iustiniano imp. uixit. Hic haec ipsa tempora accuratissime per cōsulatus & indictiones, a consulatu Ausonij & Olybrij usque ad quartum Iustiniani Augusti consulatum perduxit. Cui postea ab incerto auctore appendix ad primum Iustini iunioris imperij annnm addita est, ita ut totus ille liber annorum CXXCVIII. summam complectatur. Tanta autem cum diligentia totus hic liber cōcinnatus est per indictiones praesertim, quae sunt firmissima & certissima rationis temporū fundamenta, vt ne latum quidem ut dicitur digitū ab hac ipsa annorum summa ego in meis Fastis deflecterim. Qui hoc anno & recte $\overline{VII}$. indictionem fuisse tradit. Quare deinceps nequaquam in singulis annis ut hactenus feci confirmandis, diutius immorabor, quum nulla amplius sit in temporibus annorū difficilis controuersia, quae non huius auctoris, & aliorū quos afferam ope facillime tollatur. Illud tantum faciam, ut quum obscurū fuerit demonstrē, qui cōsules in occidente, qui in oriēte fuerunt. Nam id de imperatoribus & eorum collegis clarum erit, quum enim imperator orientalis consul erit, eius collega consulatum in occidente geret, & ita e contrario. Deinde dies quoq; initi finitique imperii aperiam. Postremo si quae consulum nomenclaturae erunt quae saxorum & inscriptionum testimonijs indigere uidebuntur, easdem afferam. Ceterum tam ipsius Marcellini, quam ceterorum duorum ueterum scriptorum chronica in fine huius commentarij emendatiora euulganda curabo, & commoditati ac delectationi atque vtilitati legentium consulturus, & horum temporum quae meis fastis digessi rationem confirmaturus. Porro alter chronici scriptor est Prosper Aquitanicus, qui & ipse ab hoc anno breuem historiam suam per consulatus inchoauit, quae vsque ad sextum Placidii Valentiniani Aug. & Nonii consulatum (pertinet) per annos LXVI. Tertius uero est sine nomine auctor, quem in membranis uenerandae uetustatis litteris maiusculis manuscriptum in Maffeiorū bibliotheca Romae inueni. Cuius mihi copiam fecit Achilles Maffeus humanissimus vir, & de me optime meritus. Huius libri initium est a septimo Cōstantij imp. & tertio Galli Caesaris consulatu, perductusque est usque ad Mauricij imp. consulatum, per annos plus minus CC. Hos cum quibusdam praeterea uetustis aliis libellis, qui ad hoc meum institutum confirmandum maxime pertinent, in fine commentarii (ut dixi) publicandos curabo, atque pro ut occasio dabitur, de iis singillatim si quae dicenda necesse fuerint, in singulorum praefationibus differam

De Theodosio seniore Imperatore

Quum post Valentis caedem barbari per Thracias dispersi, orientale imperium lacerarent, Gratianus considerans Romanum imperium barbarorum ui pene oppressum, aliquo generoso & forti uiro opus habere, hoc ipso anno XVII. Kal. Februarij apud Syrmium Pannoniae Theodosium genere Hispanum, Italicae diui Traiani ciuitate ortum, imperatorem atque Augustum creauit, eique orientale imperium concessit. Qui imperauit annos XVI. & dies duos. Ipse igitur

tur dum uixit in oriente imp. fuit: Gratianus uero & Valentinianus iunior occidentalis imperii una iura tenuerunt. Haec autem facta sunt anno urbis conditae ∞ CXXX. desinente, proximisque Parilibus ∞ CXXXI. ineunte. Christiani natalis uero CCCLXXIX. Deinceps autem pro annis urbis, qui hoc tempore iam in usu esse desierant, afferam annos Christi, qui & clariores sunt, & ad temporum rationem digerendam tutiores

Anno Christi CCCXXC. Gratianus Augustus in occidente quintum consulatum gessit, imp. uero Theodosius primum in oriente. Ita Cassiodorus, Fasti Graeci, & Maffeiorum, Prosper, & Marcellinus Comes.

Anno Christi CCCXXCI. Syagrius & Eucharius, ut Marcellinus, Cassiodorus, Fasti Graeci, & Maffeiorum auctores sunt, uel Euagrius & Eucherius, ut Prosper, & Socrates scribunt cõsules fuerunt. Ex quibus Eucharius cos. occidentalis fuit, ut in antiqua inscriptione quae Romae adhuc extat, liquet sic

FL.ANNIVS.EVCHARIVS.EPIPHANIVS.V.C.PRAEF.VRBI
VICE.SACRA.IVD.REPARAVIT

Alterius uero consulis quem Postumum Syagrium, non Euagrium esse existimo, mentio est in codice Theodosiano

Anno CCCXXCII. Antonius, & Syagrius consules comparantur ab ijsdem Fastorum auctoribus. Fasti Graeci, & Cassiodorus Syagrio iterati honoris notam addunt, ut idem sit, qui priore anno consul fuit. Antonij autem praefecti praetorio Galliarum sub Valentiniano & Valente impp. mentio est saepe in codice Theod. praesertim libro IX. XXXV. II

Anno CCCXXCIII. Merobaudes II. consul fuit in occidente, Saturninus uero in oriente. Merobaudes enim Gratiani dux, & Valentiniani iunioris propinquus fuit. Hoc anno imp. Theodosius Constantinopoli maiorem natu filium Arcadium imperatorem & Augustũ XVII. Kal. Februarij appellauit: cum quo una imperium annos decem tenuit. Socrates libro V. cap. X. Eodem anno, ut Marcellinus tradit, insidijs Maximi tyranni, Andregatij manu, Gratianus imp. apud Lugdunum Galliarum VIII. Kal. Septembris occisus est, aetatis anno XXIIII. imperij uero XVI. dieque VI. Ex quibus octo annos & menses tres cum patre, septem uero, menses nouem, & dies nouem, post eius obitum cum Valentiniano fratre, & Theodosio imperauit. Ex Socrate libro V. cap. XI. Victore, Orosio, & Zosimo

De Maximo Imperatore

Occiso Gratiano Maximus cuius insidiis ille extinctus fuerat, occidentis imperium pulso Valentiniano iuniore inuasit, filiumq; Victorẽ primum Caesarem, deinde, ut ex nummis intelligitur, Augustum dixit, unaque imperium tenuerunt annos V. & dies II. Valentinianus autem imperio exactus in orientem ad Theodosium imp. cum matre Iustina fugit. Ita Marcellinus, Socrates, Orosius, & Victor

Anno Christi CCCXXCIIII. Clearchus & Ricimer consules fuerunt; ex quibus Clearchus orientalis consul fuit, nam de eo praefecto urbis Constantinopolis frequens in codice Theodosiano, & apud Socratem mentio est. Quo anno V. Idus Septembris, ut Socrates, & Marcellinus tradunt, Honorius imperator Theodosii Augusti filius Constantinopoli natus est

Anno Christi CCCXXCV. huius & trium sequentium annorum consules orientales & occidentales certi sunt, quum omnes principes cum priuatis collegis fuerint

Anno Christi CCCXXCVIII. Imp. Theodosius, quum in occidentem uenisset bellum tyranno Maximo ciuile illaturus, in occidente alterum iniit consulatum, cuius collega Cynegius orientalis consul fuit, ut ex cõd. Theod. colligitur. II. XXXIII. II. Quo anno Maximus proelio victus VI. Kal. Septembris cum filio Victore, & duce Andregatio interfectus est. Valentinianoque iuniori imperium occidentis restitutum. Marcellinus, & Socrates libro V. cap. XIIII

Anno Christi CCCXCI. Ambo consules in occidente fuerunt. Quorum alter fuit L. Aurelius L. F. Auianius Symmachus uir doctissimus cuius epistolae adhuc elegãtes & argutae extãt; qui iterũ vrbi praefectus fuerat. Hic caussam deorum gentilium tuendam suscepit apud Valentinianum, & Theod. impp. cui Prudentius carmine, & D. Ambrosius soluta oratione egregie respõderunt. De eo mentio est in antiqua basi sic

PHOSPHORII
LVCIO . AVR . AVIANIO . SYMMACHO . V. C
PRAEFECTO . VRBI . CONSVLI . PRO . PRAEFECTIS
PRAETORIO . IN . VRBE . ROMA . FINITIMIS QVE
PROVINCIIS . PRAEFECTO . ANNONAE . VRBIS . ROMAE . PONTIFICI . MAIORI . QVINDECEMVIRO . S . F . MVLTIS . LEGATIONIBVS
PRO . AMPLISSIMI . ORDINIS . DESIDERIIS
APVD . DIVOS . PRINCIPES . FVNCTO

Alter vero consul Ti. Fabius Titianus est, cuius frequẽs in vetustis marmoribus mentio est, de quo etiam Ausonius in epistola quadam ad Probum meminit, & in panegyrico: & Symmachus crebro in epistolis suis

Annõ

Anno Christi CCCXCII. Arcadio Augusto. II. in oriente, & Rufino occidentali coss. vt scribit Marcellinus, Idibus Maii, & ut S. Epiphanius tradit, in vigilia Pétecostes, Valentinianus iunior imp. apud Viennam Galliae laqueo strangulatus est, Arbogastis militum magistri insidiis, imperiumq; orientis inuasit Arbogastis fauore Eugenius quidam, qui olim in scholis Grãmaticam docuerat, illudq; annos II. menses III. & dies XIII. obtinuit. Marcellino, Socrate libro V. cap. XXV. Victore, & Orosio auctoribus

Anno Christi CCCXCIII. Eugenico tyranno ocidentem tenente, ambo consules in oriente fuerunt: quo anno IIII. idus Ianuarii Theodosius imp. alterum filiũ Honorium Augustũ Cõstantinopoli appellauit, vt auctores sunt Marcellinus, & Socrates libro V. cap. XXV

Anno Christi CCCXCIIII. imp. Theodosius ad bellum contra tyrannum Eugenium profectus, filios Arcadium quidem orientis, Honorium uero occidentis consules creauit. Quo anno. Eugenius proelio uictus & captus, VIII. idus Septembris occisus est, post quem Theodosius. imperium occidentis filio Honorio tradidit administrandum: ex Socrate libro V. cap. XXV. Marcellino, & Orosio

Anno Christi CCCXCV. Olybrius & Probinus consules fuerunt ambo in occidente, oriens uero sine summo magistratu hoc anno fuit. Hi fuerunt germani fratres, filii Probi praefecti praetorio, & consulis ordinarii, quos Claudianus poeta pulcherrimo & elegantissimo panegyrico celebrauit. Horum alter Sex. Anicius Sex. F. Probinus, alter uero Sex. Anicius Hermogenianus Olybrius nocabantur, ut ex duobus antiquis epigrammatibus, quae superius in cõsulatu eorum patris Probi attuli, manifestum est. Huius quoque Olybrii altera haec extat inscriptio

ANICIAE. FALTONIAE
INLVSTRISSIMAE. ET
SANCTISSIMAE
CASTISSIMAE. FEMINAE
HERMOGENIANVS. OLYBRIVS
V.C. CONSVL. ORDINARIVS
ET. ANICIA. IVLIANA. C.F
D D

cum ceteris Romanis imperatoribus sepultum est. Hoc anno Theodosius imp. ex Galliis Constantinopolim remeans, quum Mediolanum uenisset, nocte ante diem XVI. Kal. Februarii mortuus est, imperii anno XVI. aetatis L. Cadauer Constantinopolim delatum Ita Socrates lib. V. cap. XXVI. Marcellinus, & alii

De Arcadio & Honorio impp

Mortuo Theodosio Augusto, Arcadius & Honorius utrumque imperium diuisis sedibus tenere coeperunt; Arcadius orientale, Honorius uero Rauennae residens occidentale: imperarunt autem una annos XIII. menses III. & dies XV. Ex Socrate, libro. VI. cap. I. Marcellino, Cassiodoro, et Zosimo

Anno CCCXCVI. Arcadius IIII. in oriente, Honorius uero III. in occidente consulatum inierunt

Anno CCCXCVII. Caesarius consul orientalis fuit, ut ex cod. Theod. libro XI. titulo VIII. p. I. intelligitur. Atticus uero in occidente eundem magistratum gessit. cuius mentio est in hac uetusta inscriptione

D.D.NN. VALENTE. V. ET. VALENTINIANO. AVGG. CONSS
TVRCIVS. SECVNDVS. ASTERIVS. V.C. XV. VIR. S. F
PONTIVS. ATTICVS. V. C
SERVILIVS. AEDESIVS. V.C. P.P. HIEROF. HEC

Anno CCCXCVIII. Consulatu quo Romae Honorius imp. et Constantinopoli Eutychianus Remp. administrarunt, Ioannes Chrysostomus episcopus ordinatus est. Socrates libro VI. cap. secundo

Anno CCCXCIX. Hoc anno quum Eutropius eunuchus Constantinopoli consulatum iniisset, in magistratu occisus est, nomenq; eius fastis erasum, quare Fl. Mallius Theodorus, qui in occidente fuit (in codice enim Theod. IX. XLII. XXII. $\bar{p}$.P. occid. scribitur) a plerisque tantum consul hoc anno profitetur. In huius consulatu Claudianus panegyricum egit, cuius rei mentionem faciens, sic scribit. Culmen utrũque tenes. Huius Fl. Mallii Theodori consulis apud D. Augustinũ libro XVIII. cap. vltimo de ciuitate dei, mentio est. Socrates quoque libro VI. cap. V. ita ait: Eutropiũ igitur imperator Arcadius consulẽ capite truncari iussit, ablatumq; est nomen eius e cathalogo consulum, et solius collegae Theodori adscriptum; et cetera. Ideo in Fastorum aucto ribus legitur Mallio et Theodoro coss. quasi Iulio et Caesare, bis eundem praeponentes nomine atq; cognomine, in antiqua uero basi est sic

D E D I C A T A
VI. IDVS. NOVEMB
CONS. FL. MAL
LIO. THEODORO
V. C

Consulum

Cōſuſum enim nomina per haec tempora Faſtis publicis eximi ſolita, docet cōſtitutio Arcadii, & Honorij in cod. Theodos. L.XIIII.tt.XV.p.IX.vbi ita ſcriptum eſt: Funeſtorum tamen conſulum nomina iubemus aboleri, ita ut his reuerētia in lectione recitantiū tribuatur, qui tunc in oriēte annuos magiſtratus uicturis perpetuo ſunt faſcibus auſpicati. Tempus vero ipſum ac ſi non fuerit aeſtimetur. & cet

Anno Chriſti CCCC Fl.Stilico occidentis; Aurelianus uero, qui Conſtantinopoli praef. vrbi fuit, ut eſt in cod. Theodos. I.I.III. orientis conſules fuerunt. Stiliconis haec Romae extat vetuſta inſcriptio

FL . STILICONI . V . C

FL . STILICONI . INLVSTRISSIMO . VIRO
MAGISTRO . EQVITVM . PEDITVM . QVE
COMITI.DOMESTICORVM.TRIBVNO.PRAETORIANO
ET . AB . INEVNTE . AETATE.PER . GRADVS . CLARIS
SIMAE.MILITIAE.AD. COLVMEN . GLORIAE
SEMPITERNAE. ET . REGIAE . ADFINITATIS . EVECTO
PROGENERO . DIVI . THEODOSI . COMITI . DIVI
THEODOSI. AVGVSTI. IN. OMNIBVS. BELLIS
ADQVE . VICTORIIS . ET . AB . EO . IN . ADFINITATEM
REGIAM . COOPTATO . ITEM . QVE . SOCERO . D . N
HONORI. AVGVSTI.AFRICA. CONSILIIS.EIVS
ET . PROVISIONE . LIBERATA . EX . S . C

FL . STILICONI . V . C

FL.STILICONI.INLVSTRISSIMO
VIRO.BIS.CONSVLI.ORDINARIO
MAGISTRO . VTRIVS.QVE . MILITIAE
COMITI . DOMESTICORVM
ET . STABVLI . SACRI . ADQVE
AB . INEVNTE . AETATE
PER . GRADVS . CLARISSIMAE
MILITIAE . AD . CVLMEN . REGIAE
ADFINITATIS . EVECTO . SOCIO
BELLORVM . OMNIVM
ET . VICTORIARVM . ADFINI
ETIAM . DIVI . THEODOSI . AVGVSTI
ITEM . QVE . SOCERO
DOMINI. NOSTRI. HONORI. AVGVSTI
POPVLVS . ROMANVS
PRO . SINGVLARI . EIVS
CIRCA . SE . AMORE
ADQVE . PROVIDENTIA
STATVAM . AERE . ARGENTO . QVE
IN . ROSTRIS . AD . MEMORIAM
GLORIAE . SEMPITERNAE
CONLOCANDAM . DECREVIT
EXEQVENTE.FL.PISIDIO.ROMVLO.V.C
PRAEF . VRB

Anno CCCCI. Frauitta orientalis, Vincētius vero occidentalis conſules fuerunt. Huius enim (ut puto) Vincentii baſis extat Romae in inſula Tiberina ſic inſcripta

RAGONIO . VINCENTIO . CELSO . V.C
A . PRIMO . AETATIS . INTROITV . IN . ACTO
PVBLICO . FIDELI . EXERCITATIONE . VERSATO

a dextro latere

DEDICATA . VIII . KAL . SEPTEMBRIS
FL. TIMASIO . ET . FL . PROMOTO . VV . CC . CONSS

Fuit quoque praef. praet. Galliarum, ut ex C. Theod. XI. I. XXVI. intelligitur

Anno Chriſti CDII. Arcadio in oriente V̄. & Honorio in occidente V̄. coss. Arcadius imp. XVII. Kal. Februarii Theodoſiū iuniorem filium adhuc in cunis vagiētem Auguſtum appellauit. Ita Theodorus lector, Marcellinus, & Socrates

Anno Chriſti CDVIII. Flauio Philippo, & Anicio Baſſo vtriſque conſulibus in occidente Kalendis Maij, Conſtantinopoli Arcadius imp. mortuus eſt, aetatis anno XXXII. imperij uero anno XXIII. menſe III. die XV. ex quibus decem cum patre, reliquos poſt eius obitū imperauit. Socrates libro VI. cap. XXIII. & Marcellinus. Huius Philippi mentio eſt (ut puto) in antiquo epigrāmate

FL . PHILIPPVS . VIR . CLA
RISSIMVS . PRAEF . VRBI . NYMFE
VM . SORDIVM . SQVALDRE . FOEDA
TVM . ET . MARMORVM . NVDITATE
DEFORMEM . AD . CVLTVM . PRISTI
NVM . REVOCAVIT

De Theodoſio iuniore imp

Theodoſius octennis patri Arcadio in orientali imperio ſucceſſit, vir admodum pius ſanctus & Chriſtianae religionis ſtudioſiſſimus, ſed in bellicis negotijs parū uerſatus, quare ſub eius imperio quod duorum & quadraginta annorū fuit, Romanum imperium, & praeſertim, occidentale magna ex parte quaſſatum eſt

Anno Chriſti CDX. Kal. Ianuarij conſules nulli fuerunt ordinarii, uerū circa Kal. Februarij in oriente. Fl. Varari, circa Kalend. autem Iulias Fl. Tertullus Romae conſules creati ſunt. Fl. Varari omnes Faſtorum auctores meminerunt, Tertulli uero Caſſiodorus, Oroſius libro VII. cap. vltimo, & Paulſus Diac. LV. XIIII. Hoc anno ut ex Sigeberto intelligitur, XI. Kal. Septembris vrbs Roma primo à Gothis capta eſt, & dirrepta ſub eorum Rege Alarico. De qua re ſic ſcribit Proſper: Fl. Varrone alias Varari conſule, orbis Roma quondam uictrix a

Gothis

Gothis Alarico duce capta est, & ob hoc solus fuit orientalium partium consul, quod & sequẽti quoque anno obseruatum est. Marcellinus uero ita ait: Alaricus trepidam vrbem Romam inuasit, partemque eius cremauit incendio, sextoque die quam ingressus fuerat depredata vrbe egressus est. Ita & ceteri Fastorum auctores

Anno CDXIII. Lucianus V. C. orientalis consul tantum fuit, de quo in cod. Theod. XII. L. CLXXVII. Huius enim collega Herodianus fuerat, qui nouarum rerum in Africa reus, & honorem & uitam amisit: nomenque eius Fastis erasum est. Huius & Orosius meminit

Anno CDXIIII. Constans orientalis, Fl. uero Constantius occidentalis consul fuit. Hic magister erat utriusque militiae Honorii imp. in occidente, vir bello exercitatissimus, quare eidem imp. Honorius sororem suam Placidiam vxorem dedit, ex quibus Placidius Valentinianus III. imp. natus est: ipsum quoque III. consulem fecit, atque nouissime Caesarem appellauit. De eo multa Orosius, Marcellinus, & Prosper tradiderunt

Anno CDXVI. Cum Theodosio imp. in oriente VII. consule, magistratum iniit Palladius in occidente. Qui praefectus praetorio Italiae, & vrbis fuit, ut ex codice Theodosiano. II. XXVIII. I. constat. De quo in antiqua marmorea inscriptione mentio est ita: IVNIVS. QVARTVS. PALLADIVS. V. C. COS. ORD

Anno CDXIX. ut ex codice Theodosiano intelligitur VIII. V. II. Item XIIII. XVI. I. Monaxius orientis, Plintha uero occidentis consules fuere

Anno CDXXIII. Fl. Asclepiodotus orientalis consul, ut ex cod. Theod. I. XI. II. liquet, fuit. Nam Marinianus in occidente consulatum gessit, ut ex ipso codice III. V. VII. & ex antiqua hac inscriptione manifestum est

RVFIVS. PRAETEXTATVS POSTVMIANVS. V. C. FILIVS MAGNIFICI. VIRI. MARINIANI PRAEFECTI. PRAETORIO ET. CONSVLIS. ORDINARII QVAESTOR. CANDIDATVS PRAETOR. VRBANVS. TRIBVNVS ET. NOTARIVS. PRAETORIANVS PRAEFECTVS. VRBI. SECVNDO CONSVL. ORDINARIVS. QVOS TANTOS. AC. TALES. HONORES PRIMO: AETATIS. SVAE. FLORE PROMERVIT

Hoc anno XVIII. Kal. Septembris Imp. Honorius Rauennae mortuus est sine filijs, aetatis anno. XXXIX. imperij uero XXXIIX. mense XI. die X. cuius imperiũ annuente Castino magistro militum occidentis, sine consensu imp. Theodosij Ioannes quidã inuasit, illudq; annos II. menses II. & dies aliquot obtinuit. Ita Prosper, Marcellinus, Socrates libro VII. cap. XXII. Iornandes, & Cassiodorus

Anno CDXXIIII. Victore orientis, Castino vero occidentis consulibus, vt est in cod. Theod. II. XII. VII. Theodosius Iunior bellum contra tyrannum Ioannem parans, cõsobrinum suum Placidium Valentinianum Constantij Caesaris & Placidiae amitae filium, mense Septembri Constantinopoli Caesarem appellauit, & cum Placidia Augusta matre sua ad occidentale imperium acquirendum misit. Sic Prosper, Marcellinus, Socrates libro VII. cap. XXIIII. & alij

De *Valentiniano* III. *Imperatore*

Anno CDXXV. Theodosio Augusto XI. & Valentiniano Caesare coss. orientalibus, quum Valentinianus cum matre Placidia contra Ioannem tyrannum bellum comparassent, ipse tyrannus Rauẽnae insidijs potius Ardaburij & Asparis, quam uirtute occisus est mense Octobri. Tũc Valentinianus ex Caesare Augustus appellatus, occidentis imperium annis plus minus triginta obtinuit. Sub quo omnino Romanum occidentis imperium concidit. Ex Socrate libro VII. Marcellino, Prospero, Cassiodoro, Iornande, & reliquis. Huius Valentiniani hic nummus extat D.N.PLAC. VALENTINIANVS.PIVS.AVGVSTVS

Anno Christi CCCCXXVII. Fl. Hierius in oriente, ut ex codice Theod. libro IX. tt. XLV. p. V. & VI. liquet, Ardaburius uero Valentiniani dux in occidente coss. fuerunt

Proximo biennio Taurum & Dionysium orientales; Felicem uero & Florentium occidentales consules ex codice Theodosiano VIII. IX. V. & Prospero digessi

Anno CDXXX. Theodosio Augusto XIII. & Valentiniano III. Aug. III. coss. IX. Kal. Aprilis Venetiarum Vrbs in riuo alto condi cepta est, prima ibidem S. Iacobi ecclesia, eo die dedicata, ut ex antiquis Venetiarum monumentis cognoui

Anno Christi CDXXXI. Fl. Antiochum, & sequenti anno Fl. Valerium orientales consules fuisse ex codice Theod. libro IX. tt. XLVI. p. IIII. & V. intelligitur. Anicium vero Bassum, & Fl. Aetium magistrum vtriusque militiae occidentalis, Romae consulatum gessisse liquet. Est enim Aniciorum gens Romae per haec tempora nota. Aetii occidentalis imperij ducis qui postea

ftea ter cos. fuit, omnes horum temporum ſcriptores meminerunt. Illud autem eſt animaduerſione dignum in codice Theodoſiano, in duobus reſcriptis Theodoſij imp. hoc anno & ſequenti datis, ſic additum in fine: Dat. X. Kal. Aprilis, Conſtantinopoli Antiocho V. C. Conſ. & qui fuerit nuntiatus. Item: Datum V. Kal. Aprilis, Conſtantinop. Valerio cos. & qui fuerit nuntiatus: Id eſt, & eo conſule qui fuerit nuntiatus Romae, uel in occidente creatus; ex qua re manifeſte conſtat Antiochum & Valerium orientales, Baſſum uero & Aetium occidentales conſules fuiſſe

Anno Chriſti CDXXXIIII. Fl. Aſpar cos. orientalis fuit, Areobinda uero occidentalis. Huius enim Aſparis ducis orientis mentio eſt apud Socratem, Euagrium Scholaſticum, & alios

Anno CDXXXV. Iſidorus conſul fuit cum Senatore. Iſidorum autem conſulem orientalē fuiſſe liquet ex codice Theod. in quo eius praefecti praetorio Illyrici & Conſtantinop. mentio eſt libro XI. tt. I. p. XXXIII. & alibi ſaepiſſime

Anno CDXXXVII. Theodoſij Aug. cos. XVI. collega fuit Fauſtus in occidente, qui in antiqua marmorea tabula Romae, Anicius Acilius Glabrio Pauſtus V. C. praef. vrbi appellatur, ita

DD.NN.AETERNIS.PRINCIPIBVS.HONORIO.ET.THEODOSIO.AVGG
ANICIVS.ACILIVS.GLABRIO.FAVSTVS.V.C.PRAEF.VRB
FATALI.CASV.SVBVERSAM.IN.FORMAM.PRISCI.VSVS.RESTITVIT

Anno CDXXXIX. Theodoſio XVII. & Feſto coss. Genſericus Vandalorum Rex XIIII. Kal. Nouembris Carthaginem cepit, anno poſt qnam a Romanis capta fuerat DXXCV. Proſper, & Marcellinus

Anno CDXLI. Fl. Cyrus Panoplites orientalis ſine collega conſul fuit, cuius praefecti vrbis, & patricij Suidas & Zonaras meminerunt

Anno CDXLII. Fl. Eudoxium, & anno ſequenti Paternum orientales conſules fuiſſe, ex codice Theodoſiano intelligi poteſt

Anno CDXLIIII. cum Theodoſio iuniore Auguſto XVIII. occidentalis conſul fuit Caecina Decius Albinus V. C. quem ex antiquo hoc lapide Romae ornaui

D.N.FL.ARCADIO
PIO.FELICI.VICTORI
AC.TRIVMPHATORI
SEMPER.AVGVSTO
CAECINA.DECIVS ALBINVS.V.C
PRAEFECTVS.VRBI.VICE
SACRA.IVDICANS.DEVOTVS
NVMINI.MAIESTATI.Q.EIVS

Eius praefecti urbis frequens mentio eſt in cod. Theod. ſub Theodoſio iuniore & Valent. III. Impp

Auno CDXLVI. Aetius III. & Symmachus ambo occidentales conſules fuere. Horum alter eſt Fl. Aetius patricius, uir fortiſſimus, utriuſque militiae occidentalis magiſter, Doroſtena Moeſiae urbe oriundus, Gaudentij filius; ad defendendā Remp. natus, cum cuius caede (a Valentiniano enim imp. occiſus fuit) imperium etiam concidit occidentis. De eo plura ſcribunt Procopius, Marcellinus, Proſper, & alij. Alter autem conſul eſt Q. Aurelius L. F. Symmachus pater eius Symmaci qui Boetij philoſophi ſocer fuit

Anno CDXLVII. Cum Ardaburio orientali, conſul fuit occidentis Callipius, ut aliqui ſcribunt, uel ut alij Alypius. Eum enim eſſe credo Faltonium Probum Alypium, cuius mentio eſt in hac antiqua baſi

DOMINO.NOSTRO
FL.THEODOSIO
AVGVSTO
FALTONIVS.PROBVS
ALYPIVS.V.C.PRAEF.VRB

Anno CDXLVIII. Rufins Praetextatus Poſtumianus conſul occidentalis cum Fl. Zenone fuit, & anno ſequenti eundem magiſtratum in occidente Turcius Secundus Aſterius cum Fl. Protogene geſſit. Quemadmodum ex duabus antiquis inſcriptionibus, quas annis CCCXCVII. & CDXXIII. attuli, liquet

Anno CDL. Ambo conſules in occidente fuerunt Fl. Placidius Valentinianus Auguſtus VII. & Gēnadius Valerius Coruinus Auienus V. C. cuius nomenclaturam ex Sidonio Apollinare, & antiquo lapide, qui eſt Romae in baſilicae S. Panli pauimento formaui. Quo anno V. Kal. Auguſti Conſtantinopoli obiit imp. Theodoſius iunior, imperii & uitae anno L. ita Theodorus lector in collectaneis, Nicephorus, Marcellinus, & reliqui

De Marciano imp

Poſt mortem Theodoſij iunioris ſtudio Pulcheriae Auguſtae eius ſororis, ſtatim Marcianus Thrax, uel ut alij ſcribunt Illyrius ſenator XI. poſt Conſtantinum orientis imp. creatus eſt; qui imperauit annos ſex, & menſes totidem. ita Theodorus & reliqui

Anno

Anno CDLI. collega Marciani in consulatu fuit Clodius Adelphius, ut ex antiquo lapide for maui. Quem in occidente consulem fuisse intelligitur ex actionibus concilij Chalcedonensis. Herculanum ex antiquo lapide Romae in vinea nostra, in quo solus notatus est; Opilionem uero, & Actium iuniorem Actij ter consulis filios, ex Cassiodoro occidentales consules digessi; Studij uero pr. vrbis Constantinopoli mentio est in cod. Theod. Libro XVI. II. XXXVII

De Maximo & Auito impp

Anno CDLV. Valentiniano Aug. VIII. occidentali, & Anthemio, qui postea in occidente imp. appellatus est, orientali consulibus, Romae XVI. Kal. Aprilis insidijs Maximi, cuius vxorem Valentinianus stuprauerat, in Campo Martio imp. ipse interfectus est imperii anno XXX. uitae uero XXXVI. Quo caeso imperium Romae inuasit Maximus ipse. Ita Procopius libro primo de bello Vandilico, Marcellinus, Nicephorus, & incertus auctor antiquus, qui a Cuspiniano citatur. Hic proculdubio per haec tempora uixit, accuratismeq; omnium imperatorũ occidentis a die necis Valentiniani ad regnum Odouacris Gothorum in Italia regis, omnes dies initi finitiq; imperii, & pleraq; alia descripsit. Quem ad mei commentarii confirmationem integrũ publicandum curabo, interim eius testimonium singulis rebus asserẽdis, ut necesse fuerit, afferam. Ab hoc enim anno ad Odouacris regnum ex hoc potissimum uetusto scriptore totum occidentale deinceps imperium, quod aliquãdo propter varias & crebras principum caedes, & mutationes, nulla ratione fieri posse uidebatur, tandem concinnaui. Sic autem hoc anno scribit: Valentiniano Aug. VIII. & Anthemio coss. post interitum Valentiniani imp. leuatus est Maximus imp. XVI. Kal. Aprilis, & occisus est pridie Idus Iunias; Et intrauit Rex Vandalorum Gensericus Romam, & praedauit eam dies XIIII. Et leuatus est imperator in Gallijs Auitus VI. Idus Iulias. & cetera. Maximus igitur menses II. & dies XXVII. imperauit. Post cuius caedem fuit interregnum dierum XVIII. in occidente. Hoc anno iterum caput imperii, & gentium domina Roma in praedam & dirreptionem barbaris Vandilis fuit exposita, omniaque imperialia ornamenta in Africã a Genserico translata. Ita ut verum esse uideri potest, quod M. Varro apud Censorinum scriptũ reliquit; Vettium se Romae in augurio non ignobilem, & ingenio cuiuis doctori in disceptando parem audiuisse dicentem: quoniam CXX. annos incolumis praeteriisset populus Romanus, ad ∞ & CC. peruenturum. Ab hoc enim tempore deinceps parum imperii uel maiestatis (si uetera memoria repetamus) vrbs Roma habuit. Hac enim Vandilorum clade accepta paulatim concidere incipiens, haud multo post cum omnibus prouinciis, occidentis imperii etiam nomen & maiestatem amisit

Anno CDLVI. Fl. Varari in oriente, & Ioannes in occidente coss. fuerunt. Varari alii Varronem, alii Varanum vocant, ut eius filius sit, quo Constantinopoli consule Roma a Gothis primo capta fuit. Hoc anno, ut scribit ignotus auctor, captus est imp. Auitus Placentiae a magistro militum Ricimere XVI. Kal. Iunias. Imperauit ergo menses X. dies VIII. post quem interregnum fuit in occidente mensium X. dierum XV. usque ad Kal. Aprilis

De Leone & Maioriano Impp

Anno CDLVII. Constantino occidentali, & Ruso orientali coss. VII. Kal. Februarii Marcianus Augustus Constantinopoli mortuus est. Ita Theodorus libro primo collectaneorum. In cuius locum senatus militumque orientalium suffragiis creatus est Leo Thrax militum tribunus, qui imperauit annos XVII. Ita Theodorus lector collectaneorum libris primo, & secundo. Marcellinus, Euagrius libro II. cap. VIII. & Nicephorus. Subiicit Marcellinus; Leonis uolũtate Maiorianum apud Rauennam imp. ordinatum. De qua re ita scribit auctor ignotus: Constantino & Ruso cos. Imp. Maiorianus Kal. Aprilis milliario VI. in campo ad Columellas leuatus est imp. imperauit autem annos IIII. menses IIII. & dies II. Hic a Sidonio Apollinare appellatur Fl. Iulius Valerius Maiorianus

Anno Christi CDLVIII. Maiorianum imp. occidentis consulem fuisse certum est, ita etiam sequenti anno Fl. Ricimerem militiae occidẽtalis magistrum, ut auctor incertus docet. Duorum quoque sequentium annorum consules occidentales digessi Magnum & Seuerinum ex antiquis lapidibus, qui Romae in pauimento basilicae S. Paulli extant, in quibus soli consules exarati sunt

De Seuero Imp. occidentis

Anno Christi CDLXI. Seuerino & Dagalaipho coss. depositus est imp. Maiorianus a patricio Ricimere Dertonae IIII. Nonas Augusti. Et occisus est ad fluuium Hyram VII. Idus Augusti: ac leuatus est imp. Seuerus XIII. Kal. Decembris: ita incertus auctor. Seuerus autem in vetusto eius aureo nummo ita formatus est D.N. VIBIVS. SEVERVS. PP. AVG. a tergo VICTORIA. AVGG. Imperauit autem annos III. menses VIII. dies XXVIII

Anno CDLXIII. Caecina Decius Basilius (ita enim a Cassiodoro, & Sidonio Apollinare formatus est) consul occidentalis fuit. Ex quibus etiam sequentis anni consulem Anicium Olybrium concinnaui

Anno CDLXV. Fl. Basiliscum orientalem consulem fuisse Euagrius, & Theodorus lector in collectaneis docent. Igitur Herminericus occidentalis. Herminerico & Basilisco (inqnit incertus auctor) Romae defunctus est imp. Seuerus XVIII. Kal. Septembris, post cuius obitum fuit interregnum in occidente anni I. mens. VII. dierum XXVII

De Anthemio imp. occidentis

Pusaeo & Ioanne consulibus, leuatus est imp. Anthemius Romae prid. Idus Aprilis: ita incertus auctor. Imperauit autem annos V. mens. III. Cassiodorus, Marcellinus, Euagrius libro II. cap. XVI. & reliqui. Missus autem fuit a Leone imp. ad occidentale imperium administrandum

Anno CDLXX. cum Iordane orientali consule magistratum eundem in occidente iniit Seuerus, cuius solius consulis mentio est Romae in antiquis inscriptionibus pauimenti basilicae S. Paulli via Ostiensi

De Olybrio imp. occidentis

Anno CDLXXII. Marciano orientali, & Festo occidentali consulibus (ut ex antiqua inscriptione didici) Bellum ciuile (inquit incertus auctor) gestum est Romae inter Anthemium imp. & Ricimerem patricium; & leuatus est Romae imperator Olybrius. Occisus vero est imp. Anthemius V. Idus Iulias. Defunctus quoque est imp. Olybrius Romae X. Kal. Nouembris, & cetera. Imperauit uero Olybrius mēses III. & dies XXII. quo mortuo in occidente fuit interregnū mensium IIII. dierum XII. Huius Marciani orientalis consulis Leonis imp. per minorē filiam Leontiam generi; frequens mentio est apud Euagrium & Theodorum lectorem in collectaneis

De Leone Iuniore, & Glicerio impp

Anno Christi CDLXXIII. Leone Augusto V̄. solo orientali consule, ipse imp. Leo mense Februario Leonem Iuniorē Zenonis Isaurici filium, eius vero ex Ariadna filia nepotem, Augustum appellauit: Ita Nicephorus, Euagrius, & Theodorus lector in collectaneis. Quo anno (ut auctor incertus tradit) Rauennae leuatus est imp. Glicerius III. nonas Martii: & cet. qui imperauit annum I. menses III. dies. XXI

De Leone Iuniore, Zenone, & Nepote imppp

Anno CDLXXIIII. Leone Iuniore Augusto solo orientali consule, mense Ianuario (ut tradit Theodorus lector) Leo senior imp. Constantinopoli obiit, successore imperii nepote Leone Iuniore relicto. Is quum adulescens valetudinarius esset, Aricmesum Isaurum cognomento Zenonem patrem suum imperatorem constituit, & anno sequenti imperii mense decimo mortuus est. Ita Marcellinus: Nicephorus, Euagrius, & Theodorus lector in collectaneis. Auctor ignotus Leone iuniore Augusto consule (inquit) in portu vrbis Romae Glicerius imp. de imperio deiectus est. Eodem anno leuatus est imp. Iulius Nepos VIII. Kal Iulias: & cet. Nepos autem imperauit annum I. menses II. dies IIII

De Basilisco, & Augustulo impp

Anno Christi CDLXXV. Zenone imp. II̅. cos. in oriente. Zeno imp. Verinae Augustae socerus suae, & Basilisci fratris eius insidijs circumuentus, cum Ariadna uxore imperio exactus in Isauriam fugit. Quum imperium Basiliscus inuasisset Marcum filium Caesarem creauit, imperauitque per annum. Ex Marcellino, Nicephoro, Euagrio, & Theodoro. Auctor ignotus: Zenone Augusto consule (inquit) patricius Orestes Rauennam cum exercitu intrauit, & fugauit imp. Nepotem in Dalmatiam V. Kal. Septembris. Quo anno leuatus est Augustulus imp. Rauennae a patricio Oreste patre suo prid. Kalend. Nouembris: & cet. Hic autem Momyllus vocabatur; Augustulus ab aetate (erat enim puer) appellatus. Qui imperauit menses IX. & dies XXIIII. Ex Procopio libro I. de bello Gothico, Paullo Diacono, Nicephoro, Marcellino, Euagrio libro II. cap. XVI. & reliquis

De Zenone imp. restituto, nouissimo casu imperij occidentalis, & Odouacre Gothorum in Italia Rege

Anno Christi CDLXXVI. Basilisco imp. II̅. & Armato eius militiae duce utrisque orientalibus consulibus, (Ita enim Euagrius tradit) Zeno imperio exacto Basilisco tyranno imperium orientis auxilio Illi, qui biennio post cos. orientalis fuit, recuperauit; eundem Basiliscum cum vxore Zenonide, & filio Marco Armatumque consulem occidit, imperauitque post receptum imperium annos plus minus XV. Ita Theodorus lector in libris collectaneorum I. & II. Euagrius libro III. cap. VIII. Marcellinus, & Nicephorus. Haec in oriente hoc anno acta. In occidente uero Basilisco & Armato (ut incertus auctor tradit) coss. leuatus est Odouacer Rex X. Kal. Septembris, quo anno occisus est Orestes patricius Placentiae V. Kal. Decembris: & cetera. Hanc rem Procopius libro primo, de bello Gothico, Paullus Diaconus, & Marcellinus ita tradunt:

Zenone

Zenone Byzantiis imperante, Augustus occidentis tenebat imperium, quẽ & Augustulum idcirco vocitabant Romani, quia puer admodum imperium susceperat; quod utique illi Orestes pater uir prudentissimus gubernabat. Romani uero paulo ante Scythas, Alanosque & Gothicas alias eiusmodi nationes in societatem adsciuerant. Vnde ab Alarico, Antalaq;, Gothorum tunc ducibus ingentia sunt mala perpessi, barbarorum praesertim florentibus in Italia rebus. Nam Romanorum principum hoc tempore ita defecerat dignitas, ut sub decente societatis & foederum nomine, a peregrinis uim cogerentur inuiti, quum illi aequum iam ducerent omnibus Italiae agris ut sibi cõcederetur, quorum tertiam antea partem Orestem Gothis iusserãt impartiri. Quẽ statim quũ haud quaquã facturũ id se fateretur, interfecere. Erat autem Odouacer inter Italos quidam Orestis armiger quondam, qui Gothis omnia pro eorum arbitrio exequuturũ se obtulit, si Romanorũ principem se constituerent. Hoc pacto quũ sibi tyrannidem comparasset, Augustulo ipso imperatore sine ulla offẽsione permisso in priuati hominis morẽ uitã ut duceret, ac tertia Italici agri parte barbaris contributa, cũ hisq; inita firmius societate, ad decimũ annũ tyrãnidẽ sibi stabiliuit. Ipse.n. nõ sub imperatoris & Augusti, ut hactenus uetus mos fuerat, sed regis nomine Romã & Italiã, quae adhuc ex occidentali imperio superfuerant, obtinuit. Atq; ita imperiũ populi Romani occidentale defecit, Gothis Italiam obtinentibus. Anno a Iulii Caesaris secundo consulatu in quo patriae libertatem ademit DXXII. Fuitq; occidens sine imperatore annos CCCXXIIII. mensesq; IIII. usq; ad annũ primũ imperii Caroli Magni. Odouacris autem regnum cum interregno occidẽtis hoc anno X. Kal. Septẽbris inchoatur, qui regnauit annos XVI. menses VI. & dies XI. ut inferius demonstrabo

Anno Christi CDXXC. Fl. Basilius consul occidentalis solus fuit, quemadmodum ex uetustis inscriptionibus pauimenti basilicae S. Paulli Apostoli Romae uia Ostiensi, epistolis Cassiodori, & Sidonio Apollinare intelligi potest. Ex quibus etiam Placidũ, Seueriuum, Faustũ, Venantiũ, Symmachũ, Decium, Boetium, Dynamium, Probinum, Auienum Faustum, & Olybrium iuniores sequentium annorum occidentales consules digessi

Anno Christi CDXXCIIII. Theodericus Amalus Rex Gothorũ, qui Constantinopolim a Zenone imp. accersitus magister militiae orientalis creatus fuerat, consulatum inijt in oriente cuius collega in occidente fuit Venantius Decius, Ita Marcellinus, & Cassiodorus

Anno Christi CDXXCVI. Fl. Lõginus Zenonis imp. frater, natione Isaurus de quo multa scribit Euagrius, consul in oriente fuit. Cuius collega in occidente Decius fuisse traditur. Quem ex antiquis inscriptionibus Caecinam Maurum Deciũ nuncupaui. Ex quibus etiam Claudium Iuliũ Aedesium Dynamiũ & Fl. Sifidium qui biennio post in occidente ambo consules fuerunt, concinnaui. Anicius Manlius Seuerinus Boetius ex indice operum Boetij illius philosophorum hac aetate principis, quem eius patrem esse existimo, formatus est. Anicij Probini, & Auieni Fausti uirorum consularium mentio est apud Cassiodorũ in epistolis, & Sidoniũ Apollinarem. Eusebii uero Chronio orientalis consulis meminit antiquus lapis, cuius exemplũ afferam in libro epigrammatum, quem adorno

De *Anastasio* Imp

Anno CDXCI. Fl. Olybrio occidentali cons. Constantinopoli VII. Idus Aprilis, obijt imp. Zeno, imperii anno XVII. in eius locum Ariadnes Augustae studio, Augustus acclamatus est Anastasius cognomine Dicorus Epirota Dyrrachio ortus, qui nondum senator, sed Silentiarius palatij tantum erat. Imperauit autem annos XXVII. menses III. & dies III. Ita Theodorus lector collectaneorum libro II. Euagrius libro III. cap. XXIX. Marcellinus, Nicephorus Patriarcha Constãtinopolitanus in annalibus, Iornandes Gothus, & alij

Anno Christi CDXCII. Anastasius imp. in oriente, & Rufus uel ut alij scribunt, Rufinus in occidente consules fuerunt

Anno Christi CDXCIII. Decio Albino V.C. occidentali cos. III. Nonas Martii Rex Odouacer occisus est a Rege Theoderico, solusq; omni Italia ipse potitus est. Fuit autem Theodericus Ostrogothorum Rex gente Amala ortus, Zenonisq; imp. amicus, a quo ad liberandam Italiam a tyrannide Odouacri missus, eum Rauennae occidit, Italiaeq; imperio consentiente Anastasio potitus est. Regnauit autem annos XXXIII. menses VI. Ita incertus auctor, Cassiodorus, Iornandes, & Paullus Diaconus. Huius Albini consulis e gente Deciorum meminit Cassiodorus IIII. libro Variarum: Marcellinus & Fasti Graeci collegam addunt orientalem consulem Eusebium II

Anno Christi CDXCIIII. Fl. Praesidius in oriente, Asterius uero in occidẽte consules fuerũt. Turcij Secundi Asterij V.C. ex consulis ordinarij meminit Sedulius, ad quem elegiacum carmen mittit

Anno Christi CDXCV. Fasti Graeci, Marcellinus, & Cassiodorus Viatorem occidẽtalem consulem tantum profitentur. Bibliothecarius addit collegam orientalem Aimilium

Anno Christi CDXCVI. Paullus V.C.consul tantum orientalis fuit

Anno Christi CDXCVIII. Ioannes Scytha,ut inquit Marcellinus,in oriente,& Decius Paullinus occidētalis consules fuere.Ioannis Scythae mentio est Romae in antiqua tabula marmorea in titulo Equitij sic IOANNE.SCYTHA.ORIENTALI.CONS.Decij vero Paullini meminit Cassiodorus II.libro Variarum

Anno Christi CDXCIX. In occidente consul fuit Ioannes cognomine Gibbus, ut scribit Marcelli nus,in oriente uero Asclepius.Ioannis Gibbi meminit Cassiodorus libro III. Variarū, quem scribit praefectum Campaniae a Theoderico Rege post consulatum institutum

Anno Christi D.Ambo consules in oriente fuerunt Patricius & Hypatius. Ex quibus Hypatius Anastasii imp. sororis filius fuit. Patricius uero orientis praetor, de quibus multa scribit Procopius libro primo de bello Persico

Anno Christi DI.Pompeius nepos Anastasii imp. Hypatii superioris anni cōsulis frater,ut scribūt Marcellinus,& Zonaras,in oriēte; Auienus vero in occidēte cōsularē dignitatē administrarūt. Ex his Auienus, Rufius Magnus Faustus Auienus senior appellatus est a Cassiodoro,& uetustis inscriptionibus Romae in pauimento basilicae S.Paulli apostoli uia Ostiēsi; ex quibus & sequētis anni occidētalem consulē formaui Rufium Magnū Faustum Auienum Iuniorem V.C.cuius collegae Probi Anastasii principis sororis filii,meminit Procopius libro primo de bello Persico

Anno Christi DIII.Byzantij Dexecratus, Romae uero Volusianus consules renunciati sunt, Fastis Graecis, Marcellino,& incerto auctore testibus; quos Cassiodorus praeterijt, superioribus consulibus Cetheum sequentis anni orientis consulem subijciens

Anno Christi DV. Sabinianus orientis,& Theodorus occidentis consules fuere. Sabiniani praef. praetorio Illyrici meminit Iornandes in libro de origine Gothorum; alter autem est Fl. Manlius Theodorus V.C.de quo scribit Cassiodorus

Anno Christi DVI. Areobindam orientalem,Messallam uero occidentalem consules digessi, quod ex Procopio Areobindam filium fuisse didicerim Asparis patricij Constantinopolitani. Cuius Areobindae meminit etiam Marcellinus

Anno DVII. Cum Anastasio Aug.III.cos. magistratum in occidente inijt Venantius Decius; cuius Cassiodorus libro II.Variarum meminit; quem Theodericus Rex Italiae comitem domesticorum creauit, eodem auctore, qui etiam Basilij Venantij Decii iunioris sequentis anni occidentalis consulis mentionem facit

Anno Christi DIX. Importunus Decius tantum consul occidentalis fuit. De quo Paullus Diaconus lib.XVII.& Cassiod. libro III.Variarū scribunt.Qui a Theoder.patricius creatus fuit

Anno Christi DX. Eutharici orientalis consulis, collega in occidente fuit Anicius Manlius Seuerinus Boetius V.C.& eruditiss.celebrisq; philosophus,cuius ingenii multa supersunt monumēta,qui post II.cōsul fuit,& a Theoderico cū socero Symmacho Ticini in exiliū actus & occisus

Anno DXI. Felix & Secūdinus consulatū gessere. Felix quidē in occidēte,Secūdinus uero in oriēte.Felicis frequēs mētio est apud Cassiod.in lib.Variarū,qui et huius cōsulatus mētionē facit

Anno DXII.Muschianū & sequētis anni Clementinū cōsules oriētales ex cod.Iustin. cōcinnaui

Anno DXIIII. M.Aurelius Cassiodorus cognomento Senator (ut ipse de se ipso scribit) consul tantum occidentalis fuit. Eum ceteri Fastorum auctores Senatorem tantum vocant

Anno DXV. Anthemium orientalem consulem; Florentium uero & sequentis anni Petrum occidentales, ex Procopio digessi, qui in libris de bello Gothorum horum mentionem facit

Anno DXIIX. Magno orientali, & Florentio occidentali consulibus,imp. Anastasius apud Constantinopolim mortuus est VI. Idus Iulii,aetatis anno XXCVIII. imperii XXVII.mense, & die III. Theodorus lector collectaneorum libro II.Euagrius historiarū libro III.cap.XLIIII

De Iustino seniore Imperatore

Mortuo Imp.Anastasio Iustinus natione Thrax imperiū inuasit die nona mensis Iulii.Aug.appellatus ab imperialibus satellitibus,quibus olim summa cum laude praefuerat, tunc enim dux erat aulicorū ordinū: principatum autem praeter spem consequutus, quū multi superessent Anastasii imp.propinqui,multos sibi insidias tendentes occidit,imperauitq; annos IX.& mēsem unū

Anno DXIX. Cum Iustino imp. consulatum in occidente iniit Fl. Eutharicus Cillica gener Theoderici per filiam Amalasuntham, pater uero Regis Athalarici, de cuius consulatu multam mentionem facit Cassiodorus

Anno DXX.Fl.Vitallianus magister orientalis militiae,qui Constantinopoli consulatum ab imp.Iustino adeptus fuerat, VII.eius magistratus mense occisus est.Ita Marcellinus. Huius collega in oriente Rusticus fuit

Anno DXXI. Fl.Iustinianus qui postea imp.appellatus est,Iustini Augusti sororis filius, consul orientalis fuit. Cuius collega in occidente fuit Fl.Valerius

Anno

Anno DXXII. Ambo conſules occidentales fuerũt uiri ſummi,& doctrina opibusq; excellentes Symmachus & eius gener Boetius; qni paulo poſt iuſſu nefarii regis, coniurationis inſimulati,occiſi ſunt. De quibus plura ſcribit libro primo de bello Gothico Procopius

Anno DXXIII. Anicius Maximus tantum in occidente conſul fuit. Huius Maximi,itemq; Olybrii, Decij, Oreſtis, & aliorum quorundam uirorum conſulariũ meminit Procopius libro III de bello Gothico, qui ad templum Apoſtoli Petri fugierunt, quo tempore Totilas vrbem Romam cepit. Huius etiam Maximi mentio eſt apud Caſſiodorum libro.V.Variarum

Anno DXXIIII. Iuſtini ſenioris imp.II. cos. collega fuit Fl. Opilio Aetij illius eximij ducis filius,cuius Procopius libro primo de bello Gothorum,& Caſſiodorus meminerunt

Anno DXXV. Anicius Probus Iunior tantũ cõſul fuit in occidente. De quo ſcribit Procopius

Anno DXXVI. Anicio Olybrio Iuniore V.C. ſolo occidentali conſule,centeſimo die poſt obitum papae Ioannis (is autem mortuus fuerat Rauennae VI. K. Iuni, ut Bibliothecarius ſcribit) hoc eſt IIII. Nonas Septembris, Rauennae obijt Rex Theodericus, anno regni Italici XXXIII. cui in regno Italiae eius ex filia Amalaſuntha nepos ſucceſſit Athalaricus adhuc puer,qui ſub matris tutela annos plus minus octo in Italia regnauit

Anno Chriſti DXXVII. Indictione V. Mauortio ſolo occidentali cons. anno uero Conſtantinopolis conditae CXCVII. Iuſtinus imp. Iuſtinianum ſororis ſuae filium iam dudum a ſe nobiliſſimum deſignatum,regni quoque ſucceſſorem creauit Kalen. Aprilis,ipſe uero quarto ab hoc menſe uita deceſſit Kal. Auguſti,poſtquam imperaſſet annos nouem, & dies XXIII. Ita Marcellinus,Theodorus lector, & Euagrius libro IIII.cap.IX

De Iuſtiniano Imperatore

Iuſtinianus genere Illyrius Iuſtini ſenioris Auguſti ſororis filius, atque ab eo adoptatus poſt eius mortem Kal. Auguſti Romanum imperium in oriente XVIII. poſt Conſtantinũ Magnum tenere coepit,quum annum quartũ & quadrageſimum ageret, quod dum per annos duodequadraginta,menſes III.& dies XIII.adminiſtrauit,ueterem Romani imperij gloriam iam labefactatam, mirum in modum reſtituit. Primum enim Perſas Beliſarij opera intra ſuos fines coercuit, Africam imperio pulſis Vandilis reſtituit, Vrbem Romam eodem duce a Gothorum ſeruitute aſſeruit, Narſe poſtremo duce Gothicum nomen omnino deleuit. Leges infinitis antea uolu minibus diſperſas,in L.digeſtorum libros contraxit, Inſtitutionum libros IIII. edidit,codicem euulgauit. Maximus certe belli pacisque artibus,& memorabilis princeps fuit

Anno Chriſti DXXIIX. Iuſtinianus imp.ſolus II.conſul in oriente fuit

Anno Chriſti DXXIX. Decius ſine collega conſul in occidente fuit. Huius mentio eſt in baſi ſtatuae regi Theoderico ab ipſo (ut credo) dicatae ſic

D.N. GLORIOSISSIMVS. ADQ. IN
CLYT.REX. THEODORICVS.VICT
AC.TRIVMF. SEMPER.AVG. BONO
REIP. NATVS. CVSTOS. LIBERTA
TIS.ET.PROPAGATOR. ROMANI
NOMINIS. DOMITOR. GENTIVM
CAECINA.MAVRO.BASILIO.DECIO
V.C. ET. INL. EX. PRAEF. VRB
CLEMENTISSIMI. PRINCIPIS
FELICITER.DESERVIENTE. PRAE
CONIIS

Anno Chriſti DXXX. Ambo conſules in occidente deſignati fuerunt Lampadius & Oreſtes. Lampadij mentio eſt in vetuſta inſcriptione Neapoli ſic

POSTVMVS.LAMPADIVS
V.C. CONS. CVRAVIT

Oreſtis vero patricij& viri conſularis meminit Procopius de bello Gothico libro III

Anno Chriſti DXXXI. tam oriens quam occidens ſine conſulibus fuerunt, ſed Faſtis publicis hoc annó poſt conſulatum Lampadij & Oreſtis VV. CC. notatum eſt. Huius anni frequens eſt mentio in uetuſtis inſcriptionibus. Ex quibus hanc quae Veronae in Baſilica S.Petri in arce adhuc extat,ſubijcere placuit

HIC . REQVIESCIT
IN . PACE. SANCTVS
VALENS. EPISCOPVS. QVI
VIXIT.ANN.PL.MINVS
XXXXV. ET. SEDIT. EPIS
COPATVM . ANNOS
VII. MENSES. VII. ET. DIES
XVIII. ET. RECESSIT. SVB
VIII. KAL. AVGVSTAS
P. C. LAMPADI. ET
ORESTIS. VV. CC. IND. VIIII

Anno Chriſti DXXXII. II. poſt conſulatum Lampadi & Oreſtis VV. CC. in Faſtis relatum eſt; nam & hic etiam annus tam in oriente, quam in occidente ſine conſulibus fuit

Anno Chriſti DXXXIII. Iuſtinianus imp. tertiũ cõnſulatum ſine collega in oriente geſſit, ut omnes Faſtorũ auctores tradunt. Nam Gothorũ Rex conſules paulatim in occidente creare deſinebat

Anno Chriſti DXXXIIII. imp. Iuſtinianus Auguſtus Byzantij quartum iniit conſulatum; cuius Romae collega fuit Decius Theodorus Paullinus V.C. de cuius conſulatu meminit libro variarum ultimo Caſſiodorus: poſt Decium Theodorum Paullinum Ro-

mae,& in occiden te consules creari desiere bello Gothico prohibente,cuius seminaria hoc anno iacta fuerunt. Nam quum Italiae Rex Athalaricus hoc ipso anno mortuus esset, eius mater regina Amalasuntha Theoderici filia regnum Italicum suscepit;quae quum sine uiro esset,Theodahatum Amalum consobrinum suum maritum assumpsit, regemque secum constituit. Is beneficij immemor,ueterumq; quarũdam simultatum,quae inter ipsum ac reginam intercesserant memor,ipsam regno potitus primo regia administratione deiectam, in insula lacus Vulsiniensis relegauit, & paulo post nefarie interfecit. Ex cuius postea caedis occasione Iustinianus imp. bellum Gothicum anno sequenti suscepit.Ita Procopius Iornandes,& Marcellinus

De Bello Gothico Italico

Anno Christi DXXXV. Indictione XIII.nono imperii Iustiniani Augusti anno; Fl. Belisarius consul solus in oriente ab Imperatore renuntiatus est, qui magistratus ei tanquam confecti Vandilici belli praemium concessus fuit. Quo anno imp. Iustinianus indignam caedem reginae Amalasunthae ulturus,bellum Gothis,& eorum Regi Theodahato,quod decem & octo annos continuos perdurauit,indixit; Italiamque de eorum potestate eruere conatus uictricem classem cum exercitu ex Africa in Italiam per ducem & consulem Belisarium transferre iussit. Hoc bellum hoc anno inchoatum,atque a Ducibus Belisario & Narse administratum,maximum, anceps, periculosum, cum duobus potentissimis regibus Vitige & Totila gestum, & postremo Italiae perniciosissimũ fuit. Cuius initia,successus,incrementa,& finem Procopius rhetor Caesariensis,Belisarij a secretis,qui huic bello ipse interfuit accuratissime elegãtissimeq; tribus libris cõprehẽdit. Bello igitur Gothico diuturno,grauissimo,& acerbissimo prohibente,consules primo in occidente creari desiti,mox occidentis exemplum, orientales quoque sequuti,aliquot annis post & ipsi consularem dignitatem omnino in priuatis abrogauerunt, atque eius dignitatis umbra quaedam in imperatoribus,qui semel tantum in vita eam assumere coeperunt, ut paulo post ostendam, remansit

Anno Christi DXXXVI. Deinceps (ut dixi) consules in occidente, bello Gothico prohibente non fuerunt; In oriente uero hoc anno etiam nemo consul fuit. Quare P.C.Fl.Belisarii notatũ est.Quo anno Fl.Belisarius Sicilia omni de Gothis capta, quum bellum in Italiam trãstulisset Neapolim pulsis Gothorum praesidijs occupauit; Gothi ob eam rem Theodahato regi infensi, eum creato rege Vitige interfecerunt imperij anno secundo,& mensibus aliquot transactis

Anno Christi DXXXVII.II. post consulatũ Fl.Belisarij,(nemo enim etiã hoc anno consul fuit) belli uero Gothiei anno tertio,Belisarius Gothis exactis Romã recepit, anno sexagesimo postea quã ab Odouacre primo occupata fuerat, Iustiniani uero Augusti imperij vndecimo.Procopius

Anno Christi DXXXVIII. Ioãnes consulatum in oriente gessit. Procopius libro I.belli Persici Ioannis cuiusdam Cappadocis meminit, praefecti praetorio Iustiniani imp. qui inter patricios potentissimus erat; hic praefectus vrbi, & consul fuit; quem hunc esse existimo. Fl. Volusiani hoc anno consulis suffecti in oriente mentio est apud Procopium,& cod.Iustiniani

Anno Christi DXXXIX.Fl.Appio Aegyptius Strategi filius consul orientalis fuit. Huius Appionis Suidas & Fasti Graeci meminerunt

Anno Christi DXL. Fl.Iustinus Germani filius consul orientalis fuit. De quo plura scribit Procopius libro III.de bello Gothorum.Hoc anno Belisarius patricius pugna cum Gothis inita,ipsos iterum superauit,Vitigem regem cepit, & cum vxore & thesauris Constantinopolim ad Iustinianum misit,a quo patricius factus in orientem comes missus est contra Persas, vbi vitam finiuit. Post cuius captiuitatẽ Gothi Ildoualdũ sibi regem creauere. Ita Procopius

Anno Christi DXLI.Fl.Basilius Iunior V.C.cõsul oriẽtalis fuit. Huius multa mẽtio est apud Procopium in libris de bello Gothico. Hic ciuis & patricius Romanus fuit,qui propter bellum Gothorũ quod tum in Italia gerebatur Constantinopolim ad imperatorem profectus est, a quo honorifice susceptus,consul quoque designatus est. Porro autem hic nouissimus omnium fuit, qui priuatus consulatum ordinarium gesserit. Post eum enim neque in oriente,neq; in occidente nemo priuatus cõsul ordinarius amplius fuit;nam imperatores tantum deinceps consulatum ordinarium gerere ceperunt. Ceterum post eius consulatum annis XXV.oriens sine consulibus fuit. Hoc anno mortuo Ildoualdo Gothorum rege Araricus Rogus ei successit, cui tertio imperij mense uita functo,omnium procerum Gothorum suffragijs suffectus est Totila cognomẽto Baduilla,qui annos plus minus XI.in Italia super Gothos regnauit. Ita Procopius

Anno Christi DXLII. Quum nemo consul esset,post consulatum Fl.Basilij Junioris in Fastis notatum est; & sic deinceps usq; ad XXV.annum obseruatum

Anno Christi DXLII.XI. P.C.Fl.Basilij iunioris,occiso Totila,Gothi regem sibi crearunt Theiam,qui per annum regnauit.Huius & sequentis anni,hoc est:P.C.Fl.Basilij iunioris anno XI.& XII.frequens mentio est in actionibus synhodi quintae uniuersalis Constãtinopolitanae secũdae

Anno

Anno Christi DLIII. P.C.Fl.Basilij iunioris anno XII. mense Februario, proelio uicto & occiso Gothorum rege Theia, Gothi qui diuturno bello superfuerant Italia omni exacti, LXXVII anno postquam eam occupauerant, Flauiusq; Narses Iustiniani imp. dux tāti belli cōfector, pro eodem Augusto Italiae ducis nomine Gothis pulsis praefuit annos XVI. Procopius, Marcellinus, & Iornandes

Anno Christi DLXIIII. P.C.Fl.Basilij iunioris V.C. anno. XXIII. sic in Fastis relatum est. Huius anni mentio est in antiqua inscriptione quae adhuc extat Romae in gradibus portae minoris basilicae S.Augustini ita — LVCINA . IN . PACE . QVI . VISSE . PL.M — P.C BASILI . V.C . ANNO . XXIII . DIPO — DECEMBRIVM

Anno Christi DLXV. XXIIII. P.C Fl. Basili V.C. Hic annus XXXIX imperij est Iustiniani Augusti, cuius meutio est in antiqua inscriptione Romae ad pontem Salarium super Anienem sic

IMPERANTE . D . N . PIISSIMO . AC . TRIVMPHALI , SEMPER . IVSTINIANO
PP . AVG . ANN . XXXVIIII
NARSES . VIR . GLORIOSISSIMVS . EX . PRAEPOSITO . SACRI . PALATII . EX . CONS
ATQVE . PATRICIVS . POST . VICTORIAM . GOTHICAM . IPSIS . EORVM . REGIBVS
CELERITATE . MIRABILI . CONFLICTV . PVBLICO . SVPERATIS . ATQVE . PROSTRATIS
LIBERTATE . VRBIS . ROMAE . AC . ITALIAE . RESTITVTA . PONTEM . VIAE . SALARIAE . VS
QVE . AD . AQVAM . A . NEFANDISSIMO . TOTILA . TYRANNO . DISTRVCTVM . PVRGATO . FLV-
IN . MELIOREM STATVM . QVAM . QVONDAM . FVERAT , RENOVAVIT (MINIS . ALBEO

Hoc anno ut Nicephorus tradit, Constantinopoli obijt imp. Iustinianus Augustus Idibus Nouembribus, imperij anno XXXIX. uitae uero XXCIII. Euagrius libro IIII. cap. XLI. Nicephorus Patriarcha Constantiuopolitanus, & Zonaras auctores

De Iustino Iuniore Imp

Iustinus iunior Iustiniani Augusti ex filia nepos, auo mortuo ex curatore palatij, quem curopalatem Graeci vocant, ex eiusdem testamento Romanū imperium suscepit XIX. post Constantinum imp. imperauitq; annos X. menses X. & dies XX. Euagrius, Nicephorus, & Zonaras

Anno Christi DLXVI. Fasti Graeci, & liber antiquus Maffeiorum XXV. Post consulatum Fl. Basilij iunioris V.C. suggerunt. Hic primus annus fuit imperij Iustini iunioris Augusti

Anno Christi DLXVII. Fasti Graeci, & Maffeiorum imp. Iustinum Iuniorem sine collega cōsulem edunt. Post quem nemo nisi imperator consul ordinarius fuit. Sequentes enim principes (praeter unum Mauricium) consulatum tantum, & semel in uita inire coeperunt, a cuius anno, annos imperij numerabant, de qua re latius superius verba feci

Anno Christi DLXVIII. Post consulatum Iustini iunioris Augusti. Narses qui pro imperatore Iustino Italiam ducis nomine obtinebat, iniurijs Sophiae Augustae, & Romanorum procerum inuidia, qui contra eum ad imperatorem scripserant, incitatus, Longobardos ex Pannonia in Italiam euocauit, quorum auxilio Gothos Italia eiecerat. Qui sub eorum Rege Albuino Pannoniam Hunnis relinquentes, cum uxoribus & liberis omnique supellectile in Italiam descēderunt. Ceterum ex Pannonia egressi sunt mense Aprili, indictione prima, altero die post festū Paschatis quod hoc anno Kal. Aprilis fuit. Anno domini DLXVIII. Ita Paulus Diaconus libro II. de gestis Longobardorum capite VI. Hi igitur quum hoc anno in Italiam uenissent, pulsis imperatoris praesidijs, Forum Iulij primū, deinde Venetiam omnem, postea Insubres, & Ligures, & magnam postremo Italiae partem occupauerunt. In qua Longobardorum regno fundato, eam annos CCVI. in principatus aliquot diuisam fere omnem tenuere. Interim mortuo Narse, Constantinopoli in eius locum Italiae dux missus est Longinus patricius, qui sub Exarchi nomine Rauennae imperii sede firmata, eam Italiae partem pro imperatore orientali tenuit, quam Longobardi inuadere non potuerant. Ita Paullus Diaconus, & Anastasius Bibliothecarius

Anno Christi DLXIX. II. Post consulatum Iustini imp. Mortuo Narse, Fl. Longinus patricius, qui superiore anno Byzantio discesserat in Italiam apud urbem Rauennam classe applicuit, quam sub Exarchi nomine pro imperatoribus orientis Iustino, Tiberio, & Mauricio annos XV. obtinuit. Ex Paullo Diacono, & Anastasio bibliothecario

Anno Christi DLXXIIII. VII. P.C. Iustini iunioris Augusti, Idibus Nouembris, Constantinopoli imp. Iustinus Sophiae uxoris suasu, Tiberium Anicium Constantinum genere Thracem, uirum strennuum, & rei militaris peritum adoptauit, Caesaremque appellatum, imperii successorem designauit. Ita Euagrius, Nicephorus, & Zonaras

Anno Christi DLXXVI. IX. P. C. Iustini imp. VI. Nonas Octobris, Constantinopoli obiit imp. Iustinus iunior Augustus grauissimo pedum dolore uexatus. Euagrius, Nicephorus, & Zonaras

De Tiberio Anicio Constantino imp

Nobilissima fuit Romae per haec tempora Aniciorum gens; in quam quum Iustinus senior, Iustinianus

focors, ignauus, & freqnentibus adulteriis infamis esset, ut nulla eius habita ratione, undique barbari imperiũ deuastarent; in oriente siquidem ingentia mala Persae intulerant, in occidente uero Scythae, & Hunni Illyricum, & Thracias populabantur; ab Heracleona, Heraclio, & Prisco in illum cõspiratum est; qui captũ inertissimũ hominẽ prius interfecere, quã ferre suppetias eius milites potuerint, omniq; stirps impurissimi principis sublata est. Caesus est autẽ Phocas VI. Kal. Aprilis imperii anno octauo, mense IIII. die nono. Heraclius autem omniũ suffragiis Augustus appellatus, & diademate imperiali a Sergio patriarcha redimitus, imperauit annos XXX. mẽses II. Quo anno ut ex Fastis Graecis, & eius rescriptis intelligitur, proximis Kal. Aprilis consulatum solus iniit. Eodemq; anno Inãnem Lemigiũ patricium quintũ exarchũ in Italiam in locũ Zmaragdi misit. Haec omina ex Nicephoro, Paullo Diacono, Anastasio, & Ioanne Zonara collegi

Anno Christi DCXIII. Indictione prima, VI. Kal. Aprilis, die natali imperii, imp. Heraclius Augustus, filium suum paulo ante natum Fl. Heraclium Constantinũ Augustum appellauit. Imperauerуntque una annos XXVIII. menses II. ita Nicephorus

Anno Christi DCXVI. Eleutherus patricius VI. in Italiam Exarchus venit. Bibliothecarius & P. Diaconus

Anno Christi DCXIX. Isaacius patricius VII. Italiae Exarchus Eleuthero successit. Anastasius, & Paullus Diaconus. Cuius anni mentio est in antiquo diplomate Heraclii ita: Data Kal. Maii Constantinopoli, imperantibus Augg. Fl. Heraclio anno IX. & post consulatum eiusdem anno VIII. & Heraclio Constantino iuniore filio anno VII. indictione VII

De Constantino, Heracliona, & Constante imperatoribus

Anno Christi DCXLI. Indictione XIIII. post consulatum Heraclii Augusti anno $\overline{XXX}$. paulo ante Kal. Maii, imperator Heraclius mortuus est imperii anno XXX. mense II. Postquem eius filius Constantinus IIII. XXV. post primum Constantinum, imperium mensibus quattuor solus tantũ tenuit. Nam Martinae nouercae insidiis, quae filio Heraclionae imperiũ astruere conabatur, ueneno tollitur. Illa vero quum imperiũ male partũ cũ filio uix duobus mẽsibus tenuisset, a senatu populoq; Constantinopolitano cum filio Heracliona decenni adhuc expulsa est; amputatis prius matri lingua qua plurimum valebat, filio uero naribus, quo deformis redditus ad imperiũ amplius non aspiraret, atq; ita omnium uotis Fl. Heraclius Constans Constantini filius Heraclii nepos rerũ potitus est mense Octobri, qui imperauit annos XXVI. mẽses VIII. cum dimidio. Ita Nicephorus, Paullus Diaconus, Bibliothecarius, & Zonaras

Anno Christi DCXLII. Indict. XV. Constans imp. more iam recepto consulatum solus gessit, quemadmodum ex antiquis eiusdem diplomatum datis intelligitur, qui anno sequenti VIII. in Italiam Exarchum misit Theodorum cognomento Calliopam, ut ex Bibliothecario liquet

Anno Christi DCXLVIII. P.C. imp. Constantis, Olympius imperatoris cubicularius nonus Exarchus in Italiam Theodoro successor uenit, ut Anastasius in vita S. Papae Martini tradit

Anno Christi DCLIII. $\overline{XI}$. P.C. Constantis Augusti, ut idem Anastasius auctor est, Theodorus Calliopa, denuo in Italiam exarchus venit

Anno Christi DCLIIII. $\overline{XII}$. P.C. Constantis, Ipse Constans imp. mense Martio filium Constantinũ V. Augustum appellauit. Imperaruntque una annns V. menses IIII. & dies aliquot. Nicephorus & Zonaras auctores

Anno Christi DCLIX. P.C. Imp. Constantis anno $\overline{XVII}$. ipse imperator Tiberiũ, & Heracliũ filios natu Constantino minores, Caesares appellauit mense Iulio, qui cum patre & fratre imperarunt annos plus minus X. Ita Nicephorus

Anno Christi DCLXVII. imp. Fl. Heraclius Constantinus V. Constantis Augusti filius consulatũ uiuẽte patre gessit, quẽadmodũ ex actionibus sextae Synbodi Cõstantinnopolitanae tertiae intelligitur

De Constantino V. Imperatore

Anno Christi DCLXIX. $\overline{II}$. P.C. Constantini $\overline{V}$. Augusti Fl. Constans imp. Syracusis in balneo insidiis Mizizi cuiusdam Armeni interfectus est Idibus Iulii, Indictione XII. ut tradit Anastasius in uita Vitalliani Papae; cui eius filii Constantinus V. Augustus, Tiberius, & Heraclius successere. Imperauit autem Constantinus imp. annos XVI. menses VII. Ex Nicephoro, & Zonara

Anno Christi DCXXC. $\overline{XIII}$. P.C. Constantini Augusti, indictione IX. mense Nouembri, sancta uniuersalis Synhodus sexta Constantinopoli inchoata est CCXC. patrum. Sic enim in eius principio scriptum est: Imperantibus a deo coronatis dominis nostris Flauiis Constantino imperatore & perpetuo Augusto anno XXVII. P.C. eius anno $\overline{XIII}$. Heraclio uero atque Tiberio eius fratribus anno XXII. die VII. mensis Nouembris, indictionis IX

Anno Christi DCXXCI. Indict. X. P.C. Imp. Constantini anno $\overline{XIIII}$. X. Kal. Ianuarii, finita est Synhodus vniuersalis sexta CCXC. episcoporum. Quae annorum post consulatum Constantini imp. ratio, meae summae ad amussim respondet

Anno

Anno Christi DCXXCII. Tiberius,& Heraclius Caesares Constantini imp. fratres coacti a fratre Augusto imperio abdicarunt. Nam imp. ipse quum iam filios adultos haberet,eos exclusis fratribus ad imperij fastigium euehere voluit. Quippe qui hoc ipso anno post Caesarum abdicationem,filium natu grandiorem Tiberium Heraclium Caesarem appellauit. Nicephorus

Anno Christi DCXXCIIII.P.C.Constantini Aug.anno XVII.Quum Tiberius Heraclius Caesar natu grandior Constantini imp. filius mortuus esset, ipse imperator alterum filium Iustinianum Caesarem,atque Augustum dixit;quem in annum sequentem consulem designauit.Ex Nicephoro, Bibliothecario,& Zonara

Anno Christi DCXXCV. Iustinianus Augustus Constantini V.imp. filius consulatum more ceterorum imperatorum solus uiuente patre gessit, ut ex eius diplomatum datis animaduerti

Anno DCXXCVI.P.C.Iustiniani iunioris Aug.obijt Constantinopoli circa Kal. Febr.imp. Cõstantinus Augustus V.Ex Nicephoro

De Iustiniano iuniore Augusto

Mortuo Constantino V. imp. imperium adeptus est eius filius Iustinianus iunior Augustus, praui uir ingenij, & varij, atque a fide catholica aliquando abhorrentis, qui post patrem imperauit annos decem, menses V.& dies aliquot. A quo statim in Italiam missus est nouus Exarchus Ioannes Plato. Ex Nicephoro,Bibliothecario, & Zonara

Anno Christi DCXXCVII. II. P.C.Iustiniani Augusti,indictione x v. extat Iussio Iustiniani imp. scripta, in cuius fine ita notatum est: Dat.x I I I.Kal. Martias Constantinopoli,Iustiniano imp.P P.Augusto anno secundo,& P.C. eius anno I I. indictione x v

Anno Christi DCXCVI.XI.P.C. Iustiniani imp. Quum imp.ipse bellum aduersus Arabas & Bulgaros contra foedera motum, utrunque calamitosissimum gessisset, crudelitate quoque in suos inuisior factus esset,Leontij patricii,& Callinici Patriarchae insidiis imperio deturbatus est mense Iulio, atque naribus abscissis Chersonam relegatus. Vixitque uaria fortuna exul annos prope decem

De Leontio imperatore

Octuaginta & sex annis ab Heraclio ad Iustinianũ in una gente imperatũ erat,quod nescio an ulli priorum contigerit,quum Iustiniano relegato x x x. a Constantino Leontius orientis imperium sibi uendicauit, quod per annos tres, menses & dies aliquot obtinuit.Ex Nicephoro

Anno Christi DCXCIX. II P.C.Leontij imp.(nam & ipse more maiorum, primis imperij sui Kal.Ianuarijs consulatum solus gesserat) Quum imp. classe aduersus Arabas Africam occupantes ingenti parata,re infecta rediret, Tiberij Apsimari ui imperio expulsus est; quem Tiberius captum adepto imperio,naribus truncatum custodiri iussit. Nicephorus, & Zonaras

De Tiberio Apsimaro imperatore

Hunc classis in Creta imperatorem appellauit,qui Constantinopolim veniens,Leontio imperio exacto,circa Kal. Augusti imperium inuasit, rerumq; potitus est per annos plus minus v I I.

Anno Christi DCC. Tiberius imp. more maiorum consul renuntiatus est,qui non lõge post x I. Italiae Exarchum patricium Theophylactum Ioanni Platoni successorem misit. Ex Bibliothecario, & P. Diacono

De Iustiniano Augusto iterum imperium adepto

Quum Tiberii iussu Iustinianus olim imp.qui in Pontum exulabat interficiendus esset,re cognita,ipse ad Trebellium Bulgarorum regem fuga lapsus est, cuius opera in imperium restitutus,Tiberium, & Leontium adhuc in custodia inuentum interfecit, Callinicum Patriarcham luminibus priuauit, in omnes aduersae factionis conscios grauissime animaduertit. Quum autem circa Kal.Augusti imperium recuperasset,imperauit denuo cum filio Constantino Caesare annos v I.& dies aliquot. Ita Nicephorus

Anno Christi DCCVII. Iustinianus iterum consulem se ipse creauit, ut ex eius rescriptis, & Graecis constitutionibus,quas edidit intelligitur

Anno Christi DCCX. III.P.C.Secundum Iustiniani imp.Ioannes Tizocopus x I I.Italiae Exarchus ab imp.Iustiniano in Italiam missus est. Ex Bibliothecario

Anno Christi DCCXII. V. P.C. Secundum Iustiniani Aug. Iustinianus ipse a Philippico pulsus, vitam,& imperium cum filio pariter amisit Idibus Augusti,anno imperii post exilium sexto,& paucis diebus.Nicephorus,& Zonaras

De Philippico imperatore

Iustiniano eiusque filio Constantino interfectis, Fl. Philippicus cognomine Bardanes imperium orientis suscepit,atque annos I I. menses I X.& dies v I I. infelicissime obtinuit. Omitto enim foedam haeresim in quam lapsus est,Bulgaros & alios barbaros imperium undique populari non prohibuit:ingentes.n.imperii opes iam pridẽ congestas inanibus sumptibus dissipauit.

Anno Christi DCCXV. II. P.C.Philippici (nam & ipse primo imperii anno,consul fuit)quũ Scholasticum patriciũ x I I I. Italiae Exarchum creasset,non longe post ab Anastasio captus,oculisq; priuatus,in ordinẽ redactus est x I I I.Kal.Iulii,anno imperii tertio.Ex Niceph.& Anastasio

De

De Artemio Anastasio Imperatore

Fl. Artemius Anastasius (ita enim a Nicephoro appellatur) imperium XII. Kal. Iulii, hoc anno pulso Philippico adeptus; haud multo post ingentem classem aduersus Arabas Alexandriam misit. Verum classiariis quibusdam contumacius, qui illum oderant agentibus, domũ anno sequenti reuersa, Theodosium Adramyttenum ignobilem alioqui hominem imperio praefecerũt, Cõstantinopoliq; capta Anastasiũ purpura exutum monasterio includunt, anno imperii primo, & mense tertio, consulatu suo, quem more ueteri eo anno inierat XVII. Kal. Septembris. Ex Nicephoro, & Zonara

De Theodosio Adramytteno Imp

Anno Christi DCCXVI. Anastasii consulatu, XIIII. Kal. Septembris, imperiũ suscepit Theodosius Adramyttenus, qui licet obscuro loco natus esset, non poenitendum tamen imperatorem egisset, si diutius illi per Leonem qui Cono dicebatur, orientis praefectum imperare licuisset. Nam quum anno sequenti, quo consulatum more maiorum gerebat, exercitus orientalis Leonem imperatorem dixisset, pertaesus belli ciuilis Theodosius cessit imperio VIII. Kal. Aprilis, principatus mense VII. & die VI. monasticamque uitam amplexus, satis diu sic felix in ea uixit. Nicephorus, Zonaras, & Bibliothecarius auctores

De Leone Conone Isauro Imperatore

Anno Christi DCCXVII. VIII. Kal. Aprilis, Leo cognomine Cono abdicãte Theodosio XXXV post Constantinum orientis suscepit imperium, ab exercitu orientali cui praeerat, Augustus acclamatus. Cuius generis obscuritatem (quippe qui apud Isauros natus sedentariam exercuerat) qnum aliis sceleribus, tum uero in deum, eiusque, & sanctorum imagines facile adaequauit, vnde ille cognomen Iconomachi inditũ a Graecis. Imperauit autem annos XXIIII. menses II. & dies XXV. Hoc principe Maximi pontifices, populusque Romanus a Longobardis oppressi, ad Francorum opes longe lateque per occidentem florentes primum respexere, quando ab haeretico principe, atque a barbaris undique uexato, parum subsidii amplius expectare possent. Ex Nicephoro, Bibliothecario, P. Diacono, & Zonara

Hoc ipso anno forte in Kal. Apriles, ut ex Leonis imp. rescriptorum & priuilegiorum, item Romanorum pontificum epistolarum datis intelligitur, Leo imp. more ueteri cõsulatum solus gessit. A quo anni eius imperii numerabantur

Anno Christi DCCXX. III. P.C. Leonis imp. XII. Kal. Maii, Fl. Constantinus VI. cognomine Copronymus Leonis Augusti filius Caesar Augustus adhuc infans appellatus, imperauit cum patre annos XXI. & menses II. ita Nicephorus

Anno Christi DCCXXIII. VI. P.C. Leonis Augusti, indict. VI. ita in Tomo secũdo conciliorũ scriptum inuenitur Imperante Domino Leone a deo coronato magno imp. anno VI. P.C. eius, sed & Constantino magno imp. eius filio anno IIII. indict. VI

Anno Christi DCCXXV. VIII. P.C. Leonis Augusti, Paullus patricius XIIII. Italiae Exarchus ab imp. creatus in Italiam uenit. P. Diaconus, & Anastasius Bibliothecarius

Anno Christi DCCXXVII. X. P.C. Leonis imp. Paullo Exarcho successit XV. Eutychius a Leone imp. in Italiã directus; Anast. bibliothecar. & Paullus Diaconus in lib. de gestis Lõgobard.

Anno Christi DCCXLI. XXIIII. P.C. Leonis imp. XIIII. Kal. Iulii, Constantinopoli obiit impius imperator Leo Iconomachus Indict. IX. Auctor Nicephorus in Leone

De Constantino VI. Copronymo imp

Impio patri scelestissimus successit filius Constantinus cognomento Copronymus, quod infans baptismi lauacro admotus mediis sacris alimoniae excremento aquam polluerat. Imperare uero coepit die obitus patris XIIII. Kal. Iulii indictionis IX. ut tradit Nicephorus, imperauitq; post eum annos XXXV. menses II. & dies XXVII

Anno Christi DCCL. VIII. P.C. Cõstantini Copronymi (nã Kal. Ianuariis diei natalitio imperii proximis, consulatũ inierat solus) VIII. Idus Iunii, Leo IIII. Constãtini imp. natu grãdior filius Aug. a patre appellatus, cũ eo imperauit annos XXIIII. mẽses III. & dies IX. ut tradit Nicephorus in Constãtini uita. Anno uero sequẽti Anastasio bibliothecario, & Paullo Diacono auctoribus, qui erat annus Christi DCCLI. Rauẽna & Exarchatus omnis, a Lõgobardis sub Rege Aistulpho capta sunt. Quam ob rem Exarchi deinde in Italia creari desiere, quũ iam omnia quae sub imp. Constantinopolitani dictione reliqua in Italia fuerant, Longobardi occupassent

Anno Christi DCCLXIX. Leo IIII. Augustus Constantini Copronymi filius, uiuente patre consulatũ solus gessit, ut ex eiusdẽ diplomatibus, & Romani põtificis epistolis intelligitur. Quo anno III. Nonas Aprilis, ut scribit Nicephorus, Fl. Nicephorus, & Christophorus Cõstãtini imp. filii nobiliss. Caesares, & Fl. Nicetas eiusdem imp. filius, Leonis uero imp. natu minores fratres nobiliss. puer appellati sunt, qui cum patre, & fratre imperarunt annos VI. menses V. & dies XII

Anno Christi DCCLXXIII. IIII. P.C. Leonis imp. XIIII. Kal. Maii, Fl. Anthimus Copronymi filius nobiliss. puer a patre creatus est; qui cũ eo & quattuor fratribus imperauit ann. II. & mẽs. V

Per

Per haec tempora Romani orientis imperatores, dignitates aliquot, & gradus excogitare coeperunt; quibus filios suos si plures haberent a se inuicem distinguerent, harum prima quae & suprema erat Augusti dignitas fuit, post Caesaris, deinde nobilissimi pueri. Nam antequã imperator fieret Caesar, ante hanc dignitatem nobilissimus puer appellabatur. Posterioribus uero temporibus longe plures inuentae sunt, de quibus postea dicam

Anno Christi DCCLXXV. VI. P.C. Leonis IIII. imp. XIIX. Kal. Octobris, Byzantij obiit impijssimus Constantinus Copronymus imp. Qui non solum patris impietatem in abolendis diuorum imaginibus reddidit, uerum etiam grauiore scelere, reliquias eorum aut contempsit, aut combussit, quam in deum impietatem, hominis immanitas inuisiorem fecit, dum nobilissimum quemque e medio tolleret. ita Nicephorus, & Zonaras

De Leone IIII. *Imperatore*

Noo imperij solum, sed etiam paternarũ scelerũ haeres, Copronymo filius Leo IIII. XVIII Kal. Octobris successit. Qui cum fratribus Nicephoro & Christophoro Caesaribus, Niceta, & Anthimo oobilissimis pueris, filioque Constantioo VII. Aug. Porphyrogenito imperauit annos quinque. Ita Nicephorus, & Zonaras

Anno Christi DCCLXXVI. P.C. Leonis IIII. anno VII Ante diem XVIII. Kal. Maij, Fl. Cõstantinus VII. Porphyrogenitus Leonis IIII. Augusti filius, Augustus, & Fl. Eudocimus eiusdem Leonis Augusti frater nobilissimus puer appellati, cum patre & fratribus imperatũ t annos IIII. menses IIII. & dies XXVI. Ita ex Nicephoro, & Zonara decerpsi

Anno Christi DCCXXC. Post consulatum Constantini VII. Porphyrogeniti Leonis IIII. Augusti filij, (qui uiuente patre more maiorum, anno superiore consulatum gesserat; ut ex eius diplomatum datis intelligitur) VII. Idus Septembris, Byzantij obiit imp. Leo IIII. Nam quum ad impietatem sacrilegium etiam addidisset, ut coronã a Mauricio principe deo dicatam captus gemmarum & auri splendore, nefario capiti imponeret, breui poenas luit, impium enim caput carbunculi apostemate statim intumuit, ex qua re ardentissima febri sequuta, spiritum homo nefarius exalauit imperii anno quinto. ita Nicephorus, & Zonaras

De *Constantino* VII. *Porphyrogenito imp*

Mortuo Leone IIII. Constantinus VII. Porphyrogenitus adhuc puer sub tutela matris Eirenes prudentissimae mulieris rerum potitus est. A quibus statim post Leonis obitum Nicephorus, Christophorus, & Nicetas Caesares, Anthimus, & Eudocimus nobilissimi pueri in ordinẽ redacti sunt, solusque Constantinus imperium annos plus minus XVII. tenuit; ex quibus annos X. menses II. & dies II. sub matris cura, mox, adultus matrem haud amplius passus imperio deiecit, eiectamque io ordinem coegit, imperauitque annos VI. menses IX. & dies octo. Ita Nicephorus, & Zonaras

Anno Christi DCCXXCIIX. celebrata fuit synhodus Nicena secunda, sub Constantino VII & Eirene CCCL. patrum, in qua templis diuisque suae restitutae sunt imagines. In cuius synhodi actionibus mentio est octaui anni post consulatus imp. Constãtini Aug. VII. ita: Imperantibus piissimis DD. NN. Constantino cum matre sua Eirene anno cõsulatus ipsius octauo. Sub VIII. Kal. Octobris ind. XI. conuenit sancta synhodus oecumenica Nicena secunda

Anno Christi DCCXC. Anno post consulatum Constantini Porphyrogeniti XI. imp. Constantinus iam vir factus, matrem amplius rerum secum potiri pati noluit, quare VI. Idus Nouembris eam captam imperio abdicare coegit, ipseque deinceps solus arbitratu suo imperium administrare coepit. ex Nicephori historia

De *Eirene Augusta*

Anno Christi DCCXCVII. P.C. Constantini VII. Augusti Porphyrogeniti anno XVIII. Quum matris Eirenes artibus adulescens Constantinus omnibus inuisus factus esset, a suis proditus imperio a matre exactus est XVII. Kal. Septembris. Quae sola rerum potita, filium in potestatem redactum excaecauit, imperauitque annos V. menses II. & dies XVI. Haec autem omnia quae tam de Eirene quam de ceteris imperatoribus usque ad Iustinum seniorem dixi, praecipue excerpsi ex histora Graeca Nicephori patriarche Constantinopolitani, ab Anastasio S.R.E. bibliothecario ante septingẽtos anoos in Latinum uersa, itemque ex historia Longobardica Paulli Diacooi, Ioannis Zonarae tomo historiarum tertio, & Anastasio ipso bibliotecario S.R.E. in vitis Romaoorum pontificum, quas a S. Petro apostolo ad Nicolaum papam I. sub quo vixit accuratissime cooscripsit. Atque ita io Eirenes Augustae egregiae indolis mulieris imperio, tertij Fastorum libri, eorundemque commentariorum finis fit

COMMENTARIORVM . IN . LIBRVM . FASTORVM
TERTIVM . FINIS

ONVPH-

ONVPHRII PANVINII VERONENSIS . FRATRIS EREMITAE . AVGVSTINIANI IN.FASTORVM.LIBRVM.QVARTVM COMMENTARII

PRAEFATIO



AXIMA incredibilisque rerum mutatio, quarto libro scribendo caussam attulit. Siquidem per haec tempora, primum imperatores orientales magna occidentalis imperii parte, quam ad haec usq; saecula obtinuerant a Longobardis spoliati; deinde Longobardi a Frácis regno Italiae exuti, postremo auitus imperandi mos, & antiqua imperij dignitas, Carolo Magno Francorum rege Romae imperatore creato, ex diuturno interregno occidenti restituta sunt. Quae omnia quum cognitu dignissima sint, ut apertius & certius intelligantur, tantarum rerum initia sunt paulo altius repetenda. Satis igitur supra demonstrauimus imperium singulare populi Romani, caesa Pharsalico proelio optimatum factione, & republica oppressa, a Caesare dictatore primum in orbem terrarum inlatum, deinde uagum adhuc & incertum ab eius adoptiuo filio Augusto Caesare stabilitum fuisse. A quo uario casu, multi deinceps sub Augusti nomine rei Romanae praefuerunt usq; ad Imp. Constantinum Magnum. Cuius temporis interuallo nullá admodum memorabilem in imperio mutationem contigisse constat. Constantinus autem quum imperio transalpes potitus, secum de summa rerum decertantes Maxentium, & Licinium, qui diuersis in locis imperabant, multis proeliis uictos tandem interfecisset, solus totum Romanum imperium sub Augusti nomine multis annis obtinuit: bella contra barbaros frequentia post ciuiles seditiones sedatas felicissime confecit, unde etiam primus Romanorum principum Magni cognomen inuenit. A bellicis ad pacis studia conuersus, optimum principem egit, leges sanctissimas tulit, litteris impense semper studuit, Christianae religionis quam mirum in modum propagauit, obseruantissimus fuit. Vetus Byzantium, siue cupiditate nouae condendae urbis ductus, siue quo facilius Persarum toti orienti imminentium motus reprimere posset, instaurauit, imperatoriamque urbem, & nouam Romam appellari uoluit. Quam denique ipsi Romae parem (ut saepe dixi) in omnibus fecit, altero imperatore, imperii parte, senatu, consulibus, praefectis urbis, & praetorio, & ceteris antiquae Romae magistratibus ei communicatis. Post Constantini obitum incredibile dictu, quantum urbs felicibus auspiciis condita, creuerit, ita ut ueterem Romam non solú aemulata sit, sed eandé etiam suorum imperatorum uirtute & fortitudine haud ita multo post, longe superarit. Ceterú a Constantino ad auorum memoriam multos principes, continuata per mille & centum annos successione habuit Christianos, donec urbs in Turcarú potestatem cétesimo ante anno peruenit. In his post Constantinú praecipui fuere Constantius eius filius, Iulianus, Iouianus, Valés, Theodosius senior, Arcadius, Theodosius iunior, Marcianus, Leo, Zeno, Anastasius, Iustinus senior, Iustinianus Magnus, Iustinus iunior, Tiberius, Mauricius, Phocas, Heraclius, Constans, Constantinus Pogonatus, Iustinianus, Leontius, Apsimarus, Philippicus, Anastasius, Theodosius, Leo Isaurus, Constantinus Copronymus, Leo IIII. & Constantinus Porphyrogenitus. Quo imperii fastigio deiecto, Eirene Attica Augusta mater rerum in oriente potita est. Post Eirenem Nicephorus Byzantij imperium obtinuit, cuius & sequentium imperatorum usque ad nostra saecula libro hoc quarto mentio est. Orientis enim imperium, quod aut ualidioribus praesidijs munitum, aut praestantiores principes nactum fuerit, aut minores barbarorum iniurias pertulerat (quamquá ex potentissimo latissimoq; ut a Constátino relictú fuerat, ita paulatim & sensim delabi, & praecipitari a barbaris coeperit, ut uix decima eius pars postremo superfuerit) longissimo temporis interuallo productum est. Nam quú annos ∞CXXIII. stetisset, nouissime a barbaris Turcis Constátinopoli capta, funditus deletum est. Occidentale vero cui post Constátinum

Constans filius, Magnentius, Constantius, Iulianus, Valentinianus senior, Gratianus, Valentinianus iunior, Honorius, Placidius Valentinianus III. Maximus, Auitus, Maiorianus, Seuerus, Anthemius, Olybrius, Glicerius, Nepos, & postremus Augustulus praefuerunt, citius corruit, atque in barbarorum Gothorum potestatem deuenit, uix centum & quadraginta a Constantini obitu transactis annis. Hoc autem ob id potissimum accidisse existimo, quod maioribus barbarorũ copiis, ui, & impetu appetitum fuerit, eo praesertim tempore, quo imbelles, ignaui, otio & desidia perditi pueri imperatores occidẽtis erant Honorius, & Placidius Valentinianus III. Cui rei nõ paruã occasionẽ praebuisse uisus est imp. Constãtinus, qui barbaris ad internicionem caesis, Rheni atq; Danubii ripas ualidissimis legionibus munitas spoliauit. Hae barbaris coercendis ripis fluminũ incubabant ab Augusto prouidẽtissimo principe institutae, & ibi locatae. Has enim Constantinus, barbaros uictos quieturos ratus, in orientem contra Persas transtulit, quo vrbis a se conditae (ut credo) securitati consuleret. Igitur non longe post Constantini factum, mortuo Theodosio imperatore, ad quem usque barbarorum uis cohibita est, paruulis adhuc imperatoribus, eorumq; tutoribus inter se diffidentibus, aut etiam proditionem meditantibus, quum ingentes barbarorum copiae ripas Rheni & Danubii solitis XV. legionum praesidiis nudatas traiecissent, viciniores sibi imperi occidentalis prouincias inuaserunt. Ita Franci, & Burgundiones Gallias; Alani & Vandili Hispanias primum, deinde Africam omnem; Visegothi discedentibus Vãdilis Hispaniam ipsam; Hunni & Gepidae Pannoniam & Illyriũ, & reliquas cis Danubiũ Germaniae uicinas prouincias; Saxones, Angli, Picti, & Scoti Britanniam: ita ut sola in imperatorum occidentis ditione relicta esset Italia; in quam quum contra Hunnorũ regis Atilae uim barbarorum Gothorum magnam ex Germania multitudinem euocassent, hi nõ lõge post Atilae mortem, Augustulo nouissimo imperatore, imperio deturbato, Italiae imperium, Odouacre Herulo rege creato, sibi uendicarunt, tertiaq; agrorũ parte Italiae populis mulctatis eam per annos LXXVII. sub aliquot regibus potentissime obtinuerunt. Hac itaq; ratione occidentis imperium a variis barbaris gẽtibus laceratũ, & postremo Roma ipsa, & Italia imperii lare a Gothis occupata omnino in Augustulo defecit, Zenone apud Byzantium imperium orientale administrante. Ceterum quum Iustinianus imperator orientis, Vandilos ex Africa, quam Romanis ui ablatam longo tempore possederant, facile eiecisset, rei felicitate permotus ad reliquum etiam occidentis imperium ex barbarorum potestate eruendum animum adiecit. Gothisq; Italicis quibusdam occasionibus quaesitis bellum primo intulit; quod & si praeter spem diuturnius fuerit, quam imp. putauerat, eos tamen postremo decimo octauo eius belli anno, per Belisariũ & Narsem rei militaris peritissimos duces Italia omni exegit. Eamq; cum Africa nullo imperatore more maiorum in occidente creato, imperio oriẽtis adiunxit. Bello Gothico diuturno & periculoso Imperator fessus, Francos qui Gallias, & Gothos qui Hispaniam occupauerant, non solũ nõ lacessiuit, uerum ab his pacis conditiones accepit. Italia sub ducis nomine pro imperatore orientis administranda in victoriae premium Narsi permissa est; qui eam per annos XVI. egregie prudenter fortissimeq; administrauit. Porro autem Iustiniano imp. uita functo; quum ei imprudẽs Iustinus iunior successisset, Narses dux Sophiae Augustae iniuriis, procerumq; Romanorum inuidia exagitatus, barbaros Longobardos, qui tum Pannoniam incolebãt, quorumq; auxilio Gothos Italia expulerat, in Italiam euocauit, ipseq; non longe post mortuus est. Quũ autem Longobardi a Narse inuitati sub eorum rege Albinio, in Italiam uenissent, maiorem eius partem primo illo impetu inuaserunt. Interim Constantinopoli in Narsis locum dux Italiae patricius Longinus missus est ab imperatore. Qui Exarchi nomine eam Italiae partem, quam Longobardi occupare non potuerant, pro imperatore orientali, Rauennae imperij sede locata, administrauit. Atq; ita duae in Italia factiones exortae, Longobardica & imperialis, quibus quum multis annis misera Italia uexata fuisset, postremo praeualentibus Longobardorum armis, Rauennaque cum Exarchatu omni ab ipsis capta, ipsi uniuersam fere Italiã reliquis imperatoris Cõstantinopolitani praesidiis pulsis, sui iuris fecerũt. Vrbs Roma una in Italia reliqua erat; quã in Longobardorũ potestatem nunquã venisse constat. Quam quũ undique opprimerent barbari, Romani pontifices, quorum magna tunc auctoritas, & potestas in Italia esse coeperat (eam enim pietate, doctrina, sanctitate, exemplo, & vitae integritate, insuper & primariae Romanae sedis dignitate sibi comparauerant) tanquam patriae patres vrbis tuendae contra Longobardorum uim partes assumpserant, quando id ab imperatoribus orientalibus alijs rebus occupatis (quorum munus erat) minus curabatur. Qui precibus, pollicitationibus, muneribus, & postremo diris anathematum deuotionibus, eius libertatem diu a Longobardis tutati sunt: bello enim decertare quũ uiribus longe impares, essent, non poterant. Quũ uero eo tempore in orientalibus imperatoribus parum (ut dixi) praesidij inesset (tum quod in haeresim Iconomachiae foede lapsi Romanorum pontificum eorum insaniae aduersantium acerrimi hostes euaserant, tum etiam quod a barbaris Sarracenis, Auaribus, Bulgarisque oppressi, uix se suaque defendere poterant)

Romanus

Romanus pontifex Gregorius III. ad Francorum transalpinas opes longe lateque patentes primus omnium respexit. Quem postea Stephanus III.& Hadrianus I.immitati sunt. Ille enim Pipinum Francorum regem contra Aistulphum in Romanorum auxilium euocauit, hic Carolum Magnum contra Desiderium saeuissimos Longobardorum reges. Pipinus Aistulphum Exarchatum quem ceperat Romanae ecclesiae tradere coegit, Rauennamque pristinae libertati asseruit. Carolus uero Magnus Desiderium proelio victum, & captum, regno exuit. Quo tempore Italia fere omnis in Francorum potestatem, exactis Longobardis, deuenit. Quam ob rem Carolus Magnus rex Francorum & Longobardorum a Romano pontifice inunctus, Romanorum patricius, & S.R.E. patronus & defensor appellatus est. Quare ipse tot ecclesiae Romanae beneficiorum haud immemor, eandem ecclesiam, magna ditione, integrisq; prouincijs donauit. Mortuo Hadriano primo, sub quo a Carolo Magno Romana ecclesia mirum in modũ aucta & honestata fuerat, successit Leo III. Ingentis animi & spiritus uir. Quo tempore Eirene filio Constantino VI. Porphyrogenito capto, imperioq; & oculis priuato, ad imperii fastigium euecta est. Qua Byzantij rerum potiente, quum Romani imperii vetus illa maiestas, omnia sibi barbaris uendicantibus obsolesceret, nec in ipsa Eirene quãuis altae indolis femina, multũ praesidii uideretur inesse, occasione feminei imperii, quod hactenus inauditum erat assumpta, Leo Papa III. Romani populi, & procerũ Italicorũ scito, cleriq; rogatu, Carolũ ipsum Magnũ Frãcorum & Longobardorũ regem, ob egregia in Christianum nomẽ, & Romanam sedem merita, Romae in basilica S. Petri apostolorum principis in Vaticano, vbi ipse eo tempore forte uenerat, die sancto natalis Christi ineunte anno Domini DCCCI. Romanorum occidentis imperatorem primus appellauit, inunctumq; cũ Pipino filio Augustum cõsecrauit; anno ex quo in Italia imperarĩ desitum erat, post Augustuli imperium CCCXXIIII. regni vero eius, ex quo Francis praefuerat XXXIII. Atq; has ob rationes, ita uetus imperandi consuetudo occidenti a Leone Papa III. restituta est, in personam potẽtissimi Regis Caroli Magni; qui Hispaniarum parti, uniuersis Galliis, Germaniae omni, & Italiae imperauit; a quo tempore usque ad nostra saecula perdurat. Tuncq; duo denuo imperatores more ueteri esse coeperunt, Romanorum orientis Constantinopoli, & Romanorum occidentis Romae ueteri. Haud multo post Eirene Augusta imperio deturbata, atque in insulam relegata, Nicephorus orientis imperium occupauit. Inter quem & Carolum Magnum amicitia & pax his legibus & conditionibus facta, ut ambo fratres, ambo imperatores more maiorum, ambo augusti diceretur; Occidentis quidem Carolus Magnus, orientis uero Nicephorus; utriusq; imperii terminus esset vrbs libera Venetorum. Carolo Magno successit Hludouicus Pius filius, Huic Hlotharius, Hlothario Hludouicus II. & sic deinceps alii quemadmodum ex ipso Fastorum quarto libro liquet successerunt. Haec autem sunt quae de imperii occidentalis restitutione ex uariis ueterum scriptorum monumentis accepi. Deinceps porro operam dabo ut singillatim ueterum auctorum testimonia afferam, quibus tam imperatores orientales ex una paginae parte, quam occidentales ex altera e regione digesserim. Et quo facilius & distinctius omnia aperire possim, primum reliquam imperii orientalis imperatorum post Eirenem seriem confirmabo, atq; quibus potissimũ auctoribus singula acceperim ostendam; deinde qua ratione occidentale quoque post Carolum Magnum imperium concinnauerim, eadem ratione demonstrabo

De Nicephoro imperatore

Anno Christi DCCCII. Indictione XI. optimatum conspiratione Eirene Augusta imperio, quod per annos IIII. menses II.& dies XV. post filium caecatum obtinuerat, exacta, in Lesbum insulam relegatur; omniumque procerum suffragiis, Kal. Nouembris Nicephorus uir haud dubie nobilissimus imperator est appellatus. qui XXXIX post Constantinum Romanum orientis imperium annos VIII. menses VIII.& dies XXVI. obtinuit. Hic altero imperii anno VIII. Kalendas Ianuarii, filium Stauratium imbellem, & inutilem Augustum dixit: imperaruntq; una annos VII. menses VII.& dies III. Ceterum quum nono imperii anno bellum aduersus Bulgaros commouisset, ab iis cum exercitu ad internicionem caesus est VIII. Kal. Augusti, filio Stauratio superstite relicto. Ita Nicephorus Patriarcha Constantinopolitanus in annalibus, & Zonaras qui ex eius potissimum lucubrationibus suam horũ temporũ conscripsit tertii tomi historiam

De Stauratio imperatore

Anno Christi DCCCXI. Hadrianopoli in quam euaserat post patris interitum imperator ab amicis salutatus Stauratius, mense imperii altero & die X. à Michaele Rancabe Curopalate, qui Procopiam sororem eius vxorem duxerat, imperio VI. nonas Octobris deturbatus, in monasteriũ reclusus est. Nicephorus, & Zonaras

De Michaele Rancabe imperatore

Indictione V. VI. Nonas Octobris Nicephori gener Michael Rancabe ex curatore palatij imperium suscipiens, illud annum I. menses IX.& dies IX. tantum tenuit. Qui quum filium Theo-

phylactum primo imperii anno VIII.Kal.Ianuarii Augustum pronuntiasset,non longe post,aduersa pugna a Bulgaris castris exutus,accepto nūtio de Leonis imperio,principatu abdicauit,seq; cum filio in monasteriū inclusit V.Idus Iulii, indictione VI. feria II.Ita Nicephorus. Hic cum imp.occidentis Carolo Magno Augusto foedus ita iniit, ut Veneti suis legibus ac iure uiuerent, immunitate his seruata quam ad eam diem in terra Italia retinuerant

De Leone V. Armeno imperatore

Anno Christi DCCCXIII.V. Idus Iulii, Leo V. Armenus Bardi patricij filius, rei Romanae omnium consensu praefectus,imperauit annos VII.menses V.& dies XIIII. ut tradit Nicephorus, Cuius in hunc Leonem historia desinit. Trium enim sequentium imperatorum Michaelis Thrauli,& Michaelis iunioris annos tantum imperii enumerat. Hic Leo (ut tradit Zonaras) Sabatium Constantinum filium Caesarem creauit

De Michaele iuniore Thraulo imp

Anno Domini DCCCXXI.ineunte VIII. Kal. Ianuarii, ipsa nocte natalis Christi,interfecto Leone imp.Amorio Phrygiae superioris oppidulo ortus Michael Balbus Romanum imperium intercepit. Hic quum Thomam,Anastasium, & Euphemium qui tyrannidem inuaserant interfecisset, Kal. Octobris mortuus est imperii anno IIX mense IX. & die VII. Theophilo filio per manus imperium tradens. Ita Zonaras

De Theophilo imperatore

Anno Christi DCCCXXIX. mortuo Kal.Octobris imp.Michaele iuniore,Romanum imperium Theophilus eius filius suscepit, imperauitque annos XII.menses III. & dies XX, ut ex uetusto & manuscripto Nicephori libro didici; quod & Zonaras refert.Alexii Criniti,& Michaelis Caesarum,Theophobiq; imp.meminit idem Io.Zonaras

De Michaele Theophili F. imp

Michael Theophili filius imperium post patris mortem cum matre Theodora XIII.Kal. Februarii,Anno Christi DCCCXLII.suscepit. Imperauitq;,ut ex uetusto Nicephori libro didici, omnino annos XXV.& menses III.ex his cum matre annos XIIII.mensem I.& dies XXI. Post ea imperii administratione pulsa, solus annos XI. mensem I. & dies IX. Occisus ergo est a Basilio Macedone,qui ei successit IX. Kal. Maii,Anno Christi DCCCLXXVII. In hoc imperatore Nicephori patriarchae Constantinopolitani antiquus manuscriptus liber desinit, qui imperatorū quidem uitas usque ad Leonem V. Armenum, annos uero imperii ad hunc usque principem continet. Ceterum post haec perpetuus quidam scriptor solus Ioannes Zonaras superest, quo potissimum auctore sequentium imperatorum annos digessi.Porro autem Bardam,& Basilium Caesares,& reliqua omnia quae in Michaelis III. imperium congessi ex Ioanne Zonara excerpsi

De Basilio Macedone imp

Captiuus hic inter uenales Constantinopolim adductus, Romanae postmodum rei caeso Michaele annos XVIII.menses X.,& dies VII. praefuit. Qui adepto imperio Constantinum, Leonem,& Alexandrum filios Caesares appellauit. Ita Zonaras. Huius & aliquot sequentium orientis imperatorum usque ad Nicephorum Phocam frequens mentio est apud Liutprandum Ticinensem,qui paulo post hec tempora uixit,scripsitq; libros sex rerū per Europā temporibus suis gestarum

De aliquot Romanis post Basilium Macedonem orientis imperatoribus

Basilium Macedonem,eius filios Leonem VI.Porphyrogenitum, & Alexādrum, item Leonis VI.filium Constantinum VIII. Romanum quoque Lecapenum, & eius filios Christophorum, Stephanum,Constantinum IX.Romanumq; iuniorem Christophori Lecapeni filium; qui una cum Constantino VIII.Porphyrogenito Leonis VI.filio imperarunt, & postremo Constantini VIII.filium Romanum III.imperatores orientales,ex Zonara,Liutprando Ticinensi,& Abbatis Vrspergensis chronico concinnaui

De Romano III. & sequentibus orientis imperatoribus

Romanum III.Constantini VIII.Porphyrogeniti filium,Nicephorum Phocam,Ioannem Zimiscem, Basilium iuniorem, & Constantinum X.Romani III.filios,Romanum IIII.Argyrum, Michaelem IIII.& V.Paphlagonem,& Calaphatem, Zoen, Theodoram,Constantinum Monomachum,& sequentes usque ad Alexium Comnenum imperatores orientis, ex Ioannis Zonarae tomo historiarum tertio tantum constitui, nullum enim praeterea ueterem auctorem habui. Quorum idcirco tempora singillatim hoc loco non describo,quod facillime & nullo negocio, ex uno auctore Zonara,qui iam Graece & Latinae uulgatus est peti possunt,& intelligi

De Alexio & ceteris Comnenis imperatoribus

Alexij Comneni imperium ex Ioanne Zonara qui sub eo uixit, & in quem eius historia desinit formaui. Ceterum quum Alexius Comnenus Isaaci quondam imp. filius, exacto Nicephoro Bryennio imperatore,Kal.Aprilis anni Christi ∞XXCI.orientis imperium suscepisset

pisset, illud annis XXXVII. mēsibus IIII. & diebus XV. obtinuit. Obiit enim, ut Zonaras & Petrus Diaconus libro IIII. historiae Cassinensis tradunt, XVIII. Kal. Septembris anno Domini ∞C XVIII. Ioanni filio reluctante in primis matre imperium relinquens. Sub hoc imperatore Ioannes Zonaras (ut dixi) Monachus Constantinopolitanus ex ordine S. Basilij, qui olim Byzantij magnus Drungarius Biglae, seu excubiarum, & protosecretarius imperatorum Alexij & Ioannis Comnenorum fuerat, historiam vniuersam Graece a mundi primordio usq; ad obitum Alexij Comneni imp. orientis, sub quo ipse uixit, tribus tomis conscripsit. Quorum primus agit de rebus Iudaicis ab exordio mundi usque ad Hierosolymitanum excidium. Alter historiam Romanam ab vrbe condita usque ad Constantinum Magnum breuiter complectitur. Tertius Imperatorum res gestas a Constantino Magno usque ad obitum Alexij Comneni continet. Omnia ante Constantinum satis accurate (de rebus Latinis loquor) explicata. A Constantino Imp. deinceps utilis est, & quod eas res diligenter enarrentur, & meliores scriptores non habeant. Ab eiusdē Alexij imperio Guillielmus Archiepiscopus Tyriorū, historiā belli sacri, quod Christiani Gotifredo duce contra Turcas memorabili illa expeditione, qua Antiochia & Hierosolymae capta sunt, gesserunt, libris XXII. conscriptam inchoauit; eamque usque ad Alexij Iunioris Comneni imperium perduxit. Ex qua historia multum profeci in digerendis imperiis Alexij, Ioannis, Manuelis, & Alexij Iunioris Comnenorum. Quorum praecipuas actiones accuratissime ipse in eodem libro descripsit.

Zonaram suppleuit alius Graecus scriptor Nicetas Acominatus Choniata, atq; ut ex operis indice apparet, magnus logotheta, secretorum inspector, & iudex Veli, sacrique cubiculi praefectus. Hic ab obitu Alexij Comneni in quem Zonaras desinit historiam Augustam auspicatus, eam usque ad Henrici Flandriae comitis, Balduini primi imp. Constantinopolitani ex Latinis fratris imperium produxit. In qua diligentissime Ioannem, Manoelem, Alexium Iuniorem, & Andronicum Comnenos; Isaacium II. Alexium III. & Alexium IIII. Angelos; Alexium V. Ducā; Balduinum Francom orientis imperatores; & Henrici Augusti Balduini fratris initia libris XIX. descripsit. Ipse, ut ex historia eius manifestum est, uixit imperatoribus Angelis rempublicam orientalem obtinentibus; interfuit cladi, & Vrbis Constantinopolis direptioni a Francis & Venetis Anno Christi ∞ CCIIII. factae; quam accurate admodum & perite cōscripsit. Ab hoc igitur illos ipsos imperatores diligenter adornaui. Ipse e Graeco in Latinam linguam uersus, cū Ioanne Zonara anno superiore excusus est. Ambo propter variam rerum cognitionem qua referti sunt, digni admodum qui ab omnibus legantur.

De urbe Constantinopoli a Venetis & Francis capta; & primo ex Latinis orientis imperatore Balduino creato

Quum Andronico imperatore occiso, Comnenorum stirps sublata esse uideretur, ad Isaciū cognomento Angelum praeter omnium spem, summa rerum delata est. Qui imperii anno IX. & mense VII. quod prudenter & magnifice gesserat, ab Alexio fratre, quem captū a Turcis rédemerat, per summum scelus imperio oculisque priuatus fuit. Alexius autem non ingratus in fratrem solum, cui lumina & imperium eripuerat, uerum & fratris filium Alexium puerum extorrem fecit. Sed non multo post grauis ultio affuit. Restitutus enim puer Latinorum classe, quae per ea tempora ingens pro recuperandis Hierosolymis a Turcis paulo ante oppressis, comparata, in mari Ionio opportunum tempus expectans morabatur, patrem adhuc uiuētem rebus praefecit. Ipso autē fratricida Alexio post imperii annū VIII. mēsem III. & diē X. fuga delapso, Isaci filius Alexius puer annorum ferme XII. post repentinum patris obitum imperator appellatus fuit, Gallorum Venetorumque armis praeualentibus, quorum (ut dixi) classe opibusque in imperium restitutus fuerat. Verum quum mense VI. & die VIII. post restitutionem suam exactos ab Alexio Duca, cognomento Murzuflo fraude necatus esset, Ducas ipse orientis inuasit imperiū. Quo a Latinis cognito, quorum adhuc ingens classis in mari erat, Veneti Francique contra Murzuflum bellum comparare decreuerūt. Constantinopolim igitur reuersi vrbem diu obsessam, tandem pridie Idus Aprilis Anno Dom. ∞ CCIIII. in potestatem suam redegere. Murzuflus fuga lapsus, imperij mense II. & die XVI. non multo post in Peloponnesso captus, per summam ignominiam & cruciatus occisus est. Atq; ita excelleos Venetorum uirtus Henrico Dandulo praestantissimo Duce armis Gallicis adiuta, orientis imperium quod tot annos factiosissima Graecorum natio obtinuerat, Latino nomini facile asseruit. Capta autem Vrbe post Murzufli fugam, Balduinus Flandriae comes XV. Virum suffragiis, XVII. Kal. Iuni Imperator orientalis renuntiatus est, Duce Dandulo in primis annitente. Veneti Thomam Maurocenum, (quando ita conuenerat, ut ipsi antistitem darent si Gallus imperaret) patriarcham designarūt. Rerū autem potiti sunt Latini in oriente annis plus minus LVII. Sub quinq; imperatoribus primo Balduino, Henrico, Petro, Roberto, & iuniore Balduino. Haec ex Niceta Graeco scriptore decerpsi.

De Imp. Latinis Constantinopolitanis

Balduini primi imperium,& eius fratris Henrici initia ex Niceta digessi; reliquos uero,id est Petrum, Robertum,& Balduinum iuniorem ex Ioanne Villano,qui ante ducentos annos historiam scripsit,aliquot registris bullarum et diplomatum pontificiorũ S. Romanae ecclesiae,quae in bibliotheca Vaticana seruantur,Ioanne Baptista Ignatio Veneto, & Ioanne Culpiniano formaui

De Imperatoribus Graecis post Murzuflum

Eo tempore quo Latini Constantinopoli,& 1010 fere orientali imperio potiebātur, Lascarorum gens imperii titulos Hadrianopoli hanc ob caussam diu retinuit. Imperator Alexius Angelus fratricida,quem a Latinis imperio exactum scripsi, Theodoro Lascari familia haud dubie clarissima orto, filiam Eirenem despondit, dotisq; nomine imperij titulos genero tribuit. Huic mascula proles ex vxore nulla,fęmina tantum Eirene filia fuit, quam Ioanni Ducae cognomento Diplobatazio in matrimonium iunxit,moriensque anno principatus sui XVIII. imperium illi per manus tradidit. Cui postea imperij anno XXXIII. mortuo Theodorus filius successit. Ex quo Ioannes & Theodorus orti, quos Michael Palaeologus pueros quum interfecisset, ipse sibi & posteris per summum scelus imperium uindicauit. Imperauit uero Ioannis filius Theodorus Ducas annos IIII. filii uero cum tutore Michaele Palaeologo annum vnum. Haec autem ex antiquo canonũ,& constitutionũ imperialiũ libro Graeco manuscripto bibliothecae Ant. Augustini Episcopi Allifani exaraui, in quo omnes orientis imperatores accurate descripti sunt a Magno Constantino usque ad Constantinum Palaeologum illum, quem Mahometes Turcarũ Rex Constantinopoli capta,postremum omnium interfecit.

De Michaele Palaeologo Imperatore, orientis imperio Graecis restituto, & ceteris imperatoribus Palaeologis

Anno Domini ∞CCLX. mense Septembri,quũ imp. Balduinus iunior praeualentibus Graecorum armis,ingentem exercitum ad Bosphori fauces obiecisset, per eius absentiam a Michaele Palaeologo proditione Constantinopolis recepta est; atque ita dum externam uim formidaret, domestica oppressus est. Michael enim Palaeologus nobilissimo stẽmate apud Graecos ortus,uehementis spiritus uir, quũ tutor a Theodoro Duca Graeco imperatore paruulis filiis Ioanni & Theodoro relictus esset,eiusdem tutelae praetextu imperium infestare coepit, atq; Guillelmum Achaiae principatu primum spoliauit,inde Byzantiũ (ut dixi) LVII. anno postquã in ea imperare a Latinis coeptum erat, fugato Balduino imperatore,Graecorum proditione occupauit,pueros tutelae suae cõmendatos interfecit,ipseque sibi,& posteris imperium,quod per annos XXII. tenuit, comparauit. Cum Venetis autem bellum diu gessit,a quibus facile imperio deturbari potuisset,nisi Genuenses obstitissẽt. Ceterum huius & sequentium imperatorum usque ad Cõstantinum XV. nouissimum orientis imperatorẽ,tempora ex libro Antonii Augustini cõcinnaui

De Vrbe Constantinopoli capta, & Imperio Turcico

Anno Domini ∞CCCCLIII. IIII. Kal. Iunii,Constantinopolis vrbs totius orientis amplissima,in qua Christiana pietas ∞CXXIII. annos floruerat, vbi tot Christiani imperatores, tanta religio, tot diuorum templa, tot reliquiae conditae erant, paucis diebus postquam oppugnari coepta fuerat, ab immanissimis, & nefariis Turcis capta est. Constantinus imperator dum ad portam vrbis trepidus se recipiebat,fugientium trepidatione oppressus, mortuus est, anno posteaquam Palaeologi eam occupauerant CXCIIII. Primus autem ex Turcis eidem praefuit,qui eam cepit Mahometes Othomanus Amuratis filius, qui post captam vrbem in oriente imperauit annos XXVII. menses XI. & dies V. obiit enim Byzantij V. Nonas Maij, Anno salutis ∞CDXXCV. successore filio Baiazete tantique imperii haerede relicto. Cui Selymus,Selymo uero filius Solymanus qui nunc rerum in oriẽte potitur successit,atq; hodie imperii annum agit XXXIX. Anno ex quo Constãtinopolis cõdita est ∞CCXXVIII. Christi vero ∞DLVIII

DE . CAROLO . MAGNO . IMPERATORE



Mperatorum orientalium serie a Nicephoro ad hunc usque Turcarum regem quãtum opus erat cõfirmata,auctoritatibusq;,& testimoniis ex quibus eam digesserim,demonstratis,ad Carolum Magnum nunc est regrediẽdũ,quem ineunte anno Domini DCCCI. die natalis Christi Romae a Leone papa III. Augustum appellatum, consecratumque fuisse supra dixi. Cuius rei ita meminit Nicephorus; Anno quarto imperii Eirenes, VIII. Kal. Ianuarii indictionis nonae, Carolus Rex Francorum coronatus est a Leone Papa:& cetera. Idem refert Eginhardus, Abbas Vrspergensis, & Regino libro II. Eum autem imperasse annos XIII. mensem I. dies IIII. ex eodem Eginhardo qui vitam Caroli Magni,cuius scriba fuerat, ex instituto ad eius filium Hludouicum

douicum Pium conscripsit;ex Reginone,Annonio libro IIII.cap.cētesimo de gestis Francorum, & Abbate Vrspergense in chronico intelligitur. Qui omnes asserunt ipsum Aquisgrani obiisse V.Kal.Februarii,aetatis anno LXXII.regni FrācicìXLVII.Longobardici XLIII.imperii uero XIIII.hora diei tertia,cadauer Aquisgrani in basilica beatae Virginis a se constructa sepultū est, simulachrumq; eius cum hoc elogio sepulchro addita sunt

SVB.HOC.CONDITORIO.SITVM.EST.CORPVS.CAROLI.MAGNI.ATQVE.ORTHODOXI IMPERATORIS.QVI.REGNVM.FRANCORVM.NOBILITER.AMPLIAVIT.ET.PER.ANNOS XLVII.FELICITER.TENVIT.DECESSIT.SEPTVAGENARIVS.ANNO.DOMINI.DCCCXIIII INDICTIONE.VII. V.KALENDAS.FEBRVARII

De Hludouico Pio Caroli Magni filio

Hludouicus a morum humanitate Pius appellatus,a patre Augustus & imperij particeps pronunciatus est Aquisgrani, ineunte anno domini DCCCXIII. die natalis Christi.Regino libro II. Abbas Vrspergensis, Annonius libro IIII.cap.XCIX.& libro V.cap.X.Imperauit cum patre annum I. mensem I.& dies IIII

Imperare coepit solus post patris mortem V.Kal.Februarij,Anno DCCCXIIII. Coronatus & consecratus est Remis,Kal.Nouembris a Stephano papa V.appellato IIII. Anno DCCCXVI. Annonius libro IIII.cap.CII. Abbas Vrspergensis, & Sigebertus in chronicis suis

Obiit imp. Hludouicus pius prope Moguntiam in insula Rheni fluminis iuxta Ingelheim XII.Kal.Iulii, anno Domini DCCCXL. aetatis LXIIII.imperii XXVI.mense IIII.& die XXIIII Cadauer a fratre Drogone Mediomatricum episcopo Metosportatum,ibidem in Basilica S.Arnulphi sepultum est.Annonius libro V.cap.XIX.Abbas Vrspergensis, & Regino chronicorum libro secundo

De Bernardo Rege Italiae

Bernardus Pipini filius Caroli Magni nepos regnum Italiae sub Hludouico Pio aliquot annis tenuit. Post coniurationis in patruum insimulatus captus, regno & luminibus priuatus est. Regino,Annonius,Abbas,& Sigebertus

De Hlotbario Imperatore

Hlotharius natu grandior filius Hludouici Pii imp.Augustus a patre appellatus est Aquisgrani,VIII.Kal.Ianuarii anno Domini ineunte DCCCXX. Ex antiquis Hlotharii imp. diplomatum datis,quae Veronae in basilica S. Zenonis inueni, Annonio libro IIII. cap.CIII.& Abbate Vrspergense

Imperauit una cum patre annos XX.menses V.& dies XXVI

Consecratus Romae in basilica S.Petri a Paschali papa Nonis Aprilis, die S.Paschatis, Anno DCCCXXIII.Abbas Vrspergensis

Imperare coepit solus die obitus patris Hludouici Pii

Obiit in Monasterio Prumia III.Kal.Octobris,Anno DCCCLV.imperii anno XV.mēse III. & die X.Reginone libro II.chronicorum auctore,ibique sepultus

De Hludouico II. imperatore

Hludouicus iunior maior filiorum Hlotharii Rex Italiae a patre uiuente appellatus,Romae ad S. Petum in Vaticano,a Sergio papa II. in regem Italicum, Idibus Aprilis,die Paschatis inunctus & consecratus fuit. Anastasius Bibliothecarius in uita papae Sergii Iunioris,& Sigebertus Augustus uero & imperii consors declaratus est a patre Hlothario Aquisgrani VIII Kal.Ianuarii,anno Domini ineunte DCCCL. Qui cum eo imperauit annos IIII. menses VIII.& dies V. Ex antiquis diplomatum Hludouici iunioris Augusti datis, quae Veronae extant in basilica S. Zenonis

Solus imperare coepit die obitus patris Hlotharii III.Kal.Octobris Anno DCCCLV

Imperauit annos XIX.menses decem,& dies aliquot

Coronatus & consecratus est Romae ad S.Petrum III, Nonas Iunias die Pentecostes, ab Hadriano II. papa Anno DCCCLXXI.Annonius libro V.cap.XXIIX

Obiit circa Kalendas Augustas imperii anno XX.Christi DCCCLXXV.Mediolani. Cadauer sepultum in basilica S.Ambrosii,vbi adhuc eius uisitur cum elogio sepulchrum. Annonius libro V.cap.XXXII.& Regino libro II.

De Carolo iuniore imperatore

Mortuo sine liberis Hludouico II.Augusto,imperium Romanum & Italiae principatum suscepit Carolus iunior Rex Francorum orientalium Hludouici Pii filius, mortui imperatoris patruus .Regino,& Annonius

Obiit pridie nonas Octobris, prope Vercellas, imperii anno secundo, mense tertio, Anno Domini DCCCLXXVII. Regino libro II.Annonius libro V.cap. XXXV.

De Hludouico III. Balbo imperatore

Mortuo Carolo II.imperium Romanum,regnumque orientalium Francorum suscepit eius filius

filius Hludouicus III. Balbus, qui VIII. Idus Septemb. apud Trecas Galliarũ vrbẽ anno sequẽti a Ioãne VIII. Papa cõsecratus; altero anno, qui erat natalis Christi DCCCLXXIX. IIII. Idus Aprilis Trecis mortuus est, imperii regnique Francorum anno primo, mense VI. & die V. ita Regino libro II. Annonius libro V. cap. XXXVI. XXXVII. & XXXIX. Abbas Vrspergensis, & Sigebertus

De Carolo III. Crasso imperatore

Mortuo sine legitimis liberis Hludouico III. Balbo Augusto, imperii nomen & titulos suscepit Carolus Crassus Rex Francorum orientalium, Hludouici regis Germaniae filius, Pii imp. nepos, Caroli magni pronepos. Regino libro II. Annonius libro V. cap. XL. Abbas, & Sigebertus

Anno Domini DCCCLXXXI. ineunte, VIII. Kal. Ianuarii Romae ad S. Petrum Carolus III. imp. consecratus est a Ioanne papa VIII. Regino libro II. & Sigebertus

Anno Domini DCCCXXCVII. IIII. Idus Nouembris, Carolus III. Augustus omnium imperatorum post Carolum Magnum potentissimus, qui Germanis, Gallis, & Italiae imperabat, uiribus corporis, & animi sensu deficiens, Triburiis a regni optimatibus congregatis imperio abdicare coactus est, imperii anno VIII. & mense VII. Qui animi dolore correptus, non longe post pridie Idus Ianuarii Anni DCCCXCVIII. mortuus est, & in Augea monasterio sepultus. ita Regino, & Abbas Vrspergensis

De Arnulpho Carolomanni filio imperatore

Abdicante Carolo III. omnium regni procerum suffragiis, Arnulphus eius fratris Carolomani filius imperator est appellatus IIII. Idus Nouembris, qui imperauit annos XII. mensem I. & dies XIX. Coronatus uero a Formoso Papa anno DCCCXCVI. aliquot annis post III. Kal. Decembris Ratispponae mortuus est Anno DCCCXCIX. regni Germaniae haerede relicto Hludouico filio. Ita Regino, Abbas vrspergensis & Sigebertus

De Guidone, & Berengario, & ceteris Italiae horum temporum Imperatoribus

Post Caroli III. imperatoris potentissimi obitum, eius regna & imperium in uarios discissa sunt principatus. Nam Franci orientales, id est Germani Regem sibi elegere eius fratris filium Arnulphum, Franci autẽ occidentales hi sunt Galli, Othonem quendam nobilissimum Roberti ducis filium. In Italia uero Berengarius Ebherardi filius Dux Fori Iulii. Et Guido Lamberti filius dux Spoletinus in schismate imperii rura anno DCCCXXCVIII. susceperunt, in quo quũ Italiae regno Berengario exacto Guido praeualuisset, imperii diadema & titulos a Romano põtifice Stephano VI. dicto V. suscepit, imperauitque annos VI

Mortuo Guidone Lambertus eius filius qui a patre imperatore uiuente rex Italiae appellatus fuerat, imperium cõtra Berengarium suscepit, qui quum & ipse a Formoso Papa coronatus fuisset, imperii anno V. interfectus est. Post cuius mortem Hludouicus Bosonis Regis prouinciae filius, in Italiam cõtra Berengarium uocatus, imperatorque Italiae a Benedicto papa IIII inunctus, imperii anno V. Christi uero C ∞ IIII. Veronae a Berengario rege captus est, imperioque abdicare coactus, Berengarius uero omnium sibi aduersantium superstes, hostibus caesis, aut fugatis Italiae regnum magnifice multos annos obtinuit, & postremo a Sergio papa III. Augustus consecratus est. Nouissime quum sub Regis & imperatoris nomine, quum in schismate, tum libere annis XXXVI. Italiae regno potitus fuisset, Veronae insidiis Flamberti cuiusdam interfectus est. Hos autem omnes imperatores, & reges, qui in Italia post Guidonem & Berengarium fuerunt, usque ad Adelbertum Berengarii II. filium ab Othone imp. regno exactũ, ex Liutprandi Ticinensis historia digessi, quam de rebus per haec tempora in omni Europa gestis accuratissime conscripsit. Non parum quoque subleuatus sum maxima priuilegiorum & diplomatum ipsorum regũ & imperatorum copia, quae ego Veronae, eorundem regni sede inueni. Ex quibus annos initi finitique imperii, & pontificiae consecrationis aperte ex ipsorum datis elicui. Quae omnia longe diligentius ex instituto descripsi in libris quos Romanorũ principum edidi

De ceteris post Berengarium Italiae regibus

Imp. Berengario occiso Italiae regnum Rodulphus Burgundionum Rex primus obtinuit. Post quem Hugo comes Arelatẽsis Hlathorii imp. pronepos, deinceps huius filius Hlotharius, post quem Berengarius II. Berengarii primi ex filia nepos cum filio Adelberto; quibus ab Othone imperatore captis, & regno Italiae priuatis, Italia iterum imperio Franeico adiuncta est anno XXCII. postquam ab eo sub Berengario primo & Guidone desciuerat. Hos etiam reges ex iisdem monumẽtis formaui, quibus superiores; Liutprando scilicet, et antiquorum diplomatũ datis

De Hludouico Rege Germaniae Arnulphi imp. filio

Anno Domini DCCCXCIX. III. Kal. Decembris mortuo imp. Arnulpho, Germaniae regnũ, quod & Francorum orientalium dicebatur, suscepit eius filius Hludouicus IIII. in quo imperij maiestas, quae per annos centum tanta indole a Carolo parta, a successoribus uero eius egregie retenta

retenta omnino defecit, Guidone & Berengario interim in Italia imperii sibi nomen titulosq; uendicantibus. Huius autem & duorum sequentium tantum Germaniae regum in imperatorum serie ratio habita est, quod in eorundem successoribus imperii dignitas restituta fuerit. Ceterum hic Hludouicus obiit anno Domini C ∞XI Ratisbonae mēse Decembri, duodecim imperii annis,& diebus aliquot exactis. Ita Regino,& Abbas Vrspergensis

De Chunrado Germaniae rege

Mortuo sine prole Hludouico IIII.in quo Caroli magni stirps in Germaniae regno defecit, omnium procerum suffragiis ad regni fastigiū euectus est Franconiae dux Chunradus,qui principatus anno VII.& mense VI.decessit. Regino,Abbas Vrspergensis,& Sigebertus auctores

De Henrico Aucupe Germaniae rege

Agebatur annus salutis C ∞XIX.Quum Chunrado rege sine haeredibus uita functo,omniū regni procerum uotis Saxonum dux Henricus Auceps Othonis filius Germanico regno praefectus est,rerum quidem gestarum magnitudine felix,uerum Othone Magno filio lōge felicior. Quem tanti regni haeredem VI.Nonas Iulii anno salutis C ∞XXXVI.imperii uero XVII.moriens,summo omnium consensu reliquit. Regino,Liutprandus,Abbas,& Sigebertus

De Othone Magno Imperatore

Germaniae regnum post patris obitum adeptus Otho Magnus illud felicissime annis XXXVI mensibus X.& diebus VI obtinuit. Cuius nomen,& pietas,quum Boleslao Boemo capto,Vngarisque ingētibus proeliis afflictis,super omnes Europae principes celebris esse coepisset,a Ioāne XII.pontifice Romano in Italiam contra Berengarium,& eius filium Adelbertum immanes & saeuissimos Italiae tyrānos,& S.R.E.oppressores accersitus est. Ille autē ex Saxonia descēdens,& cum ingentibus armatorum copiis Italiam ingressus, Berengarium quidem proelio uictum cepit,& in Germaniam relegauit, filium uero Adelbertum Italia omnino expulit; atque ita maiestatis pontificiae dignitate asserta, Romam profectus est, vbi in Basilica S. Petri anno Christi C ∞LXII.ineunte VIII.Kal.Ianuarii,a Ioanne Papa XII.imperator & Augustus inunctus est, & consecratus.Liutprandus libro VI.Regino libro II.Abbas Vrspergensis,& Sigebertus

Qui anno C ∞LXXIII.Nonis Maii,Madeburgi in Saxonia mortuus est Othone II.filio Augusto ante appellato, & successore relicto. Vitichindus,Hermanus Contractus,Abbas Vrspergensis,& Sigebertus

De Othone II.Imperatore

Otho iunior Magni Othonis filius,puer a patre rex Germaniae III.K.Iunii Anno C ∞LVIII. ut tradit Regino, appellatus, Augustus consecratus est VIII. Kal. Ianuarii Romae ad S. Petrum a Ioanne papa XIII.eiusdē studio aliquot annis post,ineunte anno Domini C ∞LXVIII. ut idē Regino auctor est. Qui post mortem patris imperauit annos X.mēses VII.& dies II. Obiit enim Hermano Contracto, Abbate Vrspergense & Sigeberto auctoribus, Romae VI. Idus Decembris Anno C ∞XXCIII.sepultusque est in atrio basilicae principis Apostolorum in Vaticano. Hic Rubei,Sanguinarij,& pallidae mortis Sarracenorum cognomina a rerū bellis gestarum magnitudine tulit

De Othone III.Imp

Adhuc puer omnium procerum Germanici regni consensu,Romae patri suffectus est Otho tertius Mirabilia mūdi cognominatus. Qui quū anno C ∞XCVI.a Gregorio V. V.Idus Iunii, die Pētecostes imperii corona donatus fuisset,aliquot annis post V.Kal.Februarii,nullis filiis relictis mortuus est anno Christi ∞I.imperii uero XVII.mense I.die XXI.ita Hermanus Contractus,Abbas Vrspergensis, Lambertus de Schaffnaburgo,& Sigebertus in chronico

De Henrico II. Rege I. Imperatore

Post Othonis III.mortem, Henricus Iunior cognomento Claudus, ex duce Bauariae & Saxoniae ad imperii fastigium omnium Germanorum principum suffragiis euectus,imperauit annos XXIII.menses V.dies XVI. Obiit enim III.Idus Iulii anno ∞XXIIII. ut tradit Hermanus Contractus. Hic consecratus fuit Romae VII. Kal. Maii, a Benedicto Papa VIII. anno domini ∞XIIII.ut idem Hermanus,Lambertus,Otho Frisingensis, Abbas, Sigebertus,& reliqui scriptores tradunt. Ceterum quum eam,quae adhuc extat opinio de VII. imperii electorum institutione, satis in libro quem de comitiis imperii iam publicaui,exagitauerim,superuacaneum uidetur de eadem re amplius uerba facere, quum accurate diffuseq; de ipsa in eo libro dissèruerim, eiusque rei initia,quantum fieri potuit,manifestauerim

De Chunrado II. Rege I.Imperatore

Omnium regni optimatum, tam laicorum quam ecclesiasticorum consensu, dux Franconiae Chunradus Henrico suffectus,imperauit annos XIIII.menses X.dies XXII. Nam anno Christi ∞XXXIX. pridie Nonas Iunii mortuus est, quum anno ∞XXVII.VII.Kal. Aprilis consecratus fuisset a Ioanne papa XIX.Ita Hermanus Cōtractus, Lambertus,Otho,Sigebertus,& Abbas

menses III.& dies VII. nam uita functus est in Armenia dum contra Turcas exercitum ducere IIII. Idus Iunij, anno ∞ CXC. superstite relicto filio Henrico VI. rege Romanorum a se iā pridem designato. Ex Othone Frisingense qui sub eo uixit, librosque duos de eius gestis conscripsit; item Radeuico Frisingensi, qui Othonem duobus libris additis suppleuit, Roberto etiam Abbate Montis in chronico,& Abbate Vrspergense in historia

De Henrico VI. Rege V. Imp

Friderico imperatori filius successit Henricus rex VI. ante obitum ab eo renuntiatus, qui quum post patrem annos VIII. menses II. & dies XXII. imperasset, prid. Kalend. Octobris anno ∞ CXCVIII. mortuus est, filio Friderico II. infante sub matris Constantiae tutela relicto. Imperii uero diadema altero regni sui anno Romae a Coelestino papa III. XVII. Kal. Maii adeptus fuerat, ut ex Martino Polono in uita Coelestini papae III. intelligitur. Reliqua porro ex Abbate Vrspergensi, qui per haec tempora uixit,& Roberto Abbate Montis decerpsi

De Philippo & Othone regibus in schismate creatis

Mortuo Henrico V. imperatore, primum inter Germanos principes schisma exortum est (quod accuratissime & diffuse ab Abbate Vrspergense, qui eo tempore uiuebat, in suo chronico describitur) in quo Idibus Martii anni ∞ CXCIX. Philippus dux Sueuorum Henrici imperatoris mortui frater ab una principum parte, Otho uero Saxonum dux, cui Romanus pontifex Innocentius III. fauebat, paulo post ab altera parte reges renuntiati sunt. Quum autem una in schismate annos VIII. menses III.& dies XV. imperassent, Philippi mors controuersiam finiuit. Ipse enim Bambergae XI. Kal. Iuli, anno ∞ CCVIII. interfectus est, Spiraeque cum hoc elogio sepultus ANNO. DOM. INC. MCCVIII. REX. PHILIPPVS. BAMBERG. OCCISVS. XI. KAL. IVLI. Philippo mortuo solus sine controuersia imperium Germaniae libere Otho adeptus, Romam uenit, vbi anno sequenti ∞ CCIX. V. idus Octobris ab Innocētio papa III. consecratus est. Qui quum ecclesiastica iura,& regnum Siciliae contra pontificis uoluntatē infestaret, atque ab eo iterū & tertio monitus parere recusaret, altero anno idest ∞ CCX. regnī atque imperii dignitate priuatus est. Verum pontificis anathema paruifaciens a Germanis etiam principibus deseritur, a quibus anno domini ∞ CCXII. Idibus Decembris, cum Romani pontificis Innocētii III. cōsensu, Fridericus Siciliae rex Hērici V. imp. filius Germaniae rex,& Caesar appellatus, imperauit annos XL. Otho uero quū post pōtificiū anathema annos plus minus octo uixisset, anno domini ∞ CCXVIII. V. Kal. Maii in Saxonia mortuus est, imperiumq; libere ad Fridericum II. iam pridem à principibus regem designatum optimo iure deuenit. Ex Abbate Vrspergensi,& Roberto abbate Montis, qui ambo in hoc Friderico finem scribendi faciunt

De Friderico II. Rogerio imp

Anno domini ∞ CCXX. V. Kal. Decembris Romae in basilica S. Petri Apostoli Fridericus Siciliae & Romanorum rex imperator consecratus est ab Hugolino episcopo Cardinali Ostiense legato sedis apostolicae,& Honorii papae III. Ita Abbas Vrspergensis,& Ioannes Villanus in historia Florentina. Porro autem quum Fridericus imp. multa mala ecclesiae Romanae intulisset, atque ob eam caussam saepius anathemate notatus,& solutus fuisset, postremo anno ∞ CCXLV. IX. Kal. Iuli in concilio generali Lugdunēsi ex totius synhodi sentētia ab Innocētio papa IIII. imperium ei abrogatum est, ipseq; regni Siciliae dignitate exutus. Quam depositionem ipse paruifaciens, imperauit nihilominus usq; ad mortem, que ei anno ∞ CCL Idibus Decembris accidit, anno imperii quadragesimo, ex quo primo a regni principibus rex contra Othonem IIII. appellatus fuerat. Ex registris Innocentii papae. IIII. & Ioanne Villano in historia Florentina

De Henrico VII. & Chunrado IIII. regibus Friderici II. imp. filijs

Henricus grandior natu filius imp. Friderici II. rex ab eo designatus anno ∞ XXIII. cum eo una imperauit annos plus minus XII. qui quum contra patrem pro Romano pontifice conspirasse compertus esset, dignitate mulctatus in carceribus uitam misere finiuit. In cuius locum pater alterum filium Chunradum regem eligi procurauit. Qui patri superstes regnauit rex Germaniae & Siciliae annos III. mēses V.& dies X. Obiit enim XI. Kal. Iunii anno domini ∞ CCLIIII Ex Ioanne Villano,& Chronico manuscripto regni Siciliae bibliothecae Vaticanae

De Henrico VIII. & Guillelmo regibus

Quum imperiū Friderico II. a Rom. pontifice Innocentio IIII. abrogatum esset, ex eius auctoritate ab aliquot Germaniae principibus rex creatus est Henricus Lanthgrauius Hassiae,& Thuringiae anno ∞ CCXLV. quo anno sequenti mortuo, ab iisdem principibus ei suffectus est Comes Hollandiae Guillelmus, qui in schismate contra Fridericum II. & eius filium Chunradum regnauit annos IX. quo anno ∞ CCLIII. mortuo, interregnum fuit annorum duorum,& mensium aliquot. Ex Ioanne Villano, Bernardino Corio,& Ioanne Cuspiniano

De Ricardo & Alphonso Romanorum regibus

Anno tertio post regis Guilelmi obitum, Germaniae principes pro nouo rege creando Francofordiae conuenerunt, vbi scissis studiis, ab una parte Ricardus Ioannis regis Anglorum filius, ex comite Cornubiae VIII. Idus Ianuarii anno ∞CCLVIII. ab altera vero eligentium parte in schismate contra Ricardum eodem anno prid. Kal. Aprilis Alphonsus Ferdinandi regis filius, rex Castellae & Legionis reges Romanorum renuntiati, regnarunt una in schismate annos plus minus VI. donec anno ∞CCLXIII. occiso Ricardo regni anno VI. Alphonsus solus titulo tenus tantum inane regni nomen obtinuit: neque enim unquam in Germaniam uenit, neq; Aquisgrani coronam aliquãdo accepit: quare sextodecimo imperij anno, quum suasu Gregorij papae X. regni titulo sponte cessisset, liberam eligendi nouum regem Romanorum VII. Viris electoribus per ea tempora tum primum institutis potestatem reliquit. Ex Ioanne Villano, Alberti Argentinensis Chronico, & registris papae Gregorii X.

De Rodulpho Habspurgensi comite rege Rom

Anno domini ∞CCLXXIII. quum imperio Alphonsus sponte abdicasset, ad Gregorij papae X. preces, VII. viri electores imperatoris tum primum instituti, auctore Archiepiscopo Moguntino Francofordiae conuenerunt, vbi Kal. Octobris Rodulphum comitem Habspurgensem imp. uel Romanorũ regem designarunt. Qui sine benedictione imperiali regnauit annos XVII. menses IX. & dies XVI. Obiit enim, ut ex eius sepulchri quod Spirae extat elogio liquet, XVII. Kal. Augusti anno domini ∞CCXCI. ita RODVLPHVS. DE. HABISPVRG. ROMANORVM. REX. OBIIT. ANNO. REGNI. SVI. XVIII. ANNO. DOM. MCCXCI. MENSE IVLIO. IN. DIE. DIVISIONIS. APOSTOLORVM. Ex Chronico Alberti Argentinensis, & Ioannis Villani historia

De Adolpho Rege Rom

Mortuo Rege Rodulpho, mense V. die XXI. interregni, anno domini ∞CCXCII. VIII. Idus Ianuarii Adolphus comes de Nassau omnium electorum suffragiis rex appellatus, regnauit annos VI. menses V. & dies XXVII. Nam quum nec ipse consecrationem imperialem obtinuisset, anno domini ∞CCXCVIII. VI. Nonas Iulij occisus est ab Alberto duce Austriae, qui post eum rex Romanorum factus est. Ex monumentis ecclesiae Spirensis, Ioãne Villano, & Alberto Argẽtinensi

De Alberto Rege Rom

Occiso Adolpho, die uigesimo quarto interregni, idest VI. Kal. Augusti, omnium electorum notis Albertus dux Austriae Rodulphi regis filius rex creatus, regnauit sine imperiali unctione annos IX. menses IX. & dies V. ipse etenim a fratris filio Kal. Mai, anno ∞CCCVIII. interfectus est, ut ex eius sepulchri quod est Spirae epitaphio liquet. Idem tradunt Ioannes Villanus, Albertus Argentinensis, & alii; post cuius mortem fuit interregnum mensium VI. & dierũ XXV. usque ad Henrici VI. Lutcemburgensis comitia, quae VII. Kal. Decembris huius anni fuerunt

De Henrico VI. Hludouico V. & Carolo IIII. imperatoribus

Henricum VI. imperatorem, Fridericum Austriae, & Hludouicum Bauariae duces, reges Romanorum in schismate una electos; Carolum IIII. regem Boemiae imp. Odouardum, & Guntherum Romanorũ reges, ex Alberti Argentinensis Chronico, Albertini Mussati Patauini, Ioannis, & Matthei, Villanorũ, qui per haec tempora uixerunt historiis concinnaui, Hi accuratissime omnia horum temporum gesta, & praesertim imperatorum monumentis litterarum tradiderũt

De Vuenceslao, Roberto, Sigismundo, & reliquis Romanis imperatoribus

Vuenceslaum deinceps Caroli IIII. imp. filium, & reliquorum, qui usque ad Ferdinandum Austriũ Romanae rei praefuerunt seriem ex Bernardini Corij historia, & Ioannis Cuspiniani Caesaribus digessi. Quae omnia quum accurate & studiose in libris Romanorum principum edocuerim, satis erit hic res tantum tetigisse; si quis enim vberiorem harum rerum cognitionem desiderat, ipsos libros consulere poterit, ex quibus omnia quae hic summatim concinnaui latissime & accuratissime descripta intelliget

COMMENTARIORVM. IN. QVARTVM. FASTORVM LIBRVM. FINIS

ONVPHRII ‣ PANVINII VERONENSIS . FRATRIS EREMITAE . AVGVSTINIANI

IN.FASTORVM.LIBRVM.QVINCTVM COMMENTARII

PRAEFATIO



NIVERSA temporum ratione a Romulo rege usque ad Ferdinaudum imperatorem accurate,ut existimo digesta,& accuratius examinata,ad finem tandem propositi mihi operis deueni. Quare quò omnia perfecte integreque tradita sint,nunc reliquum uidetur esse, ut pontifices maximos,priucipes senatus,triumphos,ouationes, & ornamētis triũphalibus iusignitos, quae omnia quincto hoc Fastorũ libro comprehenduntur, eadem ratione exornem. Quae & cognitu non indigna sunt, & lectu iucundissima. Atque ante omuia quum a rebus diuinis cuiuscunque rei exordium sumendum sit, de pontificibus maximis, quos primo loco digessi,uerba facere operaepretium uidetur. Quibus explicatis,cetera eodem ordine interpretabor, quemadmodum in ipso fuut libro digesta. De pontificibus igitur maximis mihi loquuturo,non alienum ab hoc instituto uidetur esse,si ante omnia quam breuissime totam pontificum rationē demonstrem,ut ex singulis inter se conferendis, qui pontifex maximus,qui pontifices maiores,& minores,& quae singulorum munera fuerint,facillime intelligatur. Quae omnia ab ipsismet eorundem initiis aperienda esse duxi

De pontificatu maximo

Numa ille secundus Romanorum rex diuini apud Romanos conditor iuris quum rerum sacrarum partem tractaret,uniuersam sacerdotiorũ rationem in octo partes distribuit. Curiones, flamines, tribunum celerum,augures,virgines Vestales,salios palatinos, fetiales cum patre patrato, & postremo pontifices. Quum autem de septem prioribus sacerdotijs alio loco uerba facere instituerim, nunc quod ad rem attinet,de pontificibus tantum disseram. Erat autem pontificatus sacer magistratus,a posse & facere,ut Scaeuula,uel a ponte,ut Varro scribunt,appellatus.Pōtifices enim ut apud Varronem Q.Scaeuula pōtifex maximus dicebat,a posse & facere dicti sunt. Varro autem libro IIII.de lingua Latina,pontifices a ponte dictos arbitratur,nam ab iis pons Sublicius est factus primum,& restitutus saepe;quũ ideo sacra & uls & cis tiberim non mediocri ritu fiant. & Dionysius libro II. Nouissima Numae institutorum pars continebat sacra maximĩ apud Romanos sacerdotii, & cuius potestas est amplissima. Hi ab vno suorum operum, uidelicet fartiendo ponte Sublicio uocabantur pontifices, summa auctoritate praediti; nam de omnibus caussis ad sacra pertinentibus iudicant,tam inter magistratus sacros,quã inter priuatos homines,nouasq; leges de sacris arbitratu suo cōdũt,sicubi destituũtur scriptis legibus:& magistratus penes quos caerimoniae sunt ac sacrificia, sacerdotesq; omnes examinant,ministros quoq; sacrorũ in officio cōtinent,ne quid praeter solemnes ritus faciãt,a profano etiã & imperito uulgo consulũtur de cultu deorũ,ac geniorũ,alijsq; religionibus: quod si quẽ animaduertãt prescripta sua contemnere,eũ mulctãt pro delicti magnitudine. Ipsi nullius potestati sunt obnoxij,nec tenẽtur ad reddēdũ rationē uel senatui,uel populo.Id genus sacerdotes siue sacri doctores,siue sacrarũ legũ cōsulti,siue sacrorũ custodes recte dicēdi sunt. Ego Hierosantas nostris appellari dixerim. In defuncti locum alius solet subrogari nō populi suffragijs,sed qui collegio maxime uideatur idoneus ex omni ciuium numero, uec nisi inauguratus ad sacerdotium admittitur,& cet. Pontificũ etiam muneris meminit diserte Cicero pro domo sua ad pontifices ita: Quum multa diuinitus pontifices a maioribus nostris inuenta atque instituta sunt, tum nihil praeclarius quam quod uos eosdem & religionibus deorum immortalium, & summae reipublicae praeesse uoluerunt, ut amplissimi, & clarissimi ciues rempublicam bene gerendo, pontifices religiones sapienter administraudo, rempublicam conseruarent. Quod si vllo tempore magna caussa iu sacer

Ceterum ut Dionyſius libro II.& Cicero in Rullum ſcribunt, Pontifices a Numae temporibus uſque ad annum vrbis circiter DCL.a collegio pontificum cooptari ſoliti fuerunt,non enim comitiis a populo creabantur:quo tempore Cn.Domitius Cn.filius Ahenobarbus tribunus plebis pontificibus offenſior, quod alium quam ſe in locum patris ſui Cn.Domitii cooptaſſent, ius ſacerdotum ſubrogandorum a collegijs ad populũ tranſtulit. Ita Cicero in Rullum,& Tranquillus cap.II.in Nerone. Atque ita pontifices,augures,VII.viri epulonum, XV.viri ſacris faciundis, & fetiales, qui prius a ſuis collegiis ſubrogabantur, poſtea lege Domitia tributis comitiis per populum creati ſunt. Hanc legem,a Sulla dictatore plebi offenſiore abrogatã, reſtituit Cicerone conſule T.Labienus tribunus plebis,ut Dio libro XXXVII.auctor eſt. Poſtea ſub Auguſto iterum abrogata Domitia lege,collegiorum primo,deinde Romanorum principum arbitrio põtifices, & reliqui ſacerdotes cooptari coepti. Pontificum collegium uſque ad Theodoſii ſenioris imperatoris tempora Romae fuit. Quibus,religione Chriſtiana omnia iam obtinente,imperatoribusque antiquae ſuperſtitioni aduerſantibus,uno edicto ſacerdotiorum omnium redditus fiſco applicati ſunt. Quare poſtea plane pontifices,augures & reliqui ſacerdotes fieri deſierunt, quum redditibus omnibus mulctati eſſent. Ita Zoſimus. Atque haec ſunt quae breuiter de pontificibus dicenda inueni. Nunc vero ut & de pontifice maximo,quorũ ſeriem quanta potui diligẽtia collegi,uerba faciam reliquum eſt. Vt enim erant pontifices maiores minoresq;,ſic ſupremus unus ſummusque omnium pontifex erat, qui maximus dicebatur a Numa inſtitutus.Quod ut Dionyſius tradit,maximarum rerum quae ad ſacra & religionem pertinent,iudex eſſet,& uindex contumaciae priuatorum & magiſtratuum. De eius creatione ſic ſcribit libro primo Liuius:Minoribus pontificibus creatis:Numa pontificem deinde maximum Numam Marcium M.F.ex patribus legit,eique ſacra omnia exſcripta exſignataque attribuit,quibus hoſtiis,quibus diebus, ad quae templa ſacra fierent,atque unde in eos ſumptus pecunia erogaretur. Cetera quoq; omnia publica priuataque ſacra pontificis ſcitis ſubiecit, ut eſſet quo conſultum plebs ueniret, ne quid diuini iuris negligendo patrios ritus,peregrinoſque aſciſcendo,turbaretur. Nec coeleſtes modo caerimonias, ſed iuſta quoque funebria,placandoſque manes, ut idem pontifex edoceret, quaeque prodigia fulminibus,alioue quo uiſo miſſa ſuſciperentur,atque curarentur,ad ea eliciendas ex mentibus diuinis,Ioui Elicio aram in Auentino dicauit, deumque conſuluit auguriis quae ſuſcipienda eſſent. Ita Liuius. Et Sex.Pompeius: Pontifex maximus iudex atque arbiter rerum diuinarũ atque humanarum. Ceterum pontifex maximus ex collegio pontificum creabatur nõ quidem collegarum cooptatione,ut in ceteris ſacerdotijs mos erat, ſed populi tributis comitiis, ut ex omni Liuii hiſtoria facile intelligi poteſt. Multo etiam tempore non niſi ex patribus creabantur, donec poſtremo omnibus honoribus plebi communicatis,pontifex quoque maximus ex plebe creatus eſt Ti.Coruncanius. Poſtquem multi, tam patricii,quam plebeii pontifices maximi creati fuerunt,uſque ad C.Iulium Caeſarem.Quo mortuo in eius locum pontificatum maximũ per uim inuaſit Lepidus.Poſt cuius mortem eum ſacerdotium ſuſcepit Auguſtus,quod Lepido uiuo nunquam,quamquam oblatum,recipere ſubſtinuerat, ut Tranquillus tradit.Decens autem uiſum eſt cum qui totius imperii poſſeſſionem adeptus eſſet, ipſum quoque ſupremam diuinarum rerum auctoritatem, quae hoc ſacerdotio comprehendebatur, habere. Quare poſt Auguſtum omnes Romani principes qui ſub imperatoris nomine rei Romanae praefuerunt, pontificatum maximum uel ſuſceperunt, uel ſe pontifices maximos appellari paſſi ſunt; ut Conſtantinus, Conſtantius, Valentinianus, Valens, & Gratianus Auguſti. Qui Chriſtianae religioni addicti,quãquã a põtificis maximi munere abhorrerent,id tamẽ nomẽ elogiis ſuis adſcriptum non aſpernati ſunt,uel reiecerunt. Primus omnium Gratianus imp.edicto propoſito (ut Zoſimus docet) ſe pontificem maximum appellari uetuit, atq; ita ea ſacerdotii dignitas in imperatoribus defecit. Quod quum adeo ſublime maximum, & prae ceteris ſacerdotiis celeberrimũ eſſet,ut omnes eius dicto praeſto eſſent,nam ceteri pontifices, flamines,rex,XV.viri ſacris faciundis,& reliqui omnes ſacerdotes ſub eius poteſtate erant,ut ex Liuio paſſim intelligitur;ſtatui eorum ſeriem, quorum memoriam inuenire potuerim,quincto hoc libro praeponere, tum quod res mihi cognitu digna uiſa eſt, tum ob eas quas ſupra in praefatione attuli cauſſas. Porro autem unde ſingulos pontifices,qui hoc loco digeſti ſunt acceperim,demonſtraturus a primo omnium pontifice maximo a Numa inſtituto initium faciam

De Numa Marcio M.F.pontifice moximo primo

Numam Marcium M.F.pontificem maximum primum a Numa rege inſtitutum ſupra ex Liuii uerbis libro primo citatis animaduerti. Is Numae ipſius gener fuit, paterque Anci Marcij quarti Romanorũ regis,ut idẽ Liuius tradit,qui poſtea ſub Tullo Hoſtilio vrbis praefectus fuit;

ut Tacitus scribit. Ceterũ quũ quis post Numam Marcium pontifex maximus factus fuerit, incertum sit, idemque saepe postea contigisse constet, stellula distinguendos curaui eos pontifices, qui non continuata successione, sed temporis interuallo interposito, sibi inuicem successerunt

C. PAPIRI pontificis maximi, tempore quo L. Tarquinius Superbus regno exactus est, meminit Dionysius libro III. vbi Anci Marcii regis gesta describit, ita: Sed post reges exactos antiquae regis Marcii tabulae, quae sacra publica continebant aeuo pene oblitteratae, rursus in usum reuocatae sunt a pontifice C. Papirio sacrorum omnium principatum habente &c.

Q. FVRI pontificis maximi, tempore decemuirorum, sic libro III. mentionem facit T. Liuius: Factũ S. C. ut decemuiri se primo quoq; tẽpore magistratu abdicarẽt. Q. Furius põtifex maximus tribunos plebis crearet, & ne cui fraudi esset secessio militum plebisque. Pedianus uero in orationem pro Cornelio hunc ipsum pontificem maximum uocat M. PAPIRIVM ita: Legati tres quorum nomina non ponit, ii fuerunt Sp. Tarpeius, C. Iulius, P. Sulpicius omnes consulares, pontifex maximus fuit M. Papirius. Hunc autem pontificem, quo nomine uocatus ille fuerit, satis constat eo anno uiuum fuisse, quo ego eum in Fastis notaui. Idem quoq; accurate & in sequentibus maximis pontificibus obseruaui

DE. A. CORNELIO pontifice maximo sic scribit libro IIII. T. Liuius: Dictator A. Postumius Tubertus praeeunte A. Cornelio pontifice maximo, ludos magnos tumultus caussa uouit, atque ab vrbe profectus est

SP. MINVCI pontificis maximi mentionem fieri inueni apud Plutarchum in opusculis, in libro de utilitate capienda ab inimico, his verbis: Sp. Minucius põtifex maximus Postumiam Vestalem saepius immoderatiusque ridentem, & cum uiris colloquentem quam deceret, ream incesti factam, absoluit. Hoc autem factum fuisse anno vrbis CCCXXXIII: his verbis docet T. Liuius libro IIII. Eodem anno Postumia uirgo Vestalis de incestu caussam dixit, crimine innoxia; ob suspicionem propter cultum amoeniorem, ingeniumque liberiusquam virginem decet parũ abhorrens famam ampliatam, deinde absolutam pro collegii sententia pontifex maximus abstinere iocis, colique sancte potius quam scite iussit

DE M. FABIO pontifice maximo, anno quo vrbs a Gallis Senonibus capta est, ita scribit libro V. Liuius: Sunt qui M. Fabio pontifice maximo, praeeunte catmen deuouisse eos se pro patria, Quiritibusque Romanis tradant

P. CORNELIVM. SCAPVLAM pontificem maximum Ita libro XXV. commemorat Liuius: Q. Fuluio Flacco III. & Ap. Claudio Pulchro cos. comitia pontifici maximo creando sunt habita. Ea comitia nouus pontifex M. Cornelius Cethegus habuit. P. Licinius Crassus qui aedilitatem curulem petiturus erat, senes honoratosque iuuenis in eo certamine deuicit. Ante hunc intra centum annos & viginti nemo praeter P. Cornelium Scapulam pontifex maximus creatus fuerat, qui sella curuli non sedisset. Ex quibus uerbis hunc P. Cornelium Scapulam cẽtesimo anno ante digessi, nam ex his qui post eum fuerunt, plerique noti sunt, eorumque series continuata

DE. CORNELIO. BARBATO pontifice maximo sic in fine libri IX. scribit Liuius: Coactusq; cõsensu populi Cornelius Barbatus põtifex maximus uerba praeire. Hic a Fastis Capitolinis, & Liuio in dictatura quã gessit an. vrbis CDXLVIII. P. Cornelius, Scipio Barbatus appellatur

TI. CORVNCANIVM pontificem maximum in annum vrbis circiter D. profitetur ex Liuio Florus in epitoma, his verbis: Ti Corũcanius primus ex plebe pontifex maximus creatus est. De hoc pont. max. Cicero II. de legibus; pro domo; primo, & tertio de natura deorum; & Gellius libro IIII. cap. VI. mentionem faciunt

L. CAECILI. METELLI pontificis maximi sic meminit M. Cicero in libro de senectute: Ego (inquit Cato apud M. Tullium) L. Metellum memini puer, qui quũ quadriennio post alterũ consulatum pontifex maximus factus esset, XXII. annos ei sacerdotio praefuit. De hoc pontifice etiam Dionysius libro II. Ex Liuio Florus in epitoma libri XIX. Valerius Maximus libro I. cap. I. & IIII. & libro VIII. cap. XIIII. Plinius libro. VI. cap. XLIII. & XLVIII. mentionem faciunt

DE. L. CORNELIO. LENTVLO. CAVDINO pontifice maximo, quẽ L. Metello suffectũ fuisse credo, frequens apud Liuiũ mẽtio est libris XXI. XXII. & XXIII. in initio uero libri XXV. sic scribit: Et aliquot publici sacerdotes mortui eo anno sunt, L. Cornelius Lẽtulus pont. max.

P. LICINIVS. CRASSVS pontifex max. L. Cornelio Lentulo suffectus fuit, ut libro XXV. scribit Liuius: Comitia inde (inquit) pontifici maximo creando sunt habita. P. Licinius Crassus, qui aedilitatẽ curulẽ petiturus erat, senes honoratosq; iuuenis in eo certamine deuicit. Eius deinceps põtificis max. saepe Liuius meminit. Et lib. XXXIX. Huius principio anni P. Licinius Crassus pont. max. mortuus est. Hũc Pontificẽ Cic. in Catone, Valerius lib. I. cap. I. & alibi memorant

C. SERVILIVM. GEMINVM pontificem maximum P. Crasso subrogatum fuisse tradit Liuius libro XXXIX. his verbis: In locum P. Licinii Crassi pontif. max. mortui M. Sempronius

Tuditanus pontifex est cooptatus;pont.maximus est creatus C.Seruilius. Cuius libro XL. saepe meminit,eiusque obitum sic scribit: Exitu anni C.Seruilius pont. max.decessit. Idem decemuir saerorum fuit.Pontifex in locum eius a collegio cooptatus est Q.Fuluius Flaccus,at

M.AIMILIVS.LEPIDVS pontifex maximus,quum multi clari uiri petiissent. Huius pontificis frequenter in sequentibus libris Liuius,Cicero pro domo,de prouinciis consularibus, in Philippica XII.& in Catone; item Valerius Maximus libro VI.cap.V.meminerunt. Hic postea censor,& bis consul fuit,ac sextis censoribus princeps senatus lectus

P.CORNELIVM.CN.F.SCIPIONEM.NASICAM.VIRVM.OPTIMVM pontificem maximum M.Lepido suffectum,ex Cicerone primum, deinde D.Augustino intelligi potest. Cicero enim in libro de senectute, T.Quinctio Flaminino,& M.Acilio Balbo cos.M.Catonem senem sic loquentem inducit: P.Scipio,qui his paucis diebus pontifex maximus factus est: Nam triennio ante M.Lepidus pontifex maximus,sextis iam censoribus senatus princeps lectus fuerat,atque non longe post circa haec tempora,ut ex Flori epitoma LXXIIX. intelligitur,obierat. Ceterum hunc P Scipionē Nasicā,idem esse, qui uir optimus a senatu iudicatus,matrē Idaeā suscepit,ex Floro,& D. Augustino cognosci potest. Is enim qui de tertio bello Carthaginensibus indicendo a Catone dissensit,ut est apud Florum in epitoma libri LXVIII.idem teste Augustino libro primo cap.XXX.de ciuitate dei uir optimus,& pontifex maximus fuit. Sic nanq; scribit: Si Nasica ille Scipio uester, quondam pontifex uiueret,quem sub terrore belli Punici in suscipiēdis Phrygiis sacris,quū vir optimus quaereretur,uniuersus senatus elegit,&c.& paulo post: At ille Scipio pont.max.uester,ille iudicio totius senatus uir optimus istam urbis metuēs calamitatem nolebat aemulam tunc imperii Romani Carthaginem dirui, & decernenti ut dirueretur contradicebat Catoni. Quum autem ualde senex pontifex creatus fuerit,uerisimile est eū haud multo post obiisse. Nam eius exitus omnino obscurus est

P.CORNELIVS.SCIPIO.NASICA.SERAPIO superioris nepos, & ipse pontifex maximus fuit.P.Nasicae censorii qui Corculū dictus est,filius.Hoc autem ex multis ueterū scriptorū testimoniis demonstratur sic: Certum est ex Cicerone saepissime, Valerio libro III. cap. II. Paterculo libro II.Plutarcho in Gracchis,Pedian.II.in Verrem,Plin.de vir illustribus, Floro lib. LVIII. in epitoma, Appiano libro I. bell. ciuil. Eutropio libro IIII.cap.VII. & Orosio libro V. cap.VIII. seditionem Gracchanam priorē P.Mucio Scaeuula & L.Calpurnio Pisone Frugi coss. anno vrbis DCXX.fuisse. Quo anno a Scipione Nasica pontifice maximo Ti. Gracchus seditionis princeps interfectus est. Is autem,ut Velleius libro II.docet,fuit Scipio Nasica,cui ab irridente C.Curatio tribuno plebis Serapionis cognomen impositum fuit, uiri optimi nepos. Ita enim scribit: Tum P.Scipio Nasica eius qui optimus uir a senatu iudicatus erat nepos,eius qui censor porticus in capitolio fecerat filius,pronepos autem Cn.Scipionis celeberrimi uiri,P.Africani patruus,priuatusque,& togatus,quum esset cōsobrinus Ti. Gracchi patriam cognationi praeferēs, & quicquid publice salutare non esset,priuatim alienum existimans,ob eas virtutes primus omnium absens pontifex maximus factus est, quum data laeuo bracchio togae lacinia,ex superiore parte Capitolii summis gradibus insistens,hortatus est,qui saluam uellent remp.se sequerentur. Huius pontificis maximi meminerunt Cicero IIII.Tusculan.III.de natura deorum;in L.Catilinam, pro Flacco,Philippica VIII.& alibi saepe,Valerius maximus libro I.cap.IIII.Plutarchus in Gracchis. Ex quo etiam illud intelligitur Scipionem Nasicam uulgi inuidiam ob Gracchi caedem declinaturum,legatione libera a senatu impetrata,quum in voluntarium exilium in Asiā secessisset, Pergami diem obiisse

DE.P.LICINIO.CRASSO.MVCIANO, qui pontifex maximus in locum Nasieae Serapionis factus est,meminit Pedianus in orationem pro M.Scauro ita: Cicero ante mentionem fecit P.Crassi,qui fuit pontifex maximus, & bello Aristonici in Asia dedit operam ut occideretur. Et Florus ex Liuio in epitoma libri LVIII. aduersus Aristonicum, qui Asiam populi Romani prouinciam occupauerat,P. Licinius Crassus consul, quum idem pontifex maximus esset, quod nunquam antea factum fuerat,extra Italiam profectus,proelio uictus,& interemptus est. Hunc pontificem maximum Cicero pro domo,& alibi; Valerius Maximus libro VIII.cap.VI.commemorat.Gellius libro primo cap.XIII.P. Crassus Mucianus(inquit)clarus& inclytus uir,a Sempronio Asellione, & plerisq; aliis historiae Romanae scriptoribus traditur quinq; habuisse rerū bonarū maxima & praecipua.Quod esset ditissimus,quod nobiliss.quod eloquentissimus,quod iurisconsultissimus,quod pontifex maximus.Is quū in consulatu obtineret Asiam prouinciam.&c

P.MVCIVS.SCAEVVLA occiso Crasso pontificatum maximum adeptus est. Huius meminit Cicero pro domo,Balearico & Flaminino cos.anno vrbis DCXXX. Et libro XII ep.ad Atticum ep.IIII.P. Scaeuula pontifex maximus tribunus plebis Caepione & Pompeio cos. fuerunt autem hi consules anno DCXIII. Item libro II.de oratore, & III de natura deorum

L. CAECILIVS. L. F. METELLVS. CALVVS Calui Macedonici fratris filius, pontifex maximus & ipse post P. Mucium fuit, ut ex Pediano in Milonianam liquet, ita: L. Cassius fuit summae uir seueritatis, ob quam seueritatē, quo tempore Sex. Peducaeus tribunus plebis criminatus est L. Metellum pontificem maximum, totumque collegium pontificum male iudicasse de incestu virginum Vestalium, quod unam modo Aemiliam damnauerat, absoluerat autem duas Marciam & Liciniam; populus hunc Cassium creauit, qui de eisdem uirginibus quaereret, isque & utrasque eas, & praeterea complures alias, nimia etiam ut existimatio est, asperitate usus damnauit. Hoc autem factum fuisse M. Acilio, & C. Porcio cos. anno vrbis DCXL. docent Iulius Obsequens, & Florus. Obsequens tres (inquit) uno tempore uirgines Vestales nobilissimae, cum aliquot equitibus Romanis incesti poenas subierunt. Et Florus libro LXIII. Aemilia, Licinia, & Marcia virgines Vestales incesti damnatae sunt. Idque incestum quemadmodum commissum, deprehensum, & vindicatum sit refertur. Quae quum ita sint, necesse est hunc eum L. Metellum fuisse, qui consul & censor per haec tempora fuit. Nam pater L. Caluus diu ante obierat, L. Dalmaticus diu post, & ipse pontifex maximus fuit. Nullusq; praeterea L. Metellus per haec tempora notus, nec dum celebris habetur

DE. Q. SERVILIO. CAEPIONE pontifice maximo sic scribit Valerius libro VI. cap. XI. Crassum casus acerbitate Q. Caepio praecurrit: is nanque praeturae splendore, triumphi claritate, consulatus decore, maximi pontificis sacerdotio, ut senatus patronus diceretur assequutus, in publicis uinculis spiritum deposuit, corpusque eius funesti carnificis manibus laceratum, in scalis Gemoniis iacens, magno cum horrore totius fori Romani conspectum est. Eius rei caussam aperit Florus libro LXVII. vbi ait: A Cimbris M. Manilius consul, & Q. Seruilius Caepio pro consul uicti proelio, castris quoque binis exuti sunt. Octuoginta millia militū occisa, calonum ac lixarum quadraginta millia. Secundum populi Romani iussionem, Caepionis cuius temeritate clades accepta erat, damnati bona publicata sunt, primi post regem Tarquiniū; imperiumq; ei abrogatū. De hoc Caepione Cicero in Bruto, & alibi saepius, & Gellius lib. III. cap. IX. meminerūt

CN. DOMITII. AHENOBARBI pontificis maximi circiter annum DCLI. creati, ita meminit in epitoma libri LXVIII. ex Liuio Florus. Quarto C. Marii consulatu, Cn. Domitius pontifex maximus populi suffragio creatus. Cicero pro Deiotaro: Cn. Domitius ille quem nos pueri consulem, censorem, & pōtificem maximum uidimus, quum tribunus plebis M. Scaurum principem ciuitatis in iudicium uocauisset. & cet. Hic est ille, qui (teste Tranquillo) pontificibus offensior, quod alium quam se in locum patris sui pontificis cooptassent, ius sacerdotum subrogandorum a collegiis ad populum transtulit. Porro autem inter ipsum & Q. Caepionem, alium quendam pontificem maximū intermedium fuisse, Flori uerba accurante consideranti manifestū erit

L. CAECILIVM. METELLVM. DALMATICVM post Cn. Domitiū pontificē maximū fuisse, ex Pediani uerbis omnino necesse est. Is. n. in orationē III. in Verrem ita scribit: Ex aede Castoris quā de manubiis L. Metellus extruxerat, qui Metellus subactis Dalmatis Dalmaticus appellatus est. Item in orationem pro Scauro: Auū nunc Scauri maternum significat L. Metellū pontificem maximum, quem postea quoque nominat; & paulo post ex Cicerone: L. ipse Metellus auus huius sanctissimos deos illo constituisse in templo uidetur, in uestro conspectu iudices, ut salutē a uobis nepotis sui deprecarētur. Adiicit Pedianus: Castoris & Pollucis templum Metellus quem nominat refecit. Ex iis uerbis igitur satis liquet, L. Metellum Dalmaticum Scauri maternum auū pontificem maximum fuisse. Quod si fuit, profecto non ante Caepionem & Cn. Domitium fuit. Nam pontifices maximos iis annis quibus ego eos in Fastis digessi creatos fuisse, ex antiquorū scriptorum testimoniis satis constat. Quod si pontificatus maximus perpetuus magistratus erat, ut eum fuisse necesse est, Metellus ipse Dalmaticus ante annum vrbis DCL. esse non potuit, tum quod anno DCLI. pontificem maximum Cn. Domitium renuntiatum fuisse ex Floro ostendi, tum quod ipse Dalmaticus, ut ex Ciceronis orationibus post reditum ad Quirites, & in senatu manifestū est, uiuebat an. DCLVI. ita enim scribit Cicero in oratione post reditū ad Quirites: Pro reditu Q. Metelli Numidici triennio post supplicasse Q. Dalmaticū consularē, & C. Metellū censoriū. Numidicus autē in exiliū actus fuerat, ut ex Floro lib. LXIX. & Appiano intelligitur, an. vrbis DCLIIII. & triēnio post, idest P. Cornelio Lētulo, & P. Licinio Crasso cos. anno vrbis. DCLVII. reuersus est, quo anno L. Dalmaticus uiuebat; reliquum est igitur ut pro indubitato dicamus, si pontifex maximus fuit, ipsum post Cn. Domitiū statim fuisse, L. Iulio, & P. Rutilio cos. quantum ego coniicere potui natu grandis creatus. De ipso etiam Plutarchus in Sulla mentionem facit

Q. MVCIVS. SCAEVVLA procul dubio post L. Dalmaticum pontificatum maximū gessit. De quo in Cornelianā Pedianus ita scribit: L. Liciniū Crassum oratorem, & Q. Mucium Scaeuulā pontificem maximum, eundemque oratorem & iuris consultum significat, qui una consules fuerunt. De hoc pontifice maximo Cicero libro primo de natura deorum, III. de officiis, pro Cornelio

nelio,& aliis in locis frequenter;Pedianus in Pisonianam,Gellius quoque libro V.cap.XIX.mentionem faciunt. Florus ex Liuio in epitoma libri XXCVI.L.Damasippus praetor ex voluntate C.Marii Iunioris consulis, quum senatum contraxisset, omnem quae in vrbe erat nobilitatem trucidauit,ex quorũ numero Q. Mucius Scaeuula pontifex maximus fugiens in vestibulo aedis Vestae occisus est

Q.CAECILIVS. METELLVS. PIVS factionis Sullanae studiosissimus post Scaeuulae caedem pontificatum maximum adeptus est.De quo sic scribit in Cornelianam Pedianus:Quinque cõsulares in Cornelium testimonium dixerunt Q.Catulus, Q.Hortensius,Q.Metellus Pius pontifex maximus,M.Lucullus,& Mam.Lepidus.Hunc pontificem Dio libro XXXVII.Macrobius libro III.Saturnalium cap.VII.auctor de uiris illustribus,& saepe Cicero commemorant

C.IVLIVS. CAESAR. qui postea dictator fuit,post Q.Metellũ Pium,ut Dio libro XXXVII. Tranquillus cap.XIII.Plutarchus in Caesare,& Gellius libro V.cap.XIII.scribunt,pontifex maximus factus est,de quo multa est apud omnes historicos mentio

M.AIMILIVM. LEPIDVM. pontificatum maximum post C.Caesaris dictatoris caedem suscepisse his verbis ex Liuio Florus in epitoma libri CXVII. docet:In confusione rerum & tumultu Lepidus pontificatum maximum intercepit. Idem tradit Dio libro XLVI. Huius Lepidi põtificis maximi frequens apud Ciceroné in Philippicis,& alios horum temporum scriptores mentio est. Cuius hunc nummum argenteum uidi ita inscriptum M.LEPIDVS.IMP.PONT. MAX

IMP. CAESAR. DIVI. F. AVGVSTVS post Lepidi mortem pontificatum maximum suscepit, quem uiuo Lepido nũquam auferre sustinuerat.Ita Tranquillus in Augusto cap. XXXI. & Dio libro historiarum LIIII.& in argenteis nummis ita,IMP. CAESAR. DIVI. F. AVGVSTVS.PONT. MAX

TI. CAESAR. AVGVSTVS & reliqui deinceps Romani principes omnes pontifices maximi fuerunt, quemadmodum ex vetustis monumentis tam lapidum,quam librorum supra satis demõstraui

IN. PRINCIPES. SENATVS COMMENTARIVS



VVM satis supra,ubi de consulibus & censoribus uerba feci, quid fuerit principem senatus esse; atque cur eorum indicem hoc potissimum loco digerere instituerim demonstrauerim,reliquum nunc esse videtur, ut quemadmodum de põtificibus maximis feci,sic de iis singillatim dissera;& ex quibus ueterũ scriptorum locis eos deprompserim ostendam: Ita enim & instituti mei rationem sequar,& ipsorum, quem concinnaui syllabum,confirmabo. Ceterum neminem ante M.Fabium N.F.Ambustum Q.Maximi Rulliani patrem principem senatus fuisse unquam inueni.Ab eo uero deinceps perpetuo ordine,& continuata serie omnes senatus principes qui unquam fuerint,quanta potui diligentia collegi. Eius uero,& Q.Maximi Rulliani filii,Q.q; Maximi Gurgitis nepotis,sic libro VII.cap.XLI.meminit C.Plinius Veronensis: Vna Fabiorum familia, in qua tres continui principes senatus fuerunt: M.Fabius Ambustus, Fabius Rullianus filius,& Q.Fabius Gurges nepos. Ex quibus uerbis eos unum statim post alterum nemine interiecto,principes senatus formaui: M.autem Ambustum lustro XXV.primum,eius uero nepotem Gurgitem lustro XXXVIII. postremo lectos fuisse ratio temporum, & veterum scriptorũ monumenta aperte declarant

C.vero Duilium principem senatus ex Liuio,Floro,& Plutarcho formaui

Liuius libro XXIII.refert,anno quo ad Cãnas pugnatum est,dictatorem qui censor antea fuisset, uetustissimusq; ex iis qui uiuerent censoriis esset, qui senatum legeret N. Fabium Buteonẽ in sex menses a consule C.Terentio ex S.C.creatum. Adiicit idem libro XXXII. Morem usq; ad annum DXLV.traditum a patribus fuisse,eum qui primus censor ex iis qui viuerent fuisset,senatus principem legi. Ex quibus Liuii uerbis, quum paulo ante lustrum XLII. factum fuisset N. Fabium Buteonem illo lustro principem senatus lectum fuisse mihi persuasi

Q. FABIVM. MAXIMVM. VERRVCOSSVM lustris XLIIII. & XLV. principem senatus lectum fuisse docent utriusque eiusdem inscriptio, Liuius libris XXVII.& XXIX. Ita enim libro XXVII.ait: Creati censores ambo qui nondum consules fuerant M. Cornelius Cethegus P. Sempronius Tuditanus. Senatus lectionem contentio inter censores de principe legendo tenuit. Sempronii lectio erat. Ceterum Cornelius morem traditum a patribus sequendum aiebat, ut qui primus censor ex iis qui uiuerent fuisset, eum principem legerent. Is T.Manlius Torquatus erat. Sempronius cui dii sortem legendi dedissent, ei ius liberum eosdem dedisse deos, se id

suo

suo arbitrio facturũ, lecturumq; Q. Fabium Maximũ, quẽ tum principẽ Romanae ciuitatis esse, uel Hannibale iudice uicturus esset. Quum diu certatum esset uerbis, concedente collega, lectus a Sempronio princeps in senatu Q. Fabius Maximus. Et libro XXIX. Censores interim Romae M. Liuius, C. Claudius senatum recitarunt, princeps iterum lectus Q. Fabius Maximus; notati septem nemo tamen qui sella curuli sedisset.

P. CORNELIVS. SCIPIO. AFRICANVS lustris XLVII. XLVIII. & XLIX. princeps senatus recitatus est, ut Liuius libris XXXII. XXXIIII. & XXXIIX. & Plutarchus in eius uita tradunt

DE. L. VALERIO. FLACCO principe senatus lustro XLIX. quo ipse censor fuit, a collega Catone lecto, Liuius libro XXXIX. Cicero in Bruto, & Plutarchus in Catone maiore mentionem faciunt

M. AIMILIVM. LEPIDVM sextis censoribus principem lectum fuisse docet ex Liuio Florus in epitoma libri LXVIII. primum uero lectus fuit lustro L. quo ipse censor fuit, a collega M. Fuluio Nobiliore, ut Liuius libro XL. prodit. Hic Lepidus iterum consul, censor, pontifex maximus, & princeps senatus fuit. De quo Cicero II. de oratore, & Valerius Maximus libro IIII. cap. II. meminerunt

DE. P. CORNELIO. SCIPIONE. NASICA. NASICAE uiri optimi filio, uiro consulari, & censorio, Serapionis patre, principe senatus sic mentionem facit Valerius Maximus libro VII. capite V. de repulsis: P. autem Scipio Nasica togatae potentiae clarum lumen, is qui consul Iugurthae bellum indixit, qui matrem Idaeam e Phrygijs sedibus ad nostras aras focosque migrantem sanctissimis manibus excepit, qui multas & pestiferas seditiones auctoritatis suae robore oppressit, quo principe senatus aliquot annis gloriatus est, quum aedilitatem curulem adolescens peteret &c. Hic autem non possum non uehementer mirari, Valerium in tantorum uirorũ ignoratione uersasse; nam quattuor Scipiones Nasicas in unum confundit. Is enim qui matrẽ Idaeam suscepit, & vir optimus a senatu iudicatus est, pater fuit P. Scipionis, qui Corculũ cognomen habuit, atque iterum consul, censor, & princeps senatus fuit. Hic filium habuit P. Nasicam Serapionem consularem, & pontificem maximum, qui Gracchum interfecit. Huius filius fuit is P. Nasica, quo consule Iugurthae bellum indictum. Hos accuratissime Velleius libro II. distinguit. Ceterum potius P. Nasicam Scipionem Corculum principem senatus feci, quam aliorum alterum, quod is solus censorius fuit. Satis autem supra demonstraui, neminem principem senatus lectum fuisse, qui ante censor non fuerit. Ipsum uero duobus proximis lustris post M. Lepidum principem senatus digessi, quod temporum ratio, & sequentium principum ordo id maxime exigere uidetur

DE. AP. CLAVDIO. PVLCHRO principe senatus lustro LVIII. relato, frequens est mentio apud Plutarchum in Gracchorum uita, quem consularem praeterea, censorium, & triumphalem fuisse refert

P. CORNELII. LENTVLI principis senatus, qui anno DXCII. consul fuit Cicero in diuinationem ita meminit: P. Lẽtulus is qui princeps senatus fuit, accusauit M. Aquillium subscriptore C. Rutilio Rufo de pecunijs repetundis: diciturq; ab Asconio P. Surae, qui consule Cicerone in carcere occisus est, auus. Item primo de oratore, in Bruto, & in Catilinã contrariuum. P. Surae Cicero uocat, Nasicaeque socium in interficiendo Graccho, qui & alibi saepe eius mentionem facit. Quem lustris LIX. & LX. digessi, quod priora & posteriora occupata sint

Q. CAECILIVM. METELLVM. MACEDONICVM lustris LXI. & LXII. principem senatus feci, ex his Velleij uerbis libro I. Vix ullius gentis, aetatis, ordinis, hominem inueneris cuius felicitatem fortunae Metelli compares. Nam praeter excellentes triumphos, honoresq; amplissimos, & principale in republica fastigium, extenuatumque uitae spacium, & acres innocentes pro republica cum inimicis contentiones, quattuor filios substulit, & cet. De eo praeterea Valerius Maximus libro VII. cap. I. & Plinius libro VI. cap. XIII. Eum autem his duobus potissimũ lustris digessi, quod priora suos principes certos habeant, posterioribus uero, ipse iam mortuus erat, obiit enim anno sequenti C. Metello filio consule designato, ut omnes tradunt scriptores

M. SCAVRVM principem senatus proximo post eius censuram lustro collocaui, quod neminem post Macedonicum principem senatus fuisse praeter ipsum animaduerterim, cumq; diu in ea dignitate fuisse inuenerim, nam lustro LXIIII. princeps senatus lectus, anno primo belli Marsici auctore Pediano in orationem pro M. Scauro adhuc uiuebat, annum LXXII agens, princepsque senatus appellatur. De eo quoque principe senatus saepe Cicero, Valerius Maximus libro IIII. cap. IIII. & libro VI. cap. V. Plinius libro II. cap. LVI. & alibi M. Scaurus pater toties princeps ciuitatis, & Marianis sodalitijs rapinarum prouincialium sinus

DE. L. VALERIO. FLACCO principe senatus lustro LXVII. ita meminit ex Liuio Florus in epitoma libri XXCIII. Quum L. Cinna & Cn. Papirius Carbo a seipsis consules per biennium creati

creati, bellum contra Sullam pararent, effectum est per L. Valerium Flaccum principem senatus, ut legati ad Sullam de pace mitterentur

Q. METELLVM. PIVM. PRINCIPEM. SENATVS quamquã nõdum censoriũ ob egregia tamen eius in remp. merita, lustro LXVIII. lectũ fuisse, ex duobus his Valerii locis collegi. Libro enim VIII. cap. XVI. ita scribit: Cn. Pompeius eques Romanus proconsul in Hispaniam aduersus Sertorium pari imperio cum Pio Metello principe ciuitatis missus est. Et libro IX. cap. I. Quid enim sibi voluit princeps suorum temporum Metellus Pius, tunc quum in Hispania adductus suos ab hospitibus, aris & thure excipi patiebatur

Q. LVTATIVS. CATVLVS post Metellum Piũ lustro LXIX. princeps senatus lectus est. De quo sic scribit Cicero: Q. Catulus princeps huius ordinis, & auctor publici consilii frequẽtissimo senatu me patriae patrẽ nominauit. Itẽ pro domo. Deinde cuius, eius cui princeps senatus (scilicet Q. Catulus ut ex alia oratione apparet) cui etiam ordines omnes, & Italia testimonium huius vrbis atque imperii conseruati dedissent. Et pro Sextio eum principem ciuitatis uocat. Valerius Maximus libro VI. cap. IX. Quis ignorat (inquit) Q. Catuli auctoritatem in maximo clarissimorum uirorum prouẽtu excelsum gradum obtinuisse? Cuius si superior aetas reuoluatur, multi luxus multae delitiae reperientur, quae quidem ei impedimento non fuerunt, quo minus patriae princeps existeret, nomenque eius in Capitolino fastigio fulgeret, ac uirtute ciuile bellum ingẽti motu oriens sepeliret

DE. MAM. AIMILIO. LEPIDO post Catulum principe senatus lustro LXX. lecto (Catulus enim Metello & Afranio auctore Cicerone mortuus erat) ita meminit Valerius Maximus libro VII. cap. VII. Conueniens Mamerco, conueniens principi senatus decretum, quo prouisum est, ne obscoena Genucii praesentia inquinataque uoce, tribunalia magistratuum sub specie periti iuris polluerentur

P. SERVILIVM. ISAVRICVM lustro LXXI. quod nouissimum in ciuitate libera factum fuit, principem senatus lectum fuisse, ex Ciceronis & Valerii uerbis collegi, a quibus saepe princeps ciuitatis appellatur

IMP. CAESAREM. AVGVSTVM lustris LXXII. & LXXIII. principem senatus lectum fuisse satis manifestum est ex Dione. Item de Claudio, & Vaspasiano ex Tacito, & Plinio constat. LXXIIII. enim lustrũ a Claudio, LXXV. uero Vespasiano imperatoribus condita fuisse Tacitus, Plinius, & Censorinus scriptum reliquerunt, egoque supra in commentariis libri secundi demonstraui

IN. TRIVMPHOS. ET. OVATIONES COMMENTARIVS

De triumpho



ONTIFICIBVS maximis, senatusque principibus expeditis, rei ordo postulare uidetur, ut triumphos deinceps omnes, & ouationes eadem ratione illustrem, atq; ex quibus potissimum scriptorum testimoniis singulos digesserim aperiã. Sed prius quam ad eorum explicationem accedam operaepretium esse existimaui, ut quae de triumpho, & triumphandi ratione collegi, in medium afferam: ita enim omnia & scite tradi, & facile intelligi poterunt. De triumpho autem mihi loquuturo, ante omnia ab eius verbi significatione initium summendum esse uidetur. Cuius etymologiam non omnes una ratione ueteres exponunt scriptores. Nam M. Varro libro V. de lingua Latina, a Baccho triumphi inuentore tractũ nomen putat, cui triũphantis cognomen fuit, milites enim cũ imperatore uictores redeũtes per vrbem in Capitoliũ eũti duci io triumphe clamitabant; quod nomen a θριάμβω graeca voce liberi patris cognomine deriuatum est. Nam Bacchus quum post victoriam Indicam primus triumpharet, milites eius ficorum foliis quae θρῖα dicuntur, uultus cooperuerunt, clamitantes io triambe Bacche, io triambe Bacche, unde Baccho cognomen inditum θριάμβω hoc est triumphans. Sic milites Romani, Io triumphe Graecam in Latinam uocem uertentes, dicebant. Itaque Liuius libro XLV. ait: Milites laureati triumphum nomine cient: Verba autem Varronis sunt haec: Sic triumphare appellatum, quod cum imperatore milites redeuntes clamitant per vrbem in Capitolium eunti io triumphe io, idque a θριάμβω Graeco liberi patris cognomento potest dictum esse. Tranquillus autem ideo existimat dici triumphum, quod qui triumpharet, triplici iudicio honoraretur; primo enim exercitus de triumpho decernendo duci iudicabat, secundo senatus, tertio populus. Alii triumphum nomen

men Graecum esse putant. Quod enim θριάμβω appellant Graeci, nos haspiratione ex prima in nouissimam syllabam translata, & b. in p. mutata triumphum vocare, scribunt. Erat autem triūphus inter honores omnes, qui a S.P.Q.R. dari solebāt eximius. Nam illa pompa solemnis erat; quam is qui auspiciis suis hostibus proelio deuictis, in vrbem cum incolumi exercitu rediens, senatus primum decreto, post etiam iussu populi, consequebatur. Triumphū autem primus omnium post homines natos India debellata, apud Graecos (ut dixi) Bacchus Thebanus Iouis & Semeles filius instituit, qui & Liber pater dictus est, ut Solinus capite LIII. Polyhistoris scriptū reliquit. Quis autem apud Romanos primus triumphum egerit parum inter scriptores conuenit. Dionysius enim libro II. Plutarchus in Romulo, & Messalla, Romulum huius instituti auctorem fuisse scribunt. Qui etiam illud tradunt, ab aliis quibusdam L. Tarquinio Prisco regi hoc tribui, quos Florus & Eutropius libro I. sequuti sunt, & fortasse etiam Liuius, qui nullius regii triumphi meminit, nisi eius quem L. Tarquinius Priscus de Sabinis egit; Quam tamen controuersiam dirimit in Romulo Plutarchus, qui Priscum primum illum quidem fuisse putat, qui curulem in vrbem triumphum inuexerit, sed qui triumphandi morem instituerit Romulum. Is enim Acrone Caeninensium rege interfecto, Caenina, Antemnis, & Crustumerio Sabinorum oppidis captis, pedibus triumphauit; non curru, ut Dionysius tradit. Quare Plutarchus Dionysium ipsum reprehendit, qui Romulum curru vrbem ingressum in triumpho scripserit, scilicet quod non Romulus, sed aut Priscus, aut certe ut alii tradiderunt, Poplicola consul primi vrbem curru triumphi caussa inuecti sunt. Triumphorum porro duo genera fuerunt. Vnus maior, qui precipue triumphus, alter minor quae ouatio appellata est. Ex triumphis maioribus alii terrestres, alii nauales. Ex terrestribus alii in vrbe, alii in monte Albano acti. Horum autem quidque, qui primi, & quo anno, aut qua caussa instituti fuerint, ac quid inter triumphum & ouationem interfuerit, sigillatim paulo post demonstrabo. Quum autem triumphi honos omnium maximus stante rep. omnibus communis semper fuerit, ea euersa imperatoribus proprius esse coepit, atque pro triumpho triumphalia ornamenta ab Augusto Caesare populi Romani ducibus ob res bello praeclare gestas decerni coepta sunt. Quae quid fuerint suo loco exponam. Ante omnia autem de triumpho maiore, qui praecipue triumphus dicebatur disseramus. Illud igitur in primis animaduersione dignum, diuersam triumphorum rationem fuisse. Nam re ab exiguis exorta initiis, tenues principio exilesq; triumphi fuere, deinde paulatim crescente populi Romani dictione, postea ingentes, & opulentissimi fieri coeperunt. Ex gentium enim & populorum deuictorum conditione, uel tenuiores, uel sumptuosiores fiebant. Itaque quum primis illis temporibus exigua oppida in deditionem populi Romani uenirent, debiles erant; postea quum integrae prouinciae, & regna a pop. Rom. subacta sunt, sumptuosissimi fieri coeperūt; quod his uerbis docet Dionysius libro II. Hoc modo vrbe Caenina capta, arma tradi iussit, acceptisque pueris obsidibus quos uoluit, in Antemnates uertitur, palantesque eos, & dispersos ad praedam inopinato superuentu capit, eodemque modo de his quo de prioribus decernens, exercitum domum reduxit, spolia etiam adducens bello capta, deisque praedae primitias consecrans, ac multa simul faciens sacrificia, ultimus autem ipse post pompam ibat purpurea ueste amictus, comamque lauro coronatus, & ut dignitatem regiam seruaret, curru quadriiugo inuectus. Aliae vero equestres pedestresque copiae sequebantur egregie instructae, deos laudantes patriis carminibus, ac ducem suum extemporalibus uersibus extollentes. Ex vrbe uero cuncti eis obuiā prodiere cum vxoribus, & liberis ex utraque uiae parte, simul & ob uictoriam gaudentes, & omnem prae se ferentes comitatem: Vtq; vrbem inierunt crateribus occurrunt uino plenis, mensisque omnium generum cibis refertis, expositis ipsis apud illustres familias, ut paratae essent uolentibus. Victoriosa igitur & trophaeophora pompa, & immolatio, quam Romani triumphum vocant, prima a Romulo instituta talis fuit. Aetate autem nostra sumptuosissima & insolens, & ad ostentationem potius diuitiarum, quam ad virtutis existimationem decantata, omnem prorsus formam exuit priscae tenuitatis. Post pompam autem, & sacrificium, Romulus templum in Capitolio Ioui Feretrio extruxit &c. Ceterum ut Plutarchus scribit; Eum qui triumphabat, vrbem ingredi pedibus primo mos fuit captiuis praecedentibus, & exercitu subsequente, ut fecit Romulus. Mox Tullus Hostilius equo uectus de Albanis, Fidenatibus, & Sabinis triumphauit. Idem fecit Ancus Marcius quum de Veientibus, & Sabinis uictis triumphum duceret. Primus quadriga usus secundo triumpho suo, quem de Etruscis egit L. Tarquinius Priscus, uel ut aliis placet, P. Valerius Poplicola consul. Albis equis ad currū iunctis primus triumphauit de Veientibus M. Furius Camillus dictator. Postea passim triumphalis pompa ita aucta est, ut nihil speciosius in vrbe videri posset. Ego autem quo ab antiquitatum studiosis gratiam aliquam ineam, hic apponere eius generis triumphorum descriptioné institui, quos sumptuosissimos fuisse refert Dionysius; quam ex Iosepho, Plutarcho, Appiano,

Zonara,& alijs quibusdam auctoribus exceptam,hac ratione concinnaui. Rep. bene gesta, egregia victoria parta, & rebus triumpho dignis actis, populi Romani dux statim a militibus imperator appellatus, fasces laureatos,per cursores in vrbem mittebat. Quum uero ipse incolumi cum exercitu domum reuersus esset,senatus ei intra aedem Bellonae,extra vrbem in campo Martio dabatur,ubi quae gesserat exponere,debitumq; triumphum petere posset.(nemini enim triũphaturo,vrbem ingredi ante triumphum licebat) Tum si res ab eo gestae triumpho dignae senatui uisae fuissent; a senatu primo,deinde a populo quum imperatoris nomen ei confirmatum esset,decernebatur,ut ei triumphanti vrbem inire liceret,diesque certa triũpho statuebatur. Quod si imperator,dictator,aut cõsul,uel praetor non fuisset,atq; ob eam caussam imperium intra urbẽ habere non posset (proconsules enim,& propraetores intra vrbis moenia cum imperio esse non poterant,) tunc quo triumphanti ei cũ imperio vrbem ingredi liceret, lex comitiis curiatis ferebatur de imperio eius ducis intra urbem per diem,uel dies triumphi habendo (nam neque priuatis triumphare licebat) qua lege lata,dieque triumpho decreto; imperator triumphali habitu amictus,armillis sumptis,laurea redimitus,& ramum lauri dextera tenens milites ad concionem conuocabat. Vbi militibus & publice & priuatim laudatis,pecuniam donabat,& ornamenta, ut armillas, torques,hastas puras,idest sine ferro, coronas,aliis aureas, alijs argenteas, expresso in his & nomine, & hominis praeclare gestis. Nam qui murum primus conscenderat,aut oppidũ expugnauerat, ei corona muralis, & obsidionalis dabatur; qui classe vicerat corona rostrata, donabatur, qui uero ciuem in proelio,obsidione,alioue periculo liberauerat, quum summam laudem assequebatur, tum ciuica honorabatur, querna corona, cuius honos omnibus argenteis,& aureis praeferebatur. Qui uero equestri pugna uicerat,aliud ei quodã pugnae equestris specimẽ fingebatur,quo ab imperatore donaretur. Cui rei cognoscẽdae non parum auxilii afferet epigrãma L.Sicinii Dentati ex Varrone, Plinio, & Valerio Maximo lib.III.cap.II.formatum,& in epigrammatibus antiquae vrbis exaratum ita

L . SICINIVS . DENTATVS . TRIB . PLEB . CENTIES . VICIES . PROELIATVS OCTIES. EX. PROVOCATIONE. VICTOR. XLV. CICATRICIBVS. ADVERSO CORPORE. INSIGNIS. NVLLA. IN. TERGO. IDEM. SPOLIA. CEPIT. XXXVII DONATVS. HASTIS. PVRIS. XIIX. PHALERIS. XXV. TORQVIBVS. CLXXXIII ARMILLIS . CLX. CORONIS. XXVI. CIVICIS. XIIII. AVREIS. VIII. MVRAL. III OPSIDIONALI. I. FISCO. AERIS. X. CAPTIVIS. XX. IMPERATORES. VIIII. IPSIVS MAXIME. OPERA. TRIVMPHANTES. SEQVVTVS

Porro autem haec dona non viritim solum, sed cohortibus, & legionibus integris praebebantur. Spoliorum pars inter milites distribuebatur, his exceptis,quae triumpho seruabantur. Fuerunt etiam imperatores qui die triumphi populo Romano epulum, & congiarium dederint; sumptusque ad spectacula publica edenda elargirentur. Quod supererat,uel in armamentariũ, aut aerariũ deferebatur;aut in fana,porticus,ianos,atria,arcus,& alia publica opera conferebatur. His peractis imperator currum conscendebat,neque bellicis, neque iis similem quorum in circensibus usus erat, sed instar turris rotundae confectum, quemadmodum ex antiquis nummis, & Titi imperatoris arcu Romae intelligi,& cognosci potest. Interea dum haec extra vrbem ab imperatore triumphaturo geruntur,populus Romanus ipso triumphi die candidis uestibus amictus,omnibus circis,& locis circa forum,& aliis vrbis partibus per quas triumphans transiturus erat,tabulatis ad hoc ex lignis compositis insidens,sese ad spectandum triumphum praeparabat: ita ut nemo pene ex infinita illa populi Romani multitudine domi remaneret, sed qui in tabulatis considere non poterat,exiens per loca ubi tantum stare posset perueniebat,quantum spectandis imperatoribus modus sufficeret, uix cõcesso necessario transitu. Viae vrbis, & templa aperta, sertis,uaporibusque suauissimis repleta erant. Ante omnia vniuersus senatus obuius ibat usque ad vrbis portam duci triumphaturo, ibique paululum operiebatur, donec tempus triumphandi aduenisset,omniaq; triũphi insignia, & ornamenta disponerentur. Tum multitudo ministrorum baculos manibus gestantium,ex medio dimouebant turbas, & vias apertas,ac sine impedimento plebis praestabant. Hinc pompae initium uel a porta Capena, quae triumphis uehendis commoda erat,vel ab ea qua triumphans vrbem ingressurus esset,inchoabatur. Primo enim uniuersus senatus Capitolium uersus praeibat;post senatum tibicines cum tubis classicum resonantibus,sertisq; redimiti,currus spoliis refertos praecedebant;quibus tabulae eburneae,& aereae,colossus,signa,ligneae turres,& captarum urbium,castellorum,montium,fluuiorum,paludum, marium,& omnium denique quae capta erant simulachra uehebantur,scripturis imaginibusq; adiectis gestorum seriem explicantibus. Deinde ferebatur aurum, argentum,& aes partim rude, & graue,partim quibusdam figuris impressum. Post tabulae & signa aurea,argentea,aerea & eburnea uidebantur. Gemmarum quoque,purpurae,cocci, uestium byssinarum,uel auro intextarum

ingens

ingens copia, item coronae quas virtutis ergo, vrbes, aut socii, aut exercitus vrbi parentes militibus dedissent, aureae, & argenteae, uel ex alia materia adducebantur. Sequebantur post haec pulcherrima, & ornatissima gentium uictarum arma multis curribus lata, aere ferroque absterso, & polito splendentia, atque ita disposita, ut casu maxime sic cecidisse uiderentur. Erant autem galeae, scuta, thoraces, ocreae Cretenses, peltae Threiiciae, & Celtae, pharetraeque, equorum frena, enses nudi, & gladia per ipsa iacentia, sagittae infixae, arcusque, pila, sarissae, & cetera eiusmodi missilia; ita ut nec uictorum quidem absque metu esset aspectus. Post armorum currus aliqua uirorum millia sequebantur, qui in vasis argenteis nomismata ferebant aurea argenteaque, alii uero crateras argenteas, phialas aureas, calicesque ornatissimos, & magnos certo ordine ferebant. Postea alii tibicines aderant non mite aut suaue, sed bellicum praecinentes. Post eos quinquaginta aut centum, aut plus uel minus boues, iuxta triumphantis opes, cornibus auratis, infulis, & sertis ornati ab adulescentibus popis succinctis ad immolandum ducebantur. Postea sequebātur pueri camilli, qui aureas & argenteas pateras sacrificii caussa deferebant, post si eo bello capti essent, elephanti adducebantur. Omnes autem triumphorum ministri, sericis purpureisque, & auro intertextis vestibus induti erant. Post haec captorum ducum aut regum currus, arma, & diademata super armis imposita uehebantur, deinde hostium reges, seu duces, cum filiis fratribus, & sororibus, omnibusque si qui essent familiaribus ueniebant, lacrimantes, casumque captiuitatis dolentes. Post haec multa hostium millia, manibus pone tergum reuinctis deducebantur, qui ex omnibus hostium exercitibus captis, pulchriores & elegantiores, vastioreque & procerioreforma selecti fuerant, atque ad triumphum exornandum reseruati. Ferebantur etiam aureae coronae, quibus imperatorem ipsum uirtutis ergo, in libertatem uendicatae, seu sociae ciuitates donauerant. Sequebatur deinceps dux ipse seu populi Romani imperator, aureato curru a quattuor albis equis vectus, toga purpurea triūphali auro, intertexta amictus, in capite lauream, seu auream lapillis gēmisque ornatam coronam gestans, dextra laurum, sinistra uero eburneum sceptrum tenens. Imperatoris currum si praetor uel pro praetore fuisset sex, si consul uel pro consule XII. si dictator uel Augustus XXIIII. lictores cum fascibus, & securibus laureatis, purpureis uestibus amicti praecedebant. Circum currum uero cytharedorum ac tibicinum turba ueniebat, modulis elegantissimis concinnentes, hi succincti coronisque aureis redimiti, suo quisque ordine psallentes canentesque prodibant. Horum in medio stabat quispiam talari ueste, fimbriis, acarmillis auro splendētibus amictus, qui gestus uarios edebat, hostibusq; deuictis insultans, risus undique ciebat. Postea thuris, & Arabum odorum suffimenta imperatorem undique comitabantur. In ipso uero imperatoris curru pone triumphantem, quidam publicus minister uehebatur, coronam auream gemmis distinctam supra caput eius tenens, qui a tergo saepe illud insusurabat: RESPICE. POST. TE. HOMINEM. MEMENTO. TE memorans ne illa felicitate elatus humanae conditionis obliuisceretur, sed reliquae uitae cursum prouideret, nec eo honore elatus superbiret. Appensa quoque erat currui nola, & flagellum; quae innuebant eum in tantas calamitates posse incidere, ut aut flagro cederetur, aut capitis damnaretur. Nam qui ob facinus extremo supplicio afficiebantur, nolas gestare solebāt, ne quis inter eundum contactu illorum piaculo se obstringeret. Neque tamen imperator solus eo curru uehebatur. Saepius enim in ipsomet triumpbantis curru adducebantur pueri, virginesque puellae eius uel cognatorum filii aut nepotes, ad equorum vero habenas hinc inde cognati iuuenes, uel etiam ipsis insidentes eos dirigebāt, ut in triumpho Augusti Marcellus dextro, Ti. vero Nero sinistro funali equo insidētes fecerunt. Si plures vero erant equis singularibus uictorem comitabantur. Ceterorum enim ciuiū adequitabat nemo, sed laureati omnes sequebantur. Post currum ministri primo, & scutiferi, mox legati imperatoris, & tribuni, deinde exercitus omnis sequebatur in legiones, cohortes, centurias, & manipulos distinctus. Erantque milites omnes laureis sertis redimiti, laurumque manibus ferebant, coronasque quibos uirtutis ergo ab imp. donati fuerant. Hi currum imperatoris triumphantis sequebantur, partim carmina patria salibus & risu permixta, partim ducis laudes canentes, & quum hoc ordine ita processisset pompa, omnes in Capitolium per forum Romanum ascendebant, ubi consules, & reliqui magistratus, & uniuersus senatus imperatorem triumphantem expectabant. Quum autem triumphans in forum Romanum uenisset, aliquot captiuorum duces in carcerem duci, occidique iubebat, ipseque deinde in Capitolium ire pergebat. Vbi quum uentum esset, antequam sacrificium inchoaretur, mos erat antiquus tantisper operiri, donec ipsius hostium ducis mortem quispiam nuntiaret, quod postquam factum esse, nuntiatum fuisset, tunc taurorum & aliarum hostiarum immolationes inchoari consuetudo erat. Quibus rite peractis donariisque quibusdam dedicatis, quum in porticibus ibi coenatus esset, uesperi tibiis & fistulis antecedentibus domum redibat, quem reliqui omnes ciues comitati, postea singuli ad propria diuertebantur. Atque hic ferme erat amplissimi triū-

phi

phi ordo, qui uel apparatiores aliquando, uel etiam tenuiores erant, prout fuerant gentis, uel regis deuicti opes, & potentia; si enim plura spolia bello acquisita fuissent, ea ordine a me relato in triumphum ducebantur, si pauciora ea eadem ratione post senatum ante currum uictoris ducis deferebantur, exercitu subsequente. Porro autem uno die singulos triumphos agi mos erat. Sed quum aliquando accidisset ut propter praedę, spoliorum, & gentium uictarum multitudinem pompa triumphalis uno die uehi non posset, ea in biduum, uel in triduum diuidebatur, ut factum est triumphis Macedonicis T. Flaminini ex Philippo, L. Paulli ex Perse, item Cn. Pompei Magni Mithradatico. Duos imperatores uno curru triumphali uehi quamquam una bellū aliquod confecissent, nunquam inueni, singulis triumphos decerni mos erat. Primi omnium Romanorum ducum Vespasianus Augustus, & Titus Caesar Iudaicum triumphum uno curru uecti una egerunt, post quos a sequentibus imperatoribus id aliquando usurpatum. Ius autem triumphandi non habebat nisi is magistratus cui lege curiata a populo Romano imperium permissum erat, cuiusque unius auspiciis id bellum gestum fuisset, hi autem erant rex, dictatores, consules, pro consulibus, praetores, & propraetoribus, & postremo imperatores, & Caesares. Moris autem erat ab imperatore, (si consul aut dictator non esset) triumphum ducturo, consules inuitari ad coenam, deinde rogari ut venire supersedeant, ne quis eo die quo ille triumphauerit maioris in eodem conuiuio esset imperii.

Haec ex Dionysio libro V. in triumpho Poplicolae
Iosepho libro VII. cap. XXIIII. de bello Iudaico,
Valerio Maximo lib. II. cap. III. de Iure triūphandi
Plutarcho in vita Paulli Aemilii,
Appiano Alexandrino in Lybico,
Seruio super Virgilium
Et Ioanne Zonara historiarum tomo secundo excepta collegi

De triumphali pompa sic M. Cicero in L. Pisone scribit: Differis de triūpho, quid tandé sit iste currus? quid victi ante currum duces? quid simulachra oppidorū? quid aurum? quid argentum? quid legati in equis & tribuni? quid clamor militum? quid tota illa pompa? quid uehi per vrbem? Seruius quoque libro IIII. Aeneidos super illud: Sola fuga nautas comitatur ouantes: Qui triumphat (inquit) albis equis uehitur quattuor, & senatu praeeunte in Capitolio de tauris sacrificat. Porro autem quum animaduerterimus triumphum omnium honorum apud Romanos maximum fuisse, uerosimile est, plerosque fuisse imperatores, qui ob leuia proelia, triumphos sibi decerni desiderarint: quibus ut occurreretur lege cautum est, ne quis triūpharet nisi quinq; millia hostium una acie cecidisset; non enim numero, sed gloria triumphorum, excelsius vrbis futurum decus maiores existimabant. Ceterum ne tam praeclara lex cupiditate laureae oblitteraretur, legis alterius adiutorio fulta est, quam L. Marius & M. Cato tribuni plebis tulerunt. Poenam enim imperatoribus minati sunt, qui aut hostium occisorum in proelio, aut amissorum ciuium falsum numerum in litteris senatui ausi essent referre. Iubebatque eos quum primum ad vrbem accessissent, apud quaestores vrbanos iurare de utroque numero, vere ab his senatui esse scriptum. Porro triumphi decernendi senatus munus erat, ut apud omnes ueteres auctores constat, & praesertim Pedianum in Cornelianam, uerum & populus senatus consultum sciebat. In omnibus uero bellis, victis hostibus, ius triumphandi semper fuit eius cuius imperium maius erat, cuiusq; auspiciis bellū gestum esset, & si bello absens fuisset. Nam praetore qui & ipse imperiū habebat, auspiciis tamen consularibus bellum gerentem uicisse inuenimus absente, aut etiam aegro consule, ius tamen ob eam uictoriam triumphandi consuli potissimum adiudicatum esse. Cuius rei exemplum nobis affert Valerius Maximus libro II. cap. III. de iure triumphandi, de Q. Lutatio consule, & Q. Valerio Faltone praetore; qui bello Punico primo quum circa Siciliam insigné Poenorum classem deleuisset, consule Lutatio pugnae tempore in lectica claudo iacente, eiusdem tamen rei nomine Lutatio consuli, cuius auspiciis bellum gestum fuisset, triumphum senatus decreuit. Quem quum Valerius sibi quoque decerni desideraret, negauit, id fieri oportere Lutatius, ne in honore triumphi minor potestas maiori aequaretur: atque ita quum praetor vicisset, triumphauit consul cuius in eo bello auspicia fuissent. Ceterum inter varia triumphandi iura erat & altera lex; quae iubebat, ut tantum pro aucto imperio, non pro recuperatis quae populi Romani fuissent triumphus decerneretur. Quare Q. Fuluio de Capua recepta, L. Opimio de Fregellanis ad deditionem compulsis, P. Scipioni ob recuperatas Hispanias, & M. Marcello ob captas Syracusas ius triumphandi ab amplissimo ordine summa obseruandi eius iuris diligentia negatum est: omnes quidem editis operibus magnifici, sed rei petitae nequaquam compotes, Marcelli etiam & Scipionis repulsis alia caussa adiuncta, quod ad eas res gerendas cum imperio tantum sine vllo missi essent magistratu. Aliud quoque in triumphis ius diu obseruatum est, ut quámuis quis praeclaras res maximeque reipublicae utiles bello ciuili gessisset, imperator tamen ab exercitu eo nomine appellatus non est,

Et Plinius libro XV.cap. XXIX. L. Piso tradit Papirium Masonem, qui primus in monte Albano triumphauit de Corseis, myrto coronatum ludos circenses spectare solitum. Auus maternus inferioris Africani fuit. Sex. Pompeius: Papirius (inquit) myrtea corona usus est, quod Corsos in campis myrteis superasset. Exemplum Papirij sequutus est M. Marcellus, qui victis Syracusanis, quum triumphum ei senatus negasset, & ipse postea in monte Albano triumphauit. Distat uero hic mons ab vrbe millibus passuum XII. M. vero Antonius III. vir R. P. C. Artabaxe Armeniorum rege proditione potius, & dolo, quam aperta ui capto, ipsum in Cleopatrae gratiā Alexandriam cathenis aureis uinctum in triumphum duxit, solusque omnium Romanorum ducum fuit, qui extra Italiam ante vrbem Constantinopolim conditam triumpharit. Quae res populum Romanum moestitia affecisse tradita est, quum optima & praecipua patriae suae ornamenta, scorti Cleopatrae gratia Aegyptiis quoque impartiri ab imp. Romano animaduertissent. Ceterum vrbe Constantinopoli a Magno Constantino Imperatore condita, aliquando in ea ab imperatoribus Romanis triumphatum fuisse legitur, ut paulo post demonstrabo. Aurum autem, argentum, & aes, & cetera spolia de hostibus capta, atque in triumpho adducta, Senatus populique Romani erant, eaque in publicum aerarium reponebantur; extractis tamen prius expensis quae in triumphi pompa fiebant. Publicis enim sumptibus triumphari mos erat. Primus autem priuatis sumptibus triumphauit Ap. Claudius Ap. F. Pulcher de Salassis ex alpibus, anno vrbis DCX. Quum enim uel tot millia hostium non occidisset, quot ad iustum triumphum agendum necesse essent, uel propter uictae gentis inopiam, parum auri, uel argenti, aut aeris in aerarium detulisset, ob idque ei a senatu triumphi impensae negatae essent, priuatis sumptibus triumphauit, honoris magis quam diuitiarum habita ratione. Quum autem (ut dixi) de triumpho agendo primo senatus, deinde populus decerneret, saepe usu uenit, vt aliquot imperatores apud alterutram ciuitatis partem minus gratiosi, uel tantum iussu populi, iniussu uero senatus, aut ex S.C. sine populi iussu triumpharint. Primus P. Serullius Priscus consul anno vrbis CCLVIII. de Volsceis sine S.C. triumphauit, ut tradit Dionysius: Primi quoque omnium non solum sine S.C. sed inuitis patribus populi tantum iussu triumpharunt cōsules L. Valerius Potitus de Aequeis, & M. Horatius Barbatus de Sabinis, anno vrbis CCCIIII. Et e conuerso virgo Vestalis Claudia fratrem iniussu populi triumphantem ascenso simul curru usque in Capitolium prosequuta est, ne uetare aut intercedere fas cuiquā tribunorum esset. Ita Tranquillus in Tiberio cap. II. Sed pauca admodum eiusmodi exempla reperiuntur. Atque hactenus de triumphis maioribus, nunc de ouatione siue triumpho minori disseramus

De *ouatione*

Ouationem quam Dionysius libro V. & Plutarchus in Marcello, minoris triumphi genus esse memoriae prodiderunt, ab oue dictam putat Plutarchus, quam qui hoc triumphi genere ornabantur sacrificabant, quemadmodum qui maiorem triumphum agebant, taurum in Capitoliū uenientes immolabant. Plutarchi sententiam sequutus est Seruius Grammaticus in libro IIII. Aeneidos, super illud: Sola fuga nautas comitabor ouantes. Vbi ita ait: Qui ouationem meretur uno equo utitur, & a plebeis uel equitibus Romanis deducitur in Capitoliū, & de ouibus sacrificat, unde & ouatio dicta; qui autē triūphat albis equis utitur quattuor, & senatu praeeunte in Capitolio de tauris sacrificat. Sex. autē Pōpeius: Ouantes (inquit) lactantes dicuntur ab eo clamore quem faciunt redeuntes ex pugna uictores milites geminata o littera. Quod idem etiam Dionysio placet, qui ait: quasi uero Romani εὐάσμον graecorum vocem, quae clamorem significat, ouationis nomine uoluerint interpraetari. Erat autem ouatio minor (ut dixi) triūphus, qui agebatur quū belli duces rebus quidē prospere gestis, non tamen ita magnis ut iusto triūpho dignae essent. Nam ex S.C. ouantes pedibus primū, deinde non curru, sed uno equo uecti urbem ingredi solebant. Differt autem ouatio a triumpho (ut ait Dionysius libro V.) quod qui ouās ingreditur, is nec curru uectus, nec sceptrum in manu tenens, nec trabeam, uel togam pictam, aut aurei claui uestem, qui peculiaris consulum amictus, indutus, pedibus vrbem exercitu praeeunte iniret. Plutarchus autem: eundem nec quadrigis inuectum, nec laurea coronatum, nec tubis concinentibus, sed pedibus, & calceis, myrtea redimitum, tibiis modulantibus vrbem inisse tradit. Myrtea autē eos potius esse vsos, quā ut ait Dionysius, laurea, Plutarcho assentior, quod idē etiam traditū sit a Plinio, Sexto Pōpeio, & Gellio. Plinius enim libro XV. cap. XXIX. Triūphauit de Sabinis Postumius Tubertus in cōsulatu, qui fuit primus omniū ouans, quod sine cruore rē gessisset, myrto Veneris uictricis coronatus incessit: haec postea ouātiū fuit corona, excepto M. Crasso, qui de fugitiuis & Spartaco laurea coronatus incessit. Et Sex. Pompeius: Oualis corona est

na est myrtea, quam habebant qui ouantes introibant, quum bella non essent indicta, aut sine sanguine cōfecta. Idem & Gellius refert. Hoc autem triumphi genus primum anno CCLI. P.Postumio Tuberto II. & Agrippa Menenio coss. institutum fuisse ex Licinii annalibus docet Dionysius libro V. Cur autem hoc factum fuerit, non eandem caussam Dionysius, & Plinius afferunt. Hic enim quia Postumius leuiter & sine cruore rem gesserat, ille ex proelio ante infelicissime facto, in quo plurimis ex suis amissis, parum abfuit quin ipse cum ceteris in fuga caperetur. Pedibus autem, an equo uecti ouantes ingrederentur, magna quaestio esse uidetur, de qua sic etiam scribit Gellius: libro V. cap. VI: Praetereundum non est, quod ad ouationem attinet, super quo dissentire ueteres auctores scio: partim enim scripserunt, qui ouaret introire solitum equo uehente. Et Sabinus Massurius pedibus ingredi ouantes dicit, sequentibus eos non militibus, sed uniuerso senatu. Ita etiam Dionysius pedibus ingressos, Liuius & Dio equo uectos intelligūt. Etenim ouantem ingredi, equo uehi Dio appellat quum de Caesare dictatore, Antonio, Augusto, Druso, & Nerone loquitur; Dionysius uero pedestrem triumphum ouationem uocat dū de A.Manlio Anno CCXXC ouante differit. Quā ego controuersiā sic dirimi posse existimo: initio quidem ouantes pedibus, postea uero equo uectos vrbem ingredi consueuisse. Ouandi autem & non triumphandi has caussas libro V. cap. VI. affert Gellius. Quum aut bella non rite indicta, neque quum iusto hoste gesta sunt, aut quum hostium nomen humile, aut non idoneum est, ut seruorum, piratarumq; aut deditione repente facta, (in puluere ut dici solet) incruentaque uictoria obuenit. Cui facilitati aptam esse Veneris frondem crediderunt, quod non Martius, sed quasi Venerius triumphus quidam foret. Hanc myrteam coronam M.Crassus bello fugitiuorum confecto, quum ouans rediret insolenter aspernatus est, senatusque consultum faciendum per gratiam curauit, ut lauro, non myrto coronaretur. Adiicit Plutarchus, quum uerbis & comitate res cum hostibus transacta, & bene gesta esset, tum ut ouantes inirent fuisse permissum. His adde aut ob inducias factas, aut quum in aliena prouincia, aut alienis auspiciis, aut quum sine magistratu res gesta esset, ut de A. Manlio apud Dionysiū anno CCXXC de C. Nerone apud Liuium, de Valerio Faltone apud Verrium Flaccum, & De M. Marcello apud Valerium, & Liuium factum refertur. Illud etiam animaduersione dignum est, quod Massurius Sabinus apud Plinium libro XV. cap. XXIX. scriptum reliquit: Eos qui curru triūphabant aliquando myrtea corona usos fuisse. M. etiam Valerius Volusus uir triumphalis duabus coronis utebatur laurea & myrtea. Haec autem sunt quae de ouatione hinc inde collecta in unum congregaui; cuius usus potissimum Romae usque ad Neronis Imp. tempora mansit. Haud enim facile si ab vno aut altero recesseris, ullū post Neronē inuenies, qui vrbē ouans inierit

Item de triumpho

Triumphi autem maioris vsum usque ad Iustiniani tempora permansisse satis liquet. Nouissimus enim omnium (quod sciam) Iustiniani imperat. auctoritate triumphauit Fl. Belisarius V. C. Africa recepta, de Vandilis & eorum rege Gilimere, more ueteri curru quadriiugo in vrbem Constantinopolim uectus. Postquam neminem amplius more prisco triumphasse inueni; quum post ea tempora imperium Romanum non solum ullum incrementum habuerit, sed in praeceps proruam ab Arabibus, & Sarracenis, Hunnis, Bulgaris, & Longobardis postremo laceratum sit & euersum. Trecentos porro & circiter quinquaginta triumphos & ouationes a Romuli primo, vsque ad Iustiniani Augusti tempora actos fuisse; uaria, longa, & difficili obseruatione inueni. Quum enim CCCXX. actos fuisse triumphos, a Romulo usque ad Vespasianum referat Orosius, ego circiter XXX. alios triūphos a Vespasiani imperio sub sequētibus imperatoribus, usque ad Belisarium deprehendi, fere omnes a Romanis principibus gestos. Quidam referunt Heraclium imperatorem post deuictos, & ad internicionem fere caesos Persas, ipsorumque rege Cosdroe occiso, quum ingrederetur Hierosolymam sanctissimae crucis parte recuperata, triumphasse; quod mihi magis triumphi vmbra uidetur quam iustus triūphus, nam nec curru uectus, nec quū insignibus triumphalibus processit, sed tantum uictoria potitus antiqui triumphi umbram quandam ostendit. Ceterum de CCCXX. triumphis a Romuli tempore ad Vespasiani Augusti imperium actis, his verbis Orosius libro VII. mentionem facit: Vbi autem Vespasianus & Titus imperatores magnificum agentes de Iudaeis triumphum Vrbem ingressi sunt, pulchrum & ignotum ante cunctis mortalibus inter CCCXX. triumphos, qui a condita urbe usque ad id tempus acti erant, hoc spectaculum fuit; patrem & filium uno triumphali curru uectos, gloriosissimam de his qui patrem & filium offenderant uictoriam reportasse. Triumphi uero honor Rome usque ad Augusti imperium frequentissimus fuit, sub quo etiam eum multi sunt duces adepti. Nam super XXX ducibus (nisi in verbo error sit, ut inquit Tranquillus) iustos triumphos decernendos curauit. Post Augusti tempora Romanis iam toto fere terrarum orbe victoribus, raro admodum Romae triumphatum

est

est. Quum enim terra mariq; pace parta, undiq; iam bella cessassent, & omnes fere orbis terrarum nationes, & gentes uel imperio Romano parerent, uel foedere coniunctae essent, paucae admodum triumphorũ materiae reliquae fuerunt, si quidem intra DC. annorum interuallum, quod inter Augustum & Iustinianum fuit, uix quinquaginta triumphi acti sunt, quum praecedentibus temporibus intra annos paulo plus. DCC. trecentos fere triumphos duces populi Romani adeptos fuisse constat. Quod si aliqua bella oriri contigisset, ut Parthica, Germanica, & Persica, hae enim praecipuae gentes Romano imperio infestiores erant, ea ab imperatoribus administrabantur, qui aliquando duo, & tres pari praediti potestate erant, aut eorum auspiciis a priuatis ducibus, uel eorundem legatis gerebantur; quare soli imperatores de uictis gentibus triumphabant. Quod si aliquando usu uenisset, Romanos principes pluribus difficillimisque bellis insurgentibus, priuatos duces ad ea suis auspiciis gererenda mittere, eis post adeptam uictoriam, non amplius triumphum debitum concedebant, quorum pompam sibi ipsis retinere coeperunt, sed triumphi loco, quem in republica libera omnino meruissent, triumphalibus ornamentis nouo, & tenuiore honoris genere ab Augusto excogitato eos honorabant. Porro autem sub Augusto Caesare triumphalium ornamentorum usus pro triumpho hac ratione primum ut libro LV. tradit Dio, inuentus est

De triumphalibus ornamentis

Anno vrbis conditae DCCXL. Cn. Lẽtulo & M. Crasso cõsulibus, Bosphoranos qui Asandro mortuo, a Scribonio quodam solicitati fuerant, subactos ab Agrippa tradit Dio: eidemque propterea supplicationes Romae esse, atque triumphum decretum. Quem tamen ab ipso non esse actum, quia de rebus gestis nihil ad senatum scripserat. Ex quo tempore (inquit) reliqui exemplum eius, quasi legem quandam sequuti, nec publice litteras miserunt, neque triumphum obtinuerunt. Ac propterea nemini alii pari dignitate triumphus in posterum, sed triumphalia tantum ornamenta decreta sunt. Ita Dio. Agrippam autem honorum nimia satietate affectum, triumphum recusasse crediderim, cuius postea exemplum quum alii sequuti essent, rem casu ortam, imperatores sequentes pro lege usurparunt, triumphique decus quod omnium maximũ erat, sibi ipsis retinuerunt. Quũ.n. reip. principes & domini essent, tanto honore se solos dignos existimabant, idque fortassis priscorum regum Romanorum more, sub quibus neminem praeter reges triumphasse animaduertimus; ut enim imperio & dignitate ceteros senatores praecedebant, ita quoque triumphandi iure, honore omnium maximo, illis interdicto, inter se distingui etiam uoluerunt. Duces quoque qui Caesarum tempore fuerunt, inuidiam maximi honoris uitaturi, rebus egregie gestis triumphi mentione omissa, triumphalibus ornamentis contenti erant. Haec autem fuerunt supplicationes decretae, appellatio imperatoris, laurea corona, praetexta, siue trabea triumphalis, sceptrum, statua, sacrificia, & cetera triumphantium insignia; cur ru tamen intra vrbem non vehebantur, neque consuetam pompam agebant. Qui honor usq; ad Constantini imp. tempora permansit. Post quae cum triumpho paulatim oblitterari coepit. Ceterum ego quemadmodum de triumphis feci, ita & in his qui ornamentis triumphalibus ornati essent digerendis, multum laboraui. Quos tamen nonnisi usque ad Domitiani imperatoris tempora inuenire potui. Reliqui enim deinceps obscuri sunt, & incogniti, quod librorum auxilio destitutus, qui fuerint ne suspicari quidem potuerim. Ex Dione enim, Tranquillo, & Tacito, quorum ad ea usque tempora historiae tantum pertinent, fere omnes satis accurate concinnaui. Quod & de reliquis me aliquando facturum non omnino despero. Haec autem sunt que de ornamentis triumphalibus, eorum caussis, & initiis inuenire potuerim

De primo Romuli triumpho, & spolijs opimis

Finitimarum vrbi gentium animis ob raptarum virginum iniuriam irritatis, Caeninenses primi non expectato ceterorum populorum subsidio, cum eorum rege Acrone in agrum Romanũ impetum fecere. Quibus effuse vastantibus obuius factus cum exercitu Romulus, leui certamine eorum exercitum fudit, fugauitque, fusum persequutus; regem eorum Acronem in proelio obtruncatum spoliauit. Duce hostium occiso, vrbem primo impetu cepit, inde exercitu uictore reducto, in vrbem ea ratione, de qua supra dixi, reuersus primus Romae Liberi patris exemplo triumphum, seu potius triumphi umbram Romanis ostendit. Hicque primus Romae triumphus actus est. Qui quum triumphans in vrbem reuerteretur, spolia occisi hostium ducis Acronis suspensa, fabricato ad id apto ferculo gerens in Capitolium ascendit, ibique eam quum ad quercum pastoribus sacram deposuisset, simul cum dono, designauit templo Iouis fines, cognomenque addidit deo: Iuppiter Fereetri (inquit) haec tibi

uictor Romulus rex regia arma fero, templumque iis regionibus, quas modo animo metatus ſum dedico, ſedem opimis ſpoliis, quae regibus ducibusque hoſtium caeſis, me auctorem ſequentes poſteri ferent. Haec autem templi eſt origo, quod primum omnium Romae ſacratum eſt. Ita deinde diis uiſum, nec inritam conditoris templi uocem eſſe, qua laturos eò ſpolia poſteros nuncupauit, nec multitudine compotum eius doni uulgari laudem; bina poſtea intra tot annos, tot bella opima parta ſunt ſpolia, adeo rara eius ſortuna decoris fuit. Ita libro primo Liuius. Eadem referunt Dionyſius lib. II. Meſſalla libro I. Valerius Maximus libro III. cap. II. Solinus cap. II. Plutarchus in Romulo, L. Florus libro I. Auctor libri de viris illuſtribus, Euſebius in chronico, & Oroſius. Ceterum de ſpoliis opimis a Romulo Acrone Caeninenſium rege occiſo relatis ideo hoc loco ſcripſi, quod in Capitolinis triumphis animaduerterim tertiorum ſpoliorum, quae M. Marcellus anno DXXX. rettulit, mentionem fieri. De quibus hac tradita fuiſſe a ueteribus ſcriptum inueni. Spolia opima ideſt ampla & magnifica ea erant, quae dux populi Romani hoſtium duci detraxit, quorum auſpiciis bellum utrinque gereretur. Dicta vt Varro libro IIII. de lingua Latina tradit ab ope, uel ut Plutarchus in Romulo ſcriptum reliquit, ab opere rei geſtae; quum ſit opus egregium, & clariſſimum ducem belli parem ſibi ductorem ſingulari certamine ſuperare. Varronis ſententiã Sex. Pompeius ſequi uidetur, qui ita ſcribit: Opima ſpolia dicuntur originem quidem trahentia ab ope Saturni uxore, quod ipſe Saturnus agrorũ cultor habetur, nominatus a ſatu, teneusque ſalcem effingitur, quae eſt inſigne agricolae. Itaq; illa quoque cognominatur Veſta, & eſſe exiſtimatur terra, ideóque in Regia colitur a populo Romano, quia omnes opes humano generi natura tribuat; ergo & opulenti dicuntur terreſtribus rebus copioſi; & hoſtiae opimae, praecipuae, pingues, & opima magnifica & ampla; Vnde ſpolia quoque quae dux populi Romani duci hoſtium detraxit, opima dicuntur. Quorum tanta raritas eſt; ut intra annos paulo minus DXXX. tantum trina contigerint nomini Romano. Vna quae dux Romulus de Acrone; Altera quae Coſſus Cornelius de Tolumnio; Tertia quae M. Marcellus de Virdumaro fixerunt. M. Varro ait: Opima ſpolia eſſe etiam ſi manipularis miles detraxerit, dummodo duci hoſtium detraxerit. Quod autem omnia ſolita non ſint, ad aedem Iouis Feretri poni teſtimonio eſſe libros pontificum: in quibus ſit: pro primis ſpoliis boue, pro ſecundis Solitaurilibus, pro tertiis agno publice fieri debere. Eſſe etiam Pompili regis legem opimorum ſpoliorum talem: Cuius auſpicio claſſe procincta, opima ſpolia capiuntur, Ioui Feretrio darier oporteat, & bouem caedito, qui cepit aeris CCC. Secunda ſpolia in Martis aram CC. Solitaurilia utra uoluerit caedito. Tertia ſpolia Iano Quirino agnum marem caedito C. qui ceperit ex aere dato. Cuius auſpicio capta diis piaculum dató. Ita Sex. Pompeius. Quod uero apud Sextum Varro ſcribit: ea opima ſpolia etiam eſſe quae manipularis miles detraxit, dummodo hoſtium duci detraxerit; id nequaquam obſeruatum fuiſſe uidetur: nam P. Scipio Aemilianus in Hiſpania, & M. Licinius Craſſus ſub Augusto in Thracia, duces hoſtium interfecerunt, quod quia alienis auſpiciis militabant, ſpolia opima non rettulerunt. Seruius poſtremo exponens illum Virgilii verſum. Tertiaque arma patri ſuſpendet capta Quirino.: Prima Ioui, ſecunda Marti, tertia Quirino dicata fuiſſe ex lege Numae Pompilii ſcribit. Idem in Marcello docet Plutarchus

De reliquis Romuli triumphis

Prima Romulo arma illata ſunt a Latinis finitimis, ſecunda ab Etruſcis. Latinos ab bellum dolor acceptae a Romulo iniuriae accendit, quos benigne atq; amice cum vxoribus ad ludos inuitatos, raptis in vrbe ex compoſito vrginibus, grauiſſima ille contumelia affecerat. Hi Caeninenſes, Cruſtumini, Antemnates, & Sabini fuerunt. Camerinos porro ex Latinis, ac Fidenates & Veientes ex Etruſcis ſpes praedae ad Romanum agrum populandum incitauit. Itaque omnibus iis bello intra aliquot annos deuictis, Romulus primum (ut dixi) de Caeninenſibus, Cruſtuminis, & Antemnatibus; iterum de Camerinis, tertium de Veientibus & Fidenatibus triumphauit: ut Dionyſius libro II. ſcribit. Solinus vero cap. II. Romulum primum de Caeninenſibus, iterum de Camerinis, tertium de Veientibus triumphaſſe tradit. Nam Plutarchus de Caeninenſibus tantum, ac poſt de Veientibus & Fidenatibus triumphatum, & quidem Veientium regem ipſum ſenem in triumpho ductum eſſe Idibus Octobris prodit. Quum autem animaduerterim in Capitolinis triumphis, dies, & annos ab vrbe condita unicuique triumpho adſcripta fuiſſe, eorũ rationem quantũ poſſem in his quae ego reſtitui ſequi decreui. Quare anno ab vrbe condita IIII. primo triumphatũ eſſe ſcripſi, quia Dionyſius eo anno mulieres raptas fuiſſe credat, potius quam ut quidam ſcripſerunt, menſe quarto. Quod ſi quarto anno virgines raptae ſunt, eodem quoque anno uicti ſunt Caeninenſes, qui mulierum cauſſa bellum Romanis intulerunt, quare & ipſo anno procul dubio de iis triumphatum eſt. De Camerinis autem anno XVI. circa Kal. Sextiles triumphatum ideo ſcripſi; quia Plutarchus ait victos Camerinos a Romulo eo anno, eoque

die Romam esse translatos tradit. ex quo intelligi potest aut eodem die, aut paulo ante triumphũ id actum fuisse. De Veientibus porro Idibus Octobris triumphatum idem scribit. Cuius tamen triumphi annum ne coniectura quidem consequi potui. Quum autem varia sint (ut dixi) triumphorum genera, obseruaui M. Verrium Flaccum quum triumphos exararet, quoties curru Iem triumphum, eumque terrestrem, & in vrbem actum significare uellet, ea scribendi formula uti, quam ego adscripsi. Est enim oratio praecisa, quum verbum triumphauit, ubique desideretur. In reliquis autem quum ouatio esset, additum ouans, quum naualis, additum naualem egit, quum extra vrbem, additũ in monte Albano, quae omnia & similia suis locis singillatim ostendã

De reliquis regum, consulum, dictatorum, proconsulum, propraetorum & imperatorum triumphis

Trium triumphorum Tulli Hostilii regis de Albanis, de Fidenatibus, & de Sabineis meminit Dionysius libro III. Ideo Macrobius parum accurate scripsit, qui tradit libro I. cap. V. hunc regem bis de Albanis, & tertium de Sabinis triumphasse

Ex duobus Anci Martii regis triumphis Dionysius libro III. eius quem de Veientibus egit, M. vero Flaccus eius quem de Sabineis meminerunt. Fragmentum enim tabulae Capitolinae NEIS. ante L. Tarquinii Prisci regis triumphos ad hunc regem pertinere ratus, pro Sabineis Interpretatus sum. Quos ab eodem post triumphum Veientẽ uictos fuisse Dionysius nulla triumphi habita mentione tradit

De tribus L. Tarquinii Prisci regis triumphis praeter Verrium Flaccum in tabulis Capitolinis, Dionysius libro III. mentionem facit. idest de Latineis, de Etruscis, & de Sabineis. Auctor vero libri de viris illustribus, de Sabinis eum tantũ, & priscis Latinis triumphasse ait. Liuius autem & Macrobius triumphi solum quem de Sabinis egit meminerunt. Ipsum Messalla, Florus, & Eutropius, ut etiam supra dixi, primum Romae triumphasse scribunt

Trium Ser. Tullij regis triumphorum de Etruscis M. Verrius Flaccus in tabulis Capitolinis, Dionysius libro IIII. & Valerius Maximus libro III. cap. IIII. Victoriarum uero reliqui omnes scriptores meminerunt

Nemo auctor est, qui Tarquinium superbum triomphum ullum egisse scribat, praeter Verrium Flaccum in tabulae Cap. fragmento; qui eum bis triumphasse prodit; uerum de quibus populis triumphauerit, intercidit. Quapropter ego duos triumphos accipiendos esse conieci, unum quem de Volsceis, alterum quem de Sabinis egerit, praesertim quum hos populos ab eo victos Liuius, Dionysius, Messalla, & auctor libri de viris illustribus constantissime tradant

Anno primo libertatis partae, Etruscos a Superbo rege exacto concitatos, bellum populo Romano intulisse, de iisque victis P. Valerium Poplicolam consulem triumphasse praeter Verrium Flaccum, auctores sunt Dionysius libro V. Liuius libro II. Plutarchus in Poplicola, & Plinius de viris illustribus. Addit Plutarchus primum eum fuisse qui quadrigis uectus triumphauerit. Huic ego primus adscripsi ex obseruatione Capitolinorum triumphorum. Nam qui in aliquo magistratu alicuius instituti auctor est, is ita describitur, ut infra

Q. PVBLILIVS. PHILO. PRIMVS. PRO. COS. & cet. C. DVILIVS. PRIMVS. NAVALEM EGIT. & cet. P. autem Valerium primum fuisse qui cos. triumphauerit animaduertunt Dionysius, & Plutarchus

Fragmenta triumphorum Capitolina reliquos deinceps triumphos usq; ad M'. Valerium Maximum dictatorem comprehendunt, atque inter eos hos commemorant, quos hoc anno M. Valerius Volusus, & P. Postumius Tubertus de Sabinis egerunt. Quorũ praeterea Dionysius libro V. Liuius libro II. Plutarchus in Poplicola, & Eutropius libro primo meminerunt

P. Valerii Poplicolae II. cos. IIII. de Sabinis, & Veientibus Verrius Flaccus: Dionysius, Liuius, & Plutarchus de Sabinis tantum meminerunt. Auctor vero libri de uiris illustribus; Poplicolam ait primum de Veientibus, iterum de Sabinis, tertium de vtrisque gentibus triumphasse. Quamquam ego bis tantum eum triumphasse arbitror quod etiam ex Fastis Capitolinis intelligitur. Existimo autem Plinium duorũ fratrum Publii & Marci triumphos in unũ cõfundisse

T. Lucretii Tricipitini triumphum Verrius Flaccus, & reliqui omnes praeter Dionysium & Liuium omiserunt. Hi enim eum de Sabinis cum Poplicola collega triũphasse cõstãter asserũt

Ouationis primae P. Postumii Tuberti cos II. triumphique Agrippae Menenii Lanati de Sabineis Verrius Flaccus, Dionysius libro V. Liuius libro II. Plinius lib. XV. cap. XXIX. & Plinius de viris illustribus meminerunt

Sp. Cassii Viscellini de Sabineis Verrius Flaccus, Dionysius libro V. & Liuius libro II

Opitris Virginii Tricosti, triumphum de Camerinis & AuRunceis Verrius Flaccus, & reliqui omnes praetermittunt praeter Liuium, qui libro II. rem bene gestam ab utrisque consulibus

in

in Auruncos scribit, deque iis magis ob iras grauiter vltas, quam ob magnitudinem perfecti belli consules triumphasse prodit

A. Postumii Albi dictatoris de Latineis Verrius Flaccus, Dionysius libro VI. & Liuius libro II. meminerunt

P. Seruilium Priscum cos. de Volsceis primum sine S.C. triumphasse, solus commemorat Dionysius libro VI. Eum enim omnes praeterea ueteres scriptores cum Verrio Flacco omittunt

M. Valerii Maximi dictatoris de Sabineis Verrius Flaccus, Dionysius libro VI. Liuius libro II.

Consulum T. Sicinii Sabini de Volsceis, & C. Aquillii Tusci ouantis de Hernicis Dionysius libro VIII. meminit

Sp. Cassii Viscellini II. cos. III. de Volsceis & Herniceis Dionysius libro VIII. & Valerius Maximus libro VI. capite III. Huius triumphi extat in fragmento Capitolino uerbum IVNI

P. Valerii Poplicolae cos. de Veientibus, Sabineisque, praeter Verrium Flaccum, Dionysius libro IX. meminit

A. Manliũ Vulsonẽ ouantẽ, quod inducias cum Veientibus fecerit commemorat Dionysius libro IX. cuius rei in tabula capitolina ita mentio superest ANN. CCLXXIX. IDIBVS. MART

T. Quinctij Capitolini Barbati cos. II. de Volsceis Anriatibus, Dionysius libro IX

De triumpho L. Lucretii Tricipitini, & ouatione Sp. Veturii Crassi consulum de Volsceis & Aequeis Dionysius libro IX. & Liuius libro III. mentionem faciunt

De triumphis quoque Q. Fabii Vibulani cos. III. de Aequeis, & L. Cornelii Maluginensis Cos. si cos. de Volsceis, praeter Verrii Flacci fragmẽtum, Dionysius libro X. & Liuius Libro III. mentionem faciunt

L. Quinctij Cincinnati dictatoris de Aequeis fragmentum Capitolinum, Dionysius libro X. Liuius libro III. & is qui de viris illustribus scripsit, victoriae uero omnes ueteres scriptores meminerunt

Triumphorum L. Valerii Poplicolae Potiti cos. de Aequeis, & M. Horatii Barbati consulis de Sabineis, praeter Verrium Flaccum in Capitolino fragmento, Dionysius quoq; libro XI. & Liuius libro III. mentionem faciunt

M. Geganij Macerini cos. II. triumphum de Volsceis uestigia fragmenti Capitolini, & Liuius libro IIII. commemorant

Mam. Aimilii dictatoris de Fidenatibus praeter Verrij Flacci fragmenta, Liuius quoque libro IIII. meminit, ex quo & Diodoro libro XII. sequentemquoque Tuberti triumphum digessi

De triumpho A. Cornelii Cossi consulis de Veientibus, & spolijs opimis secundis

A. Cornelium Cossum opima spolia secunda Larte Tolumnio Veientium rege interfecto, retulisse, tradunt uno consensu omnes ueteres scriptores. Quo uero in magistratu id fecerit, inter se variant auctores. Quidam enim ipsum tribunum militum, alii magistrum equitum, alii vero consulem ea rettulisse scripserunt. Liuius omnes ante se auctores sequutus, tribunum militum Mamercino dictatore II. fuisse prodit. Valerius libro III. capite II. magistrum equitum. Magister autem equitum fuit Mamercino dictatore III. anno CCCXXXVIII. Cuius verba sunt haec: a Romulo proximus Cornelius Cossus eidem deo spolia consecrauit, quum magister equitum ducem Fidenatium in aciem congressus interemisset. Item auctor libri de viris illustribus: Fidenates (inquit) ut sine spe ueniae fortius dimicarent, legatos ad se missos interfecerunt, ad quos Quinctius Cincinnatus dictator missus, magistrum equitum habuit Cornelium Cossum, qui Larrem Tolumnium ducem sua manu interfecit. De eo spolia opima secundus ab Romulo consecrauit. Quam autem & in bello, & in magistratibus nominandis fallatur nemo non intelligit. Qui vero ab eo consule relata esse spolia dicunt, has potissimum rationes afferunt. Primum quod opima spolia ea rite habentur, quae dux duci detraxerit, nec dux est nisi cuius auspicio bellum geritur, tribunus autem militum non consulari potestate, ut Cossum fuisse a Liuio traditur, & magister equitum, alieno pugnant auspicio. Itaque quemadmodum nec Torquatus, nec Coruus, nec Aimilianus (ut tradit Valerius de fortitudine) hostiũ ducibus interemptis, quia alienis auspiciis rem gesserant tribuni militum quum essent, spolia Ioui Feretrio non posuerunt, sic nec Cossum quidem tribunum, aut equitum magistrum spolia consecrare potuisse. Dio etiam libro LI. M. Crassum Bastarnarum regem Deldonem interfecisse ait, atq; de eo spolia opima Ioui Feretrio fuisse relaturum, si ipse imperator dux fuisset, siquidem id bellũ Augusti auspicijs, non Crassi gerebatur. Accedit quod Plutarchus in Romulo Cornelium Cossum ait quadriga urbem inuectum spolia rettulisse. Quadriga autem uehi nisi triumphans poterat, triumphare uero nisi qui suo auspicio rem gesserat, ut est apud Valerium de iure triumphandi. Postremo scribit Liuius se audisse Augustum Caesarem ingressum aedem Iouis Feretrii, quam uetustate delapsam refecit, dicentem, seipsum in thorace linteo scriptum legisse; Cos-

sum

sum ea spolia consulem dedicasse. His rationibus ego adductus triumphum A. Cornelii Cossi cum relatis ab eo opimis spoliis, in eum annum contuli, quo consul fuit, quamquam scribit Liuius, quum Veientes & ex Fidenatum iuuentute quidam hoc anno in agrum Romanum excursiones fecissent, cognitionem eius rei L. Sergio, Q. Seruilio, & Mam. Aimilio esse permissam, nec bello rem transactam esse. Spolia autem secunda Marti non Ioui dicata fuisse, ex lege Numae paulo ante ex Sex. Pompeio, & Seruio animaduerti

De reliquis triumphis

Triumphos omnes qui a Mam. Aimilio Mamercino dictatore III. de Veientibus, & Fidenatibus, usque ad M. Furium Camillum IIII. dictatorem V. de Gallis Senonibus gesti sunt, ex Liuii libris IIII. V. & VI. precipue digessi

M. Furii Camilli dictatoris de Veientibus, praeter Liuium libro V. Valerius libro IIII. cap. I. Plutarchus in Camillo, Plinius libro XXXIII. cap. VII. Florus libro I. cap. II. Auctor libri de viris illustribus, Diodorus, Gellius libro XVII. cap. XXI. Eutropius, & plerique alii meminerunt. In cuius triumphi pompa quattuor equis albis Camillus primus usus est

M. Furii Camilli dict. II. de Gallis Senonibus, praeter Liuiũ lib. V. Plutarchus, Eutropius, & Cassiodorus mentionem faciunt. Quum autem supra ego ex Plutarcho demonstrauerim Gallos Se nonas Idibus Februariis a Camillo vrbe expulsos fuisse, uerosimile est, ipsum non longe post de iis triumphasse, quare ego . . . . Kal. Martias notaui

M. Furii Camilli III. dict. III. de Volsceis, Aequeis, Etrusceisque Liuius libro VI. Plutarchus, Eutropius libro II. & Orosius meminerunt

T. Quinctii Cincinnati dictatoris de Praenestinis, praeter Liuium libro VI. Eutropius libro II meminit

Triumphi M. Furii Camilli IIII. dictatoris V. de Gallis Senonibus Liuius in fine libri sexti, Plutarchus in Camillo, Appianus in Celtico, uictoriae uero omnes fere reliqui scriptores meminerunt

De triumpho Ap. Claudi dictatoris, cuius in Verrii Flacci consularibus fragmentis cognomina Crassini Regillensis supersunt, nemo quod sciam meminit. Eum tamen de Hernicis triumphasse subindicant primum fragmenta triumphalia Capitolina, in quorũ extremo est NOVEM ANN. CCCXCI. Quo anno triumphatum fuisse proculdubio intelligitur. Quum autem eo anno L. Genucius cos. qui primus e plebe bellum suis auspiciis gessit, in Hernicos profectus, atq; ab ijs insidiis circumuentus occisus fuisset, eaque de caussa dictatorem consensu patriciorum Seruilius consul dixisset Ap. Claudium; a quo, quamquam non incruenta uictoria, Hernici (ut tradit Liuius) victi sunt, necesse est eum de iis hoc anno etiam triumphasse. Cuius tamen triumphi mentionem omisit Liuius. Nam ex consulibus alter caesus est, alter bello abstinuit. Res per dictatorem transacta est. Illud adde quod Tranquillus in Tiberio sex gentis Claudiae patriciae triumphos memorat; qui numerus hoc adempto non responderet

T. Quinctium Penum Capitolinum Crispinum dictatorem de Galleis triumphasse ex triumphalibus Capitolinis tabulis intelligitur, in quarum fragmento est ALIBVS. AN. CCCXCII. triumphi enim nemo aperte meminit, victoriae vero Appianus in Celtico. Eum Licinius Macer comitiorum habendorum caussa creatũ scribit. Liuius cum Verrio Flacco rei gerundae caussa prodidit. Quirinalia autem festa erant, quae XIII. Kal. Martij celebrabantur, ut ex antiquo Kalendario liquet. De quibus ita scribit Sex. Pompeius: Quirinalia mense Februario dies fuit quo Quirini sacra fiebant; & stultorum feriae appellabantur & cet

De C. item Sulpicij cos. II. triumpho nemo tradit. Quoniam autem Verrius Flaccus, eum anno CCCXCV. dictatorem triumphasse iterum scripsit, atque in eorundem tabularum fragmento exaratum sit . . . R T. ANN. CCCXCII. ego suspicatus sum id hoc anno primo factum. Cuius uictoriae Liuius libro VII. meminit

De triumpho C. Poetelii cos. de Gallis & Tiburtibus Verrius Flaccus, & Liuius libro VII. meminerunt. A quo triumpho, usque ad annum CDLI. omnes supersunt tabularum Capitolinarum triumphi

M. Fabium Ambustum cos. de Hernicis ouationem egisse, praeter Verrium Flaccum, Liuius libro VII. commemorat

C. Sulpicij Petici II. dictat. de Gallis Liuius libro VII. cum Flacco, eius vero uictoriae reliqui omnes meminerunt

C. Plautium Proculum cos. triumphasse de Hernicis solum in tab. cap. scriptum est, cuius uictoriae tantum Liuius meminit

C. Marcii Rutili cos. de Priuernatibus Verrius Flaccus, & Liuius libro VII

C. Marcium Rutilum dictatorem primum de plebe creatum. II. de Tuscis sine auctoritate patrum

Aequos profectos, eorum nomen prope ad internicionem deleuisse, deque ijs triumphatum esse

De triumpho de Aequis C.Iunij Bubulci Bruti II.dictatoris, cum Verrio Flacco, Liuius libro X.mentionem facit

Triumphi M.Valeri Corui IIII.dict, II.de Etrusceis Liuius libro X.& Verrius Flaccus, a quo hic triumphus initio alterius parastatae in tabulis Capitolinis incisus est, ut latius supra demonstraui. Haec autem parastata praeter aliquot paucos triumphos, fere integra superest, protenditur enim usque ad spolia opima M.Claudii Marcelli, annumque vrbis DXXXI

De triumpho M.Fuluij Paetini cos. de Samnitibus solus Verrius Flaccus, Liuius enim libro X.tantum uictoriae meminit

Cn.Fuluium Centumalum consulem de Samnitibus,& Etruscis triumphasse scribit Verrius Flaccus, quod mirum uideri potest, quia Liuius libro X.a Scipione consule rem cum Etruscis gestam scribit, nulla triumphi eius mentione facta. Cn.autem Fuluium bene re gesta de Samnitibus triumphasse, quibus bellum indictum erat, quod Lucanis sociis populi Romani arma intulerant, eorumque fines populati erant

Q.Fabii Maximi Rulliani.III.cos.V.de Samnitibus, Etrusceis,& Galleis Verrius Flaccus, Liuius libro X. Auctor libri de uiris illustribus, uictoriae uero Orosius, Eutropius, Florus,& Cicero II de finibus, & in Catone meminerunt

L.Postumium Megellum II.cos.II.de Samnitibus,& Etrusceis, & M.Atilium Regulum de Volsonibus,& Samnitibus triumphasse Verrius Flaccus memoriae mandauit. Liuius uero libro X. Atilio triumphum a patribus negatum scribit ob amissa in Samnio septem millia militum, & trecentos, & quod captiuos sine pactione ad Luceriam in Apulia sub iugum misisset. Postumium uero inuicto senatu de Samnitibus & Etruscis, auxilio tribunorum plebis triumphasse. Obstabat enim senatus, quod tardius ab urbe ualetudinis caussa exiisset, & quod iniussu senatus ex Samnio in Etruriam transiisset. Postumium auctor est Claudius in Samnio captis aliquot vrbibus, in Apulia fusum, fugatumque saucium ipsum cum paucis Luceriam compulsum; ab Atilio in Etruria res gestas; ipsumque triomphasse. Fabius ambos consules in Samnio, & ad Luceriam res gessisse scribit, traductumque in Etruriã exercitum, sed ab utro consule non adiecit,& ad Luceriã utrinq; multos occisos. Haec Liuius

Sp.Caruilium Maximum,& L.Papirium Cursorem consules de Samnitibus triumphasse praeter Verrium Flaccum, Liuius quoque libro X. memoriae prodidit. Qui addit Caruilium de Samnitibus, & Etrusceis triumphum egisse. Cuius triumphi etiam Plinius libro XXXIIII. cap.VII.meminit

De triumpho Q.Fabii Gurgitis pro consulis de Samnitibus mentio adhuc superest in fragmẽto tabulae triumphalis Capitolinae, apud Florum in epitoma libri XI. Valerium libro V.cap.VII Plutarchum in Verrucoso,& Macrobium libro III. cap.VII.Saturnalium. Huius uero uictoriae Eutropius,& Orosius meminerunt

M'.Curium Dentatum consulem bis in eodem magistratu de Samnitibus, & Sabinis triumphasse, atque de Lucanis ouasse, Florus ex Liuio in epitoma libri XII. Cicero in Catone, Velleius libro I. Appuleius in apologia prima, Plutarchus in Catone, & in apophtegmatis,& Plinius libris IX.& XVIII.cap.XXXV. & III.& Auctor libri de uiris illustribus sic: M'. Curius Dentatus primo de Samnitibus triumphauit, quos usq; ad mare superum pacauit. Iterum de Sabinis triũphauit, tertio de Lucanis ouans iniuit vrbem. Quem auctorem sequutus ouationis etiam memini, ut quum de Pyrrho triumphauit, quartum triumphauerit, quemadmodum in Capitolino eius triumpho incisum est

P.Cornelium Rufinum consulem de Samnitibus cum Curio triumphasse primum ex his Eutropii uerbis scripsi: Deinde P. Cornelius Rufinus & M'.Curius Dentatus consules ambo contra Samnites missi ingentibus proeliis eos confecere. Tum bellum cum Samnitibus per annos XLIX.gestum sustulerunt. Quare quum M'.Curium ex eo bello triumphasse inuenerim, P.quoque Rufinum uictoriae socium triumphum egisse scripsi, praesertim quum Plinius libro IIII. cap.LXIII. de hoc loquens ita scripserit: Propter quinque pondo notatum a censoribus triumphalem senem fabulosum uidetur

P.Cornelium Dolabellam Maximũ consulem de Gallis Senonibus triumphasse nemo aperte tradit; quin autem gloriosissima parta uictoria triumphauerit, ne dubitari quidem posse opinor, praesertim quum de ea sic scribat Eutropius: Interiectis aliquot annis, iterum se Gallorum copiae contra Romanos Tuscis Samnitibusque se iũxerunt, sed quum Romam tenderent a P.Cornelio Dolabella consule deletae sunt. Et Florus: Post aliquot annos omnes reliquias Gallorum in Etruria ad lacum Vadimonis Dolabella deleuit, ne quis extaret in ea gente, qui incensam a se vrbem Romam gloriaretur. Ob quam precipue uictoriam hunc Dolabellam Maximi cognomen acquisisse arbitror C.Fab-

C.Fabricium priore hoc consulatu triumphasse ex Capitolinis fragmentis intellexi; Primum quia eundem consulem iterum, triumphasse iterum scribunt, deinde quia uestigia extant etiam prioris triumphi: nam syllabae illae EISQVE, quae sunt proximae ante triumphum Q.Marcii consulis, sine dubio ad hunc C. Fabricium pertinent; qui in consulatu praecessit Q. Marcium. Triumphasse autem Fabricium scripsi de Samnitibus, Lucaneis, Brutijsque quod Florus libro XII. ita scribit: Aduersus Samnites, Lucanos, Bruttios, & Etruscos bene pugnatum a compluribus ducibus

Q.Marcium Philippum consulem de Etruscis triumphasse solus prodit Verrius Flaccus. Ad quem triumphum pertinent epitome uerba quae superius citaui. Adde quae Iornandes scribit, nondum Etrusco bello confecto cum Tarentinis bellari coeptum

Ti.Coruncanii cos.de Vulsiniensibus,& Vulcientibus nemo praeter Verrium Flaccum, uictoriae vero tantũ Florus meminit: ad quem triumphum epitome verba pertinent libro XI.& XIII Res contra Etruscos prospere gestas continet

L.Aimili Barbulae pro cos. de Tarentinis, Samnitibus, & Sallentineis solus Verrius Flaccus meminit. De victoria vero multa scribit Zonaras tomo historiarum secundo

De triumpho C.Fabricii II. cos.II. de Lucaneis, Bruttijs, Samnitibus, & Tarentineis praeter Verrium Flaccum, Eutropius libro II.de uictoria uero Cicero in L.Pisonem, Florus in epitoma libri XIII.Valerius libro I.cap.VIII. Plinius libro XXXIIII.cap.IX. meminerunt

C.Iunii Bubulci cos.II.de Lucaneis, & Bruttiis Verrius Flaccus; victoriae uero Zonaras mentionem fecerunt

Q.Maximi Gurgitis II.cos.II.de Samnitibus, Lucanis, Bruttiisque solus Verrius Flaccus

M.Curii Dentati IIII.cos.III.de Samnitibus,& Rege Pyrrho Verrius Flaccus Cicero in Catone,& in oratione pro Muraena, Eutropius libro II. Plinius libro XI.cap.XXXVII. Plutarchus in Catone maiore, Auctor libri de viris illustribus, Valerius libro IIII.cap.III. & alii. Et Florus sic: Nec ullus pulchrior in vrbem aut speciosior triũphus intrauit, quũ ante hunc diem nihil nisi pecora Volscorum, greges Sabinorum, carpenta Gallorum, fracta Samnitium arma uidisset. Tum si captiuos aspiceres, Molossi, Thessali, Macedones, Bruttius, Apulus, atque Lucanus. Si pompam, aurum, purpura, signa, tabulae, Tarentineque deliciae; sed nihil libentius populus Romanus aspexit, quam illas quas timuerat cum turribus suis belluas, quae non sine sensu captiuitatis summissis ceruicibus uictores equos sequebantur

L. quoque Cornelium Lentulum cos.de Samnitibus, & Lucanis triumphasse praeter fragmẽtum Capitolinum, Plinius quoq; libro XXXIII.cap.II.& Plutarchus in Pyrrho innuere uidẽtur

C.Claudii Caninae cos.II. de Lucanis, Samnitibus, Bruttiisque solus quod sciam, meminit Verrius Flaccus

Sp. Caruilii Maximi II. cos. II. & L.Papirii cursoris II. cos. II. de Lucanis, Bruttiis, Samnitibus,& Tarentinis praeter fragmenta Verrij Flacci nemo, victoriae uero omnes ueteres horum temporum scriptores meminerunt. Hac victoria magna Italiae pars in potestatem populi Romani redacta est, victis praesertim Tarentinis, Samnitibus, Lucanis, & paulo ante Gallis Senonibus,& Etruscis.

Cn.Cornelium cos.de Sassinatibus triumphasse solus quod sciam indicat Verrius Flaccus. Sassina autem eadem quae Sarsina est Vmbriae oppidum. Vmbros autem hoc tempore mouisse apparet ex Floro in epitoma libri XV

P.Sempronium Sophum, & Ap. Claudium Crassinum consules de Picentibus triumphasse, praeter Verriũ Flaccũ, docet Eutropius, qui triũphi; Florus,& Orosius, qui victoriae meminerũt

M. quoque Atilium Regulum, & L.Iulium Libonem consules de Sallentinis uictis triumphasse iidem auctores sunt. Auctor quoque libri de viris illustribus M. Atilium Regulum de Sallentinis triumphasse scribit. Cicero uero libro II.de finibus, ipsum Regulum bis consulem,& triumphalem fuisse tradit

D.Iunius Pera, & N.Fabius Buteo cos.de Sassinatibus primum, deinde de Sallentinis, Messapiisq; bis in eodem magistratu triumpharunt. Quod & Verrius Flaccus notauit & haec uerba Flori in epitoma libri XV. probant: Vmbri & Sallẽtini uicti in deditionem accepti sunt. Eutropius quoque per haec tempora de Sallentinis triumphatum ait.

De triumpho M.Fuluii Flacci cos.de Vulsiniensibus nemo, praeter Verrium Flaccum scribit. De qua victoria sic Florus: Postremi Italicorum in fide mansere Vulsinii opulentissimi Etruscorum implorantes opem aduersus seruos quondam suos, qui libertatem à dominis datam in ipsos erexerunt, translataque in se rep. dominabantur, sed ii quoque duce Fabio Gurgite poenas dederunt. Auctor vero libri de viris illustribus Vulsinios a Decio Mure expugnatos scribit

Ap.Claudii Caudicis cos. triumphũ de Poenis,& rege Siculorũ Hierone praeteriit Verrius Flaccus,

eus, qui tabulas Capitolinas consulares, triumphalesque digessit, quem tamen ego ex Silii Italici, & Eutropii testimoniis interposui. Cuius egregiae victoriae meminit etiam Polybius

De triumpho M. Valerii Messalle cos. nemo, quod sciam, praeter Verrium Flaccum, uictoriae uero omnes qui horum temporum historiam scripserunt meminere, & in primis Polybius, Valerius, Macrobius, Censorinus, & Plinius

De primo triumpho nauali, quem C. Duilius cos. egit Verrius Flaccus in tabulis Capitolinis, & ceteri quos supra commemoraui, mentionem faciunt

De triumpho L. Cornelii Scipionis cos. de Poenis, & Sardinia, & Corsica Verrius Flaccus, & Eutropius, victoriae vero Polybius, Valerius, Florus in epitoma libri XVII. Orosius lib. IIII. cap. VII. & Frontinus libro III. meminerunt

C. Aquilli Flori cos. de Poenis nemo, praeter Verrium Flaccum, mentionem facit

C. Sulpicii Paterculi cos. de Poenis & Sardeis nemo, praeter Verrium Flaccum verbum facit

A. vero Atilium Calatinum praetorem ex Sicilia de Poenis triumphasse Verrius Flaccus, & Au ctor libri de viris illustribus memoriae prodiderunt. De cuius victoria Polybius, Florus, Gellius, Eutropius, & Orosius mentionem fecerunt

Triumphi naualis C. Atilii Reguli de Poenis Verrius Flaccus cum Valerio, victoriae vero Plinius, Auctor libri de viris illustribus, Florus, & Orosius meminerunt

L. quoque Manlium Volsonem Longum naualem de Poenis egisse scribit Verrius Flaccus. De uictoria Polybius, Eutropius, & plerique alii meminere: ex qua naualis hic triumphus facile confirmari posset

Ser. Fuluium Paetinum Nobiliorem, & M. Aimilium Paullum proconsules duos triumphos nauales egisse de Cossurensibus, & Poenis Verrius Flaccus docet, praeterea nemo: Cossura au tem insula est in mari Africo

Cn. Cornelii Scipionis Asinae pro consulis, & C. Sepronii Blaesi consulis de Poenis solus quod sciam, meminit Verrius Flaccus

De triumpho C. Aurelii Cottae cos. de Poenis, & Siculis nemo scribit praeter Verrium Flaccum. Victoriae uero Polybius, Valerius, Frontinus, & Orosius meminerunt

De speciosissimo triũpho L. Caecilii Metelli pro consul. de Poeneis praeter Verriũ Flaccum Florus lib. XIX. Orosius, Eutropius, & Plin. lib. VI. cap. XLIII. & lib. XVIII. cap. XII. meminerunt

Triumphorum naualium C. Lutatii Catuli pro consulis, & Q. Valerii Faltonis propr. de Poenis meminerunt Verrius Flaccus, Florus, & Valerius libro II. cap. III. Q. autem Falto primus pro praetore triumphauit. Post hunc triumphum pax cum Poenis facta

De triumphis uero Q. Lutatij Cerconis cos. & A. Manlii Torquati Attici cos. II. de Faliscis Verrius Flaccus, de victoria uero Valerius libro VI. Florus libro XIX. Eutropius, Plutarchus in Gracchis, & Orosius mentionem faciunt

Q. Fuluii Flacci consulis de Liguribus triumphum Verrius Flaccus omittit, quem tamen ex Flori verbis interposui, qui Ligures, cum quibus primo bellari ceptum erat, a Fuluio uictos tradit: Itemque Eutropio qui de his triumphatum esse a cos. scribit. Verrius autem Flaccus eius tantum triumphi meminit, quem de iisdem L. Cornelius Lentulus Caudinus cos. egit

T. Manlium Torquatum cos. de Sardis triumphasse notatum est in tabulis triumphalibus Capitolinis, & Eutropio, de cuius uictoria Polybius, Liuius libro XXIII. Florus in epitoma lib. XX Paterculus libro II. & Orosius meminerunt

De triumpho Sp. Caruilii Maximi cos. de Sardis solus Verrius Flaccus mentionem facit

Triumphi vero Q. Fabii Maximi cos de Liguribus praeter Verrrium Flaccum meminerunt antiqua eius inscriptio, quam supra attuli, Plinius de viris illustribus, & in eius vita Plutarchus

Postremus omnium de Sardis Triumphauit M. Pomponius Matho consul, ut auctor est Verrius Flaccus, neque enim alius de eius hoc triumpho mentionem facit, a quo Sardinia omnio subacta fuisse uidetur

De C. Papiri Masonis cos. triumpho de Corsis, quem auctore Verrio Flacco, primus omnium Romanorum in monte Albano egit, satis supra verba feci. Ab hoc Corsica subacta fuit. Nam nullus praeterea extat de Corsis iustus triumphus

Cn. Fuluii Centumali procos. qui de Illyriis naualem egit, solus quod sciam meminit Verrius Flaccus; qui L. Postumii Albini pro cos. de eisdem Illyriis triumphum praeteriit. Quem tamen ego ex Polybio libro II. qui eius egregie uictoriae, & Eutropio qui triumphi mentionem faciunt, adiunxi

De triumpho L. Aimili Papi, quem de Gallis Cisalpinis Boiis, & Liguribus egit, praeter Verrium Flaccum, Polybius, Eutropius, & Florus mentionem fecerunt. Quo consule bellum Gallicum Cisalpinum cum Boiis, & Insubribus initum est

Triumphorum C.Flaminii de Gallis, & P. Furii Phili consulum de Gallis,& Liguribus Verrius Flaccus, Plutarchus in Marcello, Silius Italicus libro V.Liuius libro XXI.& XXXII. Eutropius, & Orosius meminerunt

De triumpho M.Claudii Marcelli cos.de Gallis Insubribus, & Germanis, spoliisque opimis ab eo relatis mentioné faciunt Verrius Flaccus in tabulis triũphalibus Capitolinis,Plutarchus in Marcello, Florus,Sex.Pompeius,& Frontinus libro IIII.victoriae vero Polybius.Virgilius quoque libro VI.de spolijs opimis M.Marcelli loquens,ita ait.

Aspice ut insignis spoliis Marcellus opimis
Ingreditur, victorque uiros supereminet omnes
Hic rem Romanam magno turbante tumultu
Sistet eques, sternet Poenos, Gallumq; rebellem
Tertiaque arma patri suspendet capta Quirino

Ceterum Boios, ac Insubres a Romanis paulo ante aduentum Hannibalis,sociis Venetis,ac Coenomanis oppressos,scribit Strabo libro V.

Porro autem cum Marcelli triumpho,eiusque opimis spoliis Verrius Flaccus secundae parastate finem facit

M.Minucio Rufo, & P.Cornelio cos.Istros primum arma mouisse,eosque uictos & subactos hoc anno fuisse referunt Florus in epitoma libri XX.Eutropius,& Orosius. Triumphasse auté consules nemo tradit. Ego autem aut ambos,aut certe alterum P.Scipionem triumphasse existimaui, ut de Sardis,Corsis, Illyriis,& Gallis his annis saepius triumphatum est, praesertim uero quum certa uictoria sit, iique subacti fuisse & domiti a cos.referantur. Meam hanc opinionem confirmant Liuii uerba libro XXXVIII. Qui negat exemplum proditum esse, ut imperator qui perduellibus deuictis, confecta prouincia, exercitum reportasset, sine curru, & laurea priuatus inhonoratusque vrbem iniret. Sed quoniam fieri potuit ut cos.alter tantum triumphum obtinuerit, quod etiam priore anno euenit, ut Claudius solus triumpharit, quamquam Cornelius egregiam operam bello Gallico nauarit, propterea triumphum de Istris soli Scipioni attribui, suspicatus Liuiũ si M. Minucius triumphasset, triumphum eius postea nõ fuisse praetermissurũ, tum quum de eo magistro equitum Q.Fabio dictatori aequato, atque eius inani ferocia dixit

L.Aimilium Paullum,& M.Liuium Salinatorem consules de Illyriis qui rebellauerant, victis triumphasse, auctor est Plinius in libro de viris illustribus. Quamquam Polybius confecti belli gloriam,triumphiq; L.Aimilio consuli tantum tribuat. Victoriae autem etiã Florus in epitoma libri XX.ex Liuio,& Iustinus libro XXIX. meminerunt

De triumpho M.Claudij Marcelli in monte Albano de Syracusaneis ex Sicilia, ouationeque qua postero die vrbem iniit, mentionem faciunt Liuius, Plutarchus,Valerius, Plinius in libro de uiris illustribus, & alii. Nam quum ei triumphus a patribus negatus esset, medium uisum, ut ouans vrbem iniret. Tribuni plebis ex auctoritate senatus ad populum tulerunt, ut M.Marcello quo die ouans vrbem iniret imperium esset, pridie quam vrbem iniret in monte Albano triumphauit, inde ouans,multum prae se praedam in vrbem intulit. Ita Liuius. Plutarchus quoque Marcellum notat quinquies consulem fuisse, & ter triumpsse; quod est,semel de Gallis, bis de Syracusaneis

De triumpho secundo Q.Fabii Maximi de Tarentineis,& Poeneis mentio est in antiquo eiusdem marmoreo elogio, cuius exemplum supra in commentariis libri primi, quum de eius altera dictatura loquerer, attuli

M.Liuium Salinatorem II.cos.II.& Ti.Claudiũ Neronem cos.de Poeneis & Hasdrubale triumphasse docent Liuius lib.XXVIII. Plinius de viris illustribus,& Frontinus Valerius uero libro IIII.C.Claudius Nero qui Liuii Salinatoris in opprimendo Hasdrubale particeps gloriae fuerat, eum triumphantem equo sequi, quam triumpho quem ei senatus aeque decreuerat, uti maluit, quia res in prouincia Salinatoris gesta fuerat. Sine curru ergo triumphauit. Ita & Liuius.Quam ob rem ego hunc Neronis triumphum alteram ouationem gentis Claudiae esse suspicatus sum, de quibus Tranquillus in Tiberio Caesare mentionem facit

P.Scipionis Africani pro cos.de Poenis, Hannibale, & Syphace Numidarum rege ex Africa, Liuius libro XXX. Polybius, Appianus, Florus, Eutropius & alii. Porro autem Liuius libro XXIX. P. Scipioni de Poeneis & Hannibale, ac Syphace rege triumphum decretum scribit

L.Cornelius Lentulus anno DXLVIII. proconsule Hispaniam citerioré sortitus est, successit enim P.Scipioni. Hoc autem anno ex Hispaniis rediit.Qui quum in senatu res ab se per multos annos fortiter,feliciterq; gestas exposuisset,postulassetq; ut triũphanti sibi urbem inuehi liceret, res triũpho dignas esse censebat senatus,sed exéplũ a maioribus nõ accepisse, ut qui neq; dictator

neque

neque consul neque praetor res gessisset, triumpharet, pro consule illum, prouinciam Hispaniam non consulem, aut praetorem obtinuisse, decurrebatur tamen eò ut ouans vrbem iniret, intercedente Ti. Sempronio Longo trib. pl. qui nihilo magis aut more maiorum aut ullo exemplo futurum dicebat, postremo uictus consensu patrum tribunus cessit, & ex S. C. ouans Lentulus urbem est ingressus. Atq; hic primus triumphus sine magistratu actus est. ita Liuius lib. XXXI

De triumpho L. Furii Purpureonis pr. de Gallis sic scribit libro XXXI. Liuius: Bellum Gallicũ L. Furio Purpureoni pr. decretum, Galli a praetore proelio uicti ac caesi sunt, triumphauit de Gallis in magistratu L. Furius pr. quamquam negãtibus eum triumphum maioribus natu, quod alieno exercitu Aurelii cos. rem gessisset, & quod prouinciam reliquisset, auiditate rapiendi per occasionem triumphi

Consulum C. Cornelii Cethegi de Gallis Insubribus, & Coenomanis, & Q. Minucii Rufi de Liguribus in monte Albano, meminit Liuius libro XXXIII

De ouatione Cn. Cornelii Lentuli pro cos. ex Hispania citeriore. Liuius libro XXXIIII

De triumpho M. Marcelli cos. de Comensibus, & Insubribus Liuius libro XXXV. mentionem facit. Cuius uestigia extant in fragmentis Capitolinis, in quibus superest MARCEL. & IVNON. M. idest ut ego interpretor Martias, extremo iam consulatu, qui tum Idibus Martii iniri consueuerat

M. Heluii Blasionis propr. qui ouans ex Celtiberia vrbẽ iniit, meminit Liuius libro XXXIIII. Cuius uestigia extant in fragmentis Capitolinis BLASIO. Heluii enim cognomen Blasio fuit, quod praeter fragmenta Capitolina docet etiam Dio, qui libro XLVI. Heluii cuiusdam Blasionis meminit

Q. Minucii Thermi propr. ex Hispania citeriore Liuius libro XXXIIII

M. Porcii Catonis pro cos. ex Hispania citeriore Liuius lib. XXXIII. Plutarchus in Catone, Appianus in Iberico, Plin. lib. XIIII. cap. IIII. Frõtinus, Auctor libri de uiris illustribus. Florus, & alii

Ti. Quinctii Flaminini pro cos. de rege Philippo ex Macedonia per triduum Cicero pro Muraena, in L. Pisonem, contra Rullum, Liuius libro XXXIIII. Plutarchus, Eutropius, Orosius, Valerius libro IIII. cap. VIII. & alii meminerunt

De M. Fuluio Nobiliore pr. ouante ex Hispania vlteriore Liuius libro XXXVI

P. Cornelii Scipionis Nasicae cos. de Boiis Galleis Liuius libro XXXVI

M. Acilii Glabrionis pro cos. de Aetolis, & rege Antiocho Liuius libro XXXVII

L. Aimilium Paullum, qui postea Persen Macedonũ regẽ uicit, hoc anno propraetore triumphasse subindicat Velleius libro primo his verbis: Tum S. P. Q. R. L. Aimilium Paullum qui & praetor, & consul triumphauerat cos. creauit, filium eius Paulli qui ad Cannas obierat. Is Persen ingenti proelio fusum &cet. Si autem in praetura, uel ex praetura triumphauit, non nisi ex Hispania ulteriore triumphauit, quam in praetura obtinuisse tradit libro XXXVI. Liuius. Hanc meam sententiam confirmat uetustissima eiusdem Capitolina inscriptio, quam quum de tertio eius triumpho uerba faciam, afferam

Triũphi naualis L. Aemilii Regilli pro praetoris de rege Syrie Antiocho Liuius lib. XXXVII. Auctor libri de uiris illustribus, Appianus in Syriaco, & alii

De triumpho L. Cornelii Scipionis Asiatici pro cos. de rege Suriae Antiocho ex Asia prid. Kal. Martii acto Liuius libro XXXVII. Plutarchus in Africano, saepe Cicero, Pedianus actione III. in Verrem. Plinius libro XXX. cap. XI. Valerius Maximus libro IIII. cap. I. & libro VIII. cap. I Gellius libro VII. cap. IX. Eutropius, & Orosius mentionem fecerunt

Q. Fabium Labeonẽ ex Creta Insula naualẽ triũphũ egisse scribit in fine lib. XXXVII. Liuius

M. Fuluii Nobilioris II. pro cos. de Aetolis, Ambracibus, & Cephalenia X. Kal. Martii Cicer. pro Muraena, Liuius libro XXXIX. Auctor libri de viris illustribus, & Eutropius mentionẽ faciũt

Cn. Manlii Vulsonis pro cos de Gallis Asiaticis III. Nonas Mart. Liuius libro XXXIX Auctor libri de viris illustribus, & ex L. Pisone Plinius libro XXXIIII. Cap. III

De ouatione L. Manlii Acidini Fuluiani propr. de Hispania citeriore Liuius libro XXXIX

C. Calpurnii Pisonis, & L. Quinctii Crispini praetorum ex Hispania Liuius libro XXXIX

A. Terentii Varronis propraetoris ouantis ex Hispania citeriore Liuius libro XL

L. Aimili Paulli II. pro cos. de Liguribus Liuius libro XL. Plinus in libro de viris illustribus, & Paterculus

De triumphis P. Cornelii Cethegi, & M. Baebii Tamphili proconsulum de Liguribus, Item Q. Fuluii Flacci propr. de Hispanis Liuius libro XL. De Flacci vero victoria Appianus in Iberico, & Eutropius mentionem faciunt

Q. Fuluii Flacci II. cos. de Liguribus, Liuius libro XL. Eodem die de Liguribus hoc anno in consulatu triumphauit Q. Fuluius, quo priore anno ex praetura de Hispanis triumphauerat

Q.Caecilij Metelli propr.ex Macedonia de Andrisco pseudo Philippo Cicero saepe pro Muraena, & in L.Pisonem, Paterculus libro I.Valerius libro VII.cap.I.& IIII. Plinius, Florus, Eutropius, & Orosius meminerunt

P.Cornelii Scipionis Africani Aimiliani pro cos.de Poenis & Hasdrubale ex Africa Cicero de somnio Scipionis, Appianus in Lybico,Gellius libro III.cap.IIII.Florus,Eutropius,& plerique alii mentionem fecerunt

L.Mummii Achaici II.pro cos.de Corinthiis & Achaeis saepe Cicero, pro Muraena,& contra Rullum : Pedianus III.in Verrem ; Plinius iu libro de viris illustribus, Florus in epitoma libri LIII.Tacitus libro XIII.Appianus in Lybico,Eutropius libro IIII.Plinius libro XXXIII. cap.XI Valerius libro VII.cap.IIII.& Virgilius

Ille triumphata Capitolia ad alta Corintho
Victor aget currum,caesis insignis Achiueis

De Ap. Claudii Pulchri triumpho de Sallasis ex Alpibus sic scribit Orosius libro V.cap. IIII. Ap.Claudius aduersus Sallassos Gallos conuersus, & victus decem millia peditum amisit, reparata pugna quinque millia hostium cecidit, triumphum propter damna superiora quum non impetrasset infami impudentia atque ambitione vsus,priuatis sumptibus triūphauit. Recte: Triumphanti enim pecunia ex aerario errogabatur, ut Liuius iu triumpho Minuciano tradit. Victoriae Florus in epitoma LIII. Obsequens,& Eutropius meminerunt. Macrobius libro IIII. Ap: Claudius uir triumphalis salius usque ad senectutem fuit. De hoc iniussu populi triumphante Cicero in Coeliana, Tranquillus in Tiberio, & Valerius libro VI.meminerunt

D. Iunii Bruti Callaici pro cos.ex Hispania Plutarchus in Gracchis, & Eutropius, victoriae vero Florus, Appianus in Iberico, Paterculus, Orosius,& Bedas, & plerique alii meminerunt

De triumpho Ser.Fuluii Flacci cos.de Vardeis ex Illurico nihil aperte traditum comperi,verū ex obseruatione epitomarum & verbi subigēdi ui triumphasse cum puto,cuius victotiae praeter Florum iu epitoma libri LVI.& alii plerique meminerunt

P.Cornelium Scipionem Africanum Aemilianum proconsulem iterum triumphasse de Numantinis ex Hispania citeriore praeter Appianum in Iberico, Paterculum, Florum,Eutropium, Orosium, Ciceronem de somnio Scipionis, & Philippica XI.Plinium libro XXXIII.cap.XI. & Valeriū lib.II.& IIII.cap.II.&III.Mentionem quoq; facit antiquissima haec Capitolina basis sic

P. CORNELIVS. PAVLLI. F. SCIPIO
AFRICANVS. COS. II. CENS
AVGVR. TRIVMPHAVIT II (capite XIX

De ouatione M. Perpernae praetoris de seruis fugitiuis ex Sicilia meminit Florus libro III. P.Rupilii uero proconsulis de eisdem seruis Valerius libro II.& VI.Florus in epitoma lib.LIX Pedianus in IIII.Verrinam

C.Sempronii Tuditani cos.de Iapudibus Verrius Flaccus in extremo parastatae tertiae;victoriae Appianus in Illyrico & Florus in epitoma libri LIX.meminerunt

M.Aquillii pro cos.ex Asia Verrius Flaccus in initio parastatae quartae;uictoriae uero Florus

M.Fuluii Flacci pro cos.de Liguribus fragmentum Capitolinum, victoriae Florus libro LX. meminerunt, de hoc Fuluio triumphali uiro in seditionibus Gracchanis multa scribuut Paterculus libro II.& Plutarchus in Gracchis

Q.Metelli Balearici pro cos. ex Balearibus Valerius libro VII.cap.I.Plinius libro VII.de victoria vero Strabo libro XIII.Florus libro LX.Eutropius, Orosius, & alii mentionem faciunt

C.Sextii Caluini, & C.Cassii Longini pro consulū de Saluiis & Aruerneis Eutropius,uictoriā vero Florus, Paterculus, & plerique alii cōmmemorant

Cn.Domitii Ahenobarbi pro cos.de Allobrogibus & Aruerneis Tranquillus in Nerone,& Paterculus libro II.uictoriam uero Florus libro LXI.Eutropius, Orosius, Strabo, & Cicero pro Fonteio profitentur

Q.Fabii Maximi Allobrogici pro cos.de Allobrogibus, & cet.Paterculus libro II. Plinius libro XXXIII.cap.XI.victoriam uero Florus libro LX. Strabo libro IIII. Eutropius, Orosius,& plerique alii prodidere

Q.Marcii Regis cos.de Sarniis Alpinis Orosius,& Eutropius profitentur

L.Metelli Dalmatici Valerius libro VII.cap.I Plinius libro VII.& Pedianus in III.Verrinam, & pro M.Scauro; uictoriae L.Florus mentionem facit

Q.Mucii Scaeuulae cos.de Dalmateis Eutropius meminit libro IIII

M.Aimilii Scauri cos.de Gatisceis & Luguribus Plinius in libro de viris illustribus

De triumphis M.Metelli pro cos.de Sardis, & C.Metelli Caprarii cos.ex Macedonia Eutropius, Rufus, & Paterculus mentionem faciunt

T.Didii propr.ex Macedonia Cicero in L.Pisonem, de victoria Florus lib.III.cap. IIII. Praeterea quum idem II triumphauerit auctore Verrio Flacco anno DCLX. intelligere possumus,eū hoc tempore primum triumphasse

Triumphum M.Liuii Drusi pro cos.de Scordisceis ex Thracia nemo quod sciam aperte tradit. Eum tamen triumphasse Florus libro LXIII. Rufusque non obscure demonstrant. Item in Tiberio Tranquillus,ubi duos gentis Liuiae triumphos enumerat, quorum alter est hic, alter vero bello Punico secundo a Salinatore actus

M.Minucii Rufi pro cos. ex Thracia Paterculus libro II. victoriae uero Florus ex Liuio in epitoma libri LXVI.Frontinus libro II.Eutropiusque meminerunt

Q.Seruilii Caepionis propr.ex Hispania meminit Valerius libro VI. cap. XI. victoriae vero Eutropius libro IIII

Q.Metelli Numidici procos.de Iugurtha Salustius,Paterculus libro II.Plinius de viris illustri bus, Valerius libro II.Eutropius libro IIII.& Gellius libro XII.cap.IX mentionem faciunt

C.Marii cos.II.de Iugurtha Salustius,qui eū Kal.Ianuarii triumphasse scribt,Plutarchus,Florus, Dio, Plinius iunior, saepe Cicero, Valerius libro III.cap.VI. Eutropius libro IIII. & omnes alii meminerunt

M.Antonij pr.de pirateis ex Cilicia Plutarchus in Pompeio,victoriae uero Cicero pro lege Manilia, Florus in epitoma libri LXVIII.Obsequens,Tacitus libro XII.& plerique alii meminerūt

Triumphum C.Marij II. Cos. V. de Cimbris & cet. Vetus elogium, Florus in epitoma libri LXVIII.Valerius lib. VIII. cap.XV.Eutropius libro V.Plutarchus in Mario,Plinius lib.XXXIII cap.XI.& plerique alii commemorant

Q.Lutatii Catuli pro cos.de Cimbris Eutropius libro V.& Valerius libro IX.cap.XII

Obsequens ijsdem consulibus, quibus Cimbri victi sunt,Lusitanos deuictos & Hispaniam ulteriorem pacatam scribit. A quo autem uicti fuerint obscurum est. Credo eos a D.Iunio Silano propr.pacatos fuisse, de quo sic Rufus scribit: Hispaniam per D.Brutum obtinuimus, & vsque Gades ad occeanum mare peruenimus. Post ad Hispanos tumultuantes D.Iunius Silanus cum exercitu missus eos uicit. Hic autem idem si pacauit prouinciam certe etiam triumphauit. Si autem uictoria parta est anno quo Cimbri uicti sunt,sequenti ergo anno triumphus actus est,ut ego in Fastis notaui

Ouationis M'. Aquillii pro cos.de serueis fugitiuis ex Sicilia Cicero secundo de Oratore,& Athenaeus libro V.victoriae vero idem Cicero in Verrem, & Florus libro LXIX.meminerunt

L.Corneiij Dolabellae pro cos.de Lusitanis solus Verrius Flacc.victoriae Obsequēs meminer

Triumphum T.Didij II.pro cos. ex Hispania Verrius Flaccus, & Appianus in Hispaniensi; victoriam Florus libro LXX. Gellius libro II. cap. XXVII. & Frontinus lib. II. commemorant

Triumphum P.Licinii Crassi proconsulis de Lusitaneis preter Verrium Flaccum, Pedianus in Pisonem, Plutarchus in Crasso; victoriam uero Strabo libro III.profitentur

Cn.uero Pompeii Strabonis cos.de Asculanis & Picentibus, M.Flaccus, Pedianus in Pisonianam, Plinius libro VII.cap.XLIII.Dio libro XLIII.Valerius Libro VI.cap.X.edunt. Adiicit Appianus, hoc uno crimine de Marsis triumphatum, quum ante neque de Marsis, neque sine Marsis triumphus ullus actus fuerit

Post triumphum Pompeii Strabonis,triumphus P. Seruilii Vatiae propr. adnexum est in tabulis Capitolinis;verum de quibus triumphauerit intercidit,nemoq; quod sciā,hactenus scripsit

De triumpho L.Cornelii Sullae dictatoris de Mithradate ex Asia praeter fragmentum Verrij Flacci, Cicero pro lege Manilia, Plutarchus in Sulla, Appianus, Plinius libro XXXIII. cap. I. Valerius libro III.cap.I.& Eutropius libro V.meminerunt

Cn.Pompeium Magnum propraetore adhuc equitem Romanum,& nondum senatorem primum ex Africa triumphasse tradunt Florus in epitoma libri XXCIX.Plutarchus, Cicero in oratione pro lege Manilia,Plinius libro VII.Valerius, & Eutropius

L.Licinii Muraene propr.ex Asia Cicero pro lege Manilia, & pro Muraena meminit

Cn. Cornelii Dolabellae ex Macedonia Cicero in Pisonem, Pedianus in Scaurum, & Tranquillus in Caesare mentionem facit

P.Seruilij Vatiae Isaurici II.pro cos.de Isauris ex Cilicia Cicero VII. in Verrem,in L.Pisonem Pedianus in tertiam Verrinam,Rufus, Valerius libro VIII.& alii commemorant

C.Scriboniū Curionē pro cos.ex Macedonia triūphasse Cic.in Pisonē,& Eutropius prodidere

M.Terentij Varronis Luculli pro cos.ex Macedonia Cicero in Pisonem, & Pedianus, de praeclara vero victoria Florus, Rufus, Eutropius, & Orosius mentionem faciunt

M.Licinium Crassum propr.ouasse de feruis fugitiuis & Spartaco, Cicero in Pisonem, Plutarchus, Gellius libro V.cap.VI.Plinius libro XV.cap.XXIX.& Eusebius commemorant

Q.Caec.

Q. Caecili Metelli Pij pro cos. ex Hispania Patercul. Florus, Macrob. & Cicero in Pisonem

Cn. Pompeij Magni II. pro cos. adhuc equitis Romani ex Hispania Valerius libro VIII. cap. XV. Plutarchus, Appianus, Florus, Eutropius, Pliniusque libro VII. cap. XXVI. Eum autem prid. Kal. Ianuarii triumphasse tradit Paterculus

M. Pupij Pisonis pro cos. ex Hispania Cicero, & Pedianus in Pisonem

L. Licinii Luculli pro cos. ex Asia Cicero pro Muraena, pro Archia, & in Lucullo, Paterculus, Plutarchus, Athenaeus libro VI. Plinius libro XXVI. cap. V. & alii meminerunt

Q. Metelli Cretici pro cos. ex Creta insula, Velleius, & Eutropius, Cicero in Pisonem & ex Dione Xiphilinus mentionem faciunt

De triumpho Cn. Pompeij Magni III. pro cos. ex Asia per biduum, praeter fragmentum Capitolinum Verrii Flacci, saepe Cicero, Paterculus libro II. Dio libro XXXVII. Plutarchus in Pompeio, Plinius libro VII. cap. XXVI. Eutropius libro VI. & ceteri omnes horum temporum scriptores mentionem fecerunt. Cuius triũphi titulus hic fuit, ut ex Plinio accepi lib. VII, cap. XXVI

CN. POMPEIVS. CN. F. MAGNVS. IMPERATOR
BELLO. XXX. ANNORVM. CONFECTO. FVSIS. FVGATIS. OCCISIS
IN. DEDITIONEM. ACCEPTIS. HOMINVM. VICIES. SEMEL
CENTENIS. LXXXIII. DEPRESSIS. AVT. CAPTIS. NAVIBVS
DCCCXLVI. OPPIDIS. CASTELLIS. ∞DXXXVIII. IN. FIDEM
ACCEPTIS. TERRIS. A. MOEOTI. LACV. AD. RVBRVM. MARE. SVBACTIS
VOTVM. MERITO. MINERVAE

Triumphi uero quem duxit ante diem III. Kal. Octobris M. Messalla & M. Pisone cos. praefatio haec fuit

QVVM. ORAM. MARITIMAM. A. PRAEDONIBVS. LIBEBASSET
ET. IMPERIVM. MARIS. POPVLO. ROMANO. RESTITVISSET
EX. ASIA. PONTO. ARMENIA. PAPHLAGONIA. CAPPADOCIA
CILICIA. SVRIA. SCYTHEIS. IVDAEIS. ALBANIS. IBERIA
INSVLA. CRETA. BASTERNEIS. ET. SVPER. HAEC. DE
REGIBVS. MITHRADATE. ATQVE. TRIGANE. TRIVMPHAVIT

C. Pontinij pro consulis de Allobrogibus, Dio in fine libri XXXIX. Cicero ep. ad Atticum libro IIII. & libro III. ad Q. Fratrem, victoriae Florus meminerunt

P. Cornelii Lentuli Spintheris pro cos. ex Cilicia Cicero libro V. Ep. ad Atticum

M. Aimilii Lepidi pro pr. ex Hispania Dio lib. XXXVII. qui tradit eum sine uictoria iussu Caesaris triumphasse

De quattuor C. Caesaris dictatoris triumphis Gallico, Pontico, Alexandrino, & Africano Plutarchus, & Tranquillus in Caesare; Appianus, Dio libro XLIII. Florus in epitoma, Paterculus libro II. & Cassiodorus mentionem faciunt

C. Iulij Caesaris V. dictat. cos. IIII. ex Hispania ijdem auctores, qui supra citati sunt

Triumphorum Q. Fabij Maximi cos. & Q. Pedii pro cos. ex Hispania preter Verrium Flaccũ, meminit libro XLIII. Dio; quos iussu Caesaris sine victoria triumphasse tradit

Ouationis C. Caesaris dictatoris ex monte Albano Verrius Flaccus in tabulis Capitolinis aperte, Dio vero, & Plutarchus paululum obscure meminerunt. Ei enim equo, in vrbem a feriis Latinis reuertenti, vehi a senatu concessum fuisse scribunt

L. Munatii Planci pro cos. ex Gallia, & M. Aimilii Lepidi II. III. Viri R. P. C. ex Hispania Verrius Flaccus, Paterculus libro II. Plinius Libro XIII. Cap. XIII. & Appianus libro IIII. mentiotionem faciunt

P. Vatinii pro cos. ex Illurico Verrius Flaccus, victoriam ipse in epistolis ad Ciceronem, & Dio commemorant

L. Antonii. cos. ex Alpibus Verrius Flaccus, & Dio libro XLVIII

Ouationum C. Caesaris Octauiani, & M. Antonii III. virorum R. P. C. Verrius Flaccus, Dio libro XLVIII. & Tranquillus cap. XXII

L. Marcii Censorini cos. ex Macedonia solus meminit Verrius Flaccus

C. Asinii Pollionis pro cos. ex Parthineis M. Verrius Flaccus, Dio lib. XLVIII. Horatius ode I. libri II. et ibidem Porphyrio, Seruius in Pollione Virgilii; victoriae uero Velleius meminere

P. Ventidii pro cos. de Parthis Verrius Flaccus, & omnes horum temporum scriptores

Cn. Domitii Caluini pro cos. ex Hispania Verrius Flaccus, & Dio libro XLVIII

Ouationis C. Iulii Caesaris Octauiani II. III. viri. R. P. C. II. ex Sicilia Verrius Flaccus, Dio, Eusebius, Eutropius, & Tranquillus cap. XXII

T. Statilii Tauri pro cos. ex Africa Verrius Flaccus, Paterculus, & Dio profitentur

C.Sosii pro cos.ex Iudaea Verrius Flaccus, victoriae Dio libro XLIX.meminerunt
C.Norbani Flacci pro cos.ex Hispania solus Verrius Flaccus in Capitolinis triumphis

Cn.Domitium Ahenobarbum nobilissimum & laudatissimum uirum pro cōsulem hoc anno ex Paterculo, & Tranquillo in Neronc triumphasse scripsi. Ille enim triumphos plures in genti Domitia libro II.fuisse tradit, hic uero duos enumerat. Quum autem ego non nisi unum gentis Domitiae triumphum idest Allobrogicum inuenerim, alterum ab hoc actum fuisse suspicatus sum; quum eum omnibus gentis suae praeferendum esse a Suetonio scribatur, multaq; praeterea bello egregia ipsum gessisse constet

De tribus C.Caesaris Octauiani triumphis Dalmatico, Macedonico, & Aegyptio Tranquillus cap. XXII. Florus in epitoma, Dio libro LI. Appianus in Illyrico, Macrobius, Eutropius, Eusebius,& Orosius mentionem fecerunt. Et Virgilius libro VIII

At Caesar triplici inuectus Romana triumpho
Moenia, diis Italis, votum immortale sacrabat

C.Carrinatis pro cos.de Gallis Dio libro LI.quem die primi triumphi C.Caesaris triūphasse tradit, triumphauit autem VIII.VII.& V Idus Sextiles,ut ex Macrobio,& Orosio concinnaui

L.Autronii Paeti pro cos.ex Africa solus meminit Verrius Flaccus

M.Licinii Crassi pro cos.ex Thracia Verrius Flaccus, victoriae Dio meminerunt

M.Messallae Coruini pro cos.ex Gallia Verrius Flaccus,de victoria Dio tradit. De hoc triumpho loquitur libro I.elegia VII.& libro II.elegia prima Tibullus

Triumphorum Sex.Appulei pro cos.ex Hispania,& L.Sempronii Atratini pro cos. ex Africa solus in tabulis Capitolinis triumphalibus meminit M.Verrius Flaccus

De triumpho L.Cornelii Balbi pro cos. ex Africa M. Verrius Flaccus meminit, in extrema quarta parastata Capitolina vbi triumphorum describendorum finem facit. Hunc uirum triūphalem Strabo lib.III.Solinus capite XXXI.Plinius libro V.capite V. commemorant, Quū in L. Cornelii Balbi triumpho desinant tabulae triumphales Capitolinae,reliquos deinceps triumphos ex vetustis auctoribus digeram, quando instituerim eos omnes enumerare qui etiam post Augusti tempora acti sunt,usque ad Iustinianum imp. Scribit igitur Tranquillus in Augusto cap.XXXVIII. Nec parcior in bellica uirtute honoranda,super triginta ducibus iustos triūphos, & aliquando pluribus triumphalia ornamenta decernenda curauit Ex quibus verbis quum intellexerim longe plures sub Augusto duces riumphasse, quam ii quos in meis Fastis digessi, obseruaui ante rriumphalium ornamentorum usum omnes quos praeclaris victoriis potitos fuisse auctores referūt,eosq; triumphales uiros fuisse mihi persuasi,perinde ac feci de P.Silio Nerua,& L.Asinio Gallo,quos cū Pannoniis,&Sauromatis res prospere per haec tēpora gessisse tradit Dio

Ouationis Ti.Claudii Neronis proconsulis de Pannoniis ex Illyrico Dio libro LV.Tranquillus in Tiberio cap.IX.Paterculus libro II.meminerunt

Ti.Neronis II.cos.II. de Germaneis Dio libro LV. Paterculus libro II. Eusebius olympiade CXCIII.Tranquillus in Tiberio cap.XX

Ti.Caesaris Claudiani III. pro cos.de Pannoniis, & Germanis Velleius libro II. Dio libro LVI.Tranquillus cap.XX

De triumpho Germanici Caesaris proconsulis de Germanis sic scribit Tacitus libro I.Druso Caesare, & Caio Norbano cos.decernitur Germanico triumphus. & paulo post: L. Caelio, C. Pomponio cos.Germanicus Caesar ad VII.Kal.Iuli triumphauit de Cheruscis, Cattis,Angriuariis, & aliis qui ad Albin edunt. Tranquillus in Caligula cap.I.Germanicus hoste deuicto triumphauit. Strabo lib.VII. Eutropius, Orosius,Eusebius in chronico, & Ouidius lib.II.de Pōto

Tacitus lib.II.& III.Drusum Iuliū Ti.filiū Caesarē Ouantē de Germanis vrbem iniisse scribit Tranquillus in Caligula cap.XLIX. Ouans urbem natali suo ingressus est, quarto ante eadem mense. Natus autem erat eodem auctore, prid. Kal.Septembris

De triumpho Ti.Claudii Caesaris Augusti Germanici Tranquillus cap.XVII.Plinius lib.III. cap.XV.& libro XXXIII.cap.III.Dio libro LVIII. Eutropius, Orosius, & in chronico Eusebius meminerunt. Cassiodorus quoque: Claudius (inquit) de Britannis triumphauit, & Orcadas insulas adiecit Romano imperio; itidem Victor & alii tradunt

A.Plautio ouationem Claudius Caesar decreuit, ingressoque vrbem obuiam progressus, & in Capitolium eunti,& inde rursus reuertenti latus texit. Tranquillus in Claudio cap.XXIIII. Eumdem Dio libro LVIII. Eutropius libro VII.& Paullus Diaconus memorarunt

De Ouatione Neronis imperatoris mentionem facit Tacitus libro XI

De triumpho Vespasiani & Titi Imperatorum ex Iudaea Iosephus libro VII.cap.XXIIII.Tranquillus in Vespasiano cap.III.& in Tito cap.VI.Eutropius libro VII. Plinius in praefatione historiae naturalis ad Titum,& ex Dione Xiphilinus meminerunt. Et Paullus Orosius libro VII.

IX. Vespasianus (inquit) & Titus imperatores magnificũ agentes de Iudaeis triumphum vrbem ingressi sunt. Pulchrum & ignotum antea cunctis mortalibus inter trecentos viginti triumphos, qui a conditione urbis vsque in id tempus acti erant, hoc spectaculum fuit; patrem, & filium uno triumphali curru uectos gloriosissimã ab his qui patrem & filium offenderant, victoriam reportasse. Huius triumphi memoria extat in antiquo arcu Titi sub Palatio, victoriae uero in antiqua hac inscriptione

IMP. TITO. CAESARI. DIVI. VESPASIANI. F
VESPASIANO. AVGVSTO. PONTIFICI. MAXIMO
TRIB. POT. X. IMP. XVII. COS. VIII. P. P
PRINCIPI. SVO. S. P. Q. R
QVI. PRAECEPTIS. PATRIS. CONSILIS. QVE. ET
AVSPICIS. GENTEM. IVDAEORVM. DOMVIT. ET
VRBEM. HIEROSOLYMAM. OMNIBVS. ANTE. SE
DVCIBVS. REGIBVS. GENTIBVSQVE. AVT
FRVSTRA. PETITAM. AVT. OMNINO. INTENTATAM
DELEVIT

De duobus Domitiani imp. triumphis Tranquillus in eius vita cap. V. sic scribit. De Cattis Dacisq; post uaria proelia duplicem triumphum egit. De Sarmatis lauream modo Capitolino Ioui rettulit. & cap. XIII. post duos autem triumphos Germanici cognomen assumpsit. Item Eutropius libro VII. Orosius libro VII. cap. X. Et Eusebius in chronico, ex quo annos quibus triumphatum est concinnaui. Alterius quoque Domitiani triumphi mentionẽ fieri uidi in hoc antiquo epigrammate sic

T. FLAVIO. T. F. GERMANO
CVRATORI. TRIVMPHI. FELISSIMI
GERMANICI. SECVNDI. IMP. CAES
FL. DOMITIANI. AVG. EXORNATO
SACERDOT. SPLENDIDISSIMO

De duobus Traiani imp. triumphis quos de Dacis, & rege Decebalo egit, ita scribit Plinius Iunior libro VIII. epistola ad Caninium: Optime facis, quod bellum Dacicum scribere paras. Nã quae tam recens, tam copiosa, tam lata, quae denique tam poetica, & quamquam in verissimis rebus, tam fabulosa materia? dices immissa terris noua flumina, nouos pontes fluminibus iniectos, insessa castris montium abrupta, pulsum regia, pulsum etiam uita regem, nihil desperantẽ. Super haec actos bis triumphos, quorum alter ex inuicta gente primus, alter nouissimus fuit. Bis enim proelio uictum fuisse Decebalum a Traiano etiam a Dione refertur, primo bello pax ei concessa, secundo occisus est. Prioris triumphi ipsemet Dio in Traiano, posterioris Eusebius, & Cassiodorus meminerunt

De triumpho Parthico diui Traiani ita scribit in Hadriano Aelius Spartianus: Quum triumphum ei senatus, qui Traiano debitus erat detulisset, recusauit ipse, atque imaginem Traiani curru triumphali uexit, ut optimus imperator ne post mortem quidem triumphi amitteret dignitatem. Cuius triumphi mentionem fieri animaduerti in nummo aureo Traiani imp. in quo ab una parte erat eius caput cũ hac inscriptione DIVO. TRAIANO. PARTH. AVG. PATRI ab altera uero currus a quattuor equis uectus cum statua laurum dextera, & sceptrum sinistra manibus tenente, sicque inscriptũ: TRIVMPHVS. PARTHICVS. Eius etiam mentio est in hoc antiquo epigrammate

T. H. R
M. ANTONIVS
EXOCHVS. NAT
ALEXANDRINVS
ROM. OB. TRIVMP
DIVI. TRAIANI. DIE. II

Triumphi Marci, & L. Veri Imperatorum de Partheis ex oriente sic meminit Cassiodorus: Orfito & Pudente cos. L. Caesar de Parthis cum fratre Marco Antonino triumphat. Idem tradunt Capitolinus in Marco, Eutropius libro VIII. Orosius, & in chronico Eusebius

Marci II. & Commodi Augustorum de Germanis Lampridius in Commodo: Triũphauit cũ patre X. Kal. Amazonias, idest Ianuarias, Pollione II. & Aprocos. Eiusdem triumphi Capitolinus in Marco, Cassiodorus, Eutropius, Orosius, & in chronico Eusebius meminerunt

Commodi imp. II. de Germanis Lampridius in Commodo: Post patris obitum Romam reuersus, subactore suo Anthero post se in curru locato, ita triumphauit. Eundem triumphum & Eusebius in chronico profitetur

Seueri & Antonini imperatorum de Arabibus, Parthis, & cet. Spartianus in Seuero sic scribit: Senatu

Parthicum deferentibus sibi patribus triumphum recusauit, filio concessit ut triumpharet, cui senatus Iudaicum triumphum decreuerat, quod & in Suria res bene gestae fuerant a Seuero. Herodianus uero qui eo tempore viuebat libro III. historiae Augustae, scribit Seuerum triumphasse. Victoriae Xiphilinus ex Dione, & Eusebius in chronico meminerunt

Caracalli secundum de Britannis triumphum ex antiquo nummo in quo excusus erat digessi De cuius victoria Herodianus, Dio, & alii mentionem fecerunt

Alexandri imp. de Persis Lampridius in eius vita ita tradit: Artaxerxem regem Persarum uicit, triumphum pulcherrimum egit. Quanquam Herodianus eum triumphasse negat. Herodianum uero etiam redarguit antiquus nummus, in quo triumphus Alexādri Persicus formatus est

De triumpho Persico Gallieni sic mentionem facit in eius uita Trebellius Pollio: Gallieno & Saturnino cos. Odenatus rex Palmyrenorum obtinuit totius orientis imperium: statimque bellum Persis in vindictam Valeriani indixit. Nisibim & Carras statim occupat. Nec defuit tamen reuerentia Odenati circa Gallienum. Nam captos satrapas insultandi prope gratia & ostētandi sui ad eū misit. Qui quū Romam deducti essent, uincente Odenato, triūphauit Gallienus

Aureliani imperatoris ex oriēte, & Germanis, de Regina Zenobia, & Tetrico ita tradit Flauius Vopiscus: Non ab re est cognoscere qui fuit Aureliani triumphus, fuit enim speciosissimus. Currus regii tres fuerunt, in his unus Odenati, argento, auro, gemmisq; opertus atque distinctus, alter quem rex Persarum Aureliano dono dedit, ipse quoque pari opere fabricatus, tertius quem sibi Zenobia composuerat, sperans se vrbem Romanam cum eo visuram, quod illam non fefellit, nam cum eo vrbem ingressa est victa & triumphata, fuit alius currus quattuor ceruis iunctus, qui fuisse dicitur regis Gothorum, quo ut multi memoriae tradiderunt, Capitolium Aurelianus inuectus est, ut illic caederet ceruos, quos cum eodem curru captos uouisse Ioui optimo maximo ferebatur. Praecesserunt elephanti uiginti, ferae mansuetae Lybicae Palestinae diuersae ducentae; quas statim Aurelianus priuatis donauit, ne fiscum annonis grauaret. Tigrides quattuor, Camelopardali, Alces, cetera per ordinem ducta, gladiatorum paria octingenta, praeter captiuos gentium barbarorum Blemyes, Axomitae, Arabes, Eudaemones, Indi, Bactriani, Hiberi, Sarraceni, Persae cum suis quique muneribus; Gothi, Alani, Roxollani, Sarmatae, Franci, Sueui, Vandali, Germani religatis manibus captiui praecesserunt. Inter hos etiam Palmyreni, qui superfuerant principes ciuitatis, & Aegyptij ob rebellionem; ductae sunt & decem mulieres, quas uirili habitu pugnantes inter Gothos ceperat, quum multae essent interemptae, quas uirili de Amazonum genere titulus indicabat. Praelati sunt tituli gentium nomina continentes: Inter haec fuit Tetricus, clamyde coccinea, tunica Gabina, braccis Gallicis ornatus, adiuncto sibi filio quem imperatorem in Gallia nuncupauerat, incedebat etiam Zenobia ornata gemmis, & catenis aureis quas alii substinebant, praeferebantur coronae omnium ciuitatum aureae titulis eminentibus proditae. Iam populus ipse Romanus, iam vexilla collegiorum, atque castrorum, & cataphractarii milites, & opes regiae, & omnis exercitus, & senatus, & si aliquanto tristior quod senatores triumphari uidebat, multum pompae addiderant. Denique uix nona hora in Capitolium peruenit, sero autem ad Palatium. Sequentibus diebus datae sunt populo uoluptates ludorum scenicorum, ludorum circensium, venationum, gladiatorum, naumachiae. & cet. Huius triumphi Eusebius in chronico, Cassiodorus, Eutropius libro IX. & Orosius libro VII. capite XXIII. meminerunt

Probi imp. de Blemyeis, Germanis & cet. sic Flauius Vopiscus in Probo: Triūphauit de Germanis & Blemys. Omnium gentium drungos usque ad quinquagenos homines ante triumphum duxit. Venationem in circo amplissimam dedit, ita ut populus cuncta diriperet. & cet. Victorias suas Eutropius, Orosius, Eusebius, & reliqui omnes commemorant

Triumphi Diocletiani & Maximiani Impp. de Perseis, Germanis, & cet. Eusebius in chronico, Eutropius lib. X. & Cassiodorus iisdem fere verbis meminerunt. Constātium Caesarem de Alemannis, & Galerium Caesarem de Persis ouantes vrbem ingressos fuisse, triumpho Diocletiani & Maximiani impp. ex Zonara Eutropio, Orosio, Eusebio, & Cassiodoro intelligi potest

Triumphasse Maxentiū imp. de Alexandro tyranno ex Africa refert libro historiarum secundo Zosimus, & ex Theophane Isauro. Anastasius Bibliothecarius. Cuius Alexādri, eiusque tyrannidis Sex. Aurelius Victor mentionem facit

Triumphi quem Constantinus imp. uicto & occiso Maxentio tyranno egit, meminit libro primo de eius vita Caesariensis Eusebius, & in historia ecclesiastica libro XI. cap. IX. Victoriae uero reliqui omnes, qui horum temporum historiam conscripserunt

Constantini imp. II. de Licinio tyrāno meminit Socrates Scholasticus in historia ecclesiastica libro primo cap. VIII.

Constantii imp. de Magnentio tyranno ex Gallis sic scribit Ammianus Marcellinus lib. XVI. Const-

Constantius concluso Iani templo, stratisq; hostibus cunctis Romam gestiebat uisere, post Magnentii exitium, absque nomine ex sanguine Romano triumphaturus. & cetera

Duorum triumphorum Theodosii imp. de Scytihs, & Geteis Constantinopoli actorum meminit Marcellinus comes sic: Gratiano V. & Theodosio Augustis cos. Theodosius Magnus post quã de Scythis & Geteis gentibus triumphauit Arrianos Ecclesia expulit. Idem refert paulo post

Theodosii. Imp. III. de tyranno Maximo sic scribit Socrates libro V. cap. XIIII. Victo & occiso Maximo triumphalia festa Imp. Theodosius Romae celebrauit

Theodosii Imp. IIII. de Eugenio tyranno Idem Socrates libro V. cap. XXV. & XXVI

Triumphi quem Honorius imp. Romae de Atallo tyranno egit sic meminit Prosper Aquitanicus in chronico: Honorio XI. & Constantio. II. cos. Honorius triumphans Romam ingreditur, praeeunte currum eius Atallo, quem Lyparis uiuere exulem iussit

De triumpho uero Fl. Belisarii de Vandilis ex Africa, & rege Gilimere ita scribit Procopius libro IIII. de bello Vandilico: Belisarius interea una cum Gilimere ac Vandilis Byzantium profectus, omnes adsequutus est honores, qui superiorum temporum ducibus maximas adeptis uictorias decerni consueuerunt, quosque nemo ab hinc annis sexcentis habuisse uisus est, praeterquam Titus, ac Traianus, & alii quicunque imp. in bellum euntes barbaras gentes superauerunt; spolia namque & trophaea patefaciens, captiuosque praeferens per mediam vrbem triumphum egit, non quidem antiquorum modo, sed ex propria domo pedibus usq; ad hippodromum processit. Inde rursus ad locum usque vbi sedes erat imperatoris. Erant enim spolia quaecunque ad regis capti ministerium esse consueuerunt, aurei throni, vehiculaque quibus regis uxor uehi mos erat, ornatu deinde uario plurimisque lapidibus praeciosis deinde constructa, aurea quoq; pocula, & alia omnia quae regiae mẽsae adhibentur; argentum praeterea multorum talentorum myriadum, omnis demum regia supellex admodum praeciosa atque admiranda, utpote a Gizerico quondam Romae e Palatio dirrepta. In qua & Iudaeorum res multae nobiles extitere, quae olim a Tito Vespasiano, quum Hierosolymas cepit Romam cum quibusdam aliis exportatae fuerunt. Quas quum Iudaeus quidam aspiceret ait ad quendam sibi proximum ex notis: Imperatori has opes Byzantium inferri Palatinm minime oportere, quod alibi nusquam quam in loco ubi Solomon Iudaeorum rex ab initio eas constituit consistere nequeant, propterea Gizericus Romanum imperium diripuit, nunc rursus ex eadem caussa Romanus exercitus Vandilorũ, Haec ad se delata imperator intelligens timuit, ac illico omnia illa Hierosolymam ad Christianorum templa remittenda mandauit. Erant autem inter triumphi captiuos Gilimer ipse purpuream quandã uestem humeros amictus una cũ omnibus consanguineis, ac Vandili quot proceritate corporum ac pulchritudine praestarent. Postquam uero Gilimer in hippodromo constitit, ac imperatorem in alta sede constitutum, populumque circa adstantem conspexit, ac demũ seipsum in quod fatum peruenerat considerasset, neque fleuit, neque aliter conquestus est, tantũ illud Hebreorũ uoluminũ memorauit: Vanitas uanitatũ & omnia vanitas. Nec mora ipse pariter & Belisarius iussi ab his, qui imperatoriã purpurã substinebant, Iustinianum supplices adorauerunt. At ille simul & Theodora cũiunx Ilderici filios ac nepotes omnes, ut ex Valentiniani imp. sanguine uenientes, necessitudine quadam sibi deuinctos opibus satis amplis honestauerunt. Gilimeri autem loca quaedam in Asia non admodum contemnenda ad habitandum simul cum suis omnibus propinquis dedit. Inter patricios autem eum referre non licuit, quod a secta nollet Arriana discedere. Paulo post Belisario decretus triumphus antiquorum more. Nam consul factus coruli sella humeris captiuorum inuectus argentea, zonas aureas, aliasque e spoliis Vandilorum diuitias populo dispersit, quamquam rem nouam facere uisus. Et in initio libri III. de bello Gothico: Suspensis Belisarius adhuc & dubiis rebus, cum Vitige Gothorumque optimatibus, & Theudibaldi liberis, pecuniaque omni, & regia praeciosaque cetera supellectile secum deuectis Byzantium uenit. Vldibele, Valeriano, Martino, ac Rodiano praefectis sequentibus. Vitigem uero cum uxore Iustinianus gratanter suscepit, barbarorum item agmen pro eximia corporum specie ac magnitudine mirabantur. Theoderici deinde in curiam dignas spectaculo receptas gazas senatoriis uitis seorsum uisendas exposuit, rerum gestarum magnitudinem gloriae duces, non enim uel has populo spectandas bic praebuit, nec Belisario ut triumpharet permisit, quemadmodum alias quum ex Gilimere rege & Vandilis uictoriam retulisset. Sed in omnium ore Belisarius erat: egregiis uictoriis duabus ornatus, quales ante hac mortalium nemini contigere; quippe qui reges duos Byzantium captiuos deduxerit, & Genserici, Theodericique ingentes opes praeter omniũ spem Romanis, vt ex hostibus spolia essent effecerit, unde uel apud barbaros ipsos nemo unquã clarior, & fama celebrior fuit: quippe qui deuictis ex hostibus in publicũ aerariũ maximas rursus inuexit diuitias, & terrae marisq; dimidiam partẽ, tam breui recuperauit. Haec Procopius. Atq; cũ eiusmodi Belisari triũpho finẽ triũphis explicandis faciã. Nam (ut saepe dixi) neminem amplius post Belisarũ triumphasse unquam minime me legisse

IN EOS

IN. EOS. POPVLI. ROMANI DVCES. QVI. TRIVMPHALIBVS. ORNAMENTIS. HONORATI. SVNT COMMENTARIVS

De primis triumphalibus ornamentis M. Agrippae decretis, eiusque instituti caussis



OMMENTARIO quem in triumphos edidi, quanta fieri potuit breuitate perstricto, nouissima huius operis pars reliqua est, in qua breuissime eadem propemodũ ratione, eas annotationes comprehendi, quas in populi Romani duces triumphalibus ornamentis honoratos conscripsi. Cuius instituti auctorem fuisse M. Agrippam Dio libro LIIII. tradit. Quamquam Tranquillus Tiberium Caesarem primũ triumphalibus ornamentis honoratum fuisse ex quorundam opinione asserere uideatur. Dioni autem magis adducor ut credam, quod hic rem ex instituto accuratissime referat, certioresque afferat huius instituti rationes. Scribit enim: Anno vrbis DCCXL. Cn. Lentulo & M. Crasso cos. Bosphoranos qui Asandro mortuo a Scribonio quodam solicitati fuerant, ab Agrippa subactos; adiicitque; eidẽ propterea supplicationes Romae esse atque triumphum decretum, quem tamen ab ipso non esse actum, sed tantum triumphalibus ornamentis decoratum fuisse; quia de rebus gestis nihil ad senatum scripserat. Ex quo tempore (inquit) reliqui exemplum eius, quasi legem quandam sequuti, neque publice litteras miserunt, neque triumphum obtinuerunt. Ac propterea nemini alii pari dignitate, triumphus in posterum, sed triumphalia ornamenta tantum decreta sunt. Ita Dio reliqua porro quae de triumphalibus ornamentis dicenda essent, satis supra exposui

Ti. Claudii Neronis de Pannoniis & cetera, meminit Dio libro LIIII. ita: Mortuo M. Agrippa Pannonii rebellarunt, subactique sunt a Ti. Nerone, quumque senatus Tiberio propterea triumphum decreuisset, Augustus ne eum ageret obstitit, triumphalia uero ornamenta concessit. Vnde Tranquillus in Tiberio cap. IX. ita: Tiberius primus (ut quidam putant) triumphalibus ornamentis honoratus est, nouo nec antea cuiquam tributo genere honoris; quam quã Dio (ut dixi) Agrippam primum hoc honore affectum auctor sit

Neronis Claudii Drusi de Germanis & cet. Dio libro LIIII. & Tranquillus in Claudio cap. I

Ti. Neronis II. de Pannonieis ex Illurico, Dio libro LIIII

L. Calpurnii Pisonis de Bessis & Scordisceis ex Thracia, Dio libro LIIII. Velleius libro II. & Florus in epitomia ex Liuio libro CXL. Tacitus libro V

L. Domitii Ahenobarbi de Germanis, Tacitus libro IIII. & Tranquillus in Nerone cap. IIII

P. Sulpicii Quirini ex Cilicia de Homonadensibus, Tacitus libro III

M. Vinucii de Germanis, Velleius Paterculus libro II

Cossi Cornelii Lentuli Isaurici de Isauris ex Cilicia, Dio libro LV

Cn. Cornelii Lentuli Getulici de Getulis ex Africa, Tacitus libro IIII. Dio libro LV. & Velleius qui eum Cossum uocat libro II

C. Passienii Crispi ex Africa. Velleius libro II

C. Sentii Saturnini de Germanis, Dio libro LV

M. Valerii Cottae Messallini ex Illurico, Velleius libro II

M. Plautii Siluani, ex antiqua Tiburtina inscriptione, quã supra libro II. attuli anno DCCLII

M. Aimilij Lepidi ex Dalmatia, & Illyrico, Velleius libro II

C. Vibii Postumi ex Dalmatia Velleius libro II

Germanici Caesaris ex Dalmatia, Dio libro LV

A. Caecinae Seueri }
L. Apronii & } de Germanis, Tacitus libro I
C. Silij }

M. Furii Camilli ex Africa de Numidis, Tacitus libro II

C. Iunii Blaesi ex Africa de Numideis, Tacitus libro III

C. Poppaei Sabini ex Thracia, Tacitus libro IIII

M. Licinij Crassi, Tranquillus in Claudio cap. XVII

Ti. Claudii Caesaris de Mauritaneis ex Africa, Tranquillus in Claudio cap. XVII

Ser. Sulpicii Galbae ex Germania & Africa, Tranquillus in Galba cap. VIII

C. Suetonii Paullini ex Africa, Dio libro LVIII. & Tacitus

Cn. Sidius

Cn.Sidii Getae de Mauritanis ex Africa, Dio libro LVIII
P.Gabinii Secundi Chaucici ex Germania, Tranquillus in Clandio cap.XXIIII.& Dio lib.LVIII
M.Licinii Crassi Frugi II.de Britannis, Tranquillus in Claudio cap.XVII
C.Valerii Asiatici ex Britannia Tacitus libro XI
L.Iunii Silani de Britannis, Tranquillus in Claudio cap.XXIIII
T.Flauii Vespasiani de Britannis, Tacitus lib.XVII.& in Vespasiano cap.IIII. Tranquillus, & Dio libro LVIII
C.Sidii Getae de Britannis, Dio libro LVIII
Rufirii Pollionis de Britannis, Dio libro LVIII
Cornelii Laconis de Britannis, Dio libro LVIII.
Cn.Domitii Corbulonis de Germanis, Dio libro LVIII
Q.Curtii Rufi, Tacitus libro XI
L.Pomponii, Secundi de Germanis, Tacitus libro XI
P.Ostorii Scapulae de Britannis, Tacitus libro XI
P.Petronii Sabini Turpiliani }
M.Coceij Neruae } Tacitus libro XII
P.Offonii Tigillini }
M.Licinii Muciani de Sarmatis, Tacitus libro XX
Ti.Plautii Siluani Aeliani ex Moesia, antiqua eiusmodi inscriptio, quae adhuc Tibure extat ad pontem Lucanum super Anienem, quam ego accurate exscripsi

TI . PLAVTIO . M . F . M . N
SILVANO . AELIANO
PONTIF . SODALI . AVG
III . VIR . A . A . A . F . F . Q . TI . CAESARIS
LEG . LEG . V . IN . GERMANIA
PR . VRB . LEGAT . ET . COMITI . CLAVDI
CAESARIS . IN . BRITTANNIA . CONSVLI
PRO.COS. ASIAE. LEGAT. PROPRAET. MOESIAE
IN . QVA . PLVRA . QVAM . CENTVM . MILL
EX . NVMERO . TRANSDANVVIANOR
AD . PRAESTANDA . TRIBVTA . CVM . CONIVGIB
AC . LIBERIS . ET . PRINCIPIBVS . AVT . REGIBVS . SVIS
TRANSDVXIT . MOTVM . ORIENTEM . SARMATAR
COMPRESSIT . QVAMVIS . PARTE . MAGNA . EXERCITVS
AD . EXPEDITIONEM . IN . ARMENIAM . MISISSET
IGNOTOS . ANTE . AVT . INFENSOS . P. R. REGES . SIGNA
ROMANA . ADORATVROS . IN . RIPAM . QVAM . TVEBATVR
PERDVXIT . REGIBVS . BASTARNARVM . ET
RHOXOLANORVM . FILIOS . DACORVM . FRATRVM
CAPTOS . AVT . HOSTIBVS . EREPTOS . REMISIT . AB
ALIQVIS . EORVM . OPSIDES . ACCEPIT . PER . QVEM . PACEM
PROVINCIAE . ET . CONFIRMAVIT . ET . PROTVLIT
SCYTHARVM . QVOQVE . REGEM . A . CHERONENSI
QVAE . EST . VLTRA . BORVSTENEM . OPSIDIONE . SVMMOTO
PRIMVS . EX . EA . PROVINCIA . MAGNO . TRITICI . MODO
ANNONAM . P . R . ADLEVAVIT . HVNC . LEGATVM IN
HISPANIAM . AD . PREFECTVR . VRBIS . REMISSVM
SENATVS . IN . PRAEFECTVRA . TRIVMPHALIBVS
ORNAMENTIS . HONORAVIT . AVCTORE . IMP
CAESARE . AVGVSTO . VESPASIANO . VERBIS . EX
ORATIONE . EIVS . Q . I . S . S
MOESIAE . ITA . PRAEFVIT . VT . NON . DEBVERIT . IN
ME . DIFFERRI . HONOR . TRIVMPHALIVM . EIVS
ORNAMENTORVM . NISI . QVOD . LATIOR . EI
CONTIGIT . MORA . TITVLVS . PRAEFECTO . VRBIS
HVNC . IN . EADEM . PRAEFECTVRA . VRBIS . IMP . CAESAR
AVG . VESPASIANVS . ITERVM . COS . FECIT

M.Vlpii Traiani Criniti patris Traiani imperatoris, Plinius iunior in panegyrico, in quo Traianum Augustum uiri triumphalis filium uocat

Cn.Iulij Agricolae de Britannis, Tacitus in eius uita, quam castissime & elegātissime scripsit Multos praeterea tam sub Domitiano, quā ceteris imperatoribus triumphalibus ornamentis honoratos fuisse antiqua docent monumenta, quorum tamen memoriam omnino amisimus, eaq; omnia temporum iniuria obscurissima nunc facta sunt, quae ante clarissima fuerunt. His itaq; perfectis commentariorum in hos Fastos libri quinti, atq; uniuersi operis finem faciam. Reliquis post haec euulgandis operam daturus de quibus saepe supra mentionem feci

COMMENTARIORVM . IN . V . ET . VLTIMVM . FASTORVM
LIBRVM . FINIS

INDEX

ERRATA. ET. PRAETERITA. CORRIGENDA ET. SVPPLENDA. IN. FASTIS

Pagina prima adde numeros 1.& 2
Pagina 2. in Numa Pompilio dele numerum superfluum anni XLIIII
Pagina sexta adde numeros 11.& 12
Pagina 13.versu primo vbi legitur M.Valerius Potitus C.Ailius Paius. restitue M. Valerius Maximus Potitus C. Ailius Paitus
Pagina eadem uersu 24. vbi legitur C.Fabius Dorso. in Mag.mort.est.&c.repone ita C.Fabius M.F.Dorso Licinus. tantum dele reliqua
Pagina eadem uersu a 7.ubi legitur C. Quinctius Gulo Claudus. repone C.Quinctius Claudus. & cet
Pagina eadem uersu 30. ubi legitur L.Quinctius Gulo Q.Fabius &c.restitue sic Q.Ogulnius L.F.A.N.Gallus C.Fabius.&c.

Pagina eadem uersu 57. vbi legitur Caepo. restitue Caepio
Pagina 17. uersu 34. vbi legitur Sex. Atilius. Adde Sex. Atilius M.F
Pagina 18. versu 26. vbi legitur C. Manilius M.F.P.N. repone CN. Mallius
Pagina eadem versu 38. & 42. vbi legitur L. Licinius P.F.P.N. Crassus. restitue L. Licinius L.F. Crassus
Pagina 19 uersu 25. vbi legitur C. Calpurnius Piso. Restitue C. Calpurnius L.F. Piso Frugi. ibidem corrige B. Piraticum
Pagina eadem uersu 45. adde. M. Calpurnius Bibulus Lustr. F. LXX
Pagina 21. uersu 28. vbi legitur Dict. III. restitue IIII. Dictat
Pagina eadem uersu 32. ubi legitur Cn. Domitius M.F.M.N. Caluinus II. repone Cn. Domitius M.F.M.N. Caluinus Mag. Equitum
Pagina 23. uersu 13. vbi legitur L. Autronius P.F. Paetus. restitue Crassus, ita enim est in tabula Capitolina
Pagina 27. versu 10. ubi legitur L. Visellius L.F. C.N. restitue L. Visellius C.F. C.N. Varro
Pagina eadem uersu 16. ubi legitur Q. Pomponius: restitue P. Pomponius
Pagina eadem uersu penultimo vbi legitur Q. Plautius Plautianus; repone Q. Plautius Q.F. Laelianus
Pagina 28. versu 35. pro Q. Pomponius. repone P. Pomponius
Pagina eadem uersu 49. ubi legitur imp. III. restitue III. IIII. item uersu 52. ubi legitur imp. IIII repone imp. IIII. V
Pagina 29. uersu primo ubi legitur imp. V. VI. restitue VI. VII. VIII. IX. X
Pagina eadem versu 2. restitue M. Stanlius M.F.M.N. Coruinus
Pag. eadem uersu 5. restitue sic: Cos. III. Des. IIII. P.P. imp. XI
Pagina eadem uersu 9. dele imp. XVI
Pag. eadem versu 10. restitue sic: imp. XVI. XVII
Pag. eadem uersu 22. restitue sic: imp. XIIX. XIX. XX. XXI
Pag. eadem uersu 37. restitue sic: D. Iunius M.F.M.N. Silanus pro C.N
Pag. 30. versu 5. restitue pro L. C. Fonteius. & cet
Pag. eadem uersu 26. pro C. restitue L. Fonteius. & cet
Pag. eadem uersu 43. restitue T. Vinius pro T. Iunio
Pag. 31. uersu 7. pro P. Coelio. restitue M. Coelius
Pag. 34. uersu 16. Ex Kal. Mart. Adde ::: Pompeius Collega III
Pag. eadem uersu 35. restitue pro Q. Messius. L. Appius Maximus
Pag. eadem uersu 39. ubi legitur C. Iulius Candidus II. T Numidius T.F. Quadratus. restitue sic Ti. Iulius Candidus. II. A. Iulius Quadratus. II
Pag. 40. uersu 3. restitue sic. ::: Bruttius Praesens. II. Sex. Quinctilius Gordianus
Pag. eadem uersu 17. repone sic M. Vettius Stlaccius Albinus Trebellius Rufus
Pag. eadem uersu 38. repone sic M. Acilius M.F.M.N. Glabrio
Pag. 45. uersu 4. repone imperarunt una annos II. Menses VI
Pag. eadem uersu 5. restitue sic; Hoc anno ex A.D. XV. Kal. Aprilis imp. Caes. &c
Pag. 59. uersu 23. restitue sic: M. Maecius Memmius Furius Placidus
Pag. eadem uersu 28. restitue sic: T. Auonius Marcellinus
Pag. 52. uersu 42. pro ... Kal. Septembris: repone VII. Kal. Octobris
Pag. 53. uersu 46. pro ... Kal. Sept. restitue VIII. Kal. Octobris
Pag. 54. uersu 11. repone Fl. Rufius Ceionius Caecina Sabinus
Pag. eadem uersu 54. restitue M. Iunius Caesonius Nicomachus Anicius Faustus Paullinus
Pag. 55. uersu 26. restitue: L. Ranius Acontius L.F. Optatus
Pag. eadem uersu 30. restitue C. Ceionius Rufius C.F. Albinus
Pag. 57. versu 15. repone annos XXV. mens. V. dies XIII
Pag. eadem uersu 24. restitue: M. Maecius Memmius Furius Placidus
Pag. eadem uersu 26. repone Dometius Leontius
Pag. 58. versu 18. Eusebius & Hypatius orientales consules, non occidentales esse debent
Pag. eadem uersu 46. restitue imperauit an. XIIII. mens. IIII. dies IX
Pag. 59. uersu 6. Fl. Modestus orientalis consul reponendus est
Pag. eadem uersu 30. restitue sic Q. Clodius Hermogenianus Olybrius
Pagiua eadem uersu 38. restitue sic Fl. Autonius Postumus Syagrius V.C. II

Pag.60.uersu 11.restitue,imperauit annos II.menses III.dies XII
Pag.eadem uersu 27.restitue,Sex.Anicius Sex.F.Hermogenianus Olybrius
Pag.eadem uersu 34.Fl.Caesarius Orientalis consul reponendus est
Pag.61.uersu 33.restitue, imperauit annos XXIX.mens.V.dies III
Pag.eadem uersu 51.restitue. Hoc anno A.D.XIIII.Kal.Nouembris Carthago,&cet
Pag.64.uersu 29.restitue,regnauit annos XXXIII.menses VI
Pag.65.uersu primo, restitue pro VI. V.Idus Iuli,ita & uersu 6
Pag.eadem uersu 5.restitue,imperauit an.IX.dies XXVI
Pag.74.uersu 34. restitue,imperauit annos VII.menses VII.dies III
Pag.77.uersu 50.restitue,imperauit annos LIIII.mens.II.pro LVII
Pag.eadem uersu 41.restitue pro VI.Nonas.III.Nonas Octobris
Pag.81.uersu 7.restitue,creatus III.Idus Aprilis,pro circa Kal.Mai
Pag.eadem uersu 51.restitue. Hoc anno circa Kal.Octobres,pro Septembres
Pag.85.uersu 4.restitue.Hoc anno X.Kal.Mai,pro XII.Kal.Iuni
Pag.eadem uersu 5. restitue interregnum mensium IIII.dierum XXIII
Pag.84.uersu 44.&.45 restitue regnauit annos VIII.menses III.dies XIIII
Pag.85.uersu 17. Hoc anno X.Kal.Iul. restitue.Hoc anno XI. Kal. Iuli,& annum intellige non 1309. sed 1308
Pag.eadem uersu 37. restitue. Hoc anno X.Kal.Decembris,pro V.Kal Decembris
Pag.87.uersu 13. restitue. Hoc anno XVII.Kal.Augusti,&cet. Item uersu 14.interregnum mensium V.dierum XXI
Pag.eadem restitue.Adolphus imperauit annos VI.menses V.dies XXVII
Pag.eadem restitue. Hoc anno VI.Nonas Iuli ∞CCXCVIII. occisus Adolphus Rex.Interregnum dierum XXIIII
Pag.eadem,restitue.Albertus imperauit annos IX.mens.&cet
Pag.eadem restitue: Albertus occisus IIII.Kal.Sebtembris
Pag.eadem restitue.Hludouicus V.imperauit annos XXXII.mens.XI.dies XXIIII
Pag.89. restitue,Robertus Caesar imperauit annos IX.mens.VIII.dies.XXII
Pag.91. restitue.Hoc anno XIIII.Kal. Martii Caesar Maximilianus rex Romanorum appellatus est, pro Kal.Aprilis
Pagina 95.ter pro Ser.Galba II.T.Iunio cos. restitue T.Vinio uersu 43.48.53
Pag.96. uersu 38.pro L.Valerio Flacco II. principe senatus Lustro LXVIII. repone

Q.Caecilius Q.F.L.N.Metellus Pius Lustro LXVIII
Princepes senatus. Anno vrbis DCXXCIII

Pag.97.Triumpho Romuli de Camerineis adde.... Kal. Sextileis
Pag.105.inter triumphalia ornamenta Vibii Postumi,& A.Caecinae interpone

TI.Iulius TI.Augusti F.Augusti N.An.DCCLXII
Pro Cos Legatus imp.Caesaris Augusti
De Dalmatis

CORRIGENDA . ET . SVPPLENDA
IN . COMMENTARIIS

Pagina 115. uersu penultimo. ante verbum Et Cassiodorus in epistola,&cet. interpone: Symmachus quoque libro primo epistolarum,epistola XII. ad Theodosiū imperatorem sic scribit. Nunc in amorem tuum studia nostra creuerunt. Nam mille sexcentas auri libras, decennalibus imperii tuis Fastis deuotus ordo promisit,urbanis ponderibus conferendas, idest trutinae longioris examine.

Pagina 134.uersu 27. Restitue ita. Idem existimauit Eutropius, quū libro primo historiae suae scripsit,Romulū olympiadis sextae anno tertio,annos XVIII. natū urbem in Palatio condidisse

Pagina 139.uersu 3. post uerbum Memoriam,adde: Nero etiam imperator menses Aprilem Neronem, Maium Claudium, & Iunium Germanicum uocauit, in sui,& Claudii imperatoris patris memoriam. Tacitus libris XV.&XVI.Quo mortuo pristina mensibus nomina reddita

Pagina eadem uersu 10. inter verba: Seruauerunt: & Tametsi: interpone. Nam ut tradit Iulius Capitolinus Pius imperator menses Septembrem,atq; Octobrem,quos Antoninum atque Faustinū appellandos esse decreuerat senatus,prisci nominis uocabulo mutare noluit. Tametsi &c.

Pagina 164.uersu 42. Restitue sic: Vrbem in quattuor tribus diuisit, quas vrbanas appellauit Palatinam,Suburanam, Exquilinam, & Collinam. XVII.alias, uel ut quibusdam placet tantū XV.(nā duas haud lōge post reges exactos Ap.Claudio & P.Seruilio cos.anno vrbis CCLXIX.

additas fuisse, ex his T. Liuii uerbis opinantur: Romae tribus una & viginti factae) quas rusticas uocauit adiunxit, idest: Romiliam, Clustuminam, Lemoniam, Pupiniam, Veientinam, Aimiliam, Corneliam, Fabiam, Horatiam, Meneniam, Papiriam, Sergiam, Veturiam, Galeriam, Polliam, Voltiniam, & eam quae postea Claudia appellata est. & cet. easdem tribus ita restitue pagina 216. uersibus 20. & 21

Pagina 198. uersu 8. Vbi legitur Annus CCCII. restitue Annus CCCI. & ante annum CCCIII interpone commentarium anni CCCII. librarii uitio praeteritum ita

Annus CCCII

Dionysius consules in hunc annum edit L. Menenium, & P. Sestium. Liuius P. Sestium Capitolinum & C. Menenium. Cassiodorus Menenium & P. Sestium. Diodorus T. Menenium, & P. Sestium Capitolinum. Sex. Pompeius T. Menenium Lanatum, & P. Sestium Capitolinum. Ego Dionysium sequutus L. Menenium scripsi, quem T. Menenii consulis anno CCLXXVII. filiũ esse existimaui, atque iterum consulem anno CCCXIIII. digessi. P. Sestius ex tabula Capitolina ornatus est

Pagina 244. Anno CCCXXCI. in quo consules memorantur C. Fabius & C. Claudius, est animaduersione dignum; Ipsum C. Fabium qui a Paterculo Fabius Dorso dicitur, in uetustissimo Eutropii codice, qui apud me est, Fabium Licinium corrupte pro Licino diei. Est enim & Licinus Fabiorum cognomẽ, ut ex tabula Capitolina anno DVIII. liquet. Quem Licinium & Fasti Graeci, & liber Cuspiniani mendose uocant. Ex qua re ego suspicatus sum, hunc quidem Fabium & Dorsonem appellatum fuisse, & eum primum Licini cognomen inuenisse, cuius filium putaui M. Fabium C. F. M. N. Licinum consulem anno DVIII. Quam ob rem neq; necesse est eum in magistratu mortuum esse, neq; illi C. Fabricium suffectum fuisse. Quae a Carolo Sigonio animaduersa, emendatione digna uisa sunt

Pagina 305. in fine inscriptionis quae incipit Q. CAETRONIVS. Post uerbum MARCELLAE. adde

VIXI. QVOD. VOLVI. SEMPER. BENE. PAVPER. HONESTE
FRAVDAVI. NVLLVM. QVOD. IVVAT. OSSA. MEA
IN. F. P. XI S. IN. AGR. P. XIII S

Pagina 347. uersu 52. ubi legitur: Impetrato imbre discussam, lege discussa

Pagina 352. antiquum epigramma sic restitue

HERCVLI
SANCTO. SACR
P. POMPONIVS. NOC
TIVS. VOTVM. SOL
AMICOS. ACC. BENE
M. EGGIO. MARVLLO. ET
N. PAPIRIO. AELIANO Cos
L. D. D. D. K. IVL

Pagina 354. versu 50. lege Nigro item Niger & Nigrum: nunquam Nigerio, uel Nigerium, aut Nigerii, uel Nigerius. Nam quamquam in tribus eius quos uidi nummis sic scriptum sit

IMP CAES C PESCEN NIGERIVS AVG

sine punctis, ita ut incertum sit legendum ne esset Niger Iustus, aut Nigerius, aut Niger pius, postremo tandẽ res aperta est, dubiumque enodatũ ex antiquo eiusdẽ Augusti argẽteo nummo, qui est in musaeo optimi imperatoris Ferdinandi Augusti de uniuerso litterarũ, & litteratorũ genere benemeriti, in quo ita scriptum est. IMP CAES C PESCEN NIGER IVST AVG. cuius exemplum ad me misit Antonius Augustinus quum apud eum nuntium apostolicum ageret. ita ut Niger iustus interpretandum sit, non Nigerius, quem tamen errorem nunquam admisissem, nisi extitissent, qui se Nigerium in nomismatibus Graecis uidisse mihi affirmassent. Quorum testimonio adductus Nigerius ex Nigro concinnaueram, quod accidere potuisse exemplo est Diadumenus, qui ab historicis ita appellatur in nummis uero Diadumenianus semper scribitur. Niger ergo non Nigerius scribendum est

Pagina 367. in extremo nouissimi versus adde: Hic Macrinus M. etiam Aurelius appellatu est quod ex antiquo hoc epigrammate liquet, ita

HERCVLI
VICTORI
PRO. SALVTE
IMP. CAES. M
OPELII. AVRE
LI. SEVERI
MACRINI. AVG
L. IVBENTIVS
L. F. TER. SE
VERVS. AVG. N
DISPENSATOR

Pagina 375. Anno ꝏII. antiquam inscriptionem ita supple

VICTORIAE
AVGVSTAE
SACRVM
RESTITVTAE. POST. ANTI
QVISSIMAM. VETVSTATEM
ORDO. VEIENTIVM

LECTORI. S

Haec autem sunt quae tam in Fastis, quam in Commentariis emendatione, uel restitutione digna cognoui, quae ad rem praecipue pertinerent, nam errata librariorum uitio admissa, diligenti lectori corrigenda relinquo. Quod si hunc librum iterum aliquando excudi cõtigerit, eum longe emendatiorem & locupletiorem dabo, nam multis rebus abstinere, & angustia temporis, & aliis caussis necessariis impeditus, coactus fui. Interim amice lector aequo animo legas, laboremque studio iuuandi antiquitatum studiosos susceptum, boni consule. Ceterum appendicem non inutilem his commentariis adorno in quam, praeter sex, aut septem ueteres Fastorum consularium scriptores illustratos, de ludis quoq; saecularibus, & antiquis Romanorum nominibus, quos saepe pollicitus sum, commentarios, coniiciam

FINIS